XIV. E. 22.





SUPPLEMENTUM
AD VARIAS COLLECTIONES OPERUM
CLAR. VIRI
Z. B. VAN-ESPEN
J. U. D. & SS. Canonum Professoris,
IN ACADEMIA LOVANIENSI
CONTINENS PRÆCLARA JURIS RESPONSA

EPISTOLAS, ET VARIA OPUSCULA HUJUS DOCTORIS

NONDUM EDITA; NECNON MOMENTOSAS EJUSDEM LUCUBRATIONES JAM EDITAS, QUÆ IN OMNIBUS EJUS OPERUM COLLECTIONIBUS ETIAM IN ULTIMA ANNI 1753, OMNIUM LOCUPLETIORE DESIDERANTUR.

Cum variis Monumentorum Appendicibus.

TOMUS PRIMUS.
PARS PRIMA ET SECUNDA.





NEAPOLI.
EXPENSIS ANTONII CERVONII.

PUBLICA AUCTORITATE, AC PRIVILEGIO.

MDCCLXIX.



APPROBATIO
CENSORIS REGII.

EA est miseranda prorsus mortalium conditio, ut qui indefessis laboribus de Republica benemerentur, invidiam sæpe patiantur & ærumnas. Hanc expertus est fortunam Vir Clarissimus ZEGERUS BERNARDUS VAN-ESPEN, Juris utriusque Doctor, SS. Canonum in Academia Lovaniensi Professor, Juris Divini & Ecclesiastici, ac in primis Juris Belgico-Ecclesiastico-publici propugnator acerrimus & vindex. Vix enim in lucem prodierant quæ de *Promulgatione Legum Ecclesiasticarum*, de *Placito Regio*, de *Recursu ad Principem*, aliisque plurimis ad Regiæ Majestatis Belgarumque jura spectantibus, acutissime dissernerat, cum undequaque a Systematis adversi fautoribus, irrito quidem conatu, impetita fuere. Vicit tamen aliquando inimicorum suorum constans insectatio. Vulgaverat Doctor emeritissimus de quæstione Scholastica Disceptationem quampiam cui titulus: *Responsio Epistolaris &c.*; tot inter doctissimas lucubrationes hanc præcipue arripuere queis opinio altera placebat, ut Authorem dejicerent exturbarentque. Et sane adeo apud Augustissimum, Augustissimique Administros allaborarunt, ut indefenso viro gravissimo, suffragante procellosa temporum tempestate, nota huicce Opusculo inusta tandem fuerit. Verum non Authoris famæ, non operum ejus celebritati quidquam ademere intentatæ in eum molitiones. Cessit quidem inimicis, ac paulo post fatis, vir dierum ac meritorum plenus. Ast vindicat posteritas Doctorem omni encomio dignum, immortalitateque jampridem donatum. Europa tota, Academiæ omnes, litterati quicumque, profundissimam ingenii perspicacitatem mirantur, venerantur adeo, ut non animi sententias protulisse, sed Juris oracula edidisse videatur. Quin & in ipsa urbe Roma quanto sit in pretio quantique ponderis, in dirimendis quæ de Jure Ecclesiastico passim

occurrunt, quæstionibus, nullus est qui ignoret, ovante Natione Belgica, tanti viri ortu, laboribusque illustrata.

Inter varias quæ prodiere Espenianorum operum Editiones, primas certe partes tenet ea quæ anno 1753. Lovanii (*Parisiis*) in lucem producta est, quatuor complectens volumina. Supererant tamen Consultationes, Dissertationes, aliæque lucubrationes non paucæ, pleræque adhuc ineditæ, quæque manuscriptæ quasi vagabantur, has in unum collectas profert quintum hocce volumen, cui titulus: *Supplementum ad varias Collectiones Operum Clarissimi Viri Z. B. van-Espen*. Illud attenta mente perlegi, nihilque in eo deprehendi quod eodem fonte quo cetera volumina, scaturiat; egregiamque Authoris celeberrimi famam apprime sustineat. Quapropter omnibus illud gratum fore & perutile existimo, ac proinde prælo dignissimum censeo. Dabam Bruxellis hac 27. Junii 1768.

E. P. VANDEN CRUYCE

Sacræ Suæ Cæs. Reg. ac Apost. Majest. in Brab. Subst. Proc. Reg. ac Regius Libr. Cens.

MO-

MONITUM EDITORIS.



NTER octo, quas cognoscimus, Clarissimi viri Z. B. *van-Espen*, Operum Editiones (a), postrema anno 1753. Parisiis sub titulo Lovanii confecta, est procul dubio ceteris longe absolutior. Hæc ultima, quæ quatuor in folio voluminibus constat, non ea tantum capit, quæ in superioribus legere erat, sed aliis insuper aucta est operibus, eisque compluribus; quæ sola crassum ejusdem formæ conflarent volumen. Fatendum est tamen permulta etiam in ea desiderari ex iis omnibus, quæ luculentus elucubravit Author, quamvis plurima superius prætento ejus nomine Typis mandata fuissent. Aliis aut deerat quodlibet, aut subrepserat adulterinum nomen; eorumque magna pars quasi deposita in loco, tuto quidem sed minus noto, manuscripta remanserat. Horum omnium operum, quæ in Editione 1753. omissa fuerant, collectionem edimus, quam dicimus *Supplementum ad varias Collectiones Operum Clarissimi viri Z. B. van-Espen;* quippe quæ reipsa id suppleat, quod in variis eorumdem operum Collectionibus requirebatur. Illam in quinque partes distributam exhibemus.

Prima Pars duas & quadraginta de variis Juris Canonici quæstionibus Consultationes complectitur, quas ordine Chronologico digessimus, utpote quæ pauciores ad eamdem materiam pertinerent, quam ut juxta argumentorum seriem disponerentur. Inter eas quædam sunt, & maxime primæ, quarum authorem *Espenium* non asserimus; fieri enim potest, ut illis subscribens cum nonnullis aliis tum Juris tum Sacræ Theologiæ Doctoribus, eas tantummodo pro suis habuerit. Porro has inter & illas, quarum est indubitatus Author, id posuimus discriminis, quod priorum in titulo Espenium ipsis subscripsisse duntaxat dixerimus, posteriores vero, ut genuinum ejus opus, ipsi arrogaverimus.

Sup-

(a) Prima Lovanii 1700. Secunda & tertia Coloniæ 1702, & 1708. Quarta Rothomagi (sub titulo Lovanii) 1721. Quinta Coloniæ 1729. Sexta Venetiis 1732. Septima Coloniæ 1748. Octava Parisiis (sub titulo Lovanii) 1753.

(Hic Editor nullam de nostra Neapolitana Editione mentionem facit, quam si addas, novem sunt Editiones Operum Espenii.)

MONITUM EDITORIS.

Supplementi altera Pars varios includit singulares Authoris Tractatus, inter quos plurimi in publicis Lovanii Scholis dictati, hucusque manuscripti remanserant. Cum in hosce Tractatus autographos incidere penes nos haud fuit, accuratissima quæque Exemplaria, quæ pleraque Espenio dictante scripta sunt, perscrutati sumus, & plura simul conferendo interrogavimus, ut aliud alio castigaremus. Studiosa cura, qua sapientes viri hos Tractatus diligenter excerptos suis in musæis asservabant, quo favore iidem palam facti excipiendi sint, nobis ominatur. Huc accesserunt alia scripta de diversis Canonicis quæstionibus, eaque superius Typis mandata; quorum, quanquam aberat Espenii nomen, Authorem eum esse certo constat. Circa momenti gravioris argumenta versantur omnes illi Tractatus.

Tertiam Supplementi partem in duos divisimus libros. In priori videre est singulares Clarissimi viri Espenii Epistolas; in altero autem sive Epistolas sive Actus ipsi cum aliis tum Universitatis Lovaniensis, tum Cleri Austriaci Belgii membris communes. Hæc inter opuscula nonnulla Espenius condidit, aliis autem duntaxat subscripsit, omnia tamen est suo consilio moderatus.

Quarta Pars Consultationes, aliaque opera in defensionem Juris & Cleri & Capitulorum & Episcoporum Ecclesiæ Romano-Catholicæ Fœderati Belgii, comprehendit; in qua de gravissimis Juris Ecclesiastici publici quæstionibus pro sua omni diligentia enucleate penitusque differit.

Quinta Pars constat operibus, quæ Doctor idem in sui ipsius defensionem elaboravit, primum sub titulo Promotoris Universitatis Lovaniensis Typis mandatum est in Quarto, anno 1708, quo tempore contigit illa tam decantata Fraus Lovaniensis. In altero diluuntur falsæ criminationes, quas Cardinalis De Bissy suo in documento Pastorali anni 1722. Clarissimo Viro Espenio objecerat. Extremum hoc opus non ab Espenio scriptum, sed ab eo paratum, & coram illo ab uno e fidissimis ipsius Discipulis est exaratum.

Quintæ hujusce partis postremo operi titulus hic inscribitur: *Causa Espeniana*. In eo occurrunt omnia, quæ Clarissimus van-Espen scripsit in litibus adversus semetipsum aut sua opera, per tres ultimos ætatis suæ annos, institutis. Pleraque scripta quintæ hujus partis sub eodem titulo tunc temporis impressa fuerant; plura autem alia nos addidimus, quæ vel seorsim fuerant edita, vel manuscripta remanserant; & hæc additamenta nobis ansam præbuerunt ea novum in ordinem adducendi.

Circa

MONITUM EDITORIS.

Circa varias Scriptiones, ex quibus coalescit hoc Supplementum, diutius non immorabimur; si quis enim de his aliquid enucleatius audire voluerit, consulat tertium librum Vitæ Espenii, quam eodem tempore, quo Supplementum pervulgamus, ita dispositam, ut in unum cum Supplemento coire possit. Hæc Vita gravia anecdota de aliis operibus ejusdem Doctoris jam in octo Editionibus impressis, etiam dilucidabit. Ex narratione sive eventuum, a quibus hæc opera duxerunt exordium, sive exitus, quem sortita sunt, nempe aut patrocinii quo propugnata, aut contradictionis qua impugnata sunt, nova lux his operibus, nova venit commendatio. Iisdem nos adducti momentis, sæpius privatis Espenii operibus subjunximus quædam digna notatione quasi fragmenta, quæ iis aut conveniebant, aut erant fulcimento; v. g. supremorum Consiliorum Decreta, quæ hujus Doctoris aut operum aut monitorum veluti fœtus extiterunt, & variorum Canonistarum Theologorumque ejus placitis adhæsiones. Nobis enim visum est accommodatius hæc singula fragmenta scripto, cui conveniebant, subjungere, quam ex iis privatam conflare appendicem, quæ Lectoribus fuisset minus opportuna. Sequens Elenchus fusius indicabit opera, ex quibus constant variæ Supplementi partes, & fragmenta concomitantia.

Elencho subjunximus approbationes & privilegia, quibus superiores hujus Doctoris operum Editiones insignitæ fuerant, quæque in postrema non inveniuntur; subjunximus etiam pretiosam Collectionem Edictorum Principum, & Consultationum supremorum Tribunalium, speciatim Austriaci Belgii; in gratiam eorumdem Operum, & sententiarum, quas continent. (a)

AN-

(a) In hac Neapolitana Editione hæc privilegia, approbationes, & Collectionem Edictorum Principum, & Consultationum supremorum Tribunalium, in calce tertii Tomi reperies.

ANTONII CERVONII
PRÆFATIO
AD LECTOREM.



Ost cusos hic a me decem tomos omnia Zegeri Bernardi Van-Espen opera complectentes, Gallicana editione præ oculis habita, ut in præfatione tomo I. præfixa monuimus; novus ecce tomus in lucem Lovanii prodiit, cui titulus: *Supplementum ad varias Collectiones Operum Clarissimi Viri Z. B. Van-Espen*. Nos publico bono studentes, quod semper in animo habuimus, Ecclesiasticarum rerum amatores hisce *Clarissimi Viri* reliquis operibus fraudare indignum ducentes, hocce Supplementum typis mandare curavimus, eadem prorsus diligentia, quam in reliquis tomis adhibuimus. Cum autem Supplementum hoc in quinque partes dispeicatur; nos in tres tomos distribuere studuimus: quorum primus primam & alteram partem, secundus tertiam & quartam, tertius vero quintam, & appendices duas monumentorum in gratiam Operum Espenii collectorum, complectetur. Quoniam autem Vita etiam *Illustrissimi Viri* summa diligentia & doctrina conscripta Supplemento accessit; quartum & nos tomum ipsius vitam continentem dabimus, ne huic nostræ novissimæ Neapolitanæ editioni, quam in *quarto* vocant, aliquid operum doctissimi Authoris desideretur. Quænam vero sint res, de quibus permagnus Vir agat, ex Elencho Capitum accipies.

Ne autem his, qui Gallicanam Operum Espenii editionem præ manibus habent, hoc Supplemento & vita ejusdem careant, præter hanc formam in *quarto*, etiam illam in *folio* vulgo dictam in lucem edere cogitavimus, ut quatuor tomi Gallicanæ editionis hisce quatuor adjuncti (qui tamen, ne nimia laborent exilitate, in unum, vel duos coalescere possunt) omnia, quæ vir doctus exscripsit, contineant, & integrum efficiant corpus.

Meam hanc igitur publicæ utilitati & commodo destinatam curam læta hilarique fronte quisque suscipiat; quod certe non minimi habendum censeo. Vale.

ELEN-

ELENCHUS

Operum quæ in primo Supplementi Tomo reperiuntur.

PARS PRIMA

Continens varia Judicia & Juris Responsa.

XVIII.

E L E N C H U S.

PARS SECUNDA

Continens varia Opuſcula ejusdem Doctoris.

I.

§. XIII.

II.

Apologia Tractatus de Veneratione Sanctorum &c. Romæ exhibita nomine ipsius Z. B. *van-Espen*, exarata in tribus sequentibus paragraphis desumptis ex Libro cui titulus: *Impostura Libelli anonymi cui titulus*: ACCUSATIO ET QUERELA POPULI BELGICI &c. per Joannem Opstraet & eos qui accusantur refutatæ, & doctrina Accusatoris denuntiata: Leodii ex Typographia Henrici Hoyoux anno 1698. cum approbatione.

III.

Tractatus brevis. De Sacris Congregationibus Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, pro interpretatione Concilii Tridentini & Indicis librorum prohibitorum, Authore Z. B. VAN-ESPEN &c.

Caput primum de Inquisitione contra hæreticam pravitatem.

Caput II. De Congregatione pro executione & interpretatione Concilii Tridentini.

Caput III. De Congregatione Indicis.

Caput IV. An decreta Congregationum Romæ publicata omnes ubique obligent.

IV.

Tractatus de Jure Ecclesiastico Belgico. Authore Z. B. *van-Espen &c.*

V.

Annotationes Breves in opus cui titulus: *Acta Constantiensis Concilii, ad expositionem Decretorum ejus Sessionum* IV. & V. *facientia* &c. *Per D. Emanuelem A. Schelstraete* &c. *Antwerpiæ &c.* 1683. Authore Z. B. van-Espen. &c.

VI.

Motivum juris Pro R. D. Guillelmo van de Nesse, Pastore S. Catharinæ in Civitate Bruxellensi, apud Senatum Brabantiæ Supplicante: Contra Ill. ac Rev. D. Archiepiscopum Mechliniensem Intimatum & Excipientem. *&c.* Authore Z. B. van-Espen *&c.*

VII.

Reflexiones ad aliquas Regulas Juris.

VIII.

Reflexiones ad nonnullas Extravagantes inter Communes.


Refle-

Caput

E L E N C H U S.

SUP-

SUPPLEMENTUM
Ad varias Collectiones Operum
Z. B. VAN-ESPEN
J. U. D. & SS. Canonum Professoris
in Universitate Lovaniensi.



PARS PRIMA.

CONTINENS VARIA JUDICIA ET JURIS RESPONSA.

I.
RESOLUTIONES CASUUM
Circa Jus Patronatus Quorumdam Nobilium Catholicorum in Hollandia, ab Espenio, aliisque Doctoribus subscriptae.

MONITUM.



Uae sequuntur de Jure Patronatus *Judicia petita & obtenta fuerunt a* D. de Neercassel. *Hic sub titulo Episcopi Castoriensis Trajecti ad Rhenum Archiepiscopus, Vicarii Apostolici munere in Foederato Belgio tunc fungebatur.*

Prima ex his Resolutionibus data est die nono Julii an. 1682. *Typis paulo-post edita prodiit in lucem una cum Dissertatione, cui adest hic titulus* : Dissertatio, quâ expenditur, num Nobilibus Catholicis in Hollandia jus competat pro arbitrio suo designandi ac nominandi Pastores super populum Catholicum.

Dissertationis hujus Auctori litem movit D. Nicolaus du Bois, *Lovanii Sacrarum litterarum Professor; scripsit enim Diatribam, cui hunc fecit titulum :* Dissertatio Canonica D. N. du Bois, in qua contra R. Episcopum Castoriensem &c. contendit Nobilibus quibusdam Catholicis in Hollandia jus competere, pro suo arbitrio, nominandi & praesentandi Episcopo seu Ordinario Pastores.

Ubi haec Dissertatio publici juris facta est, laesam Sedis Apostolicae doctrinam & auctoritatem existimavit D. Tanara Bruxellis Internuncius. Jus autem D. Neercassel illaesum remansit; stabat enim fretum vulgatis non solum Canonicae disciplinae principiis, sed etiam plurimis Romanorum Pontificum & Nunciorum Apostolicorum Decisionibus.

Subiratus Internuncius culpavit Dominum du Bois. Ab eo exegerat, ut istius Dissertationis autographum ipsi traderet; reus promissi non soluti D. du Bois nocentior visus est

Internuncio; hic nullum non movit lapidem, ut manuscriptum & exemplaria typis mandata Lectoribus subduceret. Nicolaus autem du Bois scripsit viro nobili, ad quem suam Dissertationem miserat, ut eam negligeret, velut ex imprudenti calamo profectam. Sed uterque non ita praecavere potuit, quin hujus Dissertationis firma prodierit in lucem Confutatio; cui suus Auctor hunc dedit titulum: Canonicæ animadversiones in Dissertationem Canonicam D. Nicolai du Bois, &c.

Varia hæc opuscula eodem tempore Romam celeri cursu missa sunt. De iis mentem Innocentii XI. declaravit Cardinalis Cibo, a Sanctioribus Consiliis, in Epistola, quam ad D. de Neercassel direxit. Scripta illa est 20. Novembris 1683. En ejus excerptum.

Illust. ac R^me. Domine.

Permolesta acciderunt Sanctitati Suæ, quæ Nicolaus du Bois pro Fœderati Belgii Nobilibus scripsit; ac mihi curandum per Abbatem S. Mariæ (*Bruxellis Internuncium*) demandavit, ne quid ex iis Ecclesiastica libertas detrimenti capiat. Hæc ad Illustrissimæ Dominationis tuæ litteras rescribere me jussit. Sanctitas Sua Apostolicam Benedictionem Pontificiæ in te charitatis indicem tibi amanter elargitur; dum ego veterem meam voluntatem dignitati ac commodis tuis paratam offero, & læta omnia cum diuturna sospitate tibi a Deo auguror &c.

Aderat interim unus e Proceribus, qui præ cæteris jus Patronatus sibi pugnacius arrogabat. Is excandescens in Presbyterum, quem Pastoratui Terræ hujus viri præfecerat D. de Neercassel, vim illi intulit. De isto flagitio factus certior Archipræsul petiit a Doctoribus Lovaniensibus novas Consultationes, quæ virum nobilem ad sanam mentem revocarent.

Petitioni Archiepiscopi annuerunt Doctores. Eorum deliberationes ad seriem primæ Consultationis, quæ 9. Julii 1682. data est, extant consignatæ; eas suo munivit judicio vir Doctissimus D. Bassery *Vicarius Generalis & Apostolicus Diœceseos Sylvæ-Ducis, in Epistola quam ad D. de* Neercassel *scripsit 5. nonas Maji 1683.*

De hac quæstione ampliorem elucidationem videre est in vita Espenii, *Gallice elaborata, Lib. III. cap. II. Art. I. n. I.*



JUDICIUM PRIMUM (*a*).

CASUS POSITIO.

DOmini N. & N. jam a multis retro annis gaudent jure Patronatus, seu jure præsentandi ad Basilicam sive Pastoratum N. Et quamvis exortâ Religionis immutatione Basilica ista Acatholicorum subdita fuerit potestati, remansit nihilominus penes eosdem Dominos N. & N. jus Patronatus, quo eidem Basilicæ præficiunt Reformatæ religionis Ministros ac Doctores.

Deinde Fideles tam hujus quam vicinorum pagorum locorumve Catholici ædificaverunt, suisque sumptibus exstruxerunt domum habitationi Presbyteri, suisque conventibus Ecclesiasticis habendis idoneam: quæ domus constructa est in exigua terræ portione, quam Toparcha in N. hunc in finem donavit, quæque sub ejusdem sita est dominio.

QUÆRITUR.

Utrum Toparcha in N. jus habeat ad sufficiendum in locum defuncti ejus Ecclesiæ Presbyteri Sacerdotem alium, qui populo fideli ibidem præsit, ac Sacra administret; an vero hoc competat Reverendissimo Domino Episcopo, ejusdemque Vicario?

RESOLUTIO.

Institutioni divinæ & canonicæ consentaneum est, ut penes Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, sit libera potestas constituendi per civitates & pagos Presbyteros, Pastoralis sui regiminis coadjutores; quo factum, ut Ecclesia ægre hanc Episcopalem libertatem per jus Patronatûs præcipue laicorum, restringi passa sit: donec tandem ob penuriam funda-

(*a*) Primo editum anno 1682.

dationum, illud fundatoribus indulgere debuit, id est, offerentibus omnia, quæ ad structuram, cultum divinum, ac Ministrorum intertentionem forent necessaria. Quibus & non aliis jus Patronatus Ecclesiam concessisse in antiquis Canonibus proditum est. A quibus nec Concilium Tridentinum (*a*) recessit, dum statuit: ut *Nemo etiam cujusvis dignitatis ecclesiasticæ vel sæcularis, quacumque ratione, nisi vel Ecclesiam, Beneficium aut Capellam de novo fundaverit, & construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit; jus Patronatûs impetrare aut obtinere possit aut debeat*. Requirit proinde Synodus Tridentina, ut quis jus Patronatûs sibi asserere possit, ut vel fundaverit & exstruxerit, vel jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit. Immerito ergo N. in casu proposito, prætendit sibi competere jus Patronatus, quandoquidem per fundi unius donationem non possit dici ecclesiam fundasse & exstruxisse; neque jam erectam competenter dotasse; ut N. potius benefactor, quam fundator illius dicendus sit.

Quinimo nec ob quamcumque fundationem, constructionem, vel qualecumque augmentum dotis, fas est Episcopis Ecclesias suas libertate privare, ac in servitutem quodammodo, per concessionem juris Patronatus redigere; sed tantum maxime evidenti Ecclesiæ necessitate eam fundationem, constructionem &c. exigente; dum nimirum tantum ex carentia &c. incommodum Ecclesiæ obventurum timetur, ut ad illud avertendum, incommoda ex jure Patronatus nata evenire, merito permitti possint.

Quandoquidem igitur in casu præsenti, solum de unius & modici forsitan valoris agelli oblatione sit quæstio, Episcopus non potest pro re tantilla, Ecclesiam liberam facere Patronatam.

Hoc ipsum in Tridentina Synodo evidenter inhibetur, dum Episcopis mandat, ut Patronatus quoscumque in Ecclesiis, quibuscumque aliis Beneficiis, etiam acquisitos a quadraginta annis ante dictam Synodum, aut acquirendos, seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa diligenter cognoscant (*b*), & *quos non reperierint ob maxime evidentem Ecclesiæ vel Beneficii seu Dignitatis necessitatem legitime constitutos esse, in totum revocent, atque beneficia hujusmodi sine damno illa possidentium, & restituto Patronis eo, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant; non obstantibus privilegiis, constitutionibus & consuetudinibus etiam immemorabilibus*.

Si proinde Episcopus, Patronatus ex fundatione, vel augmento dotis jam constitutos debeat revocare, dum cognoverit eos non esse constitutos ob maxime evidentem Ecclesiæ necessitatem, multo minus ut de novo, citra evidentem necessitatem, constituantur, fas est permittere.

Proinde præsumendum non est N. in casu præsenti in ipsius fundi oblatione per Episcopum datum fuisse jus Patronatus, aut quod Episcopus donationem acceptasset, si scivisset onus juris Patronatus ex illa donatione Ecclesiæ imponendum.

Sed licet forsitan Episcopus quispiam jus Patronatus concessisset, deberet tamen præsens Episcopus, dum cognoscit dictum jus Patronatus non concessum ob evidentem Ecclesiæ necessitatem, restituto N. prætenso Patrono valore fundi donati, Ecclesiam suam in pristinam libertatem vindicare.

Ita Resolutum Lovanii die 9. Julii 1682.

(*Subscripserunt.*)

Fr. van *Vianen*, S. Theol. Doct. & Prof. Regius.

Natal. *Chamart*, J. U. D. & ex Prof. Prim.

J. *Huens*, J. U. D. & Prof. Ordinar.

Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof.

Lamb. *Vincent*, S. Theol. Doct. & Prof. Ordin.

G. *Huygens*, S. Theol. Doct.

(*a*) Sess. 14. c. 12. de reform.

(*b*) Sess. 25. c. 9. de reform.

DISSERTATIO.
JUDICIUM SECUNDUM.

[*Nunc primo editum.*]

I. FACTI SPECIES.

CAjus Catholicus Toparcha pagi N. in Fœderato Belgio, jus Patronatus habet, ut supponitur, in istius loci Ecclesia, quam cum omnibus ejus reditibus ac bonis Acatholici detinent.

Deinde Cajus exiguam terræ portionem Catholicis in prædicto pago concessit ad Capellæ constructionem. Hanc Capellam Catholici, qui maxima ex parte non Cajo, sed aliis Dominis sunt subditi, suis sumptibus in prædicta terræ portione exædificarunt, eamque omnibus ad Dei cultum necessariis instruxerunt, ac Sacerdoti suis oblationibus victum vestitumque subministrant.

Insuper Cajus, vi Edictorum contra Catholicam Religionem editorum, Catholicas Synaxes impedire, mulctis vexare, & Sacerdotes ejicere e sua ditione potest.

QUÆRITUR.

1. An Cajus tum virtute antiqui juris Patronatus, quod habere supponitur in Ecclesia, quam Acatholici tenent; tum virtute donationis prædictæ terræ portionis, jus acquisitum habeat nominandi, seu præsentandi Episcopo, seu Vicario Apostolico, Sacerdotem, qui Sacra faciat, & administret in præfata Capella?

2. An Vicarius Apostolicus hoc jus prænominato Cajo in præfatæ donationis gratiam concedere debeat; vel an debeat præfato Cajo id juris usurpanti fortiter obsistere?

3. An Cajus jus Patronatus legitime prætendere possit hoc titulo, quod non vexet, nec impediat Catholicorum Synaxes, nec Sacerdotes ejiciat, cum possit: quamvis tamen Potentissimorum Ordinum clementia executionem suorum Edictorum non urgeat, nec amet pacem Catholicorum perturbari?

RESPONSUM.

Inspectâ supra positâ facti specie.

Ad 1. Quæsitum sic respondendum censuimus: cum jus Patronatus sit onus reale affixum Basilicæ, quam Cajus Patronus fundavit, ædificavit, ac dotavit, non transfertur, nec extenditur ad aliam Ecclesiam seu Capellam, quam Cajus non construxit, nec dotavit. Unde Cajus virtute prioris Patronatus, quem supponitur habere in Ecclesia, quam Acatholici prorsus occupant, cum omnibus illius bonis, nullum habet jus præsentandi Sacerdotem, qui in præfata Capella inserviat.

Et cum exigua terræ portio non sit quid competens ad acquirendum vel obtinendum jus Patronatus, nec sufficiens ratio ad Ecclesiam huic servituti subjiciendam, maxime in Provinciis Fœderatis, ubi multa mala inde oriri nota sunt; prænominatus Cajus virtute concessionis exiguæ portionis terræ, in qua Capella constructa est impensis Catholicorum, qui etiam omnia tam ad Dei cultum, quam ad Sacerdotis sustentationem necessaria suppeditant, nullum jus præsentationis habet in ista Capella; sed inter benefactores computari meretur.

Ad 2. Cum Concilii Tridentini definitionibus standum sit, quæ ne in servitutem Ecclesiæ redigantur per novorum Patronatuum concessiones (quas antiquior Ecclesia non novit) expresse decernunt; Vicarius Apostolicus contra sacras has Constitutiones peccaret, si pro minima terræ portione jus Patronatus præfatæ Capellæ Cajo concederet. Si enim Patronatus non pro maximo ac evidenti Ecclesiæ bono introductos, si qui sint, revocare tenetur per Concilii Tridentini Decreta, multo magis contra sacræ Synodi statuta ac mentem peccaret, si novum ex tam levi ratione ipse introduceret aut concederet.

Ad tertium, nullam quidem vel minimam speciem juris Patronatus competere aut concedendam esse illis, qui Ecclesiam non perturbant, vel Sacerdotes non ejiciunt, cum

cum possent, ex sacris Canonibus & Canonistis apertissimum est; quippe qui jus Patronatus iis solis attribuant, qui Ecclesiam fundaverunt & extruxerunt, aut competenter dotaverunt. Unde Cajus nullum jus Patronatus sibi hac ratione arrogare potest.

Ita Resolutum Lovanii Dec. 1683. & *Jan.* 1684.

(*Erat signatum*)

Fr. van *Vianen*, S. T. Doct. & Prof.
Fr. Francisc. *Farvacques*, S. T. Doct. & Prof.
G. *Huygens*, Theol. Doctor.
Fr. Lambertus *Le Drou*, S. T. Doct. & Prof.
Henr. *Scaille*, S. Th. Doct. & Prof. Regius.
Joan. *Lovinus*, S. Th. Doct. & Prof. Primarius.
Fr. Joannes *d' Aubermont*, Ord. Præd. S. T. Doct. & Prof.
Jo. *Sullivane*, S. Theol. D. & Prof.
Henricus *de Charneux*, S. Theol. Doct. & Prof. Regius.
Z. B. *van-Espen*, J. U. D. SS. Canon. Prof. Assentior Jacobus *van-Caloen*, Societatis Jesu S. Theol. Professor &c.
Idem sentio Maximilianus *le Dent*, S. J. S. Theol. Professor.

Infra scriptus super hoc primo casu dico, quod quandoquidem fuerim antea ab altera parte consultus, eique significaverim, quod provisionaliter Sancta Sedes pro illustrissimo Castoriensi decrevisset, deberet rationes a me dictas eidem S. Sedi repræsentare. In quo persisto. Nicolaus *du Bois*, Sacrarum Litt. Lovanii Primarius Professor.

JUDICIUM TERTIUM.

[*Nunc primo editum*.]

ALTERA FACTI SPECIES.

MOrtuo Missionario Capellæ in superiori facti specie præfatæ, Vicarius Apostolicus Sacerdotem defuncti adjutorem illic reliquit cum potestate Sacra faciendi ista in Capella. Cajus vero in superiori pariter facti specie prænominatus, se in ista Capella jus præsentandi habere contendens, iniquius fert istam per Vicarium Apostolicum datam Missionem.

Ipsi Cajo nullum hujusmodi jus competere scripto publico (*a*) & Doctorum in Theologia, ac U. J. judicio ex Vicarii Apostolici parte probatum est. Ipsemet Doctor Nicolaus du Bois, quem Cajus pro sua parte consuluit, eidem Cajo rescripsit, quod suas rationes Summo Pontifici exponere debeat. Et ut Sacerdotem Missionarium non vexaret, sed protegeret, a Vicario Apostolico paterne fuit admonitus. Nihilominus Cajus jussit omnem Altaris apparatum, & omnia sacra vasa, quæ in domo Sacerdotis asservabantur, per suos Officiales Acatholicos sub publico officii sigillo concludi, Sacerdote populoque quamtumvis reclamantibus, & in ipsa Presbyteri domo satellitem quasi custodem constitui. Quod & factum est.

Paucis diebus elapsis, Cajus omnem hunc præfatæ Capellæ apparatum, & omnia sacra vasa jussit per eosdem Acatholicos Officiales in Colonorum Acatholicorum curribus auferri, ac in Castrum suum deportari. Quod & factum est, renitente, quantum poterat, Presbytero; renitentibusque Catholicis, qui suas iis de rebus querelas Vicario Apostolico detulerunt, qui statim ad Cajum graves paternasque scripsit monitiones ac correptiones.

Demum Cajus jussit per officiales eosdem Acatholicos præfatum Sacerdotem expelli ex tota ditione sua. Et id pariter factum est. Adeo ut nullus sit in ista Ecclesia Sacerdos; ac sic omni Sacerdote privata, omnibusque sacris vasis ac ornamentis spoliata manet ista Ecclesia.

QUÆ-

(*a*) Id est in *Dissertatione quâ expenditur* &c. quam vide Lit. A.

QUÆRITUR.

1. An nullâ datâ sententiâ, sed nec quidem expositis apud Sanctam Sedem suis rationibus Cajus viâ facti Sacerdotem a Vicario Apostolico institutum turbare, vexare, & ejicere, ac ipsam Ecclesiam, absque gravi mortalique peccato, ut dictum est, spoliare potuerit?

2. An eidem Cajo Absolutio & alia Sacramenta possint absque sacrilegio administrari, quamdiu Sacerdotem expulsum non revocaverit, & omnia præfatæ Capellæ vasa sacra ac supellectilem non restituerit?

3. An si Cajus moriatur in hoc statu, absque pœnitentiæ signo, publicis Fidelium orationibus adjuvandus sit?

RESPONSUM.

Hâc facti specie attentissime consideratâ.

Ad 1. Respondetur: Cajus viâ facti procedere, ac prædicta patrare, aut patrari jubere non potuit, absque gravissimo scandali sacrilegiique peccato.

Ad 2. Sine novo sacrilegii crimine ipse non potest Absolutionis beneficium vel alia Sacramenta suscipere: sicut nec sine sacrilegio ullus Sacerdos potest Cajo absolutionem aut alia Sacramenta, sive privatim sive publice petenti administrare, etiam in articulo mortis, nisi Cajus ipse tanti criminis pœnitentiâ ductus, Sacerdotem expulsum revocaverit, ac rursus in præfata Capella libere sacris operari permiserit, & omnia ablata seu abducta restituerit, atque illatam Ecclesiæ injuriam, publicumque scandalum congruâ satisfactione reparaverit.

Ad 3. Si Cajus in tali peccato obduratus moritur, precum publicarum suffragio privari potest, servato juris ordine.

Ita judicatum (Lovanii, Dec. 1683. Jan. 1684.)

Franc. van *Vianen*, S. T. Doct. & Prof. Regius.

Fr. Franciscus *Farvacques*, S. T. Doct. & Prof.

G. *Huygens*, Theol. Doctor.

Fr. Lambertus *le Drou*, S. T. Doctor & Prof.

Jo. *Sullivane*, S. Theol. Doct. & Prof.

Joan. *Lovinus*, S. Th. Doct. & Prof. Primarius.

Idem censeo, modo responsum ad 2. intelligatur ita, ut Cajus pœnitens in articulo mortis teneatur sufficientia ac efficacia media adhibere ad illa, quæ ibidem exprimuntur præstanda, vel saltem præstare quam primum sit revera ac sincere paratus. Fr. Joannes Antonius *d'Aubermont*, Ord. Præd. S. Theol. Doct. & Prof.

Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof.

Henricus *Scaille*, S. Theologiæ Doct. & Prof. Regius.

Henricus de *Charneux*, Sacræ Theol. Doct. & Professor Regius.

Maximilianus *le Dent*, S.J.Th.Prof.&c.

Infra scriptus viso hoc Casu seu *specie facti*, nec non responsione ad 1. & 2. eodem charactere descriptâ cum facti specie, visâ quoque limitatione factâ seu explicatione per Eximium P. M. d'Aubermont, ac discussis Canonibus & Doctrinâ S.Caroli Borromæi quoad Casus differendæ aut negandæ Absolutionis, permanens in judicio quod antea eidem parti adversæ (nempe quod etiamsi constaret de vero & absoluto jure Patronatus, non posset illa facere, quæ & quo modo sunt in facti specie expressa) subscribo supra scriptorum judicio, intellecto vel limitato, prout limitat Eximius Pater Magister d'Aubermont. Nicolaus *du Bois*, Sacrarum Litt. Lovanii Primarius Professor.

Salvo meliori, Assentior responso supra scriptorum, sine ulla limitatione; si enim potest, debet publice datum scandalum tolli, ut censeatur verus efficax dolor, & retractatio commissi, etiam calumniæ V. G. Jacobus *van-Caloen*, Sacræ Theologiæ Prof. Lovanii, ac nuper studiorum altiorum Præfectus.

APPEN-

APPENDIX MONUMENTORUM.

A.

DISSERTATIO

Quâ

Expenditur num Nobilibus Catholicis in Hollandia jus competat pro arbitrio ſuo deſignandi vel nominandi Paſtores ſuper populum Catholicum.

[*Primum edita anno* 1682.]

EX juris antiqui regulis, priſciſque Chriſtianorum moribus Epiſcopus de omnibus, quæ ad Eccleſiæ ſibi creditæ regimen pertinebant, liberâ charitate diſponebat; adeo ut non niſi ex ejus aſſenſu Baſilicæ conſtruerentur, nec niſi ab eo in exſtructis Miniſtri ſacrorum conſtituerentur: quandoquidem primis his Eccleſiæ temporibus Presbyterorum & Sacrorum Miniſtrorum ordinatio, quæ non niſi ab Epiſcopis uſpiam facta eſt, non diſtingueretur ab ipſorum inſtitutione ſeu incardinatione in certa quadam Eccleſia, aut Capella, vel in aliquo Oratorio, quæ erant ordinationis ipſorum titulus, ſine quo fas non erat aliquem in Presbyterum ordinare (*a*). Id videre eſt in Concilii Chalcedonenſis celeberrimo Canone, qui *Abſolutas*, hoc eſt, ſine ſingulari titulo, & nulli Eccleſiæ vel Oratorio affixas ordinationes prohibuit.

Primævæ huic diſciplinæ & uſui ſuffragatur Canon, *Omnes Baſilicæ* 16. q. 7. qui eſt Concilii 1. Aurelianenſis.

Itaque antiquis hiſce temporibus Eccleſia non tantum non admiſit jura Patronatus, ſed ea expreſſe excluſit, juxta C. *Piæ mentis*, & C. *Frigentius* 16. q. 7. ubi Gelaſius Papa, qui ad quinti ſæculi finem Romæ ſedebat, ſtatuit ac declarat, quemdam, qui Baſilicam in ſuo fundo conſtruxerat & dotaverat, non aliud jus inde obtinuiſſe, quam ut in ea divinis Officiis intereſſet, eo tantum diſcrimine, & eo ſolo privilegio, ut in ordine primus ſederet, primus offerret, & ad Sacram Synaxem feſtis diebus primus procederet. Hæc enim probabilius intelligenda per *aditum proceſſionis*, de quo ibi Gelaſius, qui in officio, quod non uni proprium ſit, ſed omnibus Fidelibus commune, fundatoribus ſpecialem tribuit honorem; ut patet ex his ejus verbis: *Qui Chriſtianis omnibus in commune debetur*. Id *honor proceſſionis* a Clemente III. dicitur. C. *Nobis*, De jure Patronatus.

Nullum juris Patronatus veſtigium apparet ante Concilium Arauſicanum 1. ſæculo quinto circa medium: in cujus Canone 10. habetur, quod ſi Epiſcopus in aliena Parochia ſeu Diœceſi Baſilicam ædificaverit ac dotaverit, iſtius Parochiæ Epiſcopus hac in Baſilica non alios ordinabit, quam quos voluerit & acceptaverit Epiſcopus hujus Baſilicæ conſtructor ac fundator (*b*). Circa quod obſervandum 1. hoc privilegium in unius Epiſcopi favorem conceſſum: 2. hoc privilegium fuiſſe perſonale, ſeu huic Epiſcopo proprium, nec ad ejus ſucceſſores potuiſſe extendi: 3. hoc privilegium non niſi nomine gratiæ

(*a*) Si primis Eccleſiæ temporibus Jus collationis Beneficiorum primario & quaſi naturali jure competeret Epiſcopis, ipſi ut in Miniſtrorum electione ſecurius procederent, Conſilium Cleri ſui adhibere, quin & populi teſtimonium, de horum miniſtrorum moribus & converſatione audire ſolebant. Van-Eſpen, *Jus Univ.* Part. II. Tit. IV. c. I. n. II. & VIII.

(*b*) Vide van-Eſpen, *Jus univerſum* &c. Part. II. Tit. VIII. C. I. n. VI. & ſeq.

tiæ ibidem vocari : *Reservatâ ædificatori Episcopo hâc gratiâ*. Quo significatur indulgentia, & quasi juris communis remissio, quæ non nisi ab Ecclesia concessa valet. Itaque jus Patronatus, sive jus ad præsentandos Ecclesiæ Ministros, nemo sibi usurpare potest, qui illud ab Episcopo solemniter non acceperit. Hæc gratia sæculis posterioribus non Prælatis aut aliis viris Ecclesiasticis modo, sed & religiosis Congregationibus, ac etiam hominibus mere laicis concessa fuit; hinc Patronatus Ecclesiasticus & Patronatus laicus dicti & distincti sunt.

Patronatus laicus non fuit in suæ institutionis exordio, nisi pro Oratoriis & Capellis, quas viri Nobiles de Episcopi licentia ruri exædificabant in suæ familiæ commodum, quasque ornamentis instruebant, & dotabant, sive assignando reditus ad Presbyteri sustentationem, sive ei annuatim pendendo, quæ ei ad victum vestitumque forent necessaria. Hæc in Conc. Agath. c. 21.

Deinde jus istud extensum est ad Ecclesias Parochiales & ad Monasteria, uti patet ex C. *Decernimus*. 16. q. 7. quod est C. 2. Conc. Tolet. An. 655. Circa quod notatu dignum: Primo, quod juxta Canonis verba jus istud non obtineretur, nisi *prece supplicationis*, ex quo consequens est illud prorsus ab Episcopi indulgentia pendere: secundo, quod ab isto Canone non probetur idem jus, nisi erga solos fundatores, dum viverent; adeo ut hæredes cum cæteris eorum bonis non transeat. Deinde ait Canon, illud non nisi *vi quadam doloris* concessum fuisse; hoc est, sicuti ea conceduntur, quæ ab invitis extorquentur, dum potentiæ cedentes id indulgent, quod justitiæ legibus, & salubrioribus ac primævis Christi institutis, bonoque animarum minus expedit. Est ergo jus Patronatus ex genere illarum rerum, quas ambitio desideravit, & languens disciplina concessit, dum Prælati Ecclesiæ studuerunt eam bonis mundi magis, quam Christi donis adornare.

Quod vero diximus specialem & expressam Ecclesiæ, seu Prælati illius concessionem omnino requiri ad jus Patronatus constituendum, maxime locum & vim habet in Patronatu laico, qui nihil aliud censeri potest, quam singularis admodum gratia seu indulgentia Ecclesiæ in fundatorum favorem; & quod ipsis est gratia, est onus seu cujusdam servitutis species Ecclesiis seu beneficiis (*a*).

Unde etsi circa duodecimum sæculum jus istud Patronatus non esset infrequens, & jam quasi de jure communi fundatoribus competeret; nihilominus sine speciali Episcoporum concessione nullatenus obtineri censebatur. Quæ concessio etiam tunc habebatur instar oneris, quod Ecclesia sustinebat potius, quam probabat (*b*).

Hinc Concilium Lateranense sub Alexandro III. (ut refertur C. *Quoniam* de jure Patronatus) expresse declarat Ecclesiam fundatores aut hæredes eorum in ista potestate hactenus *non nisi sustinuisse*.

Ex præcitatis autem Canonibus liquet, ut quis alicujus Ecclesiæ fundator, seu Patronatus censeatur, plura requiri. 1. Quod locum, in quo constructa est Ecclesia, dederit. 2. Quod hæc ejus impensis constructa sit. 3. Quod ipsam ornamentis, & aliis ad Dei cultum necessariis ditaverit. 4. Quod eam dotaverit concedendo reditus, qui Presbytero, aliisque Ministris in ea servientibus sufficiant (*c*). Et hæc omnia necessario præmittenda sunt, antequam Episcopus Patronatum indulgeat: inter illa autem eminet ac præcipuum locum tenet assignatio reditus ad Presbyteri, & aliorum Ministrorum sustentationem, & ad Dei cultum necessarii (*d*). Qua de causa in Lotharii Imperatoris Capitularibus, ut refertur C. *Considerandum*. 16. q. 7. statutum est, quod si fundatoris hæredes huic Ecclesiæ providere, & Altaris Ministris, cultuique Sacro necessaria suppeditare non desinant, jus Patronatus eis illibatum & integrum stet: *Si secundum nostram providentiam*, inquit Imperator, *& admonitiones Episcopi, ipsi cohæredes Ecclesias tenere voluerint, & honorare faciant*. Eo enim sensu doctiores interpretes volunt eo loci intelligendum esse hoc verbum *honorare*: sicuti & eo sensu solet usurpari in Sacris Scripturis. Ve-

(*a*) Van-Espen, loco cit. C. III. n. XVII.
(*b*) *Prosp. Fagnan. in c. Quoniam De jure Patron. n. 6.*
(*c*) *Fagnan. ib. n. 26. 27. 28 & seq.*
(*d*) *Vide Justinian. Nov. 123. Cap. 18.*

Verum in novo jure videtur major fuisse circa hæc Ecclesiæ indulgentia ; adeo ut Patronatum concesserit ei , qui locum ædificandæ Basilicæ dederat , aut cujus sumptibus fuerat exstructa, aut, si collapsa fuisset, reædificata, etsi nullos reditus, sive in Presbyteri , sive in Sacri cultus subsidium concessisset. Quod maxime fiebat in Parochialibus Ecclesiis , quibus cum decimæ, primitiæ, & aliæ Fidelium oblationes jure communi & proprio competerent, necesse non fuit ipsis alios speciales reditus attribuere.

Verum si laxior hac in re disciplina Patronatum iis indulsit , qui Basilicæ alicujus vix dum fundatores censendi sunt , cum nonnisi locum vel impensas huic ædificandæ concesserint, absque ulla dotatione ; jus tamen istud nusquam eis indultum est, nisi ex quasi conventione , in qua id ipsis exigentibus Episcopus promiserit. Si enim non nisi de Episcopi consensu & indulgentia id juris obtinent veri fundatores , qui Basilicas & construxerunt & dotaverunt ; quanto magis sine Episcopi expresso consensu & indulgentia jure isto gaudere minime debent, nec possunt , qui nullam dotem Ecclesiis dedere ; sed locum duntaxat vel sumptus iis ædificandis necessarios.

Hinc Canones sive in Decreto , sive in Decretalibus , ubi de constructione Ecclesiæ & de jure Patronatus agitur, Episcopi consensum ut plurimum commemorant , quasi conditionem necessariam , seu sine qua jus istud stare non posset. Quod patet C. *Quicumque* 16. q. 1. item C. *Nobis*. De jure Patronatus.

Et quidem non modo non expediret , sed & in maximum Ecclesiæ damnum cederet , si quoties quis duo vel tria terræ jugera ad Basilicam construendam dedisset, vel suis ipse impensis integram ædificasset, eo ipso jus Patronatus ipse sibi suisque hæredibus perpetuo acquireret absque Episcopi consensu ac expressa gratia. Itaque nullo vero fundamento nititur, qui aliud opinatur. Immo legibus Canonicis firmum fixumque tenendum est , eos, qui jus Patronatus sibi vindicant, & eo uti volunt , exhibere debere scripturas & titulos , quibus de concesso ipsis eo jure constet , ut & in aliis servitutibus fit , quæ præscriptione non acquiruntur , & quæ ex authenticis scripturis seu testimoniis probandæ sunt ; idque juxta Concilium Tridentinum (*a*), quod hac in parte antiquos Canones innovavit , & juxta auctores , qui hanc rem attigere (*b*).

Quod si quandoque jus Patronatus alicui ex longa & immemoriali possessione vindicatur, licet nullum proferat authenticum juris istius testimonium ; id ex juris præsumptione fit , qua jus istud ab initio de Episcopi gratia concessum creditur , testimoniis concessionis istius bello vel incendio , aut quolibet alio casu deperditis. Adeo firmum certumque est jus Patronatus in titulo & Ecclesiæ concessione debere fundari.

Jam ut ad rem , de qua modo contenditur, veniamus. Ex præmissis quasi certissimis principiis quivis recti amans deducere facile potest , quod contra omnem æqui bonique rationem viri quidam Nobiles in Belgio Fœderato , ubi modo Ecclesiastica nulla libertas , nullaque publica Catholicæ Religionis professio , in Catholicas Ecclesias sibi jus Patronatus vindicent.

Qui autem jus illud sibi debitum arbitrantur , in tres classes distribui possunt. Primi jus Patronatus in Parochialibus Ecclesiis obtinuisse se dicunt , antequam in Belgio Fœderato Religio fuisset mutata.

Alii , qui cum jus Patronatus nusquam habuerint , eo jam gaudere volunt , ac proinde nominare Pastores , ex eo , quod in eorum fundo constructa sit Basilica seu Oratorium ad usum Catholicorum.

Tertii illud sibi juris attribuunt ; quia Catholicas Synaxes cum ex auctoritate turbare possent , ab injuria defendunt.

Itaque his omnibus jus Patronatus nullatenus competere , modo demonstrandum est. Et ut a primis exordiamur , quorum prætensio nonnullam juris speciem præ se ferre videri posset : supponimus, quod jus Patronatus in Basilicis suorum dominiorum eos habuisse certo constet, sive ex authen-

(*a*) *Sess.* 14. *c.* 12. *de Ref. Sess.* 25. *c.* 9. *de Ref.*

(*b*) *Fagnan. in c. Consultationibus de jure Patron. n.* 7. 8. 9. *Barbosa l.* 3 *juris Eccles. c.* 12. *De jure Patron. n.* 64. 65. *& seq. Sofius in l.* 3. *Dec.* 1. 38.

ticis scripturis, quas exhibuerint, sive ex longa & immemoriali possessione, antequam Religio, ut vocant, Reformata Belgium Fœderatum occupasset. Sed istud jus cum publicis Templis affixum sit, ad privata ac domestica Sacella, quibus nunc Catholici utuntur in his partibus, extendi non posse indubitatis hisce rationibus stabilitur.

1. Id omne, cujus intuitu ab Ecclesia ipsis istud concessum est, non stat Religione mutata: nam Catholicis ademptæ sunt omnes Basilicæ cum earum omnibus reditibus, juribus & emolumentis; ipsis abrepta ornamenta, & alia id genus mobilia istarum Basilicarum; decimas etiam & terras, & alia omnia bona istis Templis annexa occuparunt Magistratus, ac Potentissimi Provinciarum Fœderatarum Ordines sub sua tenent potestate, & Acatholicæ religioni servire cogunt. Qua ergo lege, quave ratione ex bonis per Fœderatos Ordines propagationi Reformatæ Religionis mancipatis ac addictis, jus sibi arrogabunt pro arbitrio suo Rectores Catholicæ plebi designandi præficiendive? Patronorum hujusmodi jus perinde est, ac si Ecclesiæ, ad quas præsentare quondam potuerunt, funditus eversæ ac dirutæ jacerent: quo casu constat, juxta omnium Canonistarum doctrinam (*a*), jus Patronatus, si non extinctum, saltem consopitum vel suspensum manere, nec posse exerceri, donec Basilica ab ipsis reædificata fuerit. Idem omnino ac potiori ratione de prædictis Patronis sentiendum. Jus igitur ipsorum vel periit, vel quasi sopitum manet, quamdiu res manent in hoc rerum statu, in quo nunc reperiuntur.

Ita definivit Fabius *Chisius* Apostolicæ Sedis ad Rhenum tunc Nuncius, cum hac de re coram ipso lis mota fuisset a Clero *Harlemensi* contra prætensionem Prænobilis viri Toparchæ *Assendelfensis*. Ita ut hæc res nunc in rem judicatam transierit.

2. Non ab istis Patronis, sed a societatibus Catholicis empta vel constructa Oratoria, in quibus Pastores populusque conveniunt, & Sacra peragunt: ab ipsis & non a præfatis Nobilibus, non tantum ornamenta, sed & omnia, quæ ad Pastorum sustentationem, & ad Dei cultum spectant, pia liberalitate suppeditantur. Quin & ab ipsis Catholicis, & non minus quam a Nobilibus pecunia penditur, qua vexationes Religionis redimuntur. Non ergo hi Nobiles, sed potius populus Catholicus Ecclesiarum suarum verus fundator censendus est, atque is gaudet omnibus titulis, quorum intuitu jus Patronatus quondam introductum fuit. Si cui ergo jus istud concedendum foret, non uni Nobili, sed toti Fidelium cœtui id tribui oporteret. Quo ergo æquitatis colore, rective specie solus Nobilis, neglectis populi votis, nec attenta ipsius consolatione, spiritualive profectu, hoc jus sibi arrogare contendit?

3. Patronatus ex natura & origine sua, & ex usu, est gratia seu privilegium ab Ecclesia concessum, ut prænotavimus. Unde fit consequens jus istud a præfatis Toparchis non posse modo usurpari vel exerceri, non solum non consentiente Episcopo, sed prohibente, sed reluctante, ut par est, & debet juxta Canonicas sanctiones, & Ecclesiasticæ disciplinæ firmissimas regulas, a quibus, hac in parte Toparcharum hujusmodi ausibus assentiendo, recedere non potest absque manifesta prævaricationis labe, & magna totius populi Catholici injuria, ut ex præadductis colligere licet.

Insuper, si ad hanc Ecclesiastici juris temerationem Episcopus taceret, inde Ecclesiastici viri ansam arriperent ambiendi favorem & gratiam Nobilium & Toparcharum, & hac via ad Pastoratus & animarum regimen cœlesti vocatione contempta ambitiose obreperent. Quod quam exitiosum sit in his maxime Regionibus, ubi Catholica Religio Ministris divina missione instructis maxime indiget, judicet is, cui antiquæ fidei conservatio ac propagatio cordi est: nullus enim istiusmodi fructus sperari posset, nisi hæc ad Pastoratus via præcluderetur. Hujusce rei optime conscius Illustrissimus *Rovenius*, qui cum prudentia & pietate eximia huic Missioni præfuit, constanter sprevit fundos ac munera Ecclesiastici viri, quibus dotaturum se pollicebatur quatuor Parochias urbis *Harlemensis*, dummodo per ejus indulgentiam, Patro-

(*a*) *Barbosa l. 3. juris Eccles. c. 12. n. 254. Sofius in l. 3. Dec. th. 38. n. 68. & alii ib. citati.*

tronus earum tam ipse, quam ipsius hæredes haberi possent. Adeo pius iste doctusque Prælatus noverat, quanti momenti sit Patronis laicis non subjicere hujus Missionis Parochias, seu Catholicas Societates.

Episcopus Castoriensis sui prædecessoris vestigia premens, cum quidam Presbyter ejusdem *Harlemensis* civitatis, idem jus sive potius Patronatus gratiam in ædificato, dotatoque a se Harlemi Oratorio, sibi tributam vellet, maluit isto ædificio ejusque dote carere, seque plurimis molestiis exponere, quam assentiendo ei Presbytero, exemplum præbere, quo homines ambitiosa animarentur ad Ecclesiam servitute premendam, præficiendo ei istiusmodi Rectores, qui magis Patronorum prolubiis commodi, quam Fidelium animabus curandis idonei existerent. Cum autem Presbyter ille a judicio Castoriensis Episcopi appellans, hac de re Illustrissimum Comitem *Luci*, Apostolicæ Sedis Bruxellis Internuncium interpellasset, rejectæ fuerunt ejus postulationes & prensationes, laudata Episcopi Castoriensis solicitudine pro servanda Ecclesiarum libertate.

4. Alio insuper validissimo argumento demonstratur Nobilibus hisce jus designandi Presbyteros non competere. Nam legibus istarum Provinciarum sancitum est, ut Toparchæ sive Nobiles, qui ante Religionis mutationem jus Patronatus in quibusdam Ecclesiis obtinuerant, eo jure etiamnum gaudeant, & vi hujus juris Pastores Religionis, ut ajunt, Reformatæ nominent in Templis, quæ suæ nominationis fuerant, & quæ jam a Reformatis eorumque Pastoribus seu Ministris detinentur. Et revera sui Patronatus virtute Nobiles hi nominant Reformatorum Ministros in Templis, in quibus jus nominandi Ecclesia eis olim concesserat, quod hac ratione eis integrum stare voluerunt ac decreverunt Illustrissimi Ordines Fœderati Belgii. Itaque jus istud nominandi Ministros Reformatos vices gerit juris Patronatus, quo olim Catholicos Ecclesiarum Pastores designabant. Quod autem hac una ratione, & solo Patronatus intuitu ab istis Toparchis Ministri nominentur, ex eo liquet, quod aliis Nobilibus, qui nullum jus Patronatus habuerant, nequaquam concessum sit Ministros nominare. Qua ergo ratione, vel qua lege Nobiles isti hoc uno Patronatus eodem jure volunt & Pastores, ut vocant, Reformatorum nominare, & Pastores Catholicarum Societatum, quæ in privatis Oratoriis conveniunt? Nonne hoc tam iniquum est, ac iniquum foret, si jus constituendi justitiæ Præfectos in suis villis, ad vicinas sibi villas vellent extendere; aut si dominium, quod in suas Arces exercent, etiam exercere vellent in alias Arces, quæ in illorum pagis ab aliis possidentur? Sicut ergo jus quod habent in suas ædes, non possent sine manifesta iniquitate ad aliorum ædes porrigere; ita nulla cum æquitatis specie, si quod habent jus in Sacram ædem antiquitus erectam, illud ad aliam Sacram ædem noviter ædificatam ampliare possunt. Quis enim & *Amsterodami*, & *Leydæ*, & *Hagæcomitis* non rideretur, si istis in locis veterum Basilicarum Patronus, jus suum ad Templa illic recenter erecta extendere auderet? Aut forte licebit hac dominii ampliatione erga Catholicas Ecclesias uti, quod illæ inermes sint & defensoribus destitutæ; non licebit vero erga Reformatas, quod illæ publicis legibus & Magistratuum auctoritate contra injurias tutæ sint? Sed hoc esset non jure Christiano, sed leonino vivere; ubi viribus potior se etiam æquitate potiorem arbitratur. Sed tanta fœditas non est de viris nobiliter natis, & in Catholica Ecclesia regenitis suspicanda.

Nec firmius stat jus aliorum, qui cum antea Patronatum non obtinuissent, eum jam sibi acquisitum putant ex eo quod Basilica seu Capella, in qua Catholici modo conveniunt, constructa sit in eorum fundo. Quid enim juris inde illis obtigit, cum (ut supra posuimus) nisi ex expressa Ecclesiæ gratia, seu Episcopi concessione, jus istud non obtineatur, & præfati Domini nullum proferant aut exhibere valeant hujusmodi concessionis testimonium? Qui enim fieret, ut hujusmodi gratiam Episcopus concederet in hisce partibus, ubi admodum exitiosa foret hujusmodi concessio, quæ viam ad ambitum aperit. Verum tantum abest, ut istud jus alicui concesserit, ut potius, quantum in ipso fuit, consiliis eorum atque in hac re conatibus

existimaverit melioribus consiliis resistendum esse. Accedit ad hoc quod iniqua admodum esset hujusmodi gratia, qua quis pro modica terræ portione Ecclesiæ Patronus ac fundator nuncuparetur. Quæ enim tam levis beneficii ratio ad tam grave Ecclesiæ onus? Iniqua iterum foret ista concessio, quæ pro uno terræ jugero Domino alicui jus Patronatus indulgeret in totius populi Catholici injuriam, qui non modo suis sumptibus & impensis Ecclesiam ædificavit, sed & omnia tum ad Dei cultum, tum ad Presbyteri victum vestitumque necessaria, singulari pietate, & charitate quotidie subministrat. Iniquius igitur erga Ecclesiam & populum Catholicum se haberent, si qui pro tenui dono jus Patronatus in Ecclesiam ac plebem Catholicam invitas atque gementes sibi ipsis assumerent.

Superest, ut jus expendamus illorum, qui cum supremam jurisdictionem in suis pagis habeant, non alia ratione ad Pastoratus nominandi jus sibi vindicant, quam quod juxta statuta harum Provinciarum per suos Ballivos, & alios suæ jurisdictionis administros possent impedire, ne Religio Catholica suis in terris exerceretur; quod cum non impediant, imo suos Ballivos adeo cohibeant, ut Catholici liberius conveniant, & Deo simul vacent, inde de Ecclesia optime meritos se credunt, & sibi partum jus nominandi Pastores.

Meritum eorum hac in re libenter agnoscendum; partum vero jus nominandi Pastores agnosci non potest. Quia bene de Ecclesia merentur, oportet ut Catholici, qui illorum in terris Sacras Synaxes extra metum persecutionis instituunt, non coempta, sed gratuitâ exercendæ Religionis securitate fruentes, eis hanc ob rem gratos se & officiosos exhibeant; pro eis devotius supplicent; & Divinæ benedictionis abundantiam piis precibus studeant impetrare. Verum istis Nobilibus quoque considerandum, istud meritum proficisci ex ista officiorum classe, quæ sine peccato prætermitti non possunt; non vero ex eo operum genere, quæ ita cum laude & merito exercentur, ut sine crimine atque demerito ea omittere vel eis contraria opera ipsimet exercere, aut aliis exercenda mandare possint. Etenim cum ipsi sint Catholicæ Religionis cultores & Ecclesiæ filii, servique Salvatoris nostri Jesu Christi, omnino oportet, ut Religionem, quam profitentur, protegant, non expugnent; Matrem, quæ ipsos in Christo regenuit observent, non persequantur; Deum, in quem credunt, ritibus Catholicis adorent, non vero istos ritus damnent, suisque e terris proscribant, & tamquam crimina forent, mulctis afficiant, ac pœnis addicant: scelera enim damnanda & proscribenda, non autem exercitia ejus Religionis, qua sola, ut ipsimet credunt, Deus placatur, & salus obtinetur. Quod vero Catholicas Synaxes, quantum in ipsis est, securas reddant; quod Religionem ad mundi salutem a Christo institutam pœnis non inhonorent, sed honore prosequantur; quod suam potestatem, qua excellunt, obsequio Dei & Salvatoris sui subdant ac consecrent, officium est debitæ Deo servitutis, non vero indebitæ liberalitatis. Ex eo autem officio quamtumvis magnum meritum existat, illud tale censendum est, quo Cœlestis gloria obtinetur, non vero quo Episcopi, quorum est (uti docet Paulus) per Civitates & Villas *Presbyteros constituere*, ea potestate exuantur, ut in Laicos, quantumvis illustres transferatur.

Deinde nihil animum magis sapit ignobilem, quam si quos ex officio quis protexerit, ne alii injuria afficerent, eos suo juri acquisitos existimet, atque hoc ipso alium sua libertate arbitretur excidisse; quo impedivit ne alii ipsum subderent servituti, ac pœnis indebitis affligerent. Malus tutor est, qui postquam pupilli bona contra direptores asseruit, ea sibi debita opinatur. Nec laudabilis est Paranymphus, qui sponsam zelans, ne violetur, illam non Sponso suo, sed sibi ipsi zelatur, & debitam arbitratur. Nec Advocati ac Patroni officio recte fungitur, qui clientibus contra violentas aliorum machinationes ideo patrocinatur, ut eis suum jugum ac dominium imponat.

Demum etsi Catholicis quarumdam villarum Dominis privilegium deligendi Catholicos Parochos indultum foret; (quod tamen ipsis in Fœderato Belgio numquam indultum fuit, nec eis, dum res Catholicæ manebunt eo, quo nunc sunt, statu, cum bono Ecclesiæ unquam poterit indulgeri)

geri) confiderandum tamen iftis Dominis vocationem & electionem Paftorum non effe, quemadmodum ipfi exiftimare videntur, rem dominii, quod dominantis gloriam & commodum præcipue fpectat, fed effe negotium follicitæ charitatis, quæ Dei gloriam & animarum falutem unice procurat. Unde Chriftus docens Apoftolos, qua ratione animarum falutem procurare, five præficiendo illis Presbyteros, aliosve facrorum Miniftros, five alia eis officia impendendo, ipfi deberent, diferte & vehementer mandat, ne ex iftis officiis fibi in hoc fæculo gloriam aut opes comparare ambiant: *Scitis*, inquit, *quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores funt, poteftatem exercent in eos: non ita erit inter vos; fed quicumque voluerit inter vos major fieri, fit vefter Minifter; & qui voluerit inter vos primus effe, erit vefter fervus: ficut filius hominis non venit miniftrari, fed miniftrare, & dare animam fuam redemptionem pro multis.* Vult ergo Chriftus, ut qui Ecclefiaftica poteftate major eft, eam gerat non faftu dominatus, fed humilitate fervientis; non ut ex aliorum fubjectione in fæculo crefcat, fed ut alii ex ipfius follicitudine in regno Chrifti majores fiant. Vult Chriftus, ut non velint fibi commoda miniftrari, fed ut cupiant ipfi animabus miniftrare ea omnia, quæ ad æternam illas promovent falutem; ficuti ipfe Chriftus non venit miniftrari, fed miniftrare, & dare animam fuam redemptionem pro multis.

Quando cum Laicis præter Chrifti inftitutum, & prifcum Ecclefiæ morem per indulgentiam tam magna pars Epifcopalis curæ communicatur, ac eft præfentatio & defignatio Parochorum, tunc ipfa fuam naturam non mutat, fed eam retinet ac confervat, atque eodem divinæ gloriæ & falutis animarum ftudio ab ipfis exerceri debet, ficuti eam ab Epifcopis exerceri oportet. In ejus itaque exercitio nulla terrena commoda, nullam mundanam excellentiam, nullum dominium intendere poffunt.

Sicuti ab Epifcoporum mentibus, dum Paftores eligunt atque inftituunt, exulare oportet omne ftudium proprii honoris & commodi; ita pari ratione Laici, dum officium Epifcoporum gerunt, nil intendere poffunt, quam gloriam Dei & falutem animarum. Ex quo conficitur, etiam ipfos Laicos debere ita animo effe affectos, dum Paftores nominant, ac affectus erat Apoftolus, quando dicebat Corinthiis: *Non dominamur fidei veftræ, fed adjutores fumus gaudii veftri.* Hoc autem minime dicere illi poffunt, qui neglectis Fidelium votis, defideriis ac gemitibus, quibus Paftores fibi notos & charos defiderant, ipfis invitis obtrudunt homines, quos merito averfantur, quia haud dubiis convicti argumentis eos credunt non tam Paftorali charitate, quæ ftudet Chrifti lucris, quam mercenaria cupiditate, quæ quærit quæ fua funt, ad Paftoralem farcinam afpirare. Qui enim populis præficiunt Paftores, quos merito nolunt fibi præfici, vere dominantur fidei illorum, nec funt adjutores gaudii ipforum, fed funt eis caufæ gemituum ac lachrymarum, quibus divina ira contra illos accenditur, a quibus duriter tractantur.

Debent itaque illi, ad quos pars magna Epifcopalis officii delata eft, perinde ac fi forent Epifcopi, digniores minus dignis anteferre, & Epifcopo inftituendos, & Paftorali poteftate donandos præfentare. Debent Patroni perinde ac Epifcopi follicita & pia cura fufis ad Deum precibus eos quærere, qui creduntur animabus regendis, & ad æternam falutem adducendis maxime idonei, & a Deo ad iftud munus ab æterno effe electi.

Non poffunt Patroni Paftorales curas in mercedem & præmium illis conferre, qui ipfis ab obfequio fuerunt: neque enim officium Paftorale, quod ad curandos & fanandos animarum morbos, virtutesque nutriendas ac firmandas unice inftitutum eft, confiderari fine facrilegio & Simonia poteft tamquam res idonea, ut fit inftar pecuniæ, alteriusve utilis rei, quibus minifteria & obfequia percepta remunerantur & exfolvuntur.

Minime etiam finit Paftoralis officii natura, ut præfentator aut collator ex præfentatione aut collatione propriam gloriam & honorem fpectet, quærat que fibi facere clientes, ex quibus gloriofior appareat: fi enim fuam ex ifta electione gloriam intenderet, ea fe labe inficeret, quam *Simoniam*

niam a lingua Theologi vocant.

Quemadmodum Pastores non sunt Pastores, nisi ut Christi lucra & animarum procurent salutem, ita Pastoralia officia ad istum finem duntaxat conferenda sunt; adeo ut in re, quæ ad Dei gloriam, animarumque æternam salutem, & non ad humanos honores aut commoda instituta est, nihil quæri possit, quod ad fastum sæculi, & gloriam mundi pertineat.

Deinde sicuti Episcopi eos, qui Pastoralem curam per se ipsos aut per alios audent ambire, æstimare debent eo officio indignos; ita pariter Patroni laici nullos possunt sine offensa in Christum, ad animarum curas nominare, quos sciunt eas exambire. *Profecto enim*, ut ajunt Imperatores, *indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus* (*a*).

„ Atque hinc Concilium Tridentinum, „ omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus quacumque ratione habent, hortatur & monet, ut in primis „ meminerint, nihil „ se ad Dei gloriam & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ „ idoneos, promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ „ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut „ ambientium suggestionibus, sed eorum „ exigentibus meritis, præfici diligenter „ curaverint „ (*b*).

Hæc si viri Nobiles considerent, non quærent privilegium nominandi Pastores animarum, nec gaudebunt, dum quempiam ad istud officium poterunt nominare, sed potius anxii erunt ac tristes in re tam periculosa, ubi digniores difficile inveniuntur, nec nisi post imploratum cœleste lumen a Deo revelantur; & ubi mala electio electori tanto graviorem perniciem affert, quanto magis in ipsum redundant quæcumque a male electo crimina perpetrantur (*c*).

Hæc præ oculis habebat Regina Portugalliæ soror Caroli quinti Cæsaris, quæ cupiebat *omnes sui regni Episcopos sibi esse superstites, ne unquam cogeretur rem adeo periculosam ac difficilem exercere, atque est nominatio Episcoporum* (*d*).

Hæc attendebat Sanctus Ludovicus Rex Galliarum, quando admittere noluit amplissimam facultatem deligendi per omne regnum suum Episcopos, aliaque quibus vellet Sacerdotia conferendi, quam ei inscio a Pontifice Maximo suus Legatus impetraverat. Cum enim Legatus illam sanctissimo Regi lætus offerret, respondit Rex: „ *Tuam quidem damnare fidem non possum* „ *qui quod dignitati meæ amplificandæ visum est, sedulo atque industrie curasti:* „ *sed rem ipsam ego penitus rejicio: satis* „ *enim mihi fuerit reposcenti Deo Regii muneris rationem reddere; Sacerdotalis rei* „ *officiique curam Pontifex Maximus habeat* „ *sibi, cui mandata a Deo est* „. Simul hæc dicens Diploma in ignem conjecit.

„ Franciscus quoque primus Galliæ Rex, „ cum idem jus a Leone decimo rerum „ omnium largitore maximo abstulisset, „ reddenti sibi ejus rei Diploma Cardinali „ Rothomagensi, qui auctor impetrandi „ fuerat, dixisse fertur: *Cavendum jam*, „ *Cardinalis, utrique nostrum magnopere erit*, „ *ne nos istud tanto studio quæsitum Diploma, nisi modice recteque eo usi fuerimus*, „ *in exitium detrudat sempiternum* (*e*).

Electio itaque Pastorum est res divina & ardua, quæ non nisi ex cæca cupiditate concupisci, & vix recte geri ab illis potest, qui non sunt divinitus ordinati, ut constituant per civitates Presbyteros; Deo plerumque eos deserente, qui prætergressi limites sui status ac vocationis, aliena munia usurpant. Nemo itaque illam ambiet, nisi forte amans periculum, in illo perire velit.

Porro ex his omnibus viri Nobiles facile cognoscent non solum se jus Patronatus super populum Catholicum Fœderati Belgii non habere, sed ne quidem illud eis ab Episcopo tribui posse, nisi Sacris Cano-

(*a*) *Leo & Anthemius. Cod. l. 1. tit. 3. c. 31. Vide Bernardum lib. 4. de consider. c. 4. item S. Thomam. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3.*

(*b*) *Sess. 24. c. 1. de reform.*

(*c*) *Vide Chrysost. hom. 1. in Epist. ad Tim.*

(*d*) *Dans la vie de Dom. Bartelemy des Martyrs. lib. 1. c. 6.*

(*e*) *Vide Anton. Mariam Gratianum de casibus illustrium virorum in Francisco Lotharingo Guisia Duce.*

Canonibus rebellis (*a*), injurius erga Christi Fideles, & conservandæ ac propagandæ fidei velit esse adversus; cum ipsi juri, quod prætendunt, renunciare cum gloria & laude possint. Deinde etsi rationes supra expositæ, quantumvis validæ ac manifestæ, ipsis forte non omnino persuaderent, quod prorsus iniqua sit prætensio, quâ jus Patronatus usurpare contendunt; saltem ipsis ostendent Episcopum & populum justis probationibus & auctoritatibus niti, dum illorum prætensionibus non consentiunt: quod sufficit, ut intelligant, manifestam magnamque fore iniquitatem, si dubio incertoque ut plurimum jure nitentes, certam Ecclesiæ Christi, & Sacris Synaxibus vim inferrent; idque nulla legitima auctoritate freti, sed ex solo suo arbitrio, non aliis rationibus persuaso, quam illis, quas suggerit ambitio, quærens *quæ sua sunt, & non quæ Jesu Christi*. Hinc etiam manifestum fit, quod, si dum sunt incerti utrum jus Patronatus ipsis competat, Christos Domini & Religiosas Synaxes, proscriberent, seipsos exponerent periculo perpetrandi facinus detestabile, nempe Christum in suis Sacerdotibus & Fidelibus persequendi.

Hæc dum Nobiles Hollandiæ expendent, Ecclesiæ se Patronos exhibebunt sine detrimento libertatis, qua illam Christus præditam esse voluit: illam contra injurias asserent, non ut ei tamquam Ancillæ dominentur, sed ut ei tamquam Matri obsequantur: illam tamquam pupillam tuebuntur, non ut ipsi in illam suum extendant imperium, sed ut ipsa liberius Christo servire possit. Eligent ergo esse protectores & Patroni Ecclesiæ; sed officium, quod Religioni, Ecclesiæ, & Deo debetur, non reputabunt pretium acquirendi Dominii, quo in Clerum & Dei populum dominari, aut Episcopos sacro & canonico jure constituendi in Ecclesiis Pastores exuere possint: verum ex isto opere a Principe Pastorum, cujus sunt oves propriæ, pro mercede expectabunt, in die judicii cum ovibus ad dexteram collocari, & admitti in ovile salutis æternæ.

F I N I S.

(*a*) *Conc. Trid. Seff. 14. c. de Ref.*



B.

EPISTOLA Illustrissimi Comitis *Tanara*, Apostolicæ Sedis in Belgio Internuncii, data Bruxellis, 10. Sept. 1682.

Ad Illustrissimum Episcopum Castoriensem.

PRo Pastorali sollicitudine, qua advertit Sanctissimus Dominus, ingens aptum esse oriri detrimentum Orthodoxæ Religioni ex injusta contentione nonnullorum Nobilium nominandi ad istas Parochias, optat summopere Sanctitas Sua, viriliter resisti ejusmodi Laicorum molimini, manuque firmiter teneri salutarem consuetudinem conferendi ad arbitrium Vicarii Apostolici Curas animarum, iis qui doctrinæ & pietate aptiores videntur, & non affectu ac sæcularium officiis intrudi possunt. Compertum est Sanctitati Suæ Illustrissimam V. D. strenue istthic oppugnare, tum scripto, tum opportunis suggestionibus prætensionem Laicorum: idcirco dignata fuit mihi injungere, ut ne dum in eo vestrum insignem debitis laudum encomiis commendem zelum, verum etiam eidem Pontificio nomine stimulos addam, ne unquam assentiatur supræfactæ nominationi, declaretque, ubi opus fuerit, talem esse mentem Suæ Sanctitatis. Quod si dicti Laici supponant habere juridicum aliquod nominandi fundamentum, libenter Sanctitas Sua eorumdem jura examinabit, ministrabitque justitiam; sed interim neutiquam pati intendit, ut de facto usurpetur, quod tam diuturna consuetudine pertinuit & juste spectat ad Vicarium Apostolicum. Hisce deferens &c. Datum Bruxellis 10. Sept. 1682.

Ex-



C.

Excerptum ex litteris Illustrissimi Internuncii Bruxellensis, datis die 16. Martii 1683.

Quandoquidem Dominus du Bois *scripsit in favorem contentionis, quam isti Nobiles fovent occupandi jus Patronatus super Oratoriis & Ecclesiis Parochialibus: eidem renuncio, quæ sit in hoc tanti momenti negotio mens Pontificia. Ac si ab ipso ad me mittatur exemplar suæ lucubrationis, eamdem communicabo D. V. Illustrissimæ; illum interea requirens, persuadeat dictis Nobilibus liberam prætensorum jurium Patronatus collationem D. V. Illustrissimæ relinquendam esse ex judicio Suæ Sanctitatis, donec re mature examinata, aliud Romæ decernatur.*

Bruxellis 18. *Martii* 1683.

S. A. *Tanarius* Abb. S. Mariæ.



D.

Extractum ex Epistola Illustrissimi Internuncii Bruxellensis, scripta die 29. Martii 1683.

Necdum accepi responsum a Doctore du Bois, *cujus scriptum doleo effecisse, ut nonnulli ex istis Nobilibus persistendo in contentione sibi arrogandi jus Patronatus ad Parochiales Ecclesias, Missionarios illarum curæ præfectos ejicere conentur. Non dubito tamen, quin Dominus* du Bois *sese sit conformaturus menti Pontificiæ; juxta quam, nuper occasionem nactus scribendi ad Dominum Ryswick, declaravi Suam Sanctitatem intendere relinqui D. V. Illustrissimæ libertatem conferendi Pastoratus, donec auditis rationibus ab iisdem Nobilibus deducendis, aliud statuendum esse censuerit.*

Bruxellis 29. *Martii* 1683.

S. A. *Tanarius* Abb. S. Mariæ.



E.

Extractum ex Epistola Illustrissimi Domini Internuncii Bruxellensis scripta die 22. Aprilis 1694.

Mitto Illustrissimæ D. V. hisce acclusam Epistolam directam a Doctore du Bois. *Nullum ab ipso accipere potui exemplum scripti prolati in causa nota; quia asserit sibi delatum fuisse illud, quod Illustrissima V. D. ediderat, divisum in articulos, eumque distractum majoribus negotiis, dictasse* volante famuli calamo *brevem ad eosdem articulos responsionem, nulla facta minuta. . . . .*

Bruxellis 22. *Aprilis* 1683.

S. A. *Tanarius* Abb. S. Mariæ.

Tran-

F.

Transumptum Epistolæ Domini *du Bois* scriptæ die Paschatis 1683.

Perillustris Domine

AB aliquot mensibus juvenis quidam utcumque detulit ad me juris scriptum in favorem Illustrissimi & Reverendissimi Castoriensis, Apostolici in partibus vestris Vicarii, quo asserebatur eidem Illustrissimo Vicario competere liberam collationem Curarum Pastoralium, independenter a jure Patronatus aut nominatione eorum, qui in istis locis fundarunt Parochiales Ecclesias, vel Nobilium & Communitatum, qui aere & solicitudine suis manutenerent Pastorum exercitia adversus Officialium hæreticorum insultus. In eodem scripto asserebatur esse a S. Sede decisum in favorem ejusdem Illustrissimi Castoriensis, sed cum ejus rei nulla adferretur probatio, & contrarium assereretur; aliunde judicavi me posse super jure inter partes controverso respondere, & ad scriptum illud, in plures divisum articulos (29. si bene memini) breves feci marginales notas: conatus stabilire contrarium; minime facturus si credidissem jam aliquid fuisse aliter a S. Sede decisum, nisi saltem ad effectum plenius eamdem Sedem, quæ nondum definitive pronunciaverat informandi; parito interim (*ut Canonistæ loquuntur*) judicato. *Unde confido Perillustrem D. V. aliosque potius Sanctissimo D. rationes, quas pro jure suo habere se credunt, exposituros pro revocatione provisionis; quam privato meo, vel cujuscumque alterius judicio adhæsuros. Hoc quivis Catholicus expectare debet a V. Generositate & Nobilibus animis, quos ut post tot pro Catholica religione luctas & prælia Deus æternis laureis coronet, orabo. Perillustris D. vestræ humillimus servus. Lovanii 1683. ipso sacri Paschatis die.*

Nicolaus *du Bois*, Sacrarum litterarum Primarius Professor.

Inscriptio vero erat: *Perillustri Domino, Domino*
Toparchæ de Croonemburg, in Croonemburg.

G.

EPISTOLA Em. Cardinalis Cibo, Papæ a Sanctioribus Consiliis, ad Ill. Episcopum Castoriensem.

Illustr. ac Rev. Domine.

PErmolesta acciderunt Sanctitati Suæ, quæ Nicolaus *du Bois* pro Fœderati Belgii Nobilibus scripsit, ac mihi curandum per Abbatem S. Mariæ (Bruxellis Internuncium) demandavit, ne quid ex iis Ecclesiastica libertas detrimenti capiat. Hæc ad Illustrissimæ Dominationis tuæ Litteras rescribere me jussit Sanctitas Sua, quæ Apostolicam Benedictionem Pontificiæ in te charitatis indicem tibi amanter clargitur; dum ego veterem meam voluntatem Dignitati ac commodis tuis paratam offerre, & læta omnia cum diuturna sospitate tibi a Deo auguror &c.

Romæ 20. die Nov. 1683.



H.

EPISTOLA Em. Cardinalis Cibo, ad Episcopum Castoriensem,

Illustr. ac Rev. Domine.

Singulari quadam voluptate perfuderunt Paternum Sanctitatis Suæ animum Literæ tuæ, quibus præcipuos ex Fœderato Belgio Nobiles, prætensum in Ecclesiasticas Stationes jus præsentandi ipsius judicio ac arbitrio, per summum erga Apostolicam Sedem obsequium pietatemque, submittere luculenter significasti. Nihil tamen in re ad eorumdem Nobilium dignitatem spectanti decernendum existimavit S. S. priusquam ex editis utrinque Consultationibus de causæ justitia plane edoceretur. Mature igitur, diligenterque perpensis argumentis, quæ pro D. T. Illustrissima & pro ipsis sunt allata, cum Ecclesiæ a piis præclarisque eorum Majoribus extructæ, ac ipsis Ecclesiis (ut asseritur) attributa bona in ipso secessionis initio ab Hetherodoxis fuerint usurpata, & *Pastores* Fidelium oblationibus alantur, Sanctitati Suæ visum est, nullum amplius jus in easdem Ecclesias ipsis Nobilibus competere posse. Scribere itaque me jussit ad Abbatem S. Mariæ (Intern. Bruxellensem) ut quam primum de hoc suo judicio eosdem Nobiles edoceat, iisque Apostolicam Benedictionem amanter elargiendo, Pontificiam charitatem, qua ipsos complectitur, ac assiduo in sinu gerit, declaret. Hæc habui, quæ Sanctitatis Suæ verbis ad binas Illustrissimæ D. T. litteras rescriberem, qui Tibi quoque bene dicere jussus. Vetus meum studium de egregia virtute tua benemerendi cupidum tibi confirmo, & læta omnia a Deo auguror.

D. T. Illustrissimæ ad officia Paratissimus.
Cardinalis Cibo.

Romæ die 1. Aprilis 1684.
(Superscriptio) Joanni Ep. Castoriensi Vicario Apostolico in Fœderato Belgio. Amstelodamum.



I.

CASUS POSITIO

Missa ad D. VAN-ESPEN, circa Juramentum a *Sponsis*, hac aut simili forma exigi solitum.

[*Nunc primum edita.*]

Petit Officialis a Sponsa aut Sponso.

1. Scisne Sponsum esse Catholicum & bene novisti? qua respondente affirmative; petit Officialis ulterius.

2. Velles-ne inire Matrimonium cum aliquo hæretico? qua respondente negative; petit ulterius Officialis.

3. An proinde cum hoc Sponso, quem scit esse Catholicum velit conjungi? qua iterum respondente affirmative, petit Officialis, an super his velint præstare juramentum? Itaque fit juramentum.

Quod juramentum Pastor S. Catharinæ sæpius & publice in aula Episcopali dixit esse illicitum, utpote inutile, & nullo modo ad intentum Bullæ Romanæ, nec ullo modo necessarium.

Infra scriptus, motus rationibus, judicat se conscientia dubia non posse assistere Matrimonio Catharinæ L. & Gerardi V. quapropter id ipsum recusat.

Actum 20. Decembris 1686.
(*Erat signatum*)

Guill. van der Nesse.

RE-

RESOLUTIO CASUS PRÆCEDENTIS

Rev. Admodum Domine.

Resolutionem super casu nuper proposito transmitto (*a*), attamen respondeo mihi videri quod Pastor Matrimonio, de quo quæstio, assistere merito renuet, tametsi D. Officialis urgeret, maxime cum de re summi momenti agatur. Quis enim novit num forte hac occasione non aperientur oculi multorum, circa abusus quotidianos, qui e dispensationibus Matrimonialibus cum pessimis sæpius effectibus contingunt. Et certe nisi aliquando viri fortes se abusibus opponant, contingent ut abusus in leges transibunt, & error pro lege custodietur, uti pene hac in materia ob Officialium & Pastorum socordias & ignavias, ne dicam illorum cupiditates, contigisse videmus. Ejusdem mentis, quoad hoc quæsitum, sunt Eximii D. D. *Huygens*, *Pasmans*, & *Hennebel*, quibus vestras communicavi. Valete; & D. V. ac D. Pastori Spiritum fortitudinis exopto, utque eum in vobis augeat, precibus & sacrificiis instare non prætermittam; & maneo &c.

Lovanii 21. Dec. 1686.

(*Erat signatum*)
Z. B. *van-Espen*.

PS. Non immerito D. Pastor urgebit (quod nos omisimus) quod Ordinarius ad instantias Pastorum Romæ scripserit, periculum hæresis hic non subsistere; & illud quod S. Congregatio respondit.

Tempus non permisit, ut copias Resolutionis nobis retineremus. Si Procurator die crastina duntaxat vel die Lunæ revertatur, copiam per ipsum nobis transmitti desideramus (*b*).

Appendix ad Resolutionem 2.

I.


Responsum Sacræ Congregationis, super hoc quod Domini Pastores exposuerant, partes in dispensationibus non moveri periculo hæresis, saltem in Brabantia Diœcesis Mechliniensis.

Illustrissime ac Rev. Domine uti frater. A Secretaria Status, cum remissa fuerit S. Congregationi Sancti Officii Epistola V. Dominationis 15. lapsi, cum acclusa Epistola Pastorali Archiepiscopi Mechliniensis, qua exponit sensum suorum Parochorum circa facultates pro dispensationibus Matrimonialibus, quæ huic transmittuntur pro pauperibus illius Diœceseos. Cumque dictæ Epistolæ contextus fuerit relatus hisce meis Eminentissimis Dominis Collegis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, Eminentiæ suæ rescripserunt, quod cum facultates pro similibus dispensationibus a Sua Sanctitate semper concedantur in forma commissoria; *injungaturque onus verificandi omnes causas in dictis facultatibus expressas*, aufertur omne dubium in dicta Epistola propositum a Reverendis Pastoribus D. Archiepiscopo prædicto, cui V.D. communicare poterit mentem sacræ Congregationis, & Deus ipsam custodiat. Romæ 20. Januarii 1685. D. V. Christi frater.

(*Erat signatum*)
J. Cardinalis Cibo
(D. Internuntio Bruxellensi.)

(*a*) Hanc Resolutionem reperire est Tomo tertio operum Espenii edit. ann. 1753. pag. xxv.

(*b*) Vide Dissert. Can. D. van-Espen, *de Dispensationibus*, præsertim cap. xv. §. xx.



III.

RESOLUTIO CASUS (a).

An deneganda ſit abſolutio cuidam viro Potenti ob violentias illatas in Paſtorem Culemborgenſem?

CASUS POSITIO.

IN quadam Fœderati Belgii civitate, (1) duæ ſunt Catholicæ Eccleſiæ, quarum una a Paſtore ſæculari Sacerdote regitur (2), altera a Presbytero Societatis (3). Illi juxta Pontificia Statuta a Vicario Apoſtolico (4) conceſſum eſt, ut bis Sacra faciat Dominicis Feſtiſque diebus, vel ut Sacellanum habeat: iſti vero a Summo Pontifice & ab Apoſtolico Vicario prohibitum, ne Socium admittat, & ne duo Sacra eodem die unquam faciat.

Juxta hæc Conſtituta Paſtor hactenus duo Sacra fecit Dominicis ac Feſtis diebus, donec Sacellanum habuerit: Presbyter vero Societatis hactenus unum tantummodo Sacrum fecit, nec Socium habuit, etſi multoties a Vicario Apoſtolico facultatem petierit bis Sacrum faciendi, vel ut Socius ei adjungeretur, quod utrumque ſemper ei denegatum eſt, ne Pontificiæ Conſtitutiones violarentur.

Verum Presbyter Societatis iniquius ferens quod Paſtor juxta Pontificia Decreta Socium haberet, & quod ipſe neque a Vicario Apoſtolico, neque ab Internuntio Sanctæ Sedis, licentiam poſſet obtinere Socium habendi, vel duo Sacra faciendi, nihil non movit apud Titium (5) qui in partibus illis pro aliquo Principe Catholico agit, ut inſtaret apud præfatæ urbis Toparcham, qui Acatholicus eſt, quatenus Sacerdotem, qui jam a triennio ab Apoſtolico Vicario Paſtori in adjutorem miſſus fuerat, ex ſua civitate ejiceret, ac prohiberet, ne Paſtor conceſſa ſibi facultate bis in die Eccleſiam congregandi, ac Sacris operandi poſthac uteretur: licet nullam hactenus rationem iſtorum reddere potuerit Presbyter Societatis, quamquam ab ipſo Toparchæ Miniſtro requiſitus. Hoc factum eſt.

Titius enim, licet Paſtor ore & ſcriptis Pontificia Statuta, ac Internuntii ipſiuſmet ea de re ſingulare judicium ſæpius ei exhibuerit, unaque monſtraverit, quod multo majorem populum habeat quam Presbyter Societatis, ita apud Toparcham Acatholicum egit & inſtitit, ut Sacerdos Paſtori cohabitans, jubente Toparcha, e civitate pulſus fuerit, ac Paſtori prohibitum, ne bis in die Eccleſiam congregaret.

Immo quum jam, connivente Toparcha, ejuſque Miniſtro, idem Sacerdos apud Paſtorem maneat, ea lege, ut nullo munere publice in Eccleſia fungatur, & Paſtor antiqua libertate bis in die Sacris operandi & Eccleſiam congregandi gaudere pergat, iterum Titius urget ac inſtat apud Toparcham ejuſque Miniſtros, qui omnes Acatholici ſunt, ne quid conniveant, ſed juxta Toparchæ mandatum omnia executioni mandari curent; id eſt, Paſtorem ea libertate ſpolient, qua juxta Pontificia Decreta, Vicarii Apoſtolici placitum, ac Toparchæ indulgentiam in hunc uſque diem fruebatur: his poſitis.

Quæritur I. An non injuſte agat Titius, dum ſic adverſus Paſtorem ejuſque ſocium Sacerdotem apud Principem ac ejus Miniſtros Acatholicos inſtat, contra Apoſtolica Statuta, & Vicarii Apoſtolici ac Internuntii judicia, qui ei ſignificata ſunt?

II. An Titio poſſit abſolutio a peccatis impendi, & an non peccet ejus Confeſſarius,

(a) Primum edita anno 1696. inter Epiſtolas Andreæ Schurii, Trajecti ad Rhenum T. 11. p. 223.

(1) *Culemburgum*.

(2) A. D. *Verſtio*.

(3) P. *Foſſeo*.

(4) P. *Neercaſſelio*.

(5) D *Camprichium*, Cæſaris apud Fœderatos Ordines Legatum.

rius, qui eam ipsi largitur, licet de præfatis monitus; donec Titius non modo a susceptis in dictos Pastorem & Sacerdotem desistat, sed & pro viribus pro ipsorum libertate instet & agat.

R E S P O N S I O.

Censemus, salvo meliori judicio, Titium in dicto casu injuste agere, nec licite absolvi posse, donec a cœpto desistat; agatque sedulo pro dictorum Sacerdotum libertate. Datum Lovanii hac 15. Julii 1687.

(*subscripserunt*)

Franciscus *van Vianen*, S. T. Doct. in Academia Lovaniensi.

Henricus *Scaille*, S. Theologiæ Doct. & Prof. Regius.

G. *Huygens*, Theol. Doctor.

Joan. *Lovinus* S. Th. Doct. & Prof.

B. *Pasmans*, S. Th. Doctor.

J. L. *Hennebel*, Sacræ Th. Doct.

Eximius Magister Franciscus *Farvacquius*, Augustiniani Ordinis religiosus hæc manu sua adscripsit: *Censeo Apostolicas Constitutiones esse servandas, & Titium Sacramentaliter absolvi non posse, nisi illis pareat.*

J. H. *Blanche*, J. Utr. Doct. & SS. Can. Prof. Primarius.

Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof.



I V.

R E S P O N S U M   J U R I S (*a*)

Circa Excommunicationem &c. cujusdam Gaspari *de Bie*, &c.

Ab Espenio, aliisque variis Doctoribus subscriptum.

M O N I T U M.

GAspar de Bie *ipse primus Causam hanc publici juris fecit; publicando* Motivum *quoddam* juris, *Archiepiscopo Mechliniensi (Humb. a Præcipiano)* dedicatum. *In illo accusatores suos calumniabatur tamquam* scientia ex Confessione acquisita abusi fuissent, sigillumque fregissent; *quam accusationem in veteres amicos, & veritatis strenuos defensores, ex pravorum hominum consilio, impingere non metuebat. Anonimus quidam huic* Motivo juris, *per* Epistolam ad D. Gasparum de Bie *directam respondit, in eaque ostendit Gaspari accusatores longe alienos fuisse a sacrilega revelatione eorum, quæ sub* Confessionali sciebant sigillo; *eosque, prævia & sæpius iterata paterna & charitativa admonitione ea tantum revelasse, quæ vel ex plurimum annorum cohabitatione, vel ex factis publicis didicerant.*

Rursus contra idem Motivum *alia prodiit scriptiuncula cum hoc titulo:* Casus positio vera, contra falsam G. de Bie Casus positionem, *quæ sic incipit:*

„ *Tandem accidit quod verebar, & quod ne fieret in nupera ad Gasparum de Bie Epistola monitum fuit; ne per se vel suos cogeret ut proferrentur Excommunicationis causæ, quæ sciebantur ipsi inhonorificæ fore, & in Ordinis despectum, amicorum infamiam, Cleri universi contemptum, omnium Catholicorum scandalum, totiusque orbis facere offensionem; sed miseræ prolis infelix pater, & infelicior apologus, dum filii sui honorem tueri se profitetur, hoc unum efficit, ut vel a nolente proferantur Mundo causæ, ob quas a legitimo & nimis clemente Superiore filius suus virgam expertus fuit: quas quidem non propalare fixum erat, nisi silentium, & perversæ doctrinæ, & injusta sententiæ post se* „ *macu-*

(*a*) Primo editum anno 1691. in Incubratione, cui titulus: *Casus positio vera contra falsam G. de Bie Casus positionem, cum Responsionibus Doctorum.*

„ *maculam relinqueret : sed & nunc (quod pro ulteriori monitione fit,) eas sic conati fu-*
„ *mus deducere, ut & justificationi Reverendissimi Domini Excommunicantis fiat satis, &*
„ *quousque in hisce angustiis fieri potest, excommunicati parcatur honori : neque vero sin-*
„ *gula, quæ Doctoribus exhibita, visum fuit in vulgus spargere, generalia tantum hic ca-*
„ *pita eorum, quæ in casus positione nostra allegata fuerunt, exhibemus; ex quibus Titius,*
„ *& Titio cæco impetu adhærentes, satis intelligent quo res vergat ; nec tamen alii ha-*
„ *bebunt, in quo scandalizentur. Igitur quæstionibus, quas Doctoribus infra scriptis propo-*
„ *suimus, hanc Casus positionem adjecimus.*

CASUS POSITIO.

GAspar de Bie Lyranus, postquam ab Ampl. Domino Abbate Tongerloensi a puero in studiis liberalioribus Monasterii expensis, fuisset educatus, tandem ad habitum in eodem Monasterio admissus fuit.

Circa Professionem magnam passus oppositionem ob aliqualem oculorum defectum, demum omnem pro ipso lapidem movente Rev. Domino Abbate, admissus fuit ad solemnem Professionem, quam & emisit modo & forma in Ordine Præmonstratensi consuetis.

Ab hinc aliquo tempore sat tolerabiliter se gessit, donec extra Monasterium ad studia Theologica emissus, jugum Superiorum impatientius ferre cœpit.

Cum autem temporalium aliqualis administratio ipsi commissa fuit, tum vero patuit quid in homine esset.

Nam statim incepit equum & equos ad rhedam alere, ac ea occasione vagari per Patriam & Patrias; idque sæpe cum consortio disparis sexus, non sine gravi multorum offendiculo.

Qua etiam occasione factum est, ut non tantum sæpe abesset a loco Domicilii sui, sed etiam cum in eodem præsens esset, tamen vix unquam nisi valde sero domum vesperi rediret, aliquando etiam foris pernoctaret.

Quæ divagationes & sero venientiæ induxerunt Dominum Pastorem de *Rosendale* fratrem Antonium *Wayenbergh*, cui cohabitabat, ad desuper conquerendum tam coram Abbate, utriusque Superiore, quam coram aliis.

Imo etiam ad resignandum Pastoratum, uti & actualiter ipsum resignavit, sæpius dicens : *iste homo* (denotans Gasparum de Bie) *deserit Deum, timeo ne & ipse a Deo deseratur, ac tandem fiat Apostata.*

Prædictus enim *Gaspar de Bie* in meris istis evagationibus & sero venientiis non hæsit; sed paulatim (ut fieri solet) ad pejora delapsus, & paulatim decidens, incepit etiam turpitudines hisce conversationibus miscere.

Imo etiam docere, quod hæ vel peccatum non sint, vel a Communione non præpediant, etiam absque Confessione prævia &c.

Quales etiam in Doctrina errores circa alias materias valde scandalosos commisit.

Turpitudines autem illæ consistebant in modis valde absonis, & ad plurimarum seductionem natis.

Adeo ut etiam constanti fama dicatur prolem suscitasse ex quadam Maria *Sayens*, muliercula pridem ex Calvinismo conversa.

Super quæ omnia bona Ecclesiastica & beneficia ipsius administrationi commissa, multum diminuit & deterioravit, & etiam ultra hæc notabilia contraxit debita.

Et postulatus computum suæ administrationis deducere, tam notorios circa illum commisit excessus, ut nulla bona fide committi potuerint.

Dictus *Gaspar de Bie* tandem ab eodem Superiore ob contumaciam declaratus est incidisse in pœnas & censuras juxta Statutorum Ordinis Præmonstratensis tenorem.

Et specialiter in Excommunicationem majorem.

Qua pœna Gaspar de Bie tantum abest ut resipuerit, ut potius statim coram Magistratu Acatholico bona Beneficialia Arresto subjecerit, cum tamen paulo ante fassus fuisset se ipsis beneficiis esse debitorem.

Quin etiam a prædicta Excommunicationis incursæ declaratione pretensè appellans, & condemnatus, a Judice *ad quem*, ad se recipiendum provisionaliter ad ali-

aliquod Monasterium virorum Ordinis sui intra Brabantiam, datis ipsi ad hoc litteris salvi conductus, sub omni imaginabili securitatis expressione usque sæpius reiteratis & renovatis, tum ab Amplissimo Domino Abbate Diligemensi, tamquam in hisce Judice Delegato Apostolico, tum ab Abbate Tongerl. suo immediato Superiore, tum etiam ab Illustrissimo Domino Episcopo Antuerp. neque tunc obedire voluit.

Et cum tantum obtinuisset ab Illustrissimo Domino Internuntio Belgii, Rescriptum cum Clausulis *devolutionis*, non fuit veritus Sacris se ingerere, Missam celebrare, concionem ad populum habere, non obstante dicta Excommunicatione, & speciali ipsius Illustrissimi Domini Episcopi Antuerp. inhibitione, etiam solemniter facta.

Sed maluit ad protectionem Superiorum hæreticorum recurrere, exhibitis ad hoc Libellis; etiam cum expressione tendente ad vilipendium Hierarchiæ Ecclesiæ, & superioritatis regularis.

Quam protectionem ut facilius obtineret, cum cæteris personis laicis in armis comparuit, & publice castratus fuit.

Ac ut palam faceret, se omnem respectum erga Hierarchiam & jurisdictionem Ecclesiasticam exuisse, Reverendum Dominum Decanum Ruralem, de Mandato Illustrissimi Domini Episcopi in Ecclesia Catholica publicantem certum Decretum Episcopale, Arresto sub hæreticis detinuit, intentata ipsi actione injuriarum; & contra idem Decretum processit ut supra ad celebrandum &c.

Donec ob tumultus sedandos omnino cessatum fuerit a Divinis in Ecclesia de *Rosendale*, ad trium mensium spatium, cum magno Catholicæ Communitatis & Ecclesiæ detrimento.

Post quæ omnia cum protectionem Statuum Provinciarum Unitarum obtinere non posset, sed e contra dicti Status Superioribus Ecclesiasticis permisissent plenam executionem sub districtu generali dictarum Provinciarum, tandem ad Sanctam Sedem aufugit, sub prætextu Appellationis.

Non obstante lite pendente super causa sua principali coram Amplissimo Domino Abbate Diligemensi tamquam Judice Delegato Apostolico.

Non obstante omni sua anteriori contumacia.

Non obstante quod nullam legitimam appellationem contra Interdictum & revocationem Illustrissimi Domini Episcopi Antuerp. prosecutus fuerit, vel etiam nunc prosequatur.

Ex qua Casus positione QUÆRITUR.

I.

An Superior Titii, non habuerit sufficientes rationes ad Titium (*) revocandum?

II.

An *Titius* Superiori taliter revocanti non fuerit obligatus obedire?

III.

An Superior *Titii* ipsum revocatum & redire nolentem post tot monitiones & Excommunicare & ut talem denuntiare non potuerit?

IV.

An *Titius* non fuerit obligatus se tali Excommunicationi conformare?

V.

An Superior *Titii*, non fuerit ad prædicta facienda obligatus, maxime cum Statuta, Dist. 3. Cap. 16. n. 2. vetent ne quis propria auctoritate pœnas in Statutis decretas mutare præsumat: & taliter mutantes denuntiari ac puniri velint. Dist. 3. cap. 5. n. 13. & 14.

RESOLUTIO.

Attenta vita dissoluta *Titii*, & scandalis per eum datis, prout in casu exprimuntur, nullatenus dubitandum, quin Superior habuerit sufficientes rationes, ut Titium ad suum Monasterium revocaret, ejusque

(*) *Gasp. de Bie.*

ejusque revocationi Titium debuisse obedire: & consequenter Superiorem, vi Statutorum Ordinis, Titium, obtemperare superiori renuentem, potuisse excommunicare; vel ut Excommunicatum denuntiare; ipsumque Titium huic justæ Excommunicationi debuisse obtemperare: neque dubium est, quin Superior ad hæc omnia, & forsan plura facienda, vi officii sui, fuerit obligatus. Ita responsum Lovanii hac 23. Oct. anni 1691.

(*Erat signatum*)

G. Huygens, Theol. Doct. & Prof.
Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Canon. Prof.

ad eumdem Casum similiter responderunt 25. Sept. ejusdem anni. J. *Lovinus* S. T. Doct. & Prof.
M. *Harney*, S. T. D. & Prof.
F. H. *Collins*, S. T. D. & Prof.
F. T. *du Jardin*, S. T. D. & Prof.
M. *Steyaert*, S.T. D. & Prof. 22. Octob. &c.
23. Octobris 1691.
Jo. *Sullivane*, S. T. D. & Prof. Regius.
Fr. Lambertus *Le Drou*, S.T.D. & Pr. S. Fac. Reg.
Fr. Francisc. *Pauwens*, S. T. D. & Prof.
Fr. B. *Desirant*, S. T. D. Hist. Regius.
Fr. Petrus *Clenaerts*, S. T. D. & Prof.
J. L. *Hennebel*, S. T. Doct.
M. *de Swaen*, S. T. Doct.
24. Octobris.
H. *de Charneux*, S. T. D. & Prof. Regius.
26. Octobris.
G. *Renardi*, S. T. Doctor.

Additio ad Casus Positionem.

Cum Titius & Cornelius Titii Pater, ad conciliandum odium Superiori ipsius Titii, & eludendam Excommunicationem, qua Titius innodatus est, conentur mundo persuadere Titium non pati, nisi quia Cajum (1) Pastorem suum detulit Illustrissimo Domino Episcopo N. (2) super male sana Doctrina & praxi, considerari petimus sequentia.

I. Quod omnes excessus Titii (exceptis solis illis, quæ ultimam contumaciam & rebellionem sonant) sint tempore anteriores ad accusationem factam contra Cajum Pastorem: quod constat 1. ex litteris correctoriis ad Titium scriptis, quas ipse Titius in manus secularium tradidit, sic ut inde rumor publicus contra Titium creverit, longe tempore antequam Cajus Pastor accusatus fuerit.

Constat 2. ex ipsa relatione G. de Bie in sua prætensa Casus positione, ubi n. 9. dicit, quod *Titius, a suo Superiore jam correptus, minatus fuerit relationem Caji*.

Constat 3. ex eo quod Titius, antequam de Caji accusatione mentio esset, jam fuerit revocatus a suo Superiore: uti ostendi potest tum ex litteris & citationibus Superioris ad Titium, tum ex litteris Titii responsoriis: *addi potuisset*: tum etiam ex arrestatione personæ Titii, quam Cornelius Titii Pater revocationi Prælati interposuit, antequam Cajus Episcopo delatus esset.

II. Considerari petimus, quod Titius in delatione Caji non habeat nomen, ut patet ex actis litis desuper exortæ, & ipse G. de Bie satis insinuat in sua prætensa Casus positione, dicto n. 9. ubi minatur Titius, se permissurum ut *pœnitentes* Cajum deferant.

III. Delationem contra Cajum Pastorem factam (cum disertissimis testimoniis probata sit contraria Caji praxis; & fallax subdolusque modus in conscribendis contra Cajum testimoniis adhibitus) esse verisimiliter calumniosam: quibus positis:

QUÆRITUR VI.

An Superior ab incepta correctione & revocatione Titii, ob tam infames excessus, supersedere debuerit, eo titulo quod Titius prætendat se interea Cajum Pastorem detulisse? magis quam Illustriss. Episcopus N. abstinere debuerit a suspendendo Titio, non obstante quod ante denunciationem a Titio factam causa contra ipsum non instituisset, & talem denunciationem, casu quo malam deprehenderet in Cajo praxim, ipsemet Episcopus Titio præcepisset:

(1) Antonium *Wayenbergh*, Pastorem de *Rosendale*. (2) Ep. Antwerp.

ſet : ut refert Caſus poſitio *G. de Bie* Quæſt. 4.

RESOLUTIO.

Superiorem ab incepta Titii correptione & revocatione ob tam infames exceſſus, ſuperſedere nullatenus debuiſſe, imo nec potuiſſe, eo quod Titius prætendat ſe interea Cajum Paſtorem detuliſſe : ſiquidem illa denunciatio a Titio facta adverſus Cajum Paſtorem, nullo modo excuſat aut diminuit male facta Titii, adeoque denunciatio illa impertinens eſt ad ſiſtendam correptionem & revocationem *Titii* : nec minus impertinens, quod ipſe *Titius*, vel quis alius, ſpargat rumorem, ob hanc ſolam denunciationem, *Titium* a ſuo Superiore eſſe correptum & revocatum ; quandoquidem, ut Caſus poſitio habet, manifeſte conſtet Superioris correptionem & revocationem factam fuiſſe, priuſquam ulla fuiſſet facta denunciatio Caji per Titium, certumque eſt Superiorem nec debere, nec poſſe attendere ſimiles rumores, quominus faciat ea quæ officii ſui ſunt. Ita reſponſum Lovanii, hac 23. Octobr. ann. 1691.

(*Erat ſignatum.*)

G. *Huygens*, T. D. & Prof.
Z. B. *van-Eſpen*, J. U. D. & SS. Can. Pr.

[Reſolutio præcedentis Quæſtionis ſextæ eorumdem Doctorum, qui V. priores reſolverant, ſuffragio confirmata fuit, eadem die 23. Octob. 1691.]



V.

RESPONSUM JURIS

Circa quemdam contractum Societatis, ab *Eſpenio* aliiſque Doctoribus ſignatum.

[*Nunc primo editum.*]

STATUS QUÆSTIONIS.

Petrus habens navim in Orientem ſolvere paratam, aut ſolummodo volens eo mittere certam pecuniæ quantitatem negotiationi, quam cogitat impendendam, cogitur pecuniam illam conquirere. *Joannes* paratus eſt talem *Petro* pecuniam dare, itinere demum abſoluto refundendam, *Petrus* & *Joannes* una adeunt Notarium, & en formam, qua intereſſe ſtipulantur.

Petrus fatetur ſe a *Joanne* recepiſſe paulo ante confectum hoc inſtrumentum ſummam trecentarum librarum impendendam in merces non prohibitas, tali loco invehendas tali navi, cui pariter imponendum erit quidquid ex ſumma mutuata comparatum fuerit, hoc eſt merces imponi debent eidem navi in exitu ex eodem loco, ea lege, ut ſi navim vel naufragium pati, vel ab hoſtibus capi contingat, ſoli *Joanni*, qui mutuam dedit ſummam trecentarum librarum, illa pereat.

Quod ſi autem navis ſalva ad portum appellat, *Petrus* refundet *Joanni* dictam ſummam cum fœnore maritimo, 17. vel 18. in centum ſtipulatorum in contractu, juxta uſum taxamque locorum, quæ variant, pluſque aut minus exigunt, juxta pericula majora aut minora, quibus exponuntur naves ad bella, quæ tunc geruntur.

Et *Petrus* ſe obſtringit bimeſtri poſt navis adventum ſolvere ſortem cum fœnore, ſolutionemque illam præſtare ſive ex mercium venditione lucrum, ſive jacturam faciat ; eamque præſtare tenetur ſub obligatione omnium bonorum ſuorum ; & expreſſe quidquid mutuata pecunia comparatum eſt, *precario nomine Joanni*, qui mutuam pecuniam dedit, obligatur ut ex eo ſolutionem ſibi debitam excutere poſſit.

Duæ illæ poſtremæ circumſtantiæ nimium pon-

ponderari nequeunt, cum super iis præcipue Casus propositi difficultates volvantur.

RESOLUTIO.

Si spectetur solum jus naturale, potest contractus iste esse licitus; nam ut licitus sit contractus, non aliud jure naturali requiritur quam ut par sit utrimque contrahentium conditio; atqui hic par esse utrimque potest: igitur &c.

Quod utrimque par esse possit contrahentium conditio, patebit, si utrimque ponderetur periculum damni, quod contrahentes suscipiunt, & utrimque expendatur spes lucri, quam habent.

Et ad periculum quidem damni quod attinet:

Petrus in se suscipit obligationem reddendi sortem, & supra sortem solvendi 17. vel 18. in centum, si navis redeat incolumis, idque eo etiam casu quo nullum e mercibus suis lucrum, sed damnum fortasse habiturus est.

Sed *Joannes* vicissim in se suscipit obligationem, ne sortem quidem repetendi, si navis, vel a naufragio, vel ab hoste pereat.

Potest autem illud periculum par esse utrimque.

Quod vero attinet ad spem lucri: *Joannes* quidem, si navis redeat incolumis, certo lucraturus est 17. vel 18. in centum. Sed & *Petrus*, si venditio mercium succedat feliciter, spem habet lucrandi multo amplius quam lucretur Joannes.

Nec dispar est utriusque conditio ex eo quod *Joannes* de lucro suo, si navis redeat, assecuratus sit [cum *Petrus* eo casu omnia sua bona ipsi obligaverit, & expresse obligaverit proventus illius pecuniæ *nomine precario*]: *Petrus* autem de lucro securus non sit, cum fieri possit ut ex mercibus suis nihil lucretur, imo & perdat; quia disparitas ista compensari potest ex eo, quod *Petrus* spem habeat plus lucrandi, quam *Joannes*; potest enim lucrum incertum, quod speret Petrus, tantum excedere lucrum certum, quod habiturus est Joannes, ut spes illa lucri incerti majoris æquiparetur lucro certo minori.

Ergo par est utrimque Contrahentium conditio.

Confirmatur hæc Resolutio ratione.

Quia licitus contractus Societatis: atqui hic contractus potest esse contractus Societatis, vel illi potest æquivalere: Ergo &c.

Quod illi æquivalere possit, probatur: quia, ut jam ostensum est, utrimque aliquid in commune confertur, cum pari utrimque periculo damni, & pari spe lucri, servata proportione ad id quod uterque confert.

Dixi, *si spectetur solum jus naturale*: quia si iis locis ubi contractus ejusmodi fiunt, receptum esset jus aliquod positivum, quo Contractus isti prohiberentur, hoc deberet servari.

Dixi etiam, *potest contractus iste esse licitus*, non vero *est licitus*: quia potest idem ille contractus fieri in circumstantiis diversis; ita ut uno tempore vel loco esset justus & licitus, non autem alio; eo quod uno tempore vel loco esset par utrimque contrahentium conditio, non autem alio.

Sic v. g. posset fieri, ut periculum, quod in se suscipit *Petrus*, multo majus sit quam periculum, quod in se suscipit *Joannes*: ut si maximum periculum sit, ne ullum lucrum & fortasse damnum ex mercibus suis faciat *Petrus*, minimum autem periculum sit a naufragio vel ab hoste: aut e contra, si periculum maximum sit a naufragio vel ab hoste, spes autem maxima vendendi merces cum lucro maximo.

Hæc porro, cum facti sint, non tam æstimanda sunt a Theologis & Juris-peritis, quam ab iis, qui in negotiatione & rebus publicis versati sunt: quare & hi in similibus casibus quoad facta ejusmodi consulendi. Ita resolutum hac 6. Novembr. 1693.

(*Subscripserunt*)

Huygens Th. Doct. & Prof.
H. *de Charneux*, S. T. D. & Pr. Reg. Lovanii.
Jo. *Sullivane*, S.T.D. & Pr. Reg. ibidem.

Contractus, de quo in casu, coincidit cum *fœnore Nautico*, in quo periculum sortis creditæ suscipit in se mutuans, hac lege, ut si navis pereat, nihil veniat reddendum mutuanti; si vero salva ad portum perveniat, sors ipsa cum convento augmento redDatur.

datur. L. 1. & 2. ff. *de nautico fœnore*, & lege finali Codic. eodem. Quod fœnus cum & juri Civili & Canonico servetur ac probetur, juxta Doctores, ad Cap. *Naviganti* 2. *de Usuris*, Resolutionem Theologorum juri communi conformem judicamus. Ita resolutum ut supra.

(*Erat signatum.*)

Nat. *Chamart*, J. U. D. & Exprof. Primarius.
Huens, J. U. D. & Prof. Ordinarius.
Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Canonum Pr.



VI.

RESOLUTIO

Circa Dispensationem Matrimonialem dictam, pro Belgis, ab *Espenio* aliisque Doctoribus signata.

[*Nunc primum edita.*]

PRo Casus hujus resolutione prænotandum, Pontificem non solere dispensare per se ipsum in impedimentis Matrimonii, sed potestatem dispensandi delegare Episcopis eorumve Officialibus; idque sub ea clausula: *si post diligentem informationem preces veritate niti repererint.* Adeoque dispensandi facultas data Officialibus, pendet a veritate factorum sive precum; ut si illa vera non sint, etiam facultas dispensandi deficiat.

Porro cum in Rescripto, quo Pontifex facultatem dispensandi in casu præsenti delegavit, causa dispensationis his verbis exprimatur: *quod cum dicti Oratores Orthodoxæ fidei cultores existant, ac Deo dante sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivere & mori intendant, & in illis partibus, in quibus multi adsunt hæretici non possint animos singulorum explorare, & qui Catholicam religionem vere profitentur internoscere; ac propterea ne contingat eos cum hæreticis Matrimonium contrahere, cupiunt* &c. hæc, inquam, cum ita pro causa expressa sint, constare debet (ad hoc nimirum ut hæc clausula, *si preces veritate nitantur*, verificetur) in illo loco, ubi existebant Oratores, non solum fuisse multos hæreticos tempore, quo hæc dispensatio data fuit, sed insuper illos ita latuisse, ut Oratores eos non possent a Catholicis facile passim internoscere; ac propterea periculum esset ne ignoranter, & præter intentionem Matrimonium contraherent cum persona hæretica, quam bona fide putabant esse Catholicam.

Cum vero in locis a Provinciis Confœderatis nonnihil remotis, exempli gratia, Lovanii, Bruxellis, Mechliniæ &c. pauci soleant esse hæretici, præsertim ante hæc tempora belli, quando Matrimonium in casu initum fuisse apparet; vel ex hoc capite clausula, *si preces veritate nitantur*, deficere videtur. Deinde licet hoc tempore multi sint inter copias militares hæretici, illi tamen nequaquam ita latent aut religionem suam ita occultant, quin prudens quisque facile eos internoscere possit: ut nec periculum morale esse videatur, ut quisquam Catholicorum prudenter procedens præter suam intentionem incidat in personam hæreticam, quam putaret esse Catholicam.

Hæc tamen cum ad verificationem conditionis, sub qua potestas dispensandi delegata fuit, requirantur, non caret difficultate, cum dispensatione in vim hujusmodi Rescripti data, in his partibus Matrimonium contrahere. Et si Matrimonium contrahendum esset, judicaremus ulterius supersedendum, quousque in alia forma dispensatio esset obtenta.

At quia hic agitur de Matrimonio in vim hujusmodi dispensationis contracto: atque Romanis sufficienter constare credatur, quod in his partibus ab hæreti-

cis tale periculum non immineat; illudque Officialibus perquam sit notorium; & tamen Romani Rescripta dare, & Officiales in vim illorum dispensare queant, multo minus auderemus pro invaliditate Matrimonii contracti resolvere, sed Oratoribus suademus, ut potius Episcopos, aliosque Superiores consulant (*a*).

[Hæc Resolutio, una cum proxime sequenti, signata fuit aut approbata Lovanii 31. Dec. 1694. a DD. *de Charneux*, *de la Hamayde* & *van-Espen*].

(*a*) Vide circa hunc casum Differt. Can. D. van-Espen, *de Dispensationibus* Cap. IV. §. IX.



VII.

CASUS RESOLUTIO,

Circa Matrimonium, ex metu & ex dispensatione dubia super tertium Consanguinitatis gradum contractum; ab *Espenio* aliisque Doctoribus signata.

[*Nunc primum edita*]

IN casu proposito duo pro invaliditate contracti Matrimonii adferuntur argumenta, quorum alterum petitur ex metu, qui Sponsæ illatus prætenditur: alterum ex invaliditate dispensationis super tertium Consanguinitatis gradum.

Ad primum quod attinet, non judicamus metum istum esse sufficientem pro invaliditate Matrimonii. Quod enim dicitur Parentes Sponsæ minatos fuisse, ut si Matrimonium non iniret, illam per biennium in Monasterio collocarent, in eo Parentes aliud non dixerunt, aut Sponsæ significarunt quam id quod quilibet bonus Paterfamilias pro sua paterna cura filiæ suæ merito diceret, consuleret & imperaret. Quid enim justius quam ut filia 15. annorum, si non nubat, conservandæ castitatis & instructionis causa, in honesto aliquo Monasterio collocetur? Itaque nisi aliud intervenisse probetur, nullus injustus metus Sponsæ hic illatus apparet: cujus & hoc est indicium, quod per plures annos conjugata nullam de metu sibi illato querimoniam deprehenderit.

Secundum quod affert argumentum, aliquam speciem habere videri posset, si ad rigorem litteræ dispensatio data examinetur.

Et præsertim si a S. Sede, pro securitate conscientiæ, non petatur plenior declaratio: licet omnibus attentis judicemus nullo modo istud Matrimonium posse de facto dissolvi, cum eodem argumento plura similia Matrimonia forent dissolvenda, cum summa familiarum & Reipublicæ confusione. Resolutum Lovanii hac 31. Dec. 1694. (*Et erat signatum*) *De Charneux*, S. T. D. & Prof. Reg. *De la Hamayde*, J. U. D. *Z. B. van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Profess.

RE-

VIII.

RESOLUTIO ESPENII (a).

A duobus aliis Doctoribus Lovaniensibus signata, de necessitate consensus Superiorum, ut quis Beneficia prætendat in Congregatione Oratorii D. J. apud Belgas.

CASUS.

Ut Congregatio Presbyterorum Oratorii Domini Jesu per Provinciam Mechliniensem impediret sollicitationes ad Beneficia aut Officia tanquam alienas a spiritu Congregationis suique destructivas, matura deliberatione habita condidit in Comitiis Generalibus habitis Bruxellis octava & nona Maii anni *1696*. Sess. 3. hunc Canonem : *Propositum quoque est, an Congregatio non judicet inviolabiliter observanda ea quæ statuta sunt anno* 1681. *Sess.* 2. *contra eos qui Beneficia vel Officia Ecclesiastica prætendunt, sine consensu Superiorum in scriptis habito? Responsum, quod standum sit ante decretis anno* 1681. *Sess.* 2. *quando Beneficium vel Officium fuerit compatibile cum Oratorio; si autem fuerit incompatibile, ipso facto exclusus erit ex Congregatione.*

Contigit autem unum ex Presbyteris dictæ Congregationis per Regem denominari ad quamdam Dignitatem Ecclesiasticam, & quidem cum Oratorio incompatibilem ad quam ille quidem noluit offerre libellum supplicem Regi, sed tamen scivit postulari per amicos suos pro se istam Dignitatem, neque a Superioribus suis petiit utrum hoc ipsis placeret, & ne quidem petiit postquam denominatus est, sed tantum significavit ipsis singulis seorsim, quod Rex ipsum denominasset, volebatque totum retineri in secreto: ivit gratias acturus suæ Celsitudini Electorali (*), Ministris Status &c.; accepit congratulationem ab omnibus congratulari volentibus, etiam a Capitulo, in quo Dignitatem illam obtinuerat, per Deputatum, & hoc in præsentia publica & communi aliorum Presbyterorum ejusdem Congregationis Oratorii: inquirit de mediis, quibus in sua Dignitate subsistere possit, facit dependere acceptationem possessionis a sua voluntate, quam hactenus se se non cepisse asserit, nec confirmationem ab Episcopo loci; adeoque se se hæsisse in terminis dubii utrum acceptaret, nec ne: ad hæc omnia non requisivit consensum suorum Superiorum, multo minus in scripto habet. Hisce positis,

Quæritur 1. Utrum talis non sit censendus incidisse in pœnam Canonis prædicti?

2. Utrum consensus modernus possit supplere defectum, postquam in pœnam incidit?

RESPONSIO.

Ad I. Quæstionem infrascripti respondent N. Presbyterum in casu proposito, in pœnam prædicti Canonis incidisse, & ipso facto ex Congregatione exclusum esse.

Qui enim peccat contra legem prohibentem aliquid sub certa pœna, incurrit sine dubio pœnam a lege statutam. L. I. C. *de Sec. nupt.* proinde non est dubitandum N. Presbyterum in specie proposita, pœnam præfati Canonis incurrisse: siquidem contra expressam ejusdem Canonis prohibitionem, sine consensu Superiorum in scriptis habito, sollicitavit Dignitatem Ecclesiasticam a Rege Catholico obtinendam; neque eum excusare potest quod ipsemet Libellum Regi non obtulerit; nam cum in casu præsenti ipso sciente, ejus amici Libellum Regi obtulerint, & pro ipso sollicitaverint, censeri debet sollicitationem eis mandasse, *Argum. text. in Lege 6.* §. 2. *L.* 18. *L.* 53. *ff. Mandat; ubi qui patitur pro se alium fidejubere, vel intervenire, mandare intelligitur & mandati tenetur.*

Qui

(a) Primum edita anno 1740. *Chronicon Oratorii D. I. apud Belgas*, Append. pag. 64. & 65.

(*) Duci Bavariæ Belgii Gubernatori.

Qui autem facit per alium, puta Mandatarium, perinde est ac si faciat per seipsum. Cap. 72. de R. J. in 6.

Et quamvis forte quis diceret, hæc verba Statuti, *qui pretendunt*, cum effectu esse accipienda; & ideo si quis prætenderet, nec effectum sollicitatio habuit, cessare Statutum seu Canonem. *Argumento l.* 1. §. 2. *ff. quod quisque Jur. in att.* ne sic quidem N. Presbyter in casu proposito pœnam Statuti aut Canonis evitare poterit.

Etenim ad sollicitationem amicorum Rex dictum N. ad Dignitatem Ecclesiasticam nominavit.

Et pro hac Regia nominatione seu Collatione dictus N. Suæ Celsitudini & Ministris Regiis gratias egit, & variorum gratulationes admisit.

Ex quo evidenter constat quod dictus N. eam nominationem Regiam sibi factam ratam habuerit; cui consequens est eum jus in re, vel saltem ad rem acquisivisse, *text. in Cap.* SI TIBI ABSENTI 17. *de præb. in 6. in verbis, donec eam ratam habueris.*

Jus, inquam, in re, vel saltem ad rem acquisivit per illam ratihabitionem seu acceptationem; quamvis necdum adeptus foret possessionem illius Dignitatis Ecclesiasticæ, neque confirmationem.

Est enim hoc receptissimum, solam collationem Beneficii absque possessionis apprehensione jus in re & perfectum tribuere, postquam ille, cui collatum est Beneficium, eam collationem ratam habuit; etenim ex hoc proprium dicitur ipsius Beneficium, *Gloss. ad D. Cap. si tibi, de præb. in 6.* COVARR. 3. *Var. C.* 16. *in pr.* DYNUS *ad Cap. L. n.* 8. *de R. J. in 6.*

Itaque cum dictus N. hæc omnia fecerit sine consensu Superiorum in scriptis habito, evidens est eum pœnam Statuti incurrisse, & ex Congregatione exclusum esse.

Quoad II. Quæstionem hic propositam infrascripti censent, consensum modernum Superiorum non posse supplere defectum, postquam in pœnam Canonis seu Statuti incursum est; neque enim Superiores Canonem a tota Congregatione sancitum abrogare possunt. Ita resolutum Lovanii hac 12. Martii anno 1697. (Signabant) *Nat. Chamart*, J. U. D. & Exprofessor Primarius, *J. Herys*, J. U. D. & Professor Regius. *Z. B. van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof.



IX.

RESOLUTIO,

Ab *Espenio*, aliisque signata circa veram notionem Libelli famosi.

[*Nunc primum edita*]

AD PRIMUM.

Nulla ratione dici potest, Epistolam, de qua quæstio, esse diffamatoriam.

Ratio est, quod Epistola illa scripta non sit ad diffamandum; sed ad remedium postulandum gravissimis malis, quæ in Monasterio grassabantur: quod charitas erga Deum, Monasterium, & proximum postulabat.

Postulabat charitas erga Deum, ut tot peccata in Domo & personis ipsi consecratis impedirentur.

Postulabat charitas erga Monasterium, ut ruina spiritualis ac temporalis illi impendens averteretur.

Postulabat charitas erga proximum, ut ipsius emendationi ac saluti consuleretur.

Neque diffamatoria dici potest ex eo, quod ordo debitus servatus non sit, vel aliæ circumstantiæ debitæ prætermissæ.

Quia imprimis si consideretur, *qui* scripserint?

Illi sunt, quos proxime ea res tangebat, cum sint dicti Monasterii membra, & ad quos ea cura devolvebatur, deficiente Abbate.

Si

Si expendatur, *ad quos* scripserint? Ad Superiores Legitimos.

Si, *quando*? Non nisi post duas visitationes frustra factas, quando jam aliud remedium non supererat, nisi recursus ad Capitulum Generale.

Iterum si, *quando*? Tunc, cum Monasterium jam palam per erumpentia crimina apud omnes diffamatum erat: adeoque taceri amplius non debebat nec poterat apud Superiores, ut famæ Monasterii consulerent.

Si, *quomodo* & *quid*? Non nisi cum reverentia supplicant, ut quo videbitur modo remedium malis gravissimis adhibeatur.

Ex quibus patet, ne per speciem quidem dici posse, dictam Epistolam esse Libellum famosum: nam præter rationes jam dictas id etiam accedit, quod sparsa non fuerit in vulgus, sed tantum privatim scripta ad Superiores Legitimos; idque non suppressis, sed expressis scribentium nominibus.

Hinc non nisi injuste Religiosi, qui illam scripserunt, accusari possunt, multo minus condemnari, tamquam Authores *Libelli famosi*, aut Monasterii diffamatores.

Econtra vero pro suo erga Monasterium zelo laudandi. Neque refert quod Religiosi illi in Epistola dicant, copiam chartæ visitationis, in Capitulo semel prælectam, *corruptam* fuisse; quod falsum esse prætenditur.

Quia esto etiam id falsum foret, videntur tamen Religiosi sat justas rationes habuisse id credendi & scribendi. 1. Quod quidam assererent in copia illa lectum fuisse articulum, qui auditus non fuerat, dum lectum fuerat Originale. 2. Quod non proferretur nec legeretur ipsum Originale, quod tamen erat ad manum; cujus ratio alia non videbatur esse posse, quam quod ab Originali discreparet.

Si tamen asseverantius quam oportebat, copiam illam corruptam esse scripserint dicti Religiosi, & forte prudentius id tantum scripsissent sub dubio, exprimendo rationes suæ suspicionis, statuet de eo Capitulum Generale, & ut videbitur, eorum imprudentiam corriget: quamquam non videantur propterea gravius aliquid commeruisse, tum ob rationes jam dictas, tum quod ad caput rei non multum intersit, an copia illa dicatur corrupta fuisse nec ne; nam etiamsi fuisset incorrupta, nec sic tamen sufficiebat ad remedium malis afferendum; adeoque adhuc ad Capitulum Generale scribendum erat, exponendaque mala quæ in Epistola continentur.

Quapropter æquum non videtur, vexare dictos Religiosos ob levem aliquam & forte nullam culpam, quam possent bona fide & zelo admisisse: atque interea nihil curare de correctione Monasterii, impunitosque relinquere alios, qui vel horrenda crimina commiserunt, vel ea dissimulando foverunt.

Profecto in re tanti momenti primum a gravioribus & magis necessariis incipiendum est; ac deinde ad leviora, si ita expedit, veniendum.

AD SECUNDUM.

Si vera sint facta, quæ post hæc verba (*Pudor est dicere quod Monasterium passim pro Lupanari habeatur*) in dicta Epistola narrantur, nequaquam possunt dicti Religiosi accusari, nedum ad pœnas gravissimas condemnari, quod verba illa Epistolæ suæ inseruerint. Quis enim dubitet, quin *passim pro Lupanari habeatur* Monasterium, in quo Famuli domestici imprægnarunt septem Bertas? Ubi duo Monachi pro sacrilegio deprehensi sunt? Ubi ipsa Neptis Abbatis (signatura Parocho tradita & Epistola propria manu ac stylo exarata post partum) tertium aliquem Religiosum de carnali commercio accusat? Quis, inquam dubitet, si hæc passim nota sint, quin Monasterium passim pro Lupanari habeatur? Nam etsi hæc sola sufficerent; tamen facile conjiciunt homines, plura alia intus supprimi, & delitescere, quæ in lucem non veniunt. Satis etiam intelligunt, dum talia tam frequentia sunt tum in Famulis tum in Religiosis, non sine Superiorum Monasterii dissimulatione & tacito quodammodo consensu ea committi. Quare sicut quamvis aliam domum etiam sæcularem, ubi ista fierent, pro Lupanari haberent; ita multo magis pro Lupanari habere solent domum Religiosam, in qua notum est ista committi.

AD

AD TERTIUM.

Enuntiatio illa, *Domine Prior* &c. de in qua Quæsito tertio, non est nisi mera Denuntiatio facta legitimo Superiori ad hoc ut inquirat, an ita se res habeat, ut dicitur, nec ne: quod ex ipsis Enuntiationis verbis manifestum est. Quare nequaquam illius Auctor probare tenetur, quod talis reipsa talem impraegnaverit: satis est, quod justas rationes habuerit denuntiandi Superiori id quod fama ferebat. Habuit autem rationes justissimas: nimirum, quod ipsa Neptis Abbatis post partum, signatura Parocho tradita & Epistola propria manu exarata, talem accusaret; quod id notum esset multis in Monasterio; proinde, quod charitas tum erga Monasterium, tum erga Religiosum illum exigeret, ut denuntiatio illa fieret: quo vel Monasterium & Religiosus iste corrigerentur, vel ab infamia & suspicione liberarentur. Ita responsum hac 18. Febr. 1700. (Signatum erat.) *G. Renardi*, S. Th. Doct. & Professor Regens. *Florentius Sullivane*, S. Th. Doctor. *G. Huygens*, Theol. Doctor & Professor. *G. M. Claes*, S. Th. Doctor. *F. Verschuren*, S. Th. Doctor. *H. de Charneux*, S. Theol. Doctor & Professor. Regius ac Regens. *S. Cognouac*, S. Theol. L. & Professor. *Z. B. van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof. *J. Opstraet*, S. Theol. L.



X.

CASUS RESOLUTIO,

Circa sigillum Confessionis Sacramentalis, ab *Espenio* aliisque Doctoribus Lovaniensibus signata.

[*Nunc primum edita*]

CASUS POSITIO.

Titius excepit Confessionem *Bertæ*, & injunxit ei quædam facienda.

Hæc obedire nolens sæpius adiit Confessarium suum *Titium* extra Confessionem, multa ei narrans de conscientia sua.

Sed & multis aliis propalavit, non dari sibi absolutionem, eo quod obedire recusaret Confessario suo in aliqua re.

Imprimis vero id dixit Hero suo & Heræ, rationem afferens, quod nollet denunciare aliquem Episcopo.

Verum hi id non credentes suspicati sunt illam de multis, volueruntque illam dimittere.

Berta sentiens sibi imminere malum, eo quod sic dimissa vix posset aliquam invenire conditionem, *Titium* enixe rogavit ut domum veniret, licentiamque ei dedit totum illud negotium Hero suo exponendi.

Titius molestia & improbitate precum *Bertæ* gravatus, utilitatemque & commodum illius intendens domui ejus se reddidit: cui Herus & Hera statim exposuerunt suspiciones omnes, quas habebant de *Berta* ancilla sua, eo quod dixisset ipsis se absolutione non donari.

Titius reposuit illis, filiam illam & honestam & fidelem esse, nec quidquam ab illa esse timendum.

Verum & Herus & Hera suspicari pergentes, dixerunt se illam non retenturos, ne quidem uno die.

Tunc *Berta* malum illud apprehendens, voluit ut *Titius* veram eis diceret rationem ob quam non absolveretur, & sic omnis suspicionis causa auferretur.

Titius, qui rem illam extra Confessionem ab ipsa *Berta* sæpius audierat, & ab uno quodam Presbytero, cui etiam *Berta* illud ipsum narraverat, monuit imprimis Herum & Heram, quod non nisi de licentia & voluntate *Bertæ* ibi præsentis loqueretur, & addidit revera requiri ab ancilla eorum *Berta* conditionem aliquam,

quam, sed quæ nulli crederetur præjudicium allatura.

Tum Herus & Hera de ista conditione ab ancilla sua & quibusdam aliis instructi multa objecerunt, suadere conantes illam non esse necessariam, sed & contrariam esse honori & famæ quarumdam personarum.

Reposuit iterum *Titius* tum nihil quidquam mali inde eventurum, tum se credere conditionem illam esse absolute necessariam; nec aliter sine illa se judicare aut agere posse absque conscientiæ suæ gravissimo nocumento: monens interim eos conditionem illam ipsos non spectare; & ancillam eorum & honestam & fidelem esse.

Herus & Hera inito consilio *Bertæ* suaserunt, ut alium Confessarium adiret quod & fecit.

Post tres circiter menses rem illam quatuor personis contestibus narravit *Berta*; nec multo post adhuc aliis duobus contestibus, quibus & illam circumstantiam aperuit, se tunc dedisse Titio licentiam declarandi punctum aliquod suæ Confessionis, ut constat ex eorum depositionibus juratis.

Verum ecce *Berta* existimans ex aliqua alia occasione illatam sibi injuriam a Titio, in vindictam illius accusat eum revelatæ Confessionis; negatque se ullam ei dedisse circa istam rem licentiam.

Sed & Herus & Hera ejus, volentes favere cuidam tertio, pro cujus honore timebant, deposuerunt, *Titium* coram ipsis dixisse se non posse dictam Bertam absolvere, absque suimet ipsius perditione, nisi id præstaret quod ipsi injunxerat.

Et insuper ajunt se non recordari licentiæ a *Berta Titio* datæ, & ab illo coram ipsis memoratæ, nolentes istam circumstantiam nec affirmare nec negare.

Cum vero *Berta* super accusatione tam injusta a nonnullis corriperetur ex charitate; dicentibus illi: inde conscientiam ejus graviter lædi; respondit illis *Berta*, se non curare de damnatione sua: uti deposuerunt tres jurati contestes.

Imo & coram aliis tribus contestibus similiter juratis, agnovit se animo vindictæ accusationem illam contra *Titium* intentasse: his suppositis.

QUÆRITUR.

1. An revera *Titius* Confessionem *Bertæ* revelaverit?

2. An sit jam aliqua fides adhibenda *Bertæ*, neganti a se datam licentiam *Titio* loquendi de sua Confessione?

3. An non teneatur *Berta* restituere honorem *Titio*, quem conata est longe lateque perdere; & expensas reddere, quæ in sui defensionem fecit *Titius*?

4. An non sit vera & tuta sententia, quam ut veram & communem tenent, post Divum Thomam, *Estius* in 4. Dist. 17. §. 14. n. 9. *Sylvius*, Supplem. q. XI. art. 4. *Wiggers*, Suppl. q. XI. conclus. 5. *de Sigillo*: *A. Neesen*, tract. 5. de Sac. Pœnit. dub. 4. *Suarez*, disp. 33. de sigillo Confess. sect. 5. cum multis quos ibi citat Authoribus: *Bonavent.* nempe, *Richard. Palud. Adrian. Henric. Sylvest. Soto*, *Covarruv.* &c. scilicet posse Confessarium de rationabili consensu pœnitentis, manifestare alteri id quod ex ejus Confessione novit, justa & rationabili de causa.

RESOLUTIO.

Vera & tuta est communis Theologorum sententia, Confessarium, ex rationabili, expressa, & plane voluntaria pœnitentis venia, posse manifestare quod ex ejus Confessione novit. At controvertitur an ejusmodi venia in casu proposito data fuerit: datam fuisse affirmante *Titio*, *Berta* vero negante. Cui ergo credendum, aut quæ probationes requirendæ?

Recte notant passim Theologi, In hoc negotio non posse dari certam regulam; sed ex qualitate peccati & circumstantiis personarum & publicatione delicti præsumptionem esse sumendam.

Si enim Confessarius, qui de Confessione revelata accusatur, probet revelationem factam esse ad bonum pœnitentis, si toto agendi modo id spectaverit ut, quoad fieri posset, pœnitentis fama & honor salva forent; si accedant etiam alia adminicula, quæ etsi non plane, aliquo tamen modo probent veniam revelandi a pœnitente datam fuisse, tunc in favorem Confessarii præsumendum est: maxime si pœnitens famam

mam habeat non bonam, & aliquam inimicitiæ occasionem adversus Confessarium, Confessarius autem sit probus ac prudens; de quo videri potest Cardinalis *de Lugo*, de Sacram. Pœnit. Disp. 23. sect. 5. §. 5.

Atqui omnia hæc argumenta præsumptionis favent *Titio*, & adversantur *Bertæ*: siquidem *Titius* revelationem non fecit nisi in bonum *Bertæ*, salva ejus fama & honore, quoad fieri potuit; conatus est enim *Bertam* a malis suspicionibus, & ab expulsione, quam horrebat, liberare.

Et quia id, salva ejus fama & honore, quoad fieri poterat, præstare volebat, a principio ea discretione usus est ut aliud non diceret quam *Bertam* non absolvi nisi ob defectum conditionis, quæ nulli præjudicium allatura credebatur.

Ac ne quidem de casu ipso, prout a parte rei acciderat, locutus est, nisi postquam Herus & Hera de casu prius a *Berta* informati eum expressissent.

Cum itaque *Berta* Hero & Heræ, & pluribus aliis rem antea aperuisset, nec id sufficeret ad ejus defensionem, *Titius* in bonum ejus & favorem rem ab ea prius manifestatam confirmasse præsumendus est: nec credibile videtur id fecisse animo vel *Bertæ* nocendi, vel Confessionem ejus inique revelandi.

Favet *Titio* modus manifestationis quam fecit, *Berta* ipsa præsente, nec tunc contradicente; licet enim Herus & Hera nec affirmare velint nec negare quod *Titius* veniæ sibi a *Berta* datæ mentionem fecerit, *Titium* tamen in præsentia Bertæ locutum fuisse non negant. Quis autem præsumat fieri posse, ut Confessarius non omnino fatuus, præsente pœnitente, sine ejus venia, Confessionem ejus revelare audeat?

Favet denique *Titio*, quod duo contestes jurent se a *Berta* hoc negotium narrante audivisse, quod *Titio* licentiam dederit declarandi punctum aliquod suæ Confessionis.

Contra autem *Bertæ* plurima præsumptionis argumenta adversantur: ac imprimis illud, quod tres jurati contestes deposuerint, eam, cum de injusta accusatione moneretur, respondisse, *se non curare de damnatione sua*.

Ac illud insuper quod tres jurati contestes declarent, agnovisse illam, se animo vindictæ accusationem hanc contra *Titium* intentasse.

Denique contra *Bertam* militant magnæ illæ angustiæ, ad quas redacta fuit; a quibus cum avidissime cuperet liberari, nec efficacius per ullum quam per Confessarium liberari posset, valde credibile est eam Confessarii opem implorasse, veniamque dedisse, ut rem Heris, prout erat aperiret; præsertim si simul spectentur argumenta datæ veniæ in favorem Confessarii ante allegata.

Quibus omnibus attentis, concludendum videtur, *Titium* absolvendum esse, mediante saltem juramento, quo fidem faciat se revera accepisse licentiam, de qua quæstio: præcipue si accedat bona existimatio de probitate & prudentia *Titii*.

Ita, salvo meliori, censuimus: Lovanii die 28. Junii 1702. (& erat signatum) *J. L. Hennebel*, S. Theol. Doctor. *F. Renardi*, S. Theol. Doctor & Professor Regens. *G. M. Claes*, S. Th. Doctor. *F. Verschuren*, S. Th. Doctor. *Z. B. van-Espen*, J. U. D. SS. Canonum Profess. *J. Opstraet.* S. T. L. *J. L. Claessens*, S. T. L. *Pauwdavain*, S. T. L.

CA-



X I.

CASUS THEOLOGICUS.

De obligatione ad adimplendum promissum quoddam exactum in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ad *Espenio* aliisque approbatus.

[*Nunc Primum Editus.*]

B*Erta* ancilla obstrinxit sese famulatui *Caji* Pastoris, interim priusquam in ejus famulatum veniat, confitetur *Semphronio* regulari in ea civitate, in qua Cajus Pastor est, Missionario, qui ab ea ante Sacramentalem absolutionem exigit, ut promittat sese Caji famulatum deserturam post annum, nisi intra illum annum Cajus se submittat placitis illustrissimi D. *Bussii* Apostolici Nuncii: ea promissione facta absolvitur *Berta*.

Item *Titius* eidem Semphronio in Sacramenti Pœnitentiæ administratione promittit ob eandem prætensam inobedientiam sese deinceps non aditurum Ecclesiam Caji, ut Concionibus ejus & Instructionibus interfit; quo promisso absolvitur.

Videtur eos teneri hac sua promissione, quia saltem apparet res aliquo modo indifferens, quam observare possunt, & ad quam observandam libere sese obstrinxerunt.

Sed econtrario apparet Semphronium eam exigere non potuisse, & cedere eam aliquo modo in odium Sacramenti Pœnitentiæ, ac in impedimentum Fidelium ne omnino libere illud accedant.

Ad quod respondetur *Bertam* & *Titium* se equidem revera obstrinxisse & obligasse hac sua promissione; adeoque ex obligatione promissi, Confessario vices Christi tenenti facti, non tam homini quam Christo Domino obstrictos.

Ab altera parte considerandum, hanc Semphronii exactionem provenire a spiritu schismatico, quo membra Ecclesiæ tam in spiritualibus quam in temporalibus ab invicem avellit.

2. *Bertam* & *Titium* hoc promisso huic spiritui schismatico quasi adstipulari (licet id revera ignoranter quidem) & proinde exactionem & promissum esse rem illicitam in se, quæ nullo modo coram Deo obligat.

3. *Titium* experientia didicisse multum se in negotio salutis ex Caji Concionibus & Instructionibus proficere: & Bertam similiter experiri, se in temporalibus, magno suo emolumento (quo egentes etiam Parentes suos pro parte sustentat) & in spiritualibus profectu non exiguo, ex Caji & Domesticorum ejus conversatione, hunc famulatum adivisse.

4. *Bertam* & *Titium* modo confiteri Cajo Pastori, ejusque curæ Pastorali a Deo benedici ad animarum suarum salutem.

Angitur nihilominus *Berta* & ex ejus anxietate *Cajus*. *Titius* in bona fide est nec ullo scrupulo angitur.

Quæritur an, & ad quid, *Berta* aut *Titius* teneantur?

Resolutio Eruditissimi *D. J. Opstraet.*

Debet Cajus bonis rationibus persuadere *Bertæ* & *Titio* placita Illustrissimi Nuntii Apostolici injusta esse; nec sibi licitum iis obedire. Illicite proinde Semphronium ab eis exegisse promissionem de Cajo deserendo, & illos eam illicite præstitisse: tantum vero abesse ut promissione illa illicite exacta & præstita teneantur, ut ne liceat quidem illis eam exequi, sed novam culpam contracturi sint exequendo.

Primum quia ipsis existimare non licet aut suspicari, quod *Cajus* non sit obediens Sedi Apostolicæ, in iis scilicet, quibus obedire tenetur.

Deinde, quia multo minus ipsis licet, eam de *Cajo* existimationem aut suspicionem palam declarare ipsum deserendo.

Præterea quia non licet ipsis deserere *Cajum*, sub quo experiuntur se non parum in negotio salutis proficere, ne forte incidant in alios, a quibus salu-

tis periculum metuendum sit.

Denique quia non licet ipsis deflectere ad eos, qui dum injuste alios traducunt ut Sedi Apostolicæ inobedientes, & veluti schismaticos, ipsi schisma faciunt & Ecclesiam conturbant.

Resolutio ejusdem casus ab Eximio viro D. Francisco Verschuuren in Universitate Lovaniensi S. Th. Doctore.

Quum circa casum nuper a te missum mentem ego meam aperuissem D. *Opstratio*, supra positum hisce responsum breviter ipse adscripsi. Tranquillitatem animi reddere poterit *Bertæ* si candide, ut res est, ei exponatur.

Quum nullo scrupulo angatur *Titius*, sini forte poterit sua pace frui: non enim videtur *Titius*, non videtur *Berta* peccasse hic mortaliter.

Ad id quod objicitur videri eos promisisse rem *indifferentem*, quam observare possint licite. Respondetur, attentis omnibus circumstantiis, nullatenus esse indifferentem, quamque illi præstare possint licite; ut sileam, quod debeat esse res Deo grata, quæ Deo promittitur.

Si *Cajus* esset laxis perversisque imbutus principiis, si contra Evangelii regulas concionaretur, si in Sacramento Pœnitentiæ foveret homines in desideriis animæ suæ, tunc deferendus esset etiam citra illam promissionem præviam. Atqui talis est Semphronius, ergo deferendus est ille cum suo spiritu schismatico.

Responsum *D. Opstratii* sicut & meum probat Clarissimus *D. van-Espen*.

[1708. vel 1709.]



XII.

CASUS THEOLOGICUS,

Circa satisfactionem obligationis, ortæ ex fundatione Missarum, ab *Espenio*, aliisque Lovaniensibus approbatus.

[*Nunc primum editus*.]

FRatres quidam Alexiani vere pauperes, acceperunt & acceptarunt fundationem Missæ conventualis quotidianæ cum libera intentione.

Petunt; an oblatione istius Missæ, cujus habent liberam intentionem, possint satisfacere obligationi aliarum fundationum, per quas obligantur singulis septimanis procurare celebrationes quarumdam Missarum?

Videtur P. *Henricus a Sancto Ignatio* sentire affirmative, ut patet in ejus Theologia Tom. III. p. 196. No. 916.

Quod si ipsis non liceat, petunt an facienda sit restitutio quædam? Si ita; petunt, cujus rei, & cui illa facienda sit?

Petunt insuper; an id quod quotannis superest ex primo dicta fundatione, præter honorarium solitum quotidie dandum Presbytero, qui Missam conventualem celebrat juxta illam fundationem, applicari possit eorum, utpote pauperum sustentationi, aut Ecclesiæ suæ ejusque oneribus solvendis?

Quod si hoc illis sit illicitum, quæ, cui, & qualiter facienda sit restitutio?

Petunt denique; an essent tuti in conscientia & coram Deo, si de his omnibus interrogent ipsum Fundatorem primo dictæ fundationis, qui adhuc vivit, & quid proprie intenderit in sua fundatione ipsis posset declarare?

Resolutio casus, data per Eximium Dominum Franc. Verschuuren in alma Universitate Lovaniensi S. Th. Doctorem, approbante Clarissimo D. Zegero Bernardo van-Espen, in eadem Universitate J. U. Doctore ac Sacrorum Canonum Professore, ordinario, nec non Eruditissimo Domino Joanne Opstraet in dicta Universitate S. Th. Licentiato.

Casus de quibus in acclusa scheda proposui D. *Espenio* & *Opstratio*; resolutio fuit ut sequitur.

Opor-

Oportet videre cujus naturæ sit primo dicta fundatio. Forte est verum beneficium Ecclesiasticum. Quo casu omnes proventus deberent cedere Beneficiato, sive illi Sacerdoti, qui quasi jure suo celebrat quotidie Missam conventualem.

Si vero non sit proprie beneficium Ecclesiasticum, sed Fundator specialiter benefacere, etiam quoad temporalia, voluerit istis Fratribus vere pauperibus, sique nihil aliud requisiverit quam Missæ conventualis quotidianam celebrationem cum libera intentione, tum videtur quod (in rigore loquendo) Fratres illi oblatione istius Missæ satisfacere possent obligationi aliarum fundationum, per quas obligantur singulis septimanis procurare celebrationes quarumdam Missarum; sed cavenda interim diligenter omnis nundinatio; cavendus turpis quæstus in rebus adeo sacris. Res per se, male sonat, & forte alias ob rationes nobis ignotas merito suspecta est.

Optime facient Fratres illi, si de omnibus interrogent ipsum Fundatorem primo dictæ fundationis; e quo intelligere poterunt, quid in illa sua fundatione proprie intenderit, vel etiamnum intendat. Forsan etiam ob justas causas mutare posset primam suam intentionem. Videntur Fratres illi prorsus obligati super his rebus agere cum Fundatore, idque quam primum.

D. Nicolaus PETIT PIED, *Doctor & Socius Sorbonicus sequentem Resolutionem dedit ad prædictum Casum.*

Les Alexiens, dont-il s'agit, peuvent demeurer dans leur usage, & non obstant la memoire qu'on fait de leur Fondateur à la Messe conventuelle recevoir un honoraire pour la celebration de la dite Messe; d'autant plus que le Fondateur s'en est expliqué nettement en leur laissant, comme on l'expose, *Missæ conventualis liberam intentionem*. On a un exemple de cela à l'Eglise Metropolitaine de Paris, où dans la Messe canonicale, qui se dit tous les jours pour les Fondateurs, on fait une memoire particulière des 2 ou 3 Archevêques de Paris. Il y a une fondation pour cela. Un Acolite vient à l'autel au memento des morts & dit au Prêtre: *Reverende Pater memento animarum Illustrissimorum ac Reverendissimorum DD. de Gondi, de Perefixe, &c.* Le Prêtre se tourne & dit: *requiescant in pace.* l'Acolite repond *Amen*, & se retire.

Ces mêmes Alexiens etant pauvres peuvent appliquer à leur maison ou à leur Eglise ce qui leur reste de la fondation, après avoir donné l'honoraire legitime au Prêtre qui vient celebrer chez eux.



XIII.

CASUS THEOLOGICUS,

In quo quæritur, quid sit agendum Confessario distribuenti S. Communionem, dum inter cæteros accedit quidam ab eo non absolutus; ab *Espenio*, aliisque approbatus.

[*Nunc primum editus*.]

Cajus in Sacramento Pœnitentiæ judicatus est a Confessario omnino indispositus ad absolutionem, quæ proinde ei dilata est; accedit tamen inter cæteros, dum Confessarius iste S. Eucharistiam distribuit, petitque publice Communionem: idque bona fide nescius sibi dilatam absolutionem, aut sibi non licere accedere ad S. Communionem.

Quæritur 1. quid agendum sit isti Confessario Sacram Communionem distribuenti?

2. Quid agendum Confessario si *Cajus* mala fide ad S. Communionem accederet, sciens se ligatum esse, non solutum in Sacramento Pœnitentiæ?

3. Quid si de dispositione *Caji* ad absolutionem dubitasset Confessarius, adeoque eam distulisset, & *Cajus* ad Communio-

munionem, ut supra, bona fide accederet?

3. Quid si accedat eo casu mala fide?

5. Quid si Confessarius judicasset rite dispositum quidem ad absolutionem, sed non dispositum ut tam frequenter accedat ad Communionem; adeoque in aliud tempus, quo eum ad Communionem judicat admittendum, distulisset absolutionem, & *Cajus* nihilominus bona fide ad eam accedit?

6. Quid si accedat eo casu mala fide?

Dubitatur præcipue an nullo ex his casibus deberet Confessarius *Cajo* Sacram Communionem publice petenti, antequam illi distribuat, clanculo dare absolutionem.

Resolutio Eximii D. Verschuuren, S. T. D. Clarissimi D. van-Espen, J. U. D. & Erud. D. Opstraet, S. T. Lic.

Casus de quibus in acclusa scheda proposui D. D. *Espenio*, & *Opstratio*. Resolutio fuit ut sequitur.

Omnibus istis casibus debet Confessarius tali pœnitenti dare Communionem, dareque deberet, licet indispositionem non sciret ex sola Confessione, peccatori non publico, publice petenti.

Sed dubitatur præcipue, an nullo ex illis casibus deberet Confessarius *Cajo* Sacram Communionem publice petenti, antequam illam ipsi distribuat, clanculo dare absolutionem? R. posset sic absolutionem aliquando dare in casu 5. Sed cum pœnitens, de quo in illo casu, supponatur equidem *justus*, non videtur quod Confessarius absolute loquendo *debeat* sive *teneatur* ei clanculo dare absolutionem. Forsan etiam in 3. casu posset ejusmodi absolutio aliquando dari. De mala fide accedente &c. videre oportet *quam mala* sit fides qua intendit accedere, qualis sit ejus vita; quæ communicandi vel causa, vel occasio. In his omnibus dantur gradus. Non se torqueat ob talia Confessarius. Faciat, vel omittat, quod, omnibus consideratis prudenter faciendum vel omittendum videtur.

[1709.]

Resolutio Sapientissimi Magistri Nic. Petit Pied, Doctoris & Socii Sorbonici ad eumdem casum.

Quand un Confesseur differe l'absolution, il doit s'expliquer en termes si clairs, que le Penitent ne le puisse ignorer.

Si neanmoins le Penitent se presente à la Sainte Table publiquement, le Prêtre doit lui donner la Sainte Communion; soit que le Penitent soit de bonne foi, soit qu'il soit de mauvaise foi. Cela ne paroit point au dehors, & ce n'est point là le lieu d'en juger.

J'ai oüi dire, qu'en pareille occasion un Pretre avoit donné secretement, & en lui même, l'absolution au Penitent qui se presentoit à lui pour communier, avant que de lui donner la Communion. Je ne puis approuver cette conduite.

XIV.

CASUS THEOLOGICUS,

In quo quæritur an liceat alicui secreto & absque scandalo legere librum Romæ prohibitum v.g. novum testamentum cum reflexionibus Patris *Quenelli* ab *Espenio* aliisque resolutus.

[*Nunc primo editus.*]

UNe fort bonne Superieure d'un Monastere de Religieuses ayant appris la condamnation du *Nouveau Testament* avec les reflexions, en eut peur & donna ce livre à Mr. l'Abbé.... Depuis elle s'en est repentie & demande de le reavoir, voulant que M. l'Abbé... lui dise qu'il lui est permis de le lire en secret.

Le Pere Abbé demande ce qu'il peut, & ce qu'il doit faire.

Reso-

Resolutio Sapientissimi Magistri Nicolai PETIT PIED, *Doctoris & Socii Sorbonici ad casum supra positum.*

Outre que le Decret de Rome, qui condamne les Reflexions (*a*), n'est point reçu & publié ; il est evident que c'est un Decret surpris à Sa Sainteté. Ce livre continue d'être lû en France. Plusieurs Evêques en entreprenent la defense. Bien des Theologiens font voir qu'il est exempt de l'erreur qu'on lui attribue. Ainsi je croi que le Rev. P. Abbé peut le rendre à l'Abbesse dont-il s'agit ; & lui dire qu'elle peut continuer à le lire, pourvu que ce soit sans bruit, sans scandale, & sans aucun mepris de l'autorité du St. Siege, qu'on doit toujours respecter quoiqu'on ne puisse pas toujours deferer à tous les Decrets de discipline qui en emanent. D'ailleurs on en demande en France un nouvel examen, & on ne s'en tient pas au Decret donné par le Pape.

Resolutio Eximii D. Verschuuren, S. T. D. Clarissimi D. van-Espen, J. U. D. & Erud. D. Opstraet, S. T. Lic. ad eundem casum.

Casus de quibus in acclusa scheda proposui D. *Espenio* & *Opstratio*. Resolutio fuit ut sequitur:

Potest Abbas ille dicti libri lectionem permittere bonæ isti Religiosæ: rationes sunt passim notæ. Leges non publicatæ, uti oportet, injustæ &c. non obligant seposito scandalo. Liber ille tot Egregiorum virorum, Episcoporum etiam, calculis fuit approbatus: tanto tempore, tanto Fidelium cum fructu perlectus, venit jam censura vaga, generalis ob & subreptitie fabricata instigantibus hostibus veritatis. Quid ejusmodi censura potest hic multum operari?

Sed num Abbas *teneatur* concedere legendi potestatem?

Resp. Cum illa Religiosa non *teneatur* legere illas Reflexiones, Abbas etiam non videtur *teneri* ad eam facultatem ei concedendam ; sepositis circumstantiis, ob quas forte revera ad id *tenetur*. Ipsius est dispicere quid officii sui ratio exigat. [1709.]

(*a*) Decret du 15. Juillet 1708.

X V.

C A S U S   R E S O L U T I O,

ab *Espenio* data, & ab aliis Doctoribus Lovaniensibus approbata.

[*Nunc primum edita*]

De compatibilitate Decanatus cum Canonicatu in eodem Capitulo.

C A S U S   P O S I T I O.

IN Archivis Collegiatæ Ecclesiæ St. Jacobi Lovanii invenitur, prout supponitur, simplex schedula, cujus copia huic annexa est, quam prætendunt Canonici prædictæ Ecclesiæ esse erectionem & dotationem Capituli ejusdem Ecclesiæ, quod primitus fuit erectum in pago *d' Ayncort*, & postea translatum ad præfatam Ecclesiam St. Jacobi ; vi cujus schedulæ prætenditur quod dictum Capitulum debeat necessario componi ex duodecim personis, realiter inter se distinctis ; quod dicitur sequi ex his clausulis : *Itaque constructa Ecclesia in proprio territorio, idest in villa quæ vocatur* AYNCORT, *omnes suas possessiones eidem contulerunt ad usum videlicet duodecim Canonicorum, quos in obsequium Domini pro animabus suis ibidem constituerunt.*

Nunc ergo quantum ad nos pertinet, oramus

mus & obtestamur, per nomen Domini, ut nemo nostrorum successorum audeat de rebus supradictis quidquam usurpare, neque commutationem, neque PRECARIAM *facere, neque in Beneficium dare, nec unum omnino Canonicum de duodecim minuere; si autem sciens & cognoscens hanc rem ita firmatam esse, postea tamen contra hoc nostrum Decretum fecerit, non remittatur ei hoc peccatum, neque in hoc sæculo, neque in futuro; sed condemnetur cum Diabolo, & ejus Angelis in die judicii.*

Invenitur præterea in Archivis præfati Capituli, Codex continens aliquos articulos, quos dicunt Canonici esse Statuta Capituli. Iste Codex fuit scriptus, saltem prout tenor ejus fert, an. 1540, & complectitur inter alia hoc quod sequitur:

Item statutum est ab antiquo, & denuo statuimus & ordinamus, quod aliquis Beneficiatus in nostra Ecclesia St. Jacobi nullam poterit habere Vicariam in eadem; ne numerus personarum ipsius Ecclesiæ diminuatur: debent autem esse duodecim personæ principales, videlicet Abbas St. Laurentii, qui tenetur loco suo ibi ponere unum Vicarium pro eo prout tenentur Canonici ipsius Ecclesiæ.

Item Decanus ipsius Ecclesiæ; item sex Canonici principales; item duo Canonici minores; item Scholasticus; item Custos. Horum autem quilibet nisi fuerit residens principaliter in ipsa Ecclesia, tenetur ponere pro eo unum Vicarium sufficientem, qui continue frequentet Ecclesiam, & intersit omnibus horis Canonicis ipsius Ecclesiæ, cantando & legendo ità a principio usque ad finem; excepto Decano dumtaxat, qui tenetur ad personalem residentiam in ipsa Ecclesia. Statuimus tamen quod si Beneficium vel officium alicujus Presbyteri vel Beneficiati ipsius Ecclesiæ esset adeo tenue & modici valoris, videlicet sex modiorum vel minus, quod non posset bono modo, se gubernare de dicto suo Beneficio, quod hoc Statutum non sit in præjudicium talis modici Beneficiati; sed si placet Capitulo, potest sibi providere de remedio opportuno, ut puta de Vicaria, vel de uno officio in ipsa Ecclesia, una cum suo Beneficio existente, & hoc ex gratia speciali ipsius Capituli.

Porro prætensa Statuta, ex quibus capita supra inserta extracta sunt, neque sunt sigillata, neque ab ullo subsignata, multo minus sunt confirmata aut approbata ab aliquo Superiore.

Denique animadvertendum est duas Præbendas minores dicti Capituli fuisse suppressas, eorumque fructus fuisse unitos mensæ Capitulari dictæ Ecclesiæ, anno 1586, authoritate Archiepiscopi Mechliniensis, idque ad requisitionem & supplicationem Decani & Capituli ejusdem Ecclesiæ. Hæc unio fuit facta post debitam *informationem & observatis solemnitatibus in similibus observari solitis & requisitis.*

Quantum vero ad Abbatem St. Laurentii attinet, non residet in dicto Capitulo per se, vel per Vicarium; nec constat quod unquam resederit uno vel altero modo; præterea prædictus Abbas nullam partem fructuum ad Capitulum spectantium percipit; & quod maxime notandum, nullum habet characterem Capitularem, ex quo possit colligi eum esse Membrum Capituli, idest, neque est Dignitarius, neque Canonicus, neque Capellanus istius Capituli, nec ulla alia qualitate Capitulari inibi insignitus est: quibus omnibus præsuppositis,

QUÆRITUR I.

An ex prædicta simplici schedula, & ex præfatis prætensis Statutis in circumstantiis relatis resultet aliqua incompatibilitas inter Decanatum dicti Capituli, & Canonicatum ejusdem Ecclesiæ collegiatæ.

II.

An dicti Decanatus & Canonicatus sint incompatibiles, inspecto jure communi Patriæ?

III.

Denique quæritur ex superabundanti, an dicti Decanatus & Canonicatus sint incompatibiles, inspecta dispositione Concilii Tridentini?

RESOLUTIO.

Beneficiorum incompatibilitas præcipue funda-

fundatur in impossibilitate aut difficultate satisfaciendi oneribus utriusque Beneficii per unam eamdemque personam. Hæc autem impossibilitas vel difficultas habetur in Beneficiis fundatis in distinctis Ecclesiis, residentiam personalem requirentibus, dum una eademque persona in duabus distinctis Ecclesiis eodem tempore personaliter residere nequeat, ut ibidem oneribus utriusque Beneficii satisfaciat.

Ad hanc igitur impossibilitatem subeundi onera pluribus Beneficiis incumbentia, reflexisse apparet Synodus Tridentina, prohibens Sess. 24. Cap. 17. *de Reform.* simul retineri duo Beneficia cujuscumque conditionis, si utrumque requirat personalem residentiam.

Cum enim officia sint difformia, sive diversi generis & ordinis, atque in eadem Ecclesia peragi debeant, nulla quoque resultet impossibilitas satisfaciendi utriusque Beneficii oneribus ex ipsa personali residentia.

Hinc consuetudo retinendi simul duo Beneficia difformia sub eodem tecto sive in eadem Ecclesia, puta dignitatem, aut Beneficium etiam Curatum seu Parochiale cum Canonicatu, perseveravit, & hactenus constanter perseverat passim in omnibus orbis Christiani Ecclesiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis: non obstante prædicto Decreto Concilii Tridentini.

Refertque *Garsias*, *de Beneficiis*, parte 21. Cap. 5. n. 246. & seq. sacram Congregationem non semel declarasse huic consuetudini per Concilium Tridentinum non esse derogatum: quin in novis per Belgium erectis Ecclesiis Cathedralibus, speciatim ordinatum est, ut tres Dignitates, scilicet Archidiaconatus, Archipresbyteratus, & Pœnitentiaria debeant conferri alicui e Canonicis Graduatis, qui consequenter semper dignitatem, una cum Canonicatu possident.

Similiter & Episcopus in hisce Ecclesiis, vigore Bullæ erectionis, una cum Episcopali dignitate Canonicatum obtinet, & in qualitate hac Canonici gaudet suffragio absoluto in Electione Canonicorum Graduatorum; & in qualitate Episcopi gaudet suffragio decisivo in paritate suffragiorum.

Immo in plerisque Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, vel ex statuto, vel consuetudine, obtinet quod ad primarias earum dignitates, puta Episcopatum, Præposituram, Decanatum eligi nequeat, nisi actu Canonicus; uti de Ecclesiis Leodiensibus & Germanicis, in quibus, vi Concordatorum, Electiones conservatæ sunt, notorium est; & passim Authores testantur, inter alios *Pirrhus*, *Corrardus*, praxi Beneficiali.

Concordata inter Leonem Decimum & Franciscum Primum Regem Galliarum, tit. de *reservationibus*, expresse mentionem faciunt Ecclesiarum, in quarum Statutis constat, quod nullus ibidem Dignitatem, Personatum, Administrationem vel officium obtinere possit, nisi in illis actu Caconicus existat.

Monetque Petrus *Rebuffus*, in Commentario hujus textus, quod ex consuetudine ita observetur *communius in Ecclesiis hujus Regni*.

In Ecclesiis Belgicis, quarum primæ dignitates pertinent ad collationem Principis, passim conferuntur dignitates illæ tam Canonicis quam non Canonicis, prout Principi visum fuerit: nec hactenus auditum quod ulli Canonico, per Principis collationem de dignitate in eadem Ecclesia proviso, mota fuerit quæstio super Canonicatu, quasi hic, per obtentam pacificam possessionem Dignitatis, vacaret, ob incompatibilitatem; immo videmus passim in omnibus Ecclesiis, quod Præpositi, Decani, aliique in Dignitate constituti Canonicatus sine ullius contradictione retineant, quos ante obtentam dignitatem possidebant.

Et quod hæc incompatibilitas duorum Beneficiorum difformium sub eodem tecto, non sit nota in hac ipsa Ecclesia Collegiata Sancti Jacobi, vel inde probatur, quod sine ulla contradictione Pastoratus hujus Ecclesiæ sæpius habeatur, & retineatur cum Canonicatu in eadem Ecclesia.

Ad hæc constat, quod non semel in Decanum hujus Ecclesiæ per Principem fuerit nominatus Canonicus ejusdem Ecclesiæ, quodque is nominatus & Decanatum & Canonicatum simul retinuerit.

Dicitur quidem quod sic nominati ad Decanatum, ipsum Canonicatum postmodum resignaverint, vel permutaverint; sed vel hæc per illos facta de Canonicatu resigna-

gnatio vel permutatio, & per Superiores admissa, post adeptam Decanatus pacificam possessionem, probat Superiores qui illam admiserunt, judicasse nullam intercedere inter Decanatum & Canonicatum incompatibilitatem, multo minus primi generis, quæ faceret primum Beneficium, scilicet Canonicatum, per possessionem pacificam secundi scilicet Decanatus, ipso facto vacare.

Si enim credidissent hanc intercedere incompatibilitatem, reputare debuissent ipsum Canonicatum ipso facto vacantem per adeptam possessionem Decanatus, & per consequens nullum amplius jus in Canonicatu competiisse Decano, a tempore adeptæ pacificæ possessionis ejusdem; proinde nullum ei jus superfuisse, quod resignare aut permutare potuisset, sed quod libera Canonicatus provisio spectasset ad ordinarium Collatorem, tamquam vacantis ipso facto per adeptam pacificam Decanatus possessionem.

Hinc etiam facile videre est, quod prætensum Statutum, in quo similem incompatibilitatem fundare videtur adversarius, vel non esse legitimum Statutum, vel quod Decanus, & Capitulum, & Superiores, permutationem Canonicatus admittentes, judicaverint per dictum Statutum similem incompatibilitatem inter Canonicatum & Decanatum non esse inductam.

Ad hæc circa prætensum hoc Statutum observandum imprimis, quod in hoc Statuto nulla fiat expressa mentio de incompatibilitate Decanatus cum Canonicatu in eadem Ecclesia: nec quidquam super hac incompatibilitate ordinatum: dicitur quidem in hoc prætenso Statuto, quod nullus Beneficiatus in hac Ecclesia possit habere Vicariam; sed id non Decanatum, sed Canonicatus concernit, & consequenter ad incompatibilitatem Decanatus cum Canonicatu trahi non potest; præsertim quia hæc incompatibilitas contrariatur consuetudini generali, quæ pro jure communi hodie reputanda est, quæ compatibilitatem Canonicatus cum Decanatu in omnibus passim Ecclesiis admittit, uti supra notatum est.

Unde ut incompatibilitas inter Decanatum & Canonicatum, contra hunc receptum in aliis Ecclesiis usum, admitteretur, deberet specifice prohiberi per Statutum speciale, legitima authoritate conditum.

Quod additur in prætenso Statuto, *ne numerus duodecim personarum ipsius Ecclesiæ diminuatur: debent autem esse duodecim personæ principales in ipsa Ecclesia &c.*

Hanc incompatibilitatem non inferunt, notanter si integer contextus Statuti attendatur.

Ex ipso quippe contextu manifestum est, quod Statutum non requirat, ut omnes duodecim personæ principales resideant, & officium Divinum personaliter persolvant; sed permittit, ut Abbas St. Laurentii, qui vocatur prima persona, nec non principales Canonici per Vicarium resideant, & officium Divinum peragant.

Igitur ex hoc duodenario numero personarum requisito nullatenus sequitur incompatibilitas Decanatus cum Canonicatu, eo quod requisitus numerus personarum haberi queat, tametsi ipse Decanus simul cum Decanatu obtineat Canonicatum, nimirum constituendo per se in qualitate Canonici Vicarium, qui locum ejus suppleat legendo & canendo in Choro.

Ita etiam Vicarius per Decanum in qualitate Canonici assumptus, non minus complebit numerum duodecim personarum per Statutum requisitum, quam Vicarius constituendus per Abbatem St. Laurentii, aut Canonicos absentes sive foraneos.

Ut igitur daretur esse verum & legitimum Statutum, legitima authoritate editum, nulla tamen ex illo concludi posset incompatibilitas inter Decanatum & Canonicatum; sed ad summum cogi posset Decanus, ut in qualitate Canonici Vicarium assumeret, qui numerum personarum duodenarium in Choro psallentium compleret.

Verum nec quoad hanc Vicarii substitutionem ad complendum numerum duodenarium personarum principalium, probabitur Statutum esse aut unquam fuisse in usu; quod vel inde patet quod Abbas St. Laurentii nunquam in Ecclesia ipsa resederit, aut ad residendum stallam habuerit, aut Vicarium pro se constituerit.

Similiter nec Dominus *Ryssels*, qui indubie simul Decanatum & Canonicatum pacifice retinuit, ut supra notatum est, unquam

quàm Vicarium in qualitate Canonici subſtituit, neque ut ſubſtitueret a Capitulo unquam interpellatus legitur; ſed utrumque ſimul pacifice retinuit, ad modum quo in aliis paſſim Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis Decanatus aliæque Dignitates cum Canonicatu poſſidentur; abſque ulla obligatione ſubſtituendi Vicarium in qualitate Canonici.

Argumentum nequaquam obſcurum prætenſum Statutum quoad ſubſtitutionem Vicarii, vel non fuiſſe notum, vel contrario uſu abrogatum; quod facile contingit in Statuto alicujus Eccleſiæ, quod aliarum Eccleſiarum receptæ conſuetudini adverſatur, uti eſt hoc prætenſum de ſubſtituendo Vicarium.

Quia & conſtat hoc Statutum de non diminuendo numero duodenario perſonarum ibidem nominatarum, nunquam fuiſſe in uſu, aut ſaltem a tempore immemoriali in deſuetudinem abiiſſe.

Inter perſonas has enim principales primo loco nominatur Abbas St. Laurentii, qui tamen nec unquam reſediſſe in ipſa Eccleſia, nec Vicarium habuiſſe ſcitur.

Similiter duo Canonici minores a tempore immemoriali eſſe deſierunt, ut proinde & uſus Statuti de non diminuendo numerum duodecim perſonarum principalium in hac Eccleſia jamdudum in deſuetudinem abiiſſe cenſeatur.

Itaque non apparet, qua ſpecie ex hoc prætenſo Statuto velint nonnulli contra Dominum modernum Decanum urgere incompatibilitatem ipſius Decanatus cum Canonicatu in eadem Eccleſia; & quidem incompatibilitatem primi generis, qua mediante ipſe Canonicatus vacaret *ipſo facto* poſt adeptam poſſeſſionem pacificam Decanatus.

Quin ſi tenorem prætenſi Statuti attendiſſent, facile intellexiſſent, quod attento hoc Statuto (quod primævæ fundationi conforme eſſe ſupponunt) ſex Canonicatus principales ſint plane foranei, ſive Beneficia ſimplicia reſidentiam perſonalem non requirentia.

Manifeſtum quippe eſt, ex tenore Statuti, quod hi Canonici ad reſidentiam perſonalem non aſtringantur, ſed abſentes, ſive perſonaliter non reſidentes defungantur ſubſtitutione Vicarii, qui vices abſentis in Divinis Officiis ſuppleat.

Cum igitur Synodus Tridentina, ſeſſ. 24. Cap. 17. de Ref. agat de incompatibilitate duorum Beneficiorum, quorum utrumque requirit perſonalem reſidentiam, conſequens eſt quod Decanatus & Canonicatus, de quibus hic agitur, etiam vi Synodi Tridentinæ, non eſſent incompatibiles, ſtante hoc Statuto; quandoquidem utrumque non requirat perſonalem reſidentiam.

Præſertim quia attento ordinario Decanatus annuo proventu, is ad honeſtum Decani in Univerſitate famoſa Graduati, & ſimul variorum pagorum Archidiaconi ſuſtentationem prorſus inſufficiens eſſe dignoſcitur: nam ut creditur ejuſmodi Decanus vix inde perciperet bonis temporibus medietatem victus ſolius, detractis oneribus.

Non eſt contra Tridentinum in quovis verborum ejus rigore intellectum, quod aliquis tenuiſſimam habens dignitatem ſub eodem tecto aut alibi retineat Beneficium, nullibi requirens perſonalem reſidentiam.

Notandum interim, prædictam Tridentini Conſtitutionem non magis reſpicere Eccleſiam St. Jacobi, quam alias quaſcumque per orbem, & ſignanter in toto Belgio, nulla alia penitus Eccleſia excepta, in quibus ante & poſt Tridentinum conſuetudo habet, ut quis ibidem obtineat & ſimul retineat Decanatum & Canonicatum ſub eodem tecto: quæ conſuetudo, ut ſupra notatum eſt, a Tridentino non eſt ablata neque prohibita.

Itaque ſtante præfati Statuti validitate & vigore, habetur minor incompatibilitas inter Decanatum & Canonicatum in hac St. Jacobi Eccleſia Collegiata, quam in reliquis Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, quarum Canonicatus paſſim requirunt perſonalem reſidentiam, neque abſentes defunguntur ſubſtitutione Vicarii, prout in hac Eccleſia ſtante illo prætenſo Statuto.

Porro indubitatum eſt, majorem incompatibilitatem eſſe inter duo Beneficia, ambo requirentia perſonalem reſidentiam, quam inter duo, quorum alterum duntaxat eam reſidentiam requirit.

F 2 Im-

Impertinens quoque eſt, ad fundandam hanc incompatibilitatem, Charta prætenſa fundationis hujus Capituli, qua expreſſe narratur quod fundatores bona ſua contulerint *ad uſum duodecim Canonicorum, quos in obſequium Domini pro animabus ſuis ibidem conſtituerunt*; addita per Epiſcopum Leodienſem imprecatione in ſuos ſucceſſores, ſi quis hanc ordinationem infringere, vel unum Canonicum de duodecim minuere vellet.

Ut enim ſupponeretur hanc eſſe originalem Chartam fundationis, nequaquam vel in ſpeciem adſtrueret incompatibilitatem Canonicatus cum Decanatu.

Quod enim velit prætenſa fundatio, ut nullus *Canonicum de duodecim minuere poſſet*, commune eſt cum omni fundatione Eccleſiarum, quas vulgo vocant *numeratas*, eo quod certus & determinatus Canonicorum ſeu Beneficiatorum numerus in fundatione ſit præfixus, quales paſſim ſunt omnes Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ.

In his nemo hæredum, aut ſucceſſorum poteſt contra voluntatem fundatoris aut erectoris Canonicorum præfixum numerum minuere.

Nihilominus hæc numeri præfixio non impedit quin in omnibus paſſim Eccleſiis, Canonicatus una cum Decanatu, aliave ejuſdem Eccleſiæ dignitate retineatur.

Scimus quod ad inſtantiam Philippi II. Regis Catholici ordinatum ſit in erectione novorum Epiſcopatuum, ut in omnibus illis noviter erectis Eccleſiis Cathedralibus ſint perpetuo novem Canonici Graduati.

Hæc tamen numeri præfixio non impedit quin hi Canonicatus paſſim retineantur cum alia ejuſdem Eccleſiæ dignitate; ſic modo in Eccleſia Metropolitana Mechlinienſi Præpoſitus eſt ſimul Canonicus nobilis Graduatus, & ultimo defunctus Decanus Dominus *Cuipers* erat Canonicus Theologus Graduatus: & nuper defunctus D. *Jbarra* Decanus Antverpienſis, erat ejuſdem Eccleſiæ Canonicus Graduatus; neque enim ſic diminuitur numerus Canonicorum præfixus; quando quidem Canonicus qui eſt Decanus, vel præpoſitus, ſemper maneat Canonicus; omnique jure Canonici gaudeat; ſemperque maneat in integro ſtatu, integer numerus Canonicorum, in fundatione præfixus, nec ullus reperitur extinctus.

Itaque nulla plane apparet incompatibilitas inter Canonicatum & Decanatum, de quibus in caſu, ſive prætenſum Statutum, ſive prætenſam Capituli erectionem, ſive jus Patrium, ſive Decreta Concilii Tridentini, attendamus. Reſponſum Lovanii, hac quarta Martii 1710.

(*Signatum erat*)

Z. B. *Van-Eſpen*, J. U. D. & SS. Can. Prof.

J. L. *Hennebel*, S. T. D. & Prof. Regens.

G. *Renardi*, S. T. Doct. & Prof. Regens.

F. *Verſchuren*, S. T. Doctor.

JU-

XVI.

JURIS RESPONSUM ESPENII,

Et a quibusdam aliis Doctoribus Subscriptum,

De jure Capituli S. Petri Oppidi Insulensis in collatione Dignitatum, mensibus Papæ reservatis.

[*Nunc primum editum.*]

CASUS DEDUCTIO.

Question

A Proposer à Messieurs les Docteurs & Professeurs de l'Université de Louvain de la part de Messieurs du Chapitre de l'Eglise Collegiale de S. Pierre à Lille, pour sçavoir, si dans les circonstances des faits & raisons rapportées, il a droit d' elire en tous mois au Doyenné & autres Dignités de son Eglise vacantes par mort, ou si le Pape n'en a point acquis la disposition dans les huit mois reservés, à titre de prescription.

La mort du Sieur Philippe Van Campenhout, *dernier possesseur paisible du Doyenné de la dite Eglise, arrivée le* 10. *de Juillet* 1698. *un des huit mois reservés, a donné lieu au Chapitre d'elire le Sieur* Charles Maguire, *& au Pape d'en pourvoir le Sieur Jean Philippe* Corroyer, *d'où s'est ensuivie une contestation, où le dit Chapitre s'est joint pour son Elu, & la quelle dure encore sans avoir eté decidée definitivement par Arrêt d'une Cour Souveraine.*

Pour juger, le quel des deux pourvûs a le meilleur droit, il est necessaire d'exposer ici tous les faits au naturel, en remontant à la source des choses, sans y rien ajouter en faveur de l'un plus qu'en faveur de l'autre, afin que l'on ne puisse imputer au Chapitre & à son Elu de s'être flatté dans leur propre cause.

L'Eglise collegiale de S. Pierre à Lille a eté fondée en 1066. *par Bauduin de Lille Comte de Flandres qui etablit un Prevôt, un Chantre, un Tresorier & quarante Chanoines.*

Peu de têms après fut fondé le Doyenné, sans qu'on en ait d'autre titre qu'un acte de 1090. *rapporté par Burelin en son Livre second intitulé*: Gallo-Flandria *Chapitre* 14. (*a*).

Le Chapitre voulant aussi faire eriger en Dignité l'Ecolatrerie, qui n'etoit qu'une prebende affectée, en obtint la separation, en la dotant, & en se retenant toujours l'election, comme des autres Dignites; de sorte qu'en 1260. *il y avoit, comme il y a aujourd'hui, dans l'Eglise de Lille, cinq Dignités, le Prevôt, avec la charge d'ames du Clergé & de la Parroisse; le Doyen pour convoquer le Chapitre, y presider, & y traiter de toutes les affaires, avec une obligation plus etroite à la residence; le Chantre pour être l'œil du Chœur, aiant attention à ce que l'Office Divin y soit bien chanté, & les ceremonies de l'Eglise y soient bien observées; le Tresorier pour avoir soin de l'Eglise & de son tresor; & l'Ecolatre pour avoir soin du Seminaire de la dite Eglise, & de toutes les Ecoles de la Ville, où l'on instruit la jeunesse.*

S'Etant mû en 1217. *une difficulté entre le Prevôt & le Chapitre, au sujet de la disposition de la Tresorerie, il fut decidé par sentence arbitrale, confirmée par l'Evêque de Tournay & les Papes Innocent III. & Honoré III. que le Chapitre en avoit l'election, & le Prevôt la confirmation, comme de toutes les autres Dignités, en ces termes:* Vocabitur ut intersit electioni Præpositus (*sçavoir pour la Tresorerie*) sicut

(*a*) D'Abord le Doyen n'avoit qu'un petit bien situé à *Mouscron* Village de la Chatelenie de Courtrai, que le Chapitre a depuis assigné au Chantre, en faisant annexer au Doyenné une de ses prebendes.

cut in aliis electionibus Decani & Cantoris fieri consuevit.

L'On voit par un titre de 1238. *qu'elles sont les fonctions d'un Doyen elu, les charges dont il doit se defaire, & l'ordre de Pretrise qu'il doit prendre deux ans après; & en* 1260. *que le Chapitre se retient l'election de l'Ecolatrerie, comme des autres Dignités.*

Voilà tout ce qu'on trouve dans l'antiquité sur le fait des Dignités, n'y aiant que quelques titres ramassez, & point de Registres aux actes Capitulaires plus ancienque 1421 *& aux Elections & Collations que* 1542. *On ne s'arretera ici d'abord qu'au Doyenné, qui fait le principal objet de la contestation, quoique les autres Dignités y enveloppent insensiblement, & qu'on en parlera après, parceque les faits en ont eté allegués de part & d'autre.*

On trouve en 1421. *la reception de Jean* de Carnin *au Doyenné, sans qu'on y voie ni le genre de la vacance, ni le titre de sa reception. Il en jouissoit encore en* 1463. *que l'on pretend, que le Chapitre a obtenu de Pie II. un indult pour elire une fois seulement à son Doyenné, à condition de recourir au S. Siege pour la confirmation, à peril de nullité.*

Cette Bulle est reposante aux Archives du Chapitre, dans la boëte où sont inserré tous les titres concernans le Doyenné; ce qui fait dire au Sieur Corroyer *que cette Bulle est une preuve autentique, que le Doyenné etoit déja reservé au Pape, vû que le Chapitre en reconoissois le droit par un acte aussi autentique, qu'il a conservé lui-même dans ses Archives.*

Le Sieur Maguire *soutient, que cette Bulle ne sçauroit etre qu'une piece supposée, mise dans les Archives par quelques pourvus de Rome; & qu'elle n'a pû être demandée alors par le Chapitre.*

Cette piece, dit-il, est supposée: premierement, parce qu'elle n'a pas eté rendue publique par une fulmination ensuivie, semblable à celles que le Chapitre a obtenu dans des tems voisins avant l'introduction des Lettres de Placet.

Secondement parce qu'il a prouvé, que depuis l'an 1440. *jusqu'en* 1470. *ensuite du Decret du Concile de Bâle, le Prevôt a conferé toutes les prebendes de la dite Eglise, en quelques mois qu'elles aient vaqué; sans qu'aucun pourvû de Rome, par Mandat, Graces expectatives ou autres reserves les y soit venu troubler; & même trois expectans y aiant pretendu des Canonicats, en vertu de Mandat, dans le tems même de la dite datte de ce pretendu Bref, ne purent les obtenir.*

Troisiemement, parce qu'il a produit trois Elections du Chapitre à ses Dignités vacantes dans les mois reservés, immediatement avant cet indult de 1463. *suivies de paisible possession & jouissance des Elus, sçavoir en* 1445 *a la Chantrerie, en* 1451 *à la Prevôté, & en* 1455 *à l'Ecolatrerie.*

Quatriemement, parceque les trois dernieres vacances du Doyenné, arrivées par mort immediatement après ce Bref ou induls de Pie II. ont eté suivies d'Elections du Chapitre, de confirmation des Prevôts, & de paisibles possessions & jouissances des Elus, dont il a eu deux, ensuite de vacance par mort dans les mois reservés, & sans que le Chapitre & ses Elus aient eu recours à Rome pour la confirmation, suivant le prescris du dit Indult, & la peine y apposée.

Mais malgré ces raisonnemens si solides, appuiés sur des faits tels qu'on les enonce ici, le Sieur Corroyer *en revient toujours à sa Bulle de Pie II. de* 1463. *disant qu'elle est une piece autentique, conservée dans les Archives du Chapitre, & dont il a eté parlé en* 1643. *dans le procès de* Jocffe de Lyon *pourvu du Doyenné par le Pape à titre de reserve; & que si on avoit les pieces des procès anterieurs on l'y trouveroit cité comme dans celui ci dessus. De plus que cette Bulle est dans la forme de toutes les autres de ce tems-là, sans aucune rature, avec le plomb du Pape Pie II. & que pour n'avoir point eté fulminée elle n'a pas eté moins demandée; & que d'ailleurs on ne peut pas dire absolument qu'elle ne l'ait point eté, vû que la fulmination est une piece detachée qui peut fort bien s'egarer par le long espace de teme.*

Pour continuer les faits, il est necessaire de sçavoir, que les Reserves par Mandats, Graces expectatives & autres especes, qui s'exerçoient dans les huit mois reservés avant le Concile de Bâle, aiant eté retablies en Flan-

Flandre en 1470. *& en particulier dans l'Eglise de Lille par l'autorité de la* Cour *de Rome , & des sentences qu'elle rendoit chez elle en faveur de ses pourvûs , & qu'elle faisoit sortir leur effect par ses executeurs Apostoliques, qui menaçoient de Censures Ecclesiastiques ceux qui avoient envie d'y resister , les prebendes de la dite Eglise y etoient soumises depuis lors , sans que cela ait souffert que tres peu d'interruption jusqu'à present.*

Jean de Carnin *etant mort le* 29. *Avril* 1476. *sa prebende fut conferée par le Pape à Louis* Toureti, *qui y fut reçu par le Chapitre le* 26 *Septembre de la même année, & qui en a joui paisiblement depuis.*

Il n'en fut pas de même de son Doyenné, au quel le Chapitre elut Hugues de Lannoy, *qui après la confirmation du Prevôt y fut reçu le huit de May de la dite année* 1476. *Il ne s'addressa pas au Pape pour la confirmation de son election, comme cela auroit du être, si l'Indult de* 1463. *avoit eté demandé par le Chapitre , ainsi qu'on le suppose; & cependant il ne paroit point qu'il ait eté troublé par aucun pourvû de Rome , & l'on voit qu'il en a joui paisiblement jusqu'au premier de Septembre* 1481. *que* Philippe de Syron *y fut reçu, ensuite de sa permutation avec le dit de* Lannoy, *admise par le* Prevôt de consensu Capituli *: ce sont les termes .* Philippe de Syron *en a joui de même sans aucune contestation jusqu'à sa mort arrivée le cinq de Septembre* 1485.

L'on ne trouve pas l'acte d'election par le Chapitre de Jean Magistri *son successeur, à cause du peu d'exactitude que l'on avoit alors à tenir Regitre de ces sortes de choses; mais on a un acte Capitulaire , par le quel le Chapitre a accordé au dit* Magistri *son Elu au Doyenné les fruits de cette dignité, non obstant le procès, dont le menaçoit* Jean Boutillier *Chanoine de la dite Eglise, qui avoit apparemment obtenu cette Dignité en Cour de Rome, & qui pretendoit y obtenir une sentence contre le dit Elu, comme il en avoit obtenu une en* 1470. *contre Etienne* Carondelet *pourvû par le Prevôt de la prebende vacante par la mort d'Antoine* de Franqueville , *dont le Pape l'avoit alors pourvu. Il ne paroit pourtant d'aucun trouble fait au dit* Magistri *; & l'on avoit par les comptes d'alors , qu'il a joui paisiblement du Doyenné jusqu'à sa mort arrivée* le 30. *de Mars* 1500. *Le Chapitre elut aussitot Guillaume* de Proisy , *qui aiant fait confirmer son election par le Prevôt fut mis peu de jours après en possession de la dignité vacante.*

Le Sieur Corroyer ne peut rien opposer à des faits si clairs tels que le deux elections d'Hugues de Lannoy *& de* Jean Magistri, *après la mort de* Jean de Carnin *en Avril* 1476. *& de Philippe* de Syron *en Novembre* 1485. *Tout ce qu'il a dit, est, que les pourvûs de Rome n'ont pas soutenu le droit du S.Siege, comme ils le devoient. Il n'a pu de même rien repliquer sur ce que pour la confirmation les Elus du Chapitre ne se sont pas adressés au Pape, mais au Prevôt. Voilà donc par trois actes consecutifs d'election , les choses revenues au droit commun , quand le Pape y auroit auparavant exercé quelque droit, ce qui cependant ne se voit pas .*

Guillaume de Proisy *mis , comme l'on a dit ci-dessus, en possession du Doyenne, en a joui paisiblement jusqu'en* 1504. *qu'il permuta cette dignite entre les mains du Prevôt avec Eustache de* Tenremonde, *qui la permuta de même en* 1528. *avec Jacques* du Res, *qui la fit passer en* 1553. *resignation en faveur, devant le Legat du S.Siege aux Pais-bas , à Wallerand* Hangouart, *qui mourut en Janvier* 1567.

Le Chapitre elut à la dignite vacante Louis Poutrain, *qui aiant obtenu la confirmation du Prevôt, en fut mis en possession seulement le* 31. *Decembre* 1568. *c'est-à-dire environ un an après la mort du dit* Hangouart . *Car l'année n'etant point encore reformée par Gregoire XIII. comme elle a eté depuis en Octobre* 1582. *commençoit alors à Pâques; en sorte que Janvier* 1567. *se trouvoit dans la même année, où nous compterions aujourd'hui le mois de Decembre , quoique ce fut Decembre* 1568. *à cause de la differente maniere de commencer l'année.*

Philippe II. Roi d'Espagne aiant obtenu en 1560 *un Indult de Pie IV. lui donnant faculté de nommer à une dignité inferieure à la premiere, ou à une prebende de chaque*

que Eglise des Païs-bas, nomma sur celle de Lille Jean de Bonmarché, *qui aiant adopté le Doyenné vacant par la mort du dit* Hangouart, *se le fit conferer par les Executeurs Apostoliques du dit Indult, lesquels sur le refus du Chapitre l'en mirent en possession.*

Le Pape en pourvût Josse Van den Berghe *à titre de reserve des mois, à cause de la vacance par mort en* Janvier, *le quel ne put obtenir le* Placet *sur ses Bulles, à cause de l'acceptation de l'Indultaire* Bonmarché, *qui aiant levé à la Gouvernance de Lille une commission de maintenue, plaidoit pour lors avec* Poutrain.

Dans ces entrefaites le dit Bonmarché *etant venu à mourir en Octobre ou Novembre* 1569. *durant le procès ci-dessus, sans qu'il y eut encore aucune sentence rendue, le dit* Van den Berghe *obtint à Rome en Novembre* 1569. *une nouvelle provision du Doyenné, contenant surrogation à tout le droit vacant par la mort du dit* Bonmarché, *& joignent cette Bulle à la premiere, il reçut sur les deux les Lettres de* Placet *du Roi d'Espagne, pour pouvoir les mettre ensemble à execution.*

Il requit, le 19 *Janvier* 1570 *avant Pâque, le Chapitre de le mettre en possession du Doyenné; ce qui lui aiant eté refusé, il la prit par la voie de droit, ensuite de la quelle il leva une commission de maintenue à la Gouvernance de Lille, où il obtint le* 28 *Mai* 1572. *une sentence de recreance contre le dit* Poutrain, *qui n'aiant fait aucune poursuite ulterieure jusqu'à sa mort, arrivée le* 3. *de Mai* 1574. *laissa le dit* Van den Berghe *en peisible possession du Doyenné.*

Le Chapitre n'aiant donné au dit Poutrain *aucun successeur, & ainsi point d'adversaire au dit* Van den Berghe, *celui-ci requit la dite Gouvernance de decreter sa maintenue; ce qu'elle executa aussitôt par sa sentence du* 16 *Juillet de la dite année* 1574.

Le Sieur Corroyer *conclud de ces deux sentences, rendues en faveur du dit* Van den Berghe, *que le Doyenné de la dite Eglise de S. Pierre a eté declaré sujet à la reserve des huit mois; & que le Chapitre n'aiant point elu après la mort du dit* Poutrain, *& aiant laissé jouir paisiblement le dit* Van den Berghe, *est censé avoir acquiescé aux dites Sentences, & avoir reconnu les reserves des huit mois, comme un titre legitime.*

Et pour preuve, ajoute-t-il, que c'est en faveur des reserves des mois, que ces Sentences ont eté rendues, c'est, qu'il en faut revenir au titre, en vertu du quel le dit Van den Berghe *les a obtenu. Il avoit deux provisions, l'une par la mort du dit* Hangouart, *arrivée en Janvier, la quelle contient ces termes:* dudum si quidem omnes dignitates cæteraque beneficia Ecclesiastica in Januario & certis aliis tunc expressis mensibus dispositioni nostræ reservavimus, *où l'on voit la reserve des mois clairement exprimée. Cette Bulle n'a pu se mettre d'abord en execution à cause de l'acceptation faite du Doyenné par l'Indultaire* Bonmarché, *comme il a eté dit ci dessus; mais celui-ci n'a pas plutôt eté mort que* Van den Berghe *voiant l'obstacle levé, a impetré une nouvelle provision. Elle portoit surrogation à tout le droit qui pouvoit avoir vacqué par la mort du dit* Bonmarché, *afin que si cet Indultaire en avoit eté legitimement pourvû, & qu'il en eut eu le seul titre valable, le Doyenné fut veritablement vacant par sa mort, & sur ce genre de vacance bien pourvu par le Pape.*

De sorte que Van den Berghe *raisonnoit ainsi: Ou le dit* Bonmarché *n'a eu aucun titre valable au Doyenné, ou il en a eu un: s'il n'en a point eu, le Doyenné etoit donc vacant par la mort* d'Hangouart: *donc sa premiere provision lui etoit necessaire. Si au contraire après la mort du dit* Hangouart, Bonmarché *a eté le seul legitimement pourvu du Doyenné, ca donc eté par la mort seule de celui-ci, que cette dignité a veritablement vacquée, & par consequent sa deuxieme provision lui etoit absolument necessaire.*

Le Sieur Maguire *soutient, que* Van den Berghe *n'a joui du Doyenné qu'en vertu de sa deuxieme provision à titre de surrogation au droit de l'Indultaire* Bonmarché, *& que cette provision n'etant point une reserve de mois, les sentences rendues en faveur du dit* Van den Berghe *ne font rien à la question presente, où il s'agit de trouver plusieurs actes consecutifs de cette nature & suffi-*

suffisans pour introduire les provisions de Rome pour les dignités.

Mais le Sieur Corroyer *replique aussitôt, que la deuxieme provision de* Van den Berghe *est aussi bien à titre de reserve des mois que la premiere; car la surrogation ne signifie autre chose en matiere beneficiale, qu'une provision faite d'un benefice litigieux vacant par la mort civile ou naturelle d'une des parties contestantes; en sorte que le successeur represente le droit de celui à qui il succede, & le sien en même tems: le droit de celui à qui il succede pourque le benefice ait veritablement vacqué par sa mort civile ou naturelle, comme aiant été le seul legitime possesseur; il represente aussi son droit, parceque le benefice aiant été possedé legitimement par le predecesseur à titre d'Indult du Prince, de nomination d'Université, de provision du Pape, ou de tout autre, & venant à vacquer par la mort de ce titulaire dans un mois de l'Ordinaire ou du Pape, le benefice est conferé par l'un ou l'autre, suivant le mois de vacance, sans que celui à qui ils conferent ait le même titre que son predecesseur; mais pour assurer son titre, il est obligé de soutenir celui du predecesseur, parceque le titre de celui-ci venant à crouler, le genre de vacance & le titre de provision du successeur viennent de même à cesser.*

Delà vient que Van den Berghe *soutenoit la validité de l'Indult de* 1560. *& la nomination en consequence du dit* Bonmarché, *son acceptation, sa commission de maintenue, & la vacance du Doyenné par sa mort en Octobre au Novembre* 1569; *& en consequence la validité de sa deuxieme provision du Doyenné vacant par cette mort à titre de reserve.*

Le Sieur Corroyer *ajoute, que de quelque maniere, qu'on prouve cette deuxieme provision de* Van den Berghe, *c'a toujours été à titre de reserve des mois;* Poutrain *Elu du Chapitre a été debouté par la sentence, le Chapitre ne lui a donné aucun successeur, il a souffert qu'on ait decreté la maintenue après la mort de son Elu. L'Indultaire de Philippe II. a accepté & pris possession du Doyenné. Le Prince aiant nommé une deuxieme fois à cause de quelques clauses de son Indult,* Jean Mouffin *par lui nommé, aiant accepté le Doyenné a succombé par Arret contre* Van den Berghe: *de sorte que celui-ci n'a point eu le titre d'election du Chapitre ni de l'Indult, qui n'etoit reservé au Prince que pour une fois; donc il n'en a eu d'autre que celui de la reserve des mois, arrivée en Octobre ou Novembre* 1569. *par la mort dudit* Bonmarché.

Le Sieur Maguire *soutient toujours, que ce titre de surrogation, n'etant point clairement une reserve des mois, ne doit point passer pour un acte tel & suffisant pour commencer une prescription.*

Quoiqu'il en soit, Jeosse Van den Berghe *a joui paisiblement du Doyenné, depuis sa sentence de maintenue du* 16. *Juillet* 1574. *jusqu'à sa mort arrivée le* 2. *Avril.* 1594.

Le Chapitre a indiqué le cinq des mêmes mois & an pour faire l'election d'un nouveau Doyen; il ne paroit point par les actes Capitulaires, ni par aucun Regitre, qu'elle ait été faite; l'on y voit au contraire plusieurs actes qui declarent le Doyenné vacant depuis lors jusqu'au six d'Octobre 1595. *que.* Guillaume Gifford *y a été reçu, aussi bien qu'a la prebende du dit* Van den Berghe, *en vertu de provision de Rome, sans que le Chapitre ait formé la moindre opposition.*

Le Sieur Corroyer *soutient, que cette provision est un second acte des reserves des mois pour le Doyenné, vû que la Bulle y est expresse en ces termes:* Dudum siquidem omnes dignitates &c. in Aprili & certis aliis mensibus tunc expressis, *& ces autres:* cum itaque Decanatus Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Oppidi Insulensis Tornacensis Diœcesis, per obitum Judoci Van den Berghe in mense Aprili extra Romanam Curiam vacaverit, & vacet ad præsens, nullusque de illis præter nos hac vice disponere potuerit sive possit.

Le Sieur Maguire *pretend au contraire, que cette provision est à titre de devolution; parce qu'elle n'a été faite que le* 15. *de Mai* 1595., *plus de* 13. *mois après la vacance, ce que le Pape exprime dans la Bulle d'alors:* in mense Aprili anni proxime præteriti; *& que si la cause de reserve des mois y est, ce n'a été que pour tacher de l'introduire, quoique le veritable titre soit celui de devolution. Mais le Sieur* Corroyer repli-

replique que la Bulle contient dans son dispositif la vacance dans le mois reservé, & la provision à titre de reserve; au lieu que dans les Bulles de devolution, le dispositif la contient expressément, comme il a prouvé par une Bulle de cette nature pour une prebende de la Collegiale de S. Amé à Douai, la quelle a été conferée par le Pape en vertu de ce dernier titre.

Ce qui est si vrai, que la Prebende du dit Van-den Berghe, *vacante en même tems par sa mort que le Doyenné, a été conferée par le Pape en la même forme, sans qu'on se soit avisé de dire, que cette provision fut à titre de devolution.*

Et si dans la Bulle donnée en Mai 1595. il est exprimé, que la vacance est arrivée in mense Aprili anni proxime præteriti, *c'a été pour determiner le tems precis de la vacance, & non pour marquer que les 12. mois de la devolution au Pape etoient écoulés.*

D'ailleurs, ajoute le Sieur Corroyer, *si le Chapitre n'avoit voulu reconnoitre la provision de* Gifford *qu'à titre de devolution, il auroit dû en protester & clausuler son acte de reception, en y apportant ses modifications en pareil cas requises. C'est ce qu'il n'a eu garde de faire, vû qu'il etoit persuadé, que la provision du Doyenné comme de la Prebende, qu'il a reconnue le même jour, & en consequence reçu en même tems à tous deux le dit* Gifford, *etoit en vertu de la reserve des mois, & qu'aiant acquiescé vingt un an auparavant aux sentences rendues en faveur de* Van den Berghe, *en le laissant jouir paisiblement, ils ne devoient pas troubler le successeur pourvu a même titre.*

Philippe de Sion *succeda en 1605 au dit* Gifford *par resignation en faveur, & possede cette dignité jusqu'à sa mort arrivée le 8. de Fevrier 1643.*

Le Chapitre ne voulant point laisser perdre son droit d'election, choisit à la dignité vacante Jean Paris, *qui aiant obtenu la confirmation du Prevôt en fut mis aussitôt en possession.*

Josse de Lion *obtint cette même dignité à Rome à titre de reserve des mois, & non obstant l'opposition de* Paris, *aiant impetré ses Lettres de* Placet, *il s'en fit mettre en possession par voie de droit; évoqua la cause au Conseil de Flandre, où il gagna la recreance en 1645., confirmée a Malines en 1648. & le plein possessoire au dit Conseil en 1652. contre Pierre* Pollet *compermutant & subrogé de Jean* Paris.

Le dit Pollet *appella de cette sentence, mais ne la poursuivit point. Le Chapitre & lui transigerent avec le dit* de Lion, *en consentant qu'il jouiroit comme s'il avoit obtenu le plein possessoire par Arrêt de Malines, sans prejudice à son droit d'election, & accordant un acte de resignation en faveur du dit* de Lion *de la part de* Pollet; *& en même tems déclare en son acte, que pour eviter dorenavant contestations, on tachera d'obtenir du S. Siege un Indult d'elire en tous mois à ses dignités, pourvû, de par les Elus faire confirmer leur election à Rome.*

Le Chapitre croit, que cet appel a suspendu le droit de reserve, & empeché Rome de prescrire, aussi-bien que les clauses de protestation & de resignation.

Le pourvu de Rome au contraire soutient, que cette transaction est un desistement, & que la protestation est contraire à son acte, & n'empeche point la prescription au moien de trois actes consecutifs.

Josse de Lion *etant ainsi demeuré paisible possesseur mourut en Janvier 1658. Le Chapitre renouvellant la contestation elut le même Pierre* Pollet, *qui aiant eté confirmé par le Prevôt fut mis en possession.*

Le Pape en pourvût à titre de reserve Gilbert Natalis *qui obtint en 1663. la recreance au dit Conseil de Flandre contre* Pollet, *qui mourut la même année, & à qui le Chapitre donna pour successeur* Martin de Flandre, *qui mourut aussi en l'an 1665 durant le procès; après quoi le Chapitre n'aiant choisi personne, & aussi aucun Chanoine ne voulant soutenir le procès à ses frais, on transiga avec le dit* Natalis, *en se deportant purement & simplement du procès, & consentant que le dit* Natalis *jouit du Doyenné*, comme s'il l'avoit obtenu par Arrêt au plein possessoire; *moiennant que pour les frais de huit années écoulées pendant la procedure, vallantes dix mille florins ou environ, il se contenta de quatre, & le reste confondu en la masse commune.*

Le

Le Chapitre en transigeant de cette façon, declare que, quoi qu'il ait bon droit, cependant ce qu'il en fait, est pour avoir un chef, dont il est privé par cette procedure, qui cause un notable prejudice à la discipline de son Eglise, & à ses affaires.

Le Chapitre croit, que cette clause conserve son droit; & le Sieur Corroyer *au contraire que c'est un desistement absolu du droit du Chapitre, & une reconnoissance de celui du Pape.*

Natalis *resigna en* 1667. *en faveur de Philippe* van Campenhout, *qui en aiant joui depuis lors, est mort le* 10. *de Juillet* 1698.

Le Chapitre y a elu le Sieur Charles Maguire, *qui après la confirmation du Prevôt en a été mis en possession le* 19. *de Septembre du dit an.*

Le Pape en a pourvu le Sieur Jean Philippe Corroyer, *qui après les Lettres de* Placet *obtenues & enregistrées au Parlement de* Tournai, *par Arrêt du* 22. *Decembre* 1703. *non obstant l'opposition du Chapitre, en a pris possession par voie de droit: & depuis a obtenu deux sentences de la Gouvernance de Lille, l'une de recreance du* 2. *de Mai* 1704. *& l'autre de maintenue du* 17. *d'Octobre* 1710. *de la quelle le Chapitre a appellé.*

Voilà l'etat de contestation du Doyenné, mais comme elle a entrainé le fait des autres Dignités, dont on a rapporté les faits de part & d'autre; il est necessaire d'en instruire ceux qui verront ce memoire.

Quant à la Prevôté, le Sieur Corroyer *n'a rapporté aucune provision Romaine à titre de reserve des mois. Il en a bien produit plusieurs collations du Pape; ensuite des nominations des Princes du Païs, en vertu de l'Indult de Leon X. de* 1515. *& de Clement IX. en* 1670. *Mais on sçait, que ces indults ont été accordés contre la liberté des Eglises, qui n'ont pû eviter l'autorité Souveraine.*

Le Sieur Maguire *a prouvé, qu'avant ces indults, l'election de la Prevôté appartenoit au Chapitre, & la confirmation au Pape, a cause qu'il est superieur immediat de cette Eglise.*

C'est ce qu'il a fait voir par deux actes, l'un qu'Eustache Calculi *Prevôt etant venu a mourir en Janvier* 1451. *le Chapitre a elu Jacques de* Conimbria *Parent de la Duchesse de* Bourgogne; *& l'autre après la mort d'Adrien* de Poitiers *en Octobre* 1508, *il a elu aussitôt François* de Melean, *qui en ont tous deux joüis paisiblement: les autres actes d'election & de reception à la dite Prevôté ne se trouvant point enregistrées.*

A l'égard de la Chantrerie, le Sieur Maguire *a rapporté, que depuis* 1421. *que commence le premier Registre jusqu'à* 1627. *tous les Chantres n'ont été reçus, qu'en vertu d'election du Chapitre & confirmation du Prevôt, en quelque mois que cette dignité ait vacqué, soit reservé au ordinaire. Le Sieur* Corroyer *rapporte au contraire, qu'après la mort du Chantre Jacques* Mahart *en Novembre* 1627. *le Chapitre auroit elu Robert* Imbert, *qui n'aiant sçu avoir la confirmation du Prevôt, se seroit intrus dans la possession de sa dignité; & reconnoissant depuis, que cette dignité avoit vacqué dans un mois reservé, auroit renoncé à son election, & l'auroit obtenu en Cour de Rome.*

Mais comme le dit Sieur Imbert *n'a signifié aucun acte de renonciation au Chapitre, ainsi qu'il lui en a donné un acte en* 1643. *le Sieur* Maguire *se sert de cette possession; les autres actes non connus au Chapitre etant etrangers.*

Il est arrivé encore trois autres vacances par mort de la dite dignité depuis 1627, *jusqu'en* 1675. *Mais comme les deux premieres sont tombées dans les mois ordinaires, cela ne fait aucune difficulté; la troisieme etant arrivée en Octobre* 1675. *par la mort de Pierre* Hughelet, *le Chapitre au lieu de faire l'election, a attendu que Rome y eut pourvu, comme elle a fait en conferant cette dignité à Paul-Philippe* l'Hermite, *qui y a été reçu sans aucune opposition.*

Le Sieur Maguire *n'a rien à opposer contre cet acte, sinon que les principaux Chanoines d'alors etoient devoués à la Cour de Rome, & que leur negligence ou connivence n'a pû prejudicier a l'Eglise, que pour cette fois & non pour toujours.*

Depuis ce tems-là jusqu'à present, il n'y a eu de vacance par mort, que celle de Jacques l'Hermite, *resignataire de son oncle,* en

en Octobre 1702. *Le Chapitre y a elu Alexis* Frans, *& Rome en a pourvu François* Ricart. *Le premier etant mort en Novembre* 1703. *le Chapitre y a encore elu le Sieur* Du Forest *Chantre moderne, qui a repris les arremens de la cause de son predecesseur contre le dit* Ricart; *qui etant aussi venu à mourir en Decembre* 1703. *avant aucune sentence, le Chapitre pour eviter toute vexation ulterieure, & sans prejudice au droit acquis au dit Sieur* Du Forest *l'a elu de nouveau*, jus juri cumulando.

Passant à la Tresorerie, le Sieur Corroyer *a produit la provision Romaine par grace expectative de Jean* de Lacu (*) *après la mort de Jean* d'Ecoute *en Fevrier* 1471. *& reçu par le Chapitre sans contradiction.*

Le Sieur Maguire *n'a point d'autre reponse à donner à cet acte, si non que c'etoit le tems au quel on respectoit & craignoit les censures Ecclesiastiques, que le Chapitre appelle dans les actes de ce tems,* valde formidandæ; *ce qui l'a obligé, pour se servir des termes des actes*, Apostolicis obedire mandatis.

Depuis ce têms jusqu'en 1634. *en quelque mois que la dite Tresorerie ait vacquée le Chapitre y a toujours elu, & le Prevôt confirmé son election, sans que Rome y ait apporté aucun trouble; etant arrivé, pendant cette espace de tems assez long, quatre vacances par mort dans les huit mois, que l'on nomme reservés.*

Il est arrivé en 1634. *que Floris* Van der Haer, *dernier possesseur paisibile de la Tresorerie, etant mort en Fevrier, le Chapitre y elut Bertrand.* Verviano *qui après sa confirmation du Prevôt a été mis en possession de cette dignité le* 13. *de Mars de la même année; & après en avoir joui jusqu'au* 30. *d'Octobre* 1637. *sans contestation de la part de Rome, il s'avisa alors de donner une declaration au Chapitre le dit jour* 30. *d'Octobre:* se mutare causam possessionis Thesaurariæ alias captæ, & eamdem vigore Litterarum Apostolicarum & non in vim provisionis ordinariæ ad electionem factæ possidere & retinere, illiusque possessionem continuare.

Le Chapitre aiant enregistré cette declaration proceda à une nouvelle election, dans la quelle il elut Jean de Lannoy, *qui après la confirmation du Prevôt en fut mis en possession le* 1. *Decembre* 1637.

Ces deux pourvûs plaiderent au Conseil de Flandre, où le dit Verviano *aiant allegué sa possession plus que triennale, quoique destituée de titre ensuite de cette declaration, ne laissa pas d'y obtenir la recreance en* 1643. *confirmée par Arrêt de Malines de* 1644.

Cette procedure se termina par un accomodement, sçavoir que le dit Verviano permuteroit en Cour de Rome l'Ecolatrerie de la dite Eglise, qu'il avoit toujours retenu jusqu'alors, avec le droit que pretendoit Jean de Lannoy *à la dite Tresorerie, ce qui fut executé en* 1645. *moiennant quoi le dit* Verviano *prit possession de la Tresorerie & Jean* de Lannoy *de l'Ecolatrerie.*

Le Sieur Corroyer *propose cet exemple, comme un acte favorable à la Cour de Rome, & le Sieur* Maguire *soutient au contraire, que ces jugemens de recreance n'ont eté rendus, que sur une possession triennale, & que la permutation ensuivie a laissé les choses en suspens, & dans l'etat qu'elles etoient avant cet acte.*

Depuis lors jusqu'en 1709. *cette dignité n'a vacqué dans aucun mois reservé, sinon le* 16. *d'Avril de la dite année, que Philippe-Joseph* de Lannoy *etant mort le Chapitre y a elu aussitôt le Sieur Philippe-Antoine* de la Haye, *qui après la confirmation du Prevôt a été mis en possession.*

Le Pape en a pourvu le Sieur Nicolas Parent, *à titre de reserve de mois, lequel conteste actuellement cette dignité au dit Sieur* de la Haye.

A l'egard de l'Ecolatrerie le Sieur Maguire *fait voir, que le seul acte, que l'on trouve depuis* 1421. *qui commence le premier Regitre, jusqu'en* 1470. *est une election du Chapitre après la mort de Gerard* de Pacy *en Juillet* 1455. *suivie de la confirmation du Prevôt & de la paisible possession & jouissance de cet Elu.*

Le Sieur Corroyer *oppose à cet exemple celui de Pierre* Bogard, *pourvû par grace expectative de l'Ecolatrerie & de la Prebende vacante le* 5. *d'Aoust* 1472. *& sa reception par le Chapitre sans opposition* sui-

(*) Ou au Lac.

suivie de jouissance paisible.

Le Sieur Maguire *repond à cet exemple, comme à celui ci dessus de Jean* du Lac *à la Tresorerie, qui est de l'année* 1471.

Depuis cet an l'Ecolatrerie a passé de resignation en resignation jusqu'à Robert Gilleson, *qui etant mort le* 2. *de Juillet* 1524. *le Chapitre y a elu George* Taispil, *qui aiant obtenu la confirmation du Prevôt en a eté mis en possession, & en a joui paisiblement par la renonciation, que Thomas* Fabri *pourvû en Cour de Rome à titre de reserve en fit publiquement.*

La dignité passa par sa permutation à George Immelot *son neveu, qui etant mort en Mai* 1588. *le Pape en a pourvû Jean* le Duc *qui a été reçu par le Chapitre sans aucune contestation.*

Jean le Duc *etant mort en Juillet* 1616. *le Pape pourvut de la dignité vacante Bertrand* Verniano, *qui y fut reçu, de même que son predecesseur, en* 1617. *& par sa permutation avec Jean* de Lannoy *en* 1645. *& par la mort de celui-ci en Fevrier* 1666. *Paul Philippe* l'Hermite *en vertu de provision de Rome, & par sa promotion à la Chantrerie de la dite Eglise en* 1675. *Vincent* Vermeulen *en vertu d'une autre provision de Rome.*

Le dit Vermeulen *etant mort en Janvier* 1698. *le Chapitre y a elu le Sieur* Maguire, *& par son election au Doyenné & ensuite de sa demission de la dite Ecolatrerie le Sieur* Breekevelt *elu par le Chapitre en est demeuré possesseur paisible, le pourvû de Rome ne l'aiant attaqué.*

Le Sieur Corroyer *se prevaut de toutes les receptions paisibles des pourvûs de Rome à la dite Ecolatrerie, sans que le Sieur* Maguire *ait autre chose à y opposer, que la negligence ou connivence des Chanoines, qui devoient sçavoir que cette dignité a été dotée par le Chapitre, qui dans l'acte de fondation s'en est retenu l'Election, & qui a eté confirmé par l'Evêque Diocesain & par le Pape.*

Voilà ce que l'on trouve dans les Regitres du Chapitre pour les autres dignités.

Ceci posé, il est question de sçavoir, Primo*: si le Pape peut prescrire le droit d'election du Chapitre au Doyenné, pour s'en attribuer la disposition dans les huit mois reservés.* Secundo*: au cas que ce droit d'election soit sujet à prescription, si par les actes allegués par le Sieur* Corroyer*, il y auroit un tems & un nombre d'actes suffisans & legitimes pour la dite prescription.*

Et enfin supposé, que la prescription seroit tout à fait introduite en faveur de la Cour de Rome, si le Chapitre ne doit point avoir recours au Souverain, comme protecteur de la liberté des Eglises, pour maintenir ou retablir celle de Lille dans son ancien droit d'election, conforme à l'usage general de toutes celles du Païs-bas.

A l'egard de la premiere question, le Chapitre pretend, que son droit d'election est un droit public, etabli dans toutes les Eglises du Païs-bas, sans en excepter aucune, ainsi qu'il l'a prouvé au procès, concernant le bien & la discipline de l'Eglise, qui seroit renversé s'il n'etoit pourvu aux dignités de cette maniere, puis qu'il arriveroit à un Chapitre d'etre obligé de recevoir pour Doyen une personne inconnue & nullement instruite des regles, coutumes & usages de son Eglise, & ne connoissant aucun des supposts, à la conduite des quels il doit veiller. D'ailleurs qu'il est stipulé par l'article..... du Traité de Madrid de 1526. *que les Eglises de Flandre & d'Artois jouiroient des mêmes privileges & libertés sous la Souveraineté de la Maison d'Autriche, qu'elles en avoient joüi sous celle de France; & comme ce Traité a été ratifié par l'Empereur Charles Quint & François I. Roi de France & depuis a été confirmé par le Pape Clement VII. & qu'avant ce Traité l'Eglise de Lille jouissoit de la liberté d'elire à toutes ses dignités en quelques mois qu'elles eussent vacqué, c'est une consequence necessaire, qu'il n'a pû etre rien innové dans la provision du Doyenné, & des autres dignités de l'Eglise de Lille au prejudice de ce Traité public; & qu'ainsi une prescription contraire à la liberté d'elire ne peut ici avoir lieu.*

Le Sieur Corroyer *repond à cette question en disant, que l'etat des Benefices peut changer de nature par plusieurs voies differentes, entre lesquelles est la prescription; & que, si par ce moien on peut changer la nature du Benefice, on pourra en changer à plus forte raison la maniere d'y pourvoir.*

A la

A la seconde question, le Chapitre soutient qu'il n'y a point eu des actes suffisans pour etablir une prescription dans la disposition de son Doyenné en faveur des reserves, parce qu'il n'y a point eu au moins trois actes paisibles & non contestés. Car supposant que les provisions de Van den Berghe *& de* Gifford *auroient été à titre de reserve, & que ces pourvûs, en vertu de ce même titre auroient joui paisiblement du Doyenné, la prescription a été interrompue dans le troisieme acte, lorsque Josse* de Lion *en a été pourvû à Rome; car le Chapitre lui a opposé successivement,* Paris *&* Pollet, *qui tous deux ont fait valoir son election; & quoi qu'ils aient perdu leur procès par sentence definitive à Gend, cependant il en a été appellé à Malines, & depuis transigé, sans prejudice au droit d'election; ainsi qu'il a encore été fait à la quatrieme fois, lorsque le Pape en a pourvû* Natalis, *qui a transigé avec le Chapitre après la mort consecutive de deux Elus, & faute d'en trouver d'autre qui voulut l'etre. Et si la sentence rendue à Gand a pu prejudicier aux Elus d'alors, l'erreur du Juge qui ne pouvoit donner un droit à titre de prescription, où elle n'etoit point etablie, n'a pû nuire à l'Eglise, & encore moins faire changer la maniere de disposer du Doyenné, sans un nouveau titre de prescription.*

Le Sieur Corroyer *soutient au contraire, qu'un Benefice pouvant changer de nature par deux ou trois actes ou plus, le Doyenné a du changer dans sa maniere d'y pourvoir par les deux actes paisibles de* Van den Berghe *& de* Gifford, *& par les sentences suivies de transaction au troisieme & quatrieme acte; d'autant plus que le Chapitre s'y est deporté de tout appel, & a consenti que les pourvûs de Rome jouiroient de la dignité, comme s'ils avoient obtenu un plein possessoire.*

A la troisieme question; le Chapitre croit, que son Eglise est mineure, que les Chanoines d'alors n'ont pû prejudicier à la liberté de son droit d'election observé dans toutes les Eglises du Païs bas, & en consequence qu'il est obligé d'avoir recours au Souverain pour le supplier de retablir la dite Eglise de Lille dans son ancien droit d'election, à l'exemple de ce qui a été accordé par l'Empereur Charles Quint en 1528. aux Eglises de Tournay, Tournesis & dependance; & en 1531. aux Eglises d'Artois, en les retablissent dans la liberté de conferer en tous mois, comme elles en avoient joui sous la Souveraineté de France, à l'exclusion de toute sorte de reserves, qui s'etoient deja introduites à la faveur du changement d'Etat.

De plus le droit d'election aux dignités est si favorable, que non obstant l'indult accordé par Sixte IV. Leon X. & les autres Papes à l'Université & Faculté des Arts de Louvain (à la requisition des Empereurs Maximilien & Charles) de nommer à trois benefices ou dignités de chaque Eglise des Païs-bas, sur la remonstrance des dites Eglises l'Empereur Charles Quint a exclu la dite Université ou Faculté des Arts de Louvain du droit de nommer aux dignités.

Henri IV. Roi de France en a fait de même en 1604. en faveur des Eglises de son royaume, quoique les dignités fussent declarées dans le Concordat de 1515. entre le Pape Leon X. *& le Roi François* I. *sujettes aux nominations des Gradués.*

Si non obstant deux actes aussi autentiques, les Eglises de France & des Païs-bas ont recouvré la liberté d'elire en tous mois à leurs dignites, celle de Lille dois esperer que son Souverain la retablira dans cette même liberté, non obstant quelques actes de la Cour de Rome introduits contre le droit commun & l'usage general des Eglises du Païs-bas.

RESOLUTIO.

Ex positione casus & deductione factorum nobis exhibitis, habetur, quod anno 1066, Balduinus Comes Flandriæ fundaverit Capitulum Insulense cum tribus in eo dignitatibus, scilicet *Præpositura*, *Cantoria* & *Thesauraria*. Præterea constat, anno 1090., erectam fuisse quartam dignitatem, nimirum *Decanatum*, idque, ut apparet ex Charta relata per Buzelinum Libro 2. *Gallo-Flandriæ* Cap. 14. per Præpositum & Capitulum.

Circa idem tempus constat, quod ad instantiam Capituli erecta fuerit quinta digni-

gnitas, nimirum *Scholasteria*, eam dotando & sibi reservando electionem quemadmodum reliquarum dignitatum.

Insuper habetur quod anno 1217. *Thesauroria*, *Decanatus* & *Cantoria* essent dignitates electivæ confirmativæ, sive quod earum electio spectaret ad Capitulum, & confirmatio ad Præpositum: nam ut in deductione refertur, oborta eo anno difficultate inter Præpositum & Capitulum super dispositione seu collatione Thesauroriæ per sententiam arbitralem, auctoritate Episcopi Tornacensis, nec non Summorum Pontificum Innocentii III. & Honorii III. probatam & formatam declaratum fuit: electionem competere Capitulo, confirmationem vero Præposito, sicut & cæterarum dignitatum in verbis: *vocabitur ut electioni intersit Præpositus* (scilicet ad electionem Thesauroriæ) *sicuti in aliis electionibus Decani & Cantoris fieri consuevit*.

Ex his manifestum est, quod tempore hujus decisionis notorium esset, electionem Decani & Cantoris *consuevisse* fieri per Capitulum, & confirmationem per Præpositum. Quod & habetur ex actis fundationis Scholasteriæ, in qua Capitulum sibi reservat ejusdem electionem sicuti cæterarum dignitatum: evidenter supponens aliarum dignitatum electionem sibi competere.

Ex quibus nequaquam obscurum est, prædictas dignitates, signanter Decanatum fuisse dignitatem electivam-confirmativam ex ipsa fundatione; quandoquidem nullibi dicatur, dignitates has, notanter Decanatum, factas fuisse electivas-confirmativas, sed simpliciter afferatur in sententia arbitrali de anno 1217. electionem Decani per Capitulum fieri consuevisse, & confirmationem a Præposito.

Unde nec in proposita factorum deductione quidquam ex parte provisi Apostolici refertur allegatum contra eam qualitatem & conditionem dignitatis Decanalis, quasi hæc dignitas non semper a sua origine fuisset electiva-confirmativa.

His præsuppositis consequens est, quod Capitulum non tantum habeat pro se intentionem fundatam in jure communi eligendi sibi Decanum; sed insuper quod hæc dignitas Decanalis ex sua fundatione & origine sit dignitas electiva-confirmativa, sive quod electio ex ipsa fundatione pertineat ad Capitulum, & confirmatio ad Præpositum.

Porro expeditum & notorium est, conditionum & qualitatum Beneficiorum, quæ in ipsa fundatione sunt expressæ, difficulter admodum, nec nisi ex arduis & publicis causis, præsertim his in partibus, derogationem admitti.

Insuper ex prædictis habetur dignitatem hanc Decanalem non comprehendi sub regula Cancellariæ de reservatione mensium; quandoquidem expeditum sit & notoria praxi comprobatum, dignitates notanter electivas-confirmativas hac regula non comprehendi, sive vigore hujus regulæ nequaquam censeri Sedi Apostolicæ in octo mensibus, quos Apostolicos dicimus, esse reservatas; tum quia dignitates nominatim in hac Regula non exprimuntur; tum quod Pontifex per suas reservationes non præsumatur velle immutare naturam & conditionem dignitatum signanter ex ipsa fundatione resultantem.

Si autem dignitates electivæ-confirmativæ comprehenderentur sub reservatione, harum dignitatum conditio immutaretur, quandoquidem dignitates reservatæ per Pontificem conferrentur per simplicem provisionem; atque ita ex dignitatibus electivis-confirmativis fierent dignitates simplicis provisionis & mere collativæ.

Igitur in casu proposito provisus Apostolicus non potest prætendere dignitatem Decanalem, vacantem in mense Apostolico, fuisse reservatam dispositioni Sedis Apostolicæ, vigore Regulæ Cancellariæ de reservatione mensium; quandoquidem hæc regula hanc & similes dignitates non comprehendat. Et sane nec ipse provisus Apostolicus titulum suum seu provisionem Apostolicam probat vel adstruit ex ipsa Regula Cancellariæ; quasi vigore hujus regulæ hæc dignitas ad provisionem Sedis Apostolicæ spectaret, sed contendit speciali præscriptione seu possessione hanc dignitatem Decanalem Sedi Apostolicæ in octo mensibus esse reservatam.

Quandoquidem autem non tantum jus commune, sed & ipsa fundatio, nec non conditio & qualitas ejusdem dignitatis electionem deferat Capitulo & obstet reservationi,

tioni, debet indubie possessio seu præscriptio, qua specialiter juri Capituli tot titulis innixo derogetur, esse admodum diuturna & actibus possessoriis pluribus iisque continuis asserta.

Constat imprimis ex proposita deductione, quod Capitulum per quinque circiter sæcula, idest usque ad annum 1567. manserit & continuaverit in pacifica possessione libere eligendi in omnibus mensibus suum Decanum, eumque sic electum a Præposito fuisse confirmatum.

Adducit quidem provisus Apostolicus Bullam sive indultum Pii II. de anno 1463. quo significatur Capitulum postulasse a Pontifice facultatem eligendi ad dignitates vacantes, etiam in mense Apostolico; eamque facultatem a Pontifice fuisse indultam, cum ea tamen clausula quod Electus teneretur confirmationem petere a Sede Apostolica.

Imprimis contendit provisus Capitularis illud indultum non posse dici fuisse postulatum a Capitulo, quantumvis id in ipso indulto asseratur. Quidquid sit de hac prætensione, illud sufficienter constare videtur ex factis in deductione enarratis, Capitulum & ante & post hoc indultum processisse ad liberam electionem suarum dignitatum, & notanter dignitatis Decanalis, non vigore hujus indulti, sed vigore juris sibi ex jure communi & fundationis competentis; quandoquidem nullibi legatur, quod Electus confirmationem suam postulaverit a Sede Apostolica, prout sub pœna nullitatis indultum præscribebat.

Ad hæc notandum quod hic Pontifex Pius II. omnia impenderit, ut reservationes etiam majorum dignitatum, abrogata Sanctione Pragmatica ex Decretis Concilii Basiliensis conflata, restituerentur: & quidem tantum effecit, ut Ludovicus XI. Galliarum Rex Litteras ediderit abrogatorias Sanctionis Pragmaticæ, de quibus videri possunt acta Concilii Mantuani de anno 1459. nec non Historia Sanctionis Pragmaticæ & Concordatorum, evulgata per Franciscum Pinsonium in Appendice Monumentorum ad Sanctionem Pragmaticam, editionis 1666.

Ut proinde mirum non esset, quod eo tempore Capitulum Insulense simile indultum saltem ad cautelam postulasset.

Sed cum dictæ Litteræ Ludovici XI. ob resistentiam Parlamentorum plenum non sortirentur effectum, & mortuo dicto Rege Sanctio Pragmatica rursus restitueretur (ut in citata Historia latius deducitur) mirum quoque non est quod Capitulum dicto indulto usum non legatur, sed in sua libera electione perrexerit.

Primus itaque actus possessionis ex parte provisi Apostolici reproductus occurrit in provisione Apostolica, impetrata vigore reservationis in mense Apostolico, per Judocum *Van de Berghe* anno 1567.

Circa hanc provisionem Apostolicam notatur, eam non habuisse effectum & executionem propter indultarium Regium, qui in vim indulti Apostolici a Rege Catholico impetrati dignitatem Decanalem contra dictum *Van den Berghe* obtinuit, & vita durante possedit.

Mortuo autem indultario petiit dictus *Van den Berghe* se subrogari in omne jus præmortui indultarii, Bullamque subrogatoriam impetravit, qua mediante possessionem dignitatis Decanalis obtinuit; non tamen omnino pacificam, nisi post mortem Ludovici *Poutrain* provisi Capitularis, contra quem dictus *Van den Berghe* obtinuerat sententiam Recredentiæ in Gubernantia Insulensi.

Cumque mortuo dicto *Poutrain*, Capitulum nullum in ejus locum eligeret, obtinuit dictus *Van den Berghe* plenum possessorium in dicta Gubernantia, vi cujus mansit pacificus vita sua durante.

Verum quandoquidem dictus *Van den Berghe* non obtinuerit possessionem Decanatus, nec dictam sententiam in Gubernantia Insulensi nisi post impetratam secundam provisionem, quæ principaliter innitebatur titulo subrogationis, non potest hinc efficaciter concludi, num possessio vel sententiæ illæ fundatæ fuerint in jure subrogationis, an in jure reservationis; & consequenter hinc elici non potest actus indubitatus possessionis vel præscriptionis juris providendi in mensibus reservatis.

Secundus actus possessionis ex parte provisi Apostolici adductus occurrit in provisione Decanatus, obtenta per Guillelmum *Giffort* vigore reservationis in mensibus Apostolicis.

Huic actui nihil in deductione factorum ex

ex parte provisi Capitularis oppositum legitur, nisi quod hæc provisio facta censeretur jure devolutionis; sed cum in ipsa provisione nulla huius tituli mentio occurrat, sed solius reservationis, non apparet quod actus hic eo titulo impugnari queat.

Quapropter hic actus pro actu possessionis pacifico juris reservationis admittendus apparet, nisi quod non sine omni fundamento argui posset hæc provisio subreptitie obtenta.

Cum enim dicatur obtenta vigore reservationis mensium, dubitari potest, num qualitas dignitatis electivæ-confirmativæ sufficienter fuerit expressa, præsertim tanquam resultans ex ipsa fundatione. Uti enim supra notatum est, Regula Cancellariæ de reservatione mensium, non comprehendit similes dignitates, neque Pontifex præsumitur velle derogare conditionibus beneficiorum in fundatione expressis.

Itaque si qualitas illa rite fuisset expressa, præsumendum est, quod Pontifex provisionem illius, dignitatis Decanalis, titulo reservationis mensium non concessisset.

Præsumendum quoque est, quod si qualitas illa fuisset sincere & veraciter expressa, Placetum Regium non fuisset quoque impetratum, eo quod hisce in partibus non soleat facile admitti provisio Romana derogans legibus fundationis.

Hæc reflexio de vitio subreptionis applicari similiter potest subsequentibus provisionibus Apostolicis, quæ similiter fundantur super reservatione mensium inducta per Regulam IX. Cancellariæ.

Sed circa has subsequentes provisiones & illud occurrit, quod nullus provisus in vim earum provisionum pacificam possessionem ab initio habuerit, sed quod Capitulum jus liberæ electionis, etiam in mensibus reservatis prætendens, alium elegerit qui contra provisum Apostolicum judicio contendit, neque provisus Apostolicus absolute pacificus fuisse legitur, nisi titulo transactionis cum adversario sive proviso Capitulari; & quidem inserta hac aut simili clausula *salvo jure Capituli*, vel quod amplius est, *facta proventuum partitione*.

Itaque possessio ex parte provisi Apostolici adducta, & unico pene actui pacifico, & de subreptione multum suspecto, innixa nullatenus sufficiens judicari potest ad infirmandum jus Capituli libere eligendi in omnibus mensibus suum Decanum, non solum fundatum in jure communi, sed in ipsa fundatione, & pacifica possessione per quinque circiter sæcula sine intermissione continuata firmatum, nec non in omnibus Belgicis Ecclesiis hactenus inviolabiliter, non obstante receptione Regulæ Cancellariæ de reservatione mensium, conservatum. Responsum Lovanii hac 10. Februarii 1711.

H. F. *Herthals*, J. U. D. & SS. Can. Prof. Ord.
Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof.
L. *Hacquius*, J. D. U. & Prof. Ordinarius.
J. A. *Brenart*, J. U. D. & Prof. Primarius.
J. H. *Van den Gœdenhuise*, J. U. D. & Prof. Ord.
H. *de la Hamaide*, J. U. D. & Antecessor Primar.

De mandato D. Dominorum meorum.

P. de *Vaddere*, Facultatum J. U. Secretarius Bedellus & Notarius 1711.

RESOLUTIO ADDITIONALIS.

Super controversia de dignitate Decanali in Ecclesia Collegiata S. Petri in Civitate Insulensi, inter Electum a Capitulo ad hanc dignitatem, & provisum Apostolicum de eadem dignitate, ad resolutionem Doctorum Juris utriusque Universitatis Lovaniensis, super eadem controversia, datam die 10. Februarii 1711.

Infrascripti Consulti super difficultate & quæstione exorta super Decanatu Ecclesiæ S. Petri in Civitate Insulensi, inter provisum Apostolicum & & Electum a Capitulo ad eamdem dignitatem Decanalem, ex iis quæ ipsis erant proposita, responderunt cum aliis Doctoribus Juris hujus Universitatis Lovaniensis die 10. Februarii 1711. pro Electo a Capitulo, eo quod constaret ex casus deductione.

Primo dignitatem Decanalem istius Ecclesiæ ex sua fundatione ad instar trium aliarum dignitatum ejusdem Ecclesiæ, scilicet Cantoriæ, Scholasteriæ & Thesauroriæ,

roriæ, esse dignitatem electivam-confirmativam.

Ulterius quod notorium esset, dignitates electivas-confirmativas non comprehendi sub Regula de reservatione mensium, eoque titulo esse & semper fuisse similes dignitates in omnibus Ecclesiis tam Cathedralibus quam Collegiatis, tum in Flandria, tum in Brabantia, exemptas & liberas ab hac reservatione, tametsi quoad reliqua Beneficia ad collationem sive electionem Capitulorum spectantia, hæc mensium reservatio jam pridem obtinuerit & etiamnum obtineat.

Præterea observatum fuit, in ipsa Ecclesia Collegiata Insulensi per quinque circiter sæcula, ideft, usque ad annum circiter 1567. de hac dignitate Decanali fuisse provisum per electionem Capituli & confirmationem Præpositi, conformiter ad ipsam fundationem, tametsi ut minus centum annis ante illum annum, Regula de reservatione mensium hic in Belgio esset recepta.

Cum igitur constaret hanc dignitatem Decanalem ex unanimi Doctorum sententia & notoria praxi omnium Ecclesiarum comprobata, utpote ex fundatione electivam-confirmativam non comprehendi sub regula de reservatione mensium, & consequenter vi hujus regulæ non spectare ad provisionem Sedis Apostolicæ, etiam in mensibus reservatis, sed liberam electionem manere penes Capitulum, eamque Capitulo salvam mansisse, usque ad prædictum annum 1567. examinandum duntaxat credebant, utrum saltem titulo possessionis seu præscriptionis, ad Sedem Apostolicam provisio hujus & aliarum dignitatum in prædicta Ecclesia devoluta sat probaretur, visumque fuit consultis Doctoribus ea quæ dicebantur allegari ex parte provisi Apostolici ad fundandam hanc possessionem seu præscriptionem non esse sufficientia ut contra fundationem & jus commune, nec non generalem Belgii praxim in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis hactenus observatam & retentam, hujus Decanalis dignitatis electivæ-confirmativæ provisio titulo possessionis seu præscriptionis à Capitulo censeretur translata ad Sedem Apostolicam in mensibus reservatis; præsertim quod ad intervertendam possessionem Capituli per quinque circiter sæcula continuatam, & tot titulis legitimis innixam deberent imprimis plene probari continuati per tempus ad præscriptionem requisitum, & indubitati actus quasi possessionis, quales non apparebant actus quasi possessionis, si unum alterumve exceperis, per provisum Apostolicum producti.

Primus enim actus quasi possessionis, qui ex parte provisi Apostolici productus dicebatur, erat provisio quam anno 1567. obtinuit Judocus *Van den Berghe* vigore reservationis mensium.

Verum circa hunc actum quasi possessionis adverterunt Doctores Consulti quod dicto *Van den Berghe* mota fuerit controversia per Electum a Capitulo, ac insuper per indultarium Regium, quodque dictus *Van den Berghe* possessionem Decanatus non obtinuerit in vim suæ provisionis Apostolicæ, nisi post mortem indultarii Regii, idque postquam impetrasset secundam provisionem Romanam, vigore cujus subrogabatur in jus & possessionem indultarii, qui lite pendente defunctus erat.

Hinc ulterius conclusere Doctores Consulti hunc actum non posse dici actum indubitatum quasi possessionis ex parte Sedis Apostolicæ providendi in mensibus reservatis, quandoquidem non constet dictum Judocum *Van den Berghe* accepisse possessionem Decanatus, & in eo manutentum vigore primæ provisionis fundatæ in reservatione mensium, an vero in vim posterioris provisionis sive subrogationis in locum defuncti indultarii.

Verum quidem est, tempore factæ subrogationis indultarium jam fuisse defunctum, & consequenter jus ejus extinctum; sed & hoc scitur quod in vim regulæ de subrogandis collitigantibus, Pontifex dicatur etiam posse subrogare in jus & possessionem collitigantis defuncti, uti post alios notat *Melchior Pastor* de Benef. Ecclesiast. Lib. 2. titulo 11.; ubi asserit, id quidem per Ordinarium fieri non posse, eo quod sit contra jus commune, sed bene per Legatos & Vice-Legatos, si id in mandatis habeant, adeoque multo magis per ipsum Pontificem.

Et quandoquidem usque ad illud tempus Capitulum fuisset in pacifica quasi possessione eligendi Decanum etiam in mensibus reser-

reservatis, nec ullus actus provisionis Apostolicæ ante illud tempus, saltem qui effectum habuerit, ostendatur, vix credi potest, quod provisus in vim suæ prioris provisionis obtinuisset recredentiam, sed admodum verisimile quod eam obtinuerit vigore subrogationis in locum indultarii, atque in vim illius manserit in possessione Decanatus, quodque timuerit Capitulum alium a se electum ipsi opponere, quia verebatur ne subrogatus in jus indultarii non minus quam ipse indultarius manuteneretur; neque Capitulo tunc visum fuit disputare num simile jus subrogandi Pontifici competeret.

Quidquid sit, hic actus nullatenus pro indubitato & certo actu possessionis providendi in vim reservationis mensium reputati posse videtur.

Ex illis quæ in deductione casus Consultis Doctoribus erant exposita, visum est ipsis ex omnibus actibus quibus quasi possessionem ex parte Sedis Apostolicæ stabilire nitebatur provisus Apostolicus, nullum fuisse (nisi unum excéperis) pacificum, sed ipsum Capitulum semper prætendisse jus sibi esse etiam in mensibus reservatis eligendi sibi suum Decanum, atque vigore hujus juris etiam ad electionem processisse, non obstante provisione Apostolica, ac Electum a Capitulo & provisum Apostolicum super hoc jure judicio contendisse.

Verum quidem est, ex ipsa deductione casus apparuisse, provisum Apostolicum tandem quodammodo triumphasse; eo quod ultimate ipse in possessione Decanatus contra Electum Capituli permanserit.

At & illud ex ipsa deductione casus patuit provisum Apostolicum tandem, non nisi vigore transactionis inter ipsum & Electum a Capitulo, pacificam possessionem adeptum fuisse.

Porro cum notorium sit transactionem inter partes non iniri nisi super re dubia, censuerunt Consulti Doctores similes actus, super quibus in judicio fuit controversia, & tandem non nisi transactione inter partes controversia sopita fuit, non posse dici actus possessionis pacificos & sufficientes ad inducendam possessionem pro parte Sedis Apostolicæ providendi in mensibus reservatis, contra longissimam Capituli possessionem, juri communi innixam, & ex ipsa fundatione profluentem.

Cum enim ipsa transactio super controversia inter partes inita nihil de jure ipso definiat, sed ipsum jus ut dubium relinquat, & duntaxat pars una ob particulares rationes, ob quas ulterius judicio contendere non cupit, a lite decedat, evidens Consultis Doctoribus apparuit, ex hujusmodi actibus controversis, transactione tandem inter partes sopitis, non posse educi actus quasi possessionis providendi in mensibus reservatis.

Unde & *Vallensis* in suo Tractatu *de Beneficiis* Lib. I. Tit. 13. num. 7. examinans quæ requirantur ad actum, vi cujus quis possit dici esse quasi in possessione juris conferendi & præstandi, tamquam indubitatum asserit, quod actus provisionis vi cujus prætenditur quasi possessio providendi, debeat fuisse sortitus suum effectum; quodque dici non possit habuisse effectum in ordine ad acquirendam quasi possessionem, etiam secuta institutione & possessione, si provisus in ea permanserit *ex causa concordiæ subsecutæ inter ipsum & adversarium*.

Non ignorarunt quidem Consulti Doctores, in jure vulgatum esse, transactionem habere vim rei judicatæ; sed & illud noverant, transactionem inter partes initam non nisi quoad ipsas partes, & in casu particulari controversiæ finem imponere, neque per transactionem inter partes fieri decisionem super ipso jure, sed jure ipso in dubio relicto ipsæ partes super re controversa a lite recedunt & controversiam componunt: idque, ut fieri solet, compensatis expensis; & subinde aliqua facta compositione super fructibus perceptis aut percipiendis, pro ut materia transactionis & causæ status permittunt aut exigunt.

Ad hæc reflexerunt Consulti Doctores quod & in ipsa transactione, qua mediante provisus Apostolicus mansit in possessione Decanatus, expressa fuerit clausula *salvo jure Capituli*, quæ idem sonat ac diceretur, *sine præjudicio juris Capituli*; quæ clausula etiam per provisum Apostolicum admissa, manifeste declarat, quod nec Capitulum nec a Capitulo electus jus Sedis Apostolicæ pro indubitato agnosceret, sed e con-

contrario per hanc clausulam ostenderet, quod non obstante hac transactione intenderet jus suum prosequi & tueri; & ipse quoque provisus Apostolicus eam clausulam admittendo luculenter ostendit se velle jus Capituli integrum manere.

Quapropter *Vallensis* loco citato num. 3. agens de actu, quo mediante quis in quasi possessione juris providendi constituitur, requirit ut actus factus sit absque clausula: *sine prajudicio juris alterius*. Si enim hanc clausulam insertam habuerit similis actus, teste Vallensi, non sufficit, ut vi illius constituatur quis in quasi possessione providendi.

Adverterunt insuper Consulti Doctores, quod in hac controversia fuerit semper quæstio inter provisum a Sede Apostolica & Electum a Capitulo, & per consequens quod provisus Apostolicus haberet sibi faventem Curiam Romanam; quæ semper admodum sollicita pro amplificandis juribus Sedis Apostolicæ, etiam non intermiserit, pro hoc jure inducendo, impendere solita media, nimirum comminationem censurarum & pœnarum contra obsistentes, uti etiam ex actis litis sat patere asseritur; ac per consequens actus possessionis, si qui ex parte provisi Apostolici allegari possent, non tam essent dicendi actus liberi, quam violenti, & per metum incurrendarum censurarum & indignationis Sedis Apostolicæ quodammodo extorti: præsertim si attendatur circumstantia temporis, quo actus provisionis, ac notanter Judoci *Van den Berghe* contigerunt; nimirum quod eo tempore, ob exortam hæresim Calvini & Lutheri, mox pro hæreticis, vel de hæresi suspectis proclamarentur, qui vel in speciem videbantur auctoritatem Sedis Apostolicæ aut censuras ejus contemnere, prætensive juribus obsistere.

Preterea quandoquidem ex vi regulæ Cancellariæ de mensibus reservatis, Sedes Apostolica provideret de Canonicatibus in octo mensibus, natum erat fieri, ut Capitulum ut minus, constaret duabus partibus Canonicorum, qui suam a Sede Apostolica provisionem habuerant.

Hi igitur majorem partem Capituli constituentes facile in gratiam Sedis Apostolicæ, a qua suam obtinuerant provisionem, provisos de dignitatibus suæ Ecclesiæ in vim reservationis mensium admittebant, aut saltem aperte resistere nolebant, ne benefactores suos palam offenderent; ut mirum proinde videri non debeat, si Capitulum remissius in suo jure tuendo subinde processerit, & provisum Apostolicum in sua possessione facilius quam forte oportebat demiserit.

Si proinde hi actus cum omnibus suis circumstantiis attendantur, non apparet quod ullatenus possint judicari sufficientes, ut contra fundationem adeo diuturna possessione firmatam, provisio dignitatis Decanalis translata censeatur ad Curiam Romanam: imo quod amplius est ipsa dignitas, quæ ex fundatione erat electiva-confirmativa, per similes actus facta esset dignitas simplicis provisionis.

Refert Renatus *Choppinus* de *sacra politia* Lib. I. tit. 1. Statutum Capituli Claromontani, quo edicebatur Canonicatus ejusdem Capituli in posterum per Capitulum conferendos, ad præsentationem seu nominationem singularis Canonici, qui tempore vacationis esset in turno, ab eo tamquam ab abusu appellante Procuratore Regio, per Senatum Parisiensem declaratum fuisse bene appellatum, ipsumque Statutum tamquam abusivum cassatum; eo quod Capitulum sua auctoritate non potuisset immutare formam provisionis, quæ ab antiquo est, & ex ipsa fundatione fieri solita fuerat Capitulariter sive per electionem Capitularem.

Si proinde Statutum Capituli Claromontani reputatum fuerit abusivum eo solo titulo, quod electionem Capitularem transtulerit contra primævam institutionem & antiquam consuetudinem in Turnarium, & id quidem ad evitanda dissidia, quæ in electionibus frequenter occurrunt: quanto magis improbanda & abusiva reputanda est Capituli Insulensis conniventia aut negligentia, qua contra fundationem & inveteratam consuetudinem Decanatus sui provisionem ad Curiam Romanam transire permisisset; idque mutando ipsam dignitatem electivam-confirmativam in dignitatem simplicis provisionis.

Reflexerunt quoque Consulti Doctores ex parte quidem provisi Apostolici adduci quasdam

dam sententias in favorem provisorum Apostolicorum in Regiis Auditoriis prolatas; sed & illud observarunt sententias has vel duntaxat fuisse recredentiales seu provisionales; vel saltem, si quæ super pleno possessorio prolata sit, eam non nisi a Senatu Regio subalterno processisse, atque ab ea ad Regium Parlamentum appellatum, nec ab hoc Regio Parlamento Arrestum sententiam hanc confirmans unquam processisse; ut proinde nec in hoc particulari casu causa inter partes controversa plenarie & ultimate dici possit decisa.

Præterea noverant Consulti Doctores ordinarie res inter partes etiam in supremo Principis Senatu judicatas jus generale non facere, juxta illud vulgatum: *Non exemplis sed legibus judicandum*; nihilque notius esse quam illud, quod in uno casu hisce illisve Judicibus visum fuit, aliis in eodem Tribunali aliter videri; sicuti enim Doctorum super quæstionibus juris variæ sunt opiniones, ita & Judicum variæ solent esse super casibus occurrentibus decisiones.

Ad hæc exiguæ reputandæ sunt authoritatis Curiarum decisiones super casibus particularibus, variis circumstantiis & multiplicibus factis implexis, ut ex iis casuum occurrentium decisio peti possit. Quandoquidem vel una minima circumstantia aut factum aliquod particulare interveniens casum mutare queat, & ineptam efficeret applicationem decisionum, quæ super similibus casibus, sed per circumstantiam a casu proposito tamen diversis, prolatæ reperiuntur.

Quamdiu igitur non ostenditur, quod sententiæ per provisum Apostolicum adductæ prolatæ fuerint super casibus in omnibus circumstantiis & factis cum præsenti casu consonantibus, nihil pro decisione hujus casus valere possunt adductæ decisiones.

Ulterius decisiones per provisum Apostolicum adductæ huic casui applicari nequeunt, nisi demonstretur, in his causis agitatum fuisse, utrum Regula de reservatione mensium comprehendat dignitates electivas-confirmativas; aut saltem utrum hæc reservatio contra communem praxim omnium Ecclesiarum Flandriæ ad eas dignitates se extenderet in Ecclesia Collegiata Insulensi, & tandem super hac quæstione decisiones prædictæ prodiissent sine respectu ad aliquas circumstantias, aut facta in hisce causis occurrentia.

Porro verisimile non est hanc quæstionem in generali hic fuisse agitatam aut decisam, quandoquidem enim hæc quæstio spectaret inveteratas & receptas Ecclesiarum consuetudines, nihil super ea decidi oportuisset sine interventu Officii Fiscalis, cujus est invigilare & attendere super privilegiis & inveteratis consuetudinibus Ecclesiarum, & ne contra publica commoda reservationes Curiæ Romanæ extendantur, & beneficiorum ac notanter dignitatum fundationes invertantur.

Cum igitur in causis, quarum decisiones proferuntur, non legatur intervenisse Officium Fiscale, exigui momenti & ponderis esse debent ad extendendam reservationem Regulæ Cancellariæ contra communem omnium Ecclesiarum Flandriæ praxim, nec non ipsarum dignitatum fundationem evertendam.

Etiam & hoc scitur Decisionibus Curiarum illud commune esse cum conclusionibus aliorum Corporum & Communitatum, quod in iis non ponderentur sed numerentur suffragia; atque inde contingere, quod nonnunquam minus instructi & periti instructiores & peritiores in suffragiis superent.

Insuper & illud scitur, Judices Regios frequenter parum se applicasse, dum in Scholis versarentur, studio Juris Ecclesiastici, sed pene totos incumbere studio Juris Civilis, eo quod hujus peritiam magis sibi usui futuram autument.

Hinc & non raro contingit, quod pene non nisi notitiam aliquam habeant Decretalium, quæ in Scholis passim præleguntur, in quibus plenaria & absoluta Beneficiorum provisio Sedi Apostolicæ non obscure asseritur; ut proinde mirum non sit, quod Judices non nisi harum Decretalium notitia instructi provisis Apostolicis amplius, quam oporteret faviffent, & reservationes ultra justos limites & receptas consuetudines extendissent; nec sat attendissent quod similes reservationes usum habere non possint nisi in quantum Principis Placito, vel inveterato populi & Ecclesiarum usu probatæ sunt & receptæ.

No-

Notarunt quoque Consulti Doctores, quod in casu præsenti non agatur de quasi possessione seu præscriptione temporis immemorialis, sive de cujus initio non constat; quandoquidem ex deductione casus nequaquam obscurum sit, huic prætensæ quasi possessioni ex parte provisi Apostolici initium dedisse provisionem Sedis Apostolicæ in favorem Judoci *Van den Berghe* anno 1567.

Præterea ex ipsa casus deductione manifestum est, hanc prætensam quasi possessionem pro titulo habuisse reservationem vigore Regulæ Cancellariæ de octo mensibus.

Omnes enim hactenus provisi a Sede Apostolica de dignitate Decanali, unice se in hac reservatione fundarunt.

Cum autem certum sit, ut in præcedentibus fuit notatum, Regulam non comprehendere dignitates electivas-confirmativas, neque quoad similes dignitates hanc Regulam etiam unquam fuisse in Belgio receptam, consequens est initium hujus quasi possessionis simili titulo innixum manifeste esse vitiosum, & inefficax ad complendam præscriptionem.

Ut enim post alios Interpretes recte notavit Didacus *Covarruvias*, ad Capitulum *Possessor*, parte 2. §. 3. num. 8. *Si allegetur possessio immemorialis, & contra eam probetur certum quasi possessionis initium, idque vitiosum, ultra centum annos a die motæ litis, exclusa est præscriptionis immemorabilis vis.*

Id vero in casu præsenti vel eo magis obtinere debet, eo quod agatur de vitio tituli, quod ne quidem per consensum Capituli, etiam undequaque liberum nullisque circumstanciis vitiatum, purgari potuit.

Neque enim Capitulum sua auctoritate potest admittere novas reservationes Curiæ Romanæ, aut jam publica auctoritate, vel saltem tacito Principis & populi consensu admissas extendere; eo quod per similem reservationem, admissionem, vel extensionem contingeret, nominationem personarum ad dignitates ad exteras potestates deferri, quod non raro in publica commoda tum Reipublicæ tum Ecclesiæ impingeret: atque idcirco hisce in partibus ac notanter in Belgio jam pridem receptum fuit ejusmodi reservationes citra Principis consensum nec admitti nec extendi.

Hoc ex capite in Belgio ac notanter in Flandria, plurimæ reservationes etiam contentæ in Regulis Cancellariæ usum non habent, & provisi in vim earum rejecti fuere: atque inter alias reservatio beneficiorum ad liberam collationem Episcoporum spectantium, vacantium durante vacatione Sedis Episcopalis, facta per Pium V. & quæ hodie partem constituit regulæ secundæ Cancellariæ, ob defectum *Placiti Regii* seu admissionis Regiæ effectum hactenus non habuit.

Unde cum quidam *Dinoix* impetrasset a Pontifice, vigore hujus Regulæ, duas Capellanias, unam in Ecclesia B. Mariæ, & alteram in Ecclesia S. Walburgis in Civitate Brugensi, spectantes ad liberam collationem Episcopi Brugensis, quæ vacaverunt Sede vacante, isque peteret Placitum a Consilio Privato, fundando se in Regula Cancellariæ hac Piana appendice aucta; Consilium Privatum petiit advisamentum a Vicariatu Brugensi, qui respondit, in novis Episcopatibus Belgicis, fructus perceptos tempore vacationis reservari futuro Episcopo; cumque collatio Beneficiorum computetur inter fructus, eam quoque reservandam esse: & ita observari Atrebati, ubi jus Regaliæ locum non habet, Tornaci autem, ob jus Regaliæ, Regem ibidem conferre, nec Pontificem ullatenus se immiscere; regulam autem Cancellariæ cum hoc additamento hic nunquam fuisse receptam aut placetatam.

Conformiter ad hoc advisamentum Placetum negatum fuit per Apostillam 20. Novembris 1641. Uti & in simili casu negatum fuit in eodem Consilio 4. Maii 1642. Carolo *Mesurnir*, qui impetraverat a Pontifice Præbendam Furnensem, quæ vacaverat Sede Episcopali Iprensi vacante.

Ex his quoque habetur, Flandriam quoad similes reservationes reputandam esse non pro Patria obedientiæ sed pro Patria consuetudinaria, quæ in similibus regitur moribus & consuetudine; nec alias reservationes & Regulas Romanas agnoscit, quam Principis placito admissas, aut inveterata consuetudine receptas.

Quod de Belgio generaliter notavit Franciscus

ciscus *Zypaus*, in Analysi Juris Canonici, titulo *de Constitutionibus*, num. 11. scribens: *Ditiones hæ Belgicæ consuetudinariæ sunt, ac mores primo loco eis jus sint, & deinde Principum Edicta, ac iis deficientibus jus scriptum*; quod & specialiter de Flandria scribit *Jacobus Marchantius*, in descriptione Flandriæ Lib. I. titulo de Legibus. Ita Responsum Lovanii hac 3. Novembris 1711.

Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof. J. A. *Brenart*, J. U. D. & Prof. SS. Canonum Primarius.

Attente perlegi & examinavi hanc additionalem Resolutionem, eidemque subscripsi hac 30. Martii 1712. D. *Snellaerts*, J. U. L. Chathedr. Antverpiensis Canon. Grad.

XVII.

JURIS RESPONSUM ESPENII,

Ab A. *Bauwens* subscriptum. De juribus *Pastoris Primitivi*.

In causa Pastoris & Magistratus oppidi Hallensis, contra Rectorem Collegii Societatis Jesu ejusdem urbis, hujus Pastoratus Patronum; in supremo Hannoniæ Consilio agitata.

[*Nunc primo editum*.]

CASUS POSITIO.

ALexander VII. Papa, per Bullam de anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono Kal. Octob. mandavit Officiali D. Archiepiscopi Cameracensis, quatenus, vocatis qui fuerant evocandi, Ecclesiam Parochialem oppidi Hallensis, Personatui Ecclesiæ dictæ Parochialis & Collegio Patrum Societatis Jesu in dicto oppido Hallensi erecto, authoritate Apostolica perpetuo uniret & annecteret, salvis tamen in omnibus, & per omnia remanentibus juribus D. Archiepiscopi Cameracensis & Archidiaconi ac Decani Christianitatis districtus Hallensis pro tempore existentium; ita quod liceat pro tempore existenti dicti Collegii Rectori, per se vel alium seu alios, corporalem possessionem dictæ Ecclesiæ, aut annexorum juriumque & pertinentiarum suarum quarumcumque, propria authoritate apprehendere, apprehensam perpetuo retinere; curam Parochianorum dictæ Ecclesiæ Parochialis, ac cætera munera Pastoralia per unum Presbyterum sæcularem Theologum, & alias bene qualificatum, per Rectorem prædicti Collegii eligendum, & Ordinario loci præsentandum atque ab eodem Ordinario examinandum, & tamquam idoneum, antequam officium Vicarii dictæ Ecclesiæ recipere possit, approbandum & admittendum: non tamen *ad nutum* dicti Collegii Rectoris, nec ex quacumque causa, sed tantum ex causa gravi & quæ privationem mereatur, non solum judicio dicti Rectoris, sed etiam Provincialis & Consultorum dicti Collegii pro tempore existentium amovibilem exercere, & administrare tantum debeat; qui de cætero quoad administrationem curæ animarum, Sacramentorumque, & aliorum munium Pastoralium dicto Ordinario subjectus existat, prout antea fuerunt Rectores proprietarii dictæ Ecclesiæ, & sunt similes Vicarii aliarum Parochialium Ecclesiarum; in casu tamen infirmitatis, seu legitimi impedimenti Vicarii, sicut præfertur, deputandi, præfati Collegii Rector curam animarum & munia Pastoralia præfata, durante infirmitate, seu legitimo impedimento hujusmodi, per se ipsum exercere seu per alium ad id ab eo deputandum Presbyterum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia regularem ad id idoneum exer-

ceri.

ceri facere libere & licite possit. Vicario vero, ut præfertur, deputando, remaneant usus domus Rectorialis, cæteraque alia dictæ Ecclesiæ fructus & emolumenta, illaque omnia percipere, levare, ac in suos usus & utilitatem convertere libere & licite possit & valeat: illis tamen exceptis, quæ Personatui & Pastoratui sunt communia, quæ inter Rectorem dicti Collegii & Vicarium, ut præfertur, deputandum, hujusmodi erunt dividenda. Hac insuper restrictione adjecta, quod propter unionem & annexionem præfatas dicta Ecclesia Parochialis debitis propterea non fraudetur obsequiis, & cura Parochianorum nullatenus negligatur; sed illius congrue supportentur onera consueta.

QUÆRITUR.

Quid juris Rectori & Collegio Societatis Jesu, titulo unionis seu incorporationis de qua quæstio, competat, circa quæstiones sequentes, in supremo Hannoniæ Consilio institutas & agitatas.

Primo: si le Vicaire est amovible ou perpetuel?

2. *Si le Recteur peut amovoir le Vicaire pour autre sujet*, que pro causa Canonica jure expressa?

3. *Si le Recteur a droit de faire ou de se mêler de quelques offices de la Paroisse*, præsente Vicario?

4. *Si le Vicaire pour les fonctions Pastorales est soumis au Recteur, ou à son Ordinaire?*

5. *Ce que le Recteur peut faire* per se, *& ce qu'il peut & doit faire* per accidens?

6. *Si* præsente Vicario *le Recteur a droit de regir les Paroissiens?*

7. *Si le Vicaire n'a point la jurisdiction de l'Ordinaire* cum potestate delegandi?

8. *Si les Paroissiens doivent reconnoitre plus d'un Curé en une Paroisse, &c. s'ils sont soumis à autre qu'à celui qui leur administre les Sacraments?*

9. *Lequel a droit, ou le Recteur ou le Vicaire, de regler les Offices Pastoreaux?*

10. *Lequel a droit, ou le Recteur ou le Vicaire, de substituer un Souvicaire?*

11. *Si le Recteur*, vacante Pastoratu, *peut constituer un Deservitour de son authorité & sans le consentement de l'Ordinaire; ou s'il peut lors fare les offices Pastoreaux* per se, *ou par ses Peres, sans l'agreation du dit Ordinaire?*

12. *Si le Recteur*, præsente & nolente Vicario, *peut administrer les Prêtres habitués en la dite Eglise?*

13. *Si le Recteur peut introduire quelque chose dans la dite Eglise, qui soit contraire aux rubriques du Diocese, & de la Paroisse; & si les Echevins en ce cas ne sont fondés de maintenir les droits de leurs Paroisse?*

14. *Lequel est authorisé, ou le Recteur ou le Vicaire, de faire observer les rubriques du Diocese?*

15. *Si le Recteur peut deranger les offices de la Paroisse, pour faire les offices de la Societé?*

16. *Si le Recteur a droit d'avoir la clef de la place &c. des armoires, ou les ornemens de la Vierge & des Chapelles se conservent? laquelle clef n'a jamais été en la possession des Curés proprietaires; mais en mains & sous la seule direction du Magistrat?*

17. *Si le Sacristain, à l'égard du spirituel, doit être soumis au Recteur ou au Vicaire?*

18. *S'il appartient au Recteur, ou au Vicaire d'admonester le Sacristain de son devoir, pour cequi concerne la propreté & netteté des Autels, vases sacrés, ornements, linge & habits Sacerdotaux?*

19. *Quel doit être consulté, ou le Recteur ou le Vicaire, pour l'admission des Chapellains & autres Officians?*

20. *Quel, ou le Recteur, ou le Vicaire, est authorisé de corriger les Chapellains pour quelques defauts?*

21. *Si le Recteur a droit d'intervenir avec les Echevins en affaires mixtes, à l'exclusion du Vicaire?*

22. *Si le Vicaire doit reconnoitre le Recteur lors que l'Ordinaire ordonne des offices & prieres publiques, pour déterminer sur la façon, le tems, & les solennités?*

23. *Si le Vicaire doit reconnoitre le Recteur, pour avoir son consentement à l'égard de l'exécution de la solemnité des Fêtes, prieres & offices extraordinaires; & sur le*

tems

tems & heure en quelles l'Office Divin se doit raisonnablement faire?

24. *Quel a droit d'être reconnu, ou le Recteur ou le Vicaire, pour faire chanter des Messes solemnelles, votives; ou autres, que des particuliers souhaitent?*

25. *Si le Recteur, en sa qualité de Curé primitif, est authorisé de chanter les Messes solemnelles, & faire les autres offices de la Paroisse, es jours des principales Fêtes de l'année, à l'exclusion du Vicaire?*

26. *Quel droit le Recteur a dans l'interne de l'Eglise? & quel droit dans l'externe?*

27. *Si le Recteur, en qualité de Personne ou de Curé primitif, se peut separer du Clergé, & se placer entre l'*Eucharistie (*) *& les Echevins?*

28. *Lequel doit faire la fonction, ou le Recteur ou le Vicaire, lors qu'il s'agit de la reception de l'Archevêque & de le conduire à l'Eglise?*

29. *Si le Recteur peut retenir des offrandes, & en disposer sans le consentement des Magistrats, qui en sont les administrateurs?*

30. *Si le Recteur, en sa qualité de Personne & Curé primitif, n'est point obligé à la rédification du Chœur & à l'entretien & rédification de la maison Pastorale?*

RESPONDETUR.

Quandoquidem ex ipsa formula incorporationis potissimum statuendum sit, quo modo Ecclesia censeatur incorporata, quæque jura titulo incorporationis pertineant ad Monasterium seu Collegium, cui incorporatio facta est, censent infra scripti, totum jus Rectoris Collegii Societatis Jesu, quod in hac incorporatione fundatur, consistere in presentatione Vicarii sive Pastoris, ab Ordinario loci examinandi, approbandi, & ad curam animarum seu regimen dictæ Ecclesiæ Parochialis admittendi: quamquam, juxta hodiernum modum loquendi a recentioribus Canonistis passim usurpatum, non dicendus sit verus Patronus sed Pastor primitivus, tamquam qui ipsam Ecclesiam, titulo concessionis & incorporationis, quasi suam & propriam accepit. Quod ut apertius demonstretur prænotandum varios modos, quibus sensim Ecclesiæ Parochiales incorporari & subjici cœperunt Monasteriis & Collegiis Ecclesiasticis, signanter sæculo decimo & sequentibus: ex variis Juris Canonici testibus annotasse Canonistas, ac inter cæteros, post Glossographum ad Cap. *de Monachis* 12. *X. de Præbendis*, Panormitanum, in commentario ejusdem textus, qui ibidem notat num. 5. quod quinque modis possint Ecclesiæ sæculares spectare ad Religiosos.

Primo: quoad jus Patronatus dumtaxat; & hoc casu (ait) non possunt capere aliquid de reditibus, sed tantum consequuntur id quod consequitur quilibet laicus ratione juris Patronatus.

Secundo: spectare possunt quoad collationem, seu quoad institutionem tituli collativam.

Tertio: quoad institutionem authorisabilem, sic ut possent instituere Presbyterum, etiam quoad curam populi; sive, ut hodie loquimur, etiam dare curam animarum.

Quarto: spectare possunt quoad temporalia tantum; & talis concessio intelligitur, ut possit percipere reditus, & convertere in utilitatem propriam.

Quinto & ultimo: quoad temporalia & spiritualia. Hoc casu Ecclesia dicitur subjecta pleno jure; & in tali Ecclesia (ait Panormitanus) habent ipsi Religiosi plenam institutionem etiam authorisabilem quoad populum; nec tunc necesse est recurrere ad Episcopum.

Porro ex formula incorporationis supra exhibita evidens est, unionem Ecclesiæ Parochialis Oppidi Hallensis per D. Officialem Cameracensem authoritate Apostolica faciendam, Personatui & Collegio Patrum Societatis Jesu referri non posse nisi ad primum ex quinque modis annotatis, sive quoad jus Patronatus dumtaxat; quod hodie dici potest jus primitivi Pastoris. Etenim cum Summus Pontifex dictam unionem seu incorporationem non simpliciter fieri mandaverit, nec etiam in usum seu sustentationem Patrum dicti Collegii Societatis Jesu, sed e contra expresse voluerit, ut Vicario præsentato, remaneant usus

(*) C'est ainsi qu'on appelle le lieu ou l'on garde le St. Sacrement.

usus domus Rectoralis cæteraque alia dictæ Ecclesiæ fructus & emolumenta ; illaque omnia percipere , exigere , levare , ac in suos usus & utilitatem convertere libere, & licite possit & valeat : illis tamen exceptis , quæ Personatui , & Pastoratui sunt communia, quæ inter Rectorem dicti Collegii & Vicarium deputandum erunt dividenda.

Illud in primis indubitatum est , dictam unionem seu incorporationem nulla ratione censeri posse factam quoad temporalia ; quandoquidem hæc omnia pleno jure, ut ante , cedere debeant in usus Rectoris seu Vicarii ad curam animarum seu regimen ipsius Ecclesiæ Parochialis deputandi.

Præterea cum hæc unio seu incorporatio fieri debuerit , salvis in omnibus & per omnia remanentibus juribus D. Archiepiscopi Cameracensis & Archidiaconi districtus Hallensis , pro tempore existentium : ita etiam quod cura Parochianorum dictæ Ecclesiæ ac cætera munera Pastoralia per unum Presbyterum sæcularem Theologum & alias bene qualificatum, per Rectorem Collegii prædicti eligendum, & Ordinario loci præsentandum , atque ab eodem Ordinario examinandum , & tamquam idoneum, antequam officium Vicarii dictæ Ecclesiæ recipere possit , approbandum & admittendum , exerceri & administrari tantum debeant; qui de cætero quoad administrationem curæ animarum Sacramentorumque & aliorum munium Pastoralium dicto Ordinario subjectus existat, prout antea fuerunt Rectores proprietarii dictæ Ecclesiæ , & sunt similes Vicarii aliarum parochialium Ecclesiarum , æque indubitatum est , Rectorem Collegii Societatis Jesu; titulo dictæ unionis seu incorporationis, non habere institutionem tituli collativam ; multo minus authorisabilem quoad curam populi: attento quod utraque hæc institutio in districto Hallensi notorie pertineat ad D. Archiepiscopum Cameracensem , ejusque juribus annumeretur.

Imo , si rem penitus consideremus , nequaquam obscurum est , supra dictas clausulas , Diplomati Pontificio insertas, respicere Canonem Claromontanum apud Gratianum Caus. 15. Quæst. 2. Can. 6. quo statuitur : *ne Monachi in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio, Presbyteros collocent ; sed Episcopi Parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant , ut hujusmodi Sacerdotes de populi cura Episcopis rationem reddant.*

Nec enim hic Canon aliud vult , quam ut Monachi eorumve Abbates in Ecclesiis Parochialibus, quas habent , Presbyteros collocent ; sive , ut hodie loquuntur , præsentent sive nominent, qui curam populi sive animarum ab Episcopo accipiant.

Recte proinde observant Canonistæ huic Claromontano Canoni adscribendum esse originem juris Patronatus , sive præsentationis ; vigore cujus Abbates, Abbatissæ, & Collegia Ecclesiastica præsentant Presbyteros ad Ecclesias Parochiales sibi incorporatas ipsis Episcopis , ab iis instituendos, & ad curam animarum populi , si idonei reperti fuerint, admittendos.

Quapropter Rector Collegii Societatis Jesu, titulo unionis seu incorporationis, de qua quæstio , ad instar aliorum Abbatum , Abbatissarum aut Capitulorum, quæ ex simili concessione Ecclesias Parochiales tenent, jure præsentationis tamquam Patronus Ecclesiasticus, sive ut hodie loquimur, tamquam Pastor primitivus, uti potest.

Sed de cætero Presbyter ad præsentationem ipsius Rectoris Parochiæ præpositus , subjectus debet esse Episcopo, ejusque Archidiacono, & Decano , in his quæ curam animarum concernunt ; & ipse etiam se sistere debet conventibus Ecclesiasticis seu Congregationibus Pastorum , in quibus de spectantibus ad curam animarum per Archidiaconos & Decanos Presbyteri instruuntur.

Quin uti recte monet *Molinæus* ad Cap. 3. 2. ✠ *de privilegiis* , non possunt Ecclesiæ Parochiales ita uniri seu incorporari Monasteriis Religiosorum , ut ipsi Religiosi possint dare vel exercere curam populi sive animarum, sine recursu ad Episcopum, nisi habeant populum exemptum & in eo jurisdictionem Episcopalem.

Similes nonnulli Abbates & Prælati , habentes Ecclesias pleno jure sibi subjectas cum populo exempto & jurisdictione Episcopali , reperiuntur in Italia, & alibi , & dicuntur *nullius Diœcesis*; at in Belgio nullum novimus.

Cui

Cui consequens est, ut hæc clausula Bullæ Pontificiæ inserta; *in casu tamen infirmitatis seu legitimi impedimenti Vicarii deputandi, præfati Collegii Rector curam animarum, & munia Pastoralia per seipsum exercere, seu per alium ad id ab eo deputandum exerceri facere libere & licite possit*, ex usu & moribus Belgii haberi debeat pro non adjecta, in quantum Rectori Collegii Societatis Jesu, durante infirmitate seu legitimo impedimento Vicarii ab Archiepiscopo instituti, videatur tribuere potestatem exercendi curam animarum & munia Pastoralia per se ipsum seu per alium ad id ab eo deputandum, sine ullo recursu ad D. Archiepiscopum.

Nempe tametsi Litteræ seu Bullæ Pontificiæ in Belgium missæ, in Curia Romana expediantur eadem forma & cum iisdem clausulis ac aliæ, quæ diriguntur ad Provincias Ultramontanas, nihilominus hic suam modificationem ab usu & moribus, ac Principum Edictis recipiunt; pluresque clausulæ ex stilo Curiæ Romanæ his litteris insertæ, habentur hic pro non adjectis, sive considerantur ut superfluæ & meri stili.

V. G. Belgium nostrum permittit, ut executores Apostolici solemniter publicent, etiam per processum, more Curiæ Romanæ, Bullas privilegiorum a Principe placetatas; sed ex usu & moribus Belgii processus iste dumtaxat habet vim nudæ & simplicis publicationis; rejectis & pro superfluis seu meri stili reputatis omnibus illis clausulis, quibus ipsis Executoribus attribuitur authoritas cognoscendi de jure aut rationibus opponentium seu interesse habentium, sive in possessorio sive in petitorio; aut compellendi vel exturbandi injustum possessorem per competentia juris remedia, quæ perfici nequeunt sine cognitione causæ, & exercitio jurisdictionis.

Quia scilicet hic in Belgio nullum jurisdictionis exercitium competit Executoribus Apostolicis, sed omne illud exercitium in possessorio reservatur Judicibus Regiis; & in petitorio Ordinario, in prima instantia.

Penes Executores autem manent nuda ministerialis publicatio & immissio in possessionem, quæ privilegiatis dant nudum introitum ad judicium possessorium, si occasione Bullæ Pontificiæ controversiæ oriantur: quæ proinde instituendæ & agitandæ sunt coram ipso Senatu Regio, ubi Bullæ & Litteræ Pontificiæ suam modificationem, ab usu & moribus Belgii ac Principum Edictis recipiunt: idque conformiter Edicto Principis de 20. Maii anni 1497. quod extat prima parte Edictorum Flandriæ, pag. 209.

Cum igitur hic in Belgio potestas dandi curam populi sive animarum, competat solis Episcopis, qui eam committunt Rectoribus seu Vicariis per singulas Parochias constitutis, cum potestate delegandi seu substituendi in casu infirmitatis seu legitimi impedimenti ipsius Rectoris seu Vicarii; evidens est hanc clausulam Bullæ Pontificiæ insertam, qua Rectori Collegii Societatis Jesu posset videri tribui potestas circa curam populi sive animarum, absque speciali delegatione Vicarii aut commissione Episcopi, habendam esse pro non adjecta sive pro superflua & meri stili.

Idem censendum de alia clausula ibidem adjecta, qua Rectori, de judicio Provincialis & Consultorum dicti Collegii, videtur tribui potestas, ex gravi causa & quæ privationem mereatur, sine consensu Episcopi Vicarium Ecclesiæ Parochiali Præpositum amovendi.

Cum enim prædictus Vicarius institutionem authorisabilem, quoad curam populi, ab Archiepiscopo acceperit, hæc prævia institutio hoc efficit, ut ex notorio usu Belgii, confirmato etiam per Synodum Cameracensem primam, titulo de *Ministeriis* Ecclesiasticis Cap. 6. sine Episcopi consensu removeri Vicarius non possit.

Quotquot inquit Synodus habent Curata beneficia unita suis Ecclesiis, ut Capitula & Abbates, non prius committant Pastores iisdem beneficiis Curatis quam præsentati Ordinario fuerint, & accepti ab eo: quoniam populus ejus curæ commendatus est, a quo iidem Rectores potestatem, quam curam animarum vocant, accipient: nec possent aut Abbates aut Capitula, admissos & approbatos ab Ordinario, Rectores revocare nisi consenserit Episcopus; & iidem Rectores constituti Mandatis Episcoporum omnino pareant;

I 2 ab

ab iisque corrigantur, si quid deliquerint.

Ad quæ accedit quod hæc verba, *non tamen ad nutum dicti Collegii Rectoris nec ex quacumque causa; sed tantum ex causa gravi & quæ privationem mereatur, non solum Judicio dicti Rectoris sed etiam Provincialis, & Consultorum dicti Collegii* &c, liberam amovendi vel destituendi libertatem non importent, sed ad arbitrium boni viri apertissime referantur; ita ut sine causa ejusque cognitione & exercitio jurisdictionis nulla destitutio aut amotio fieri possit.

Præsertim cum hujusmodi destitutio aut amotio, ex gravi causa & quæ privationem mereatur, fieri non possit sine infamia ipsius Vicarii amovendi & destituendi.

Itaque cum ex usu & praxi Belgii, ac Principum Edictis, ea quæ sine cognitione causæ & exercitio jurisdictionis perfici nequeunt, non competant Rectoribus, Provinciali, aut Consultoribus Collegiorum Societatis Jesu; sed omnia in possessorio reserventur Judicibus Regiis, & in petitorio Ordinariis in prima instantia; vel Judicibus Synodalibus delegatis in partibus, in causa appellationis: recte concluditur, dictam clausulam similiter habendam esse pro non adjecta, sive pro superflua & meri stili.

Unde si Rector dicti Collegii vigore dictæ clausulæ, ex certis causis animum suum moventibus, quas ipse ex Judicio Provincialis ac Consultorum dicti Collegii judicaret graves, & tales, quæ privationem mereantur, ipsum Vicarium amoveret & alium in ejus locum surrogaret; dictus Vicarius, non obstante sua amotione, invitis Rectore, Provinciali, & Consultoribus dicti Collegii, via juris, implorata Regia protectione, per litteras manutenentiæ posset in possessione sua manere.

Nempe, ut in simili recte observat Henricus *Kinschotius*, Responso 83. num. 7. Rector Collegii Societatis Jesu tantum præsentantis loco est, & Ordinarius pro collatore habetur. Unde sicut Beneficiatus a Patrono sine Episcopi authoritate privari beneficio non potest; ita neque Vicarius, non habito consensu Episcopi institutoris: qui etiam tamquam Judex, vocato & audito Vicario ac Rectore dicti Collegii, de amotionis causa cognoscere debet. Ita *Kinschotius*, post Panorm. & alios, loco citato, ubi quæstio erat de Plebania Ecclesiæ unitæ & incorporatæ, cum obligatione curandi eam deserviri per Vicarium ad nutum Capituli removibilem.

Ut proinde rationes & jura ibidem adducta multo fortius militent in casu proposito, ubi ex ipsa Bulla concessionis Vicarius non ex quacumque causa, sed tantum ex gravi, & quæ privationem mereatur, amoveri potest.

Atque his præmissis, facilis est responsio ad quæstiones omnes, occasione hujus unionis seu incorporationis, in supremo Hannoniæ Consilio institutas & agitatas.

Etenim Vicarius a Rectore Collegii Societatis Jesu Archiepiscopo præsentatus, & ab eo per litteras institutionis in forma communi datas, ipsi Ecclesiæ Parochiali præpositus, eatenus est perpetuus, ut non possit nisi Canonice & servato juris ordine amoveri.

Doctores enim inquit *Kinschotius*, loco citato Num. 4. qui inter Vicarium perpetuum & temporalem distinguunt, eum vocant perpetuum, qui a Prælato vel Capitulo, quod beneficium curæ annexum habet, cum Episcopi consensu, animarum curæ præficitur; temporalem autem, qui pro tempore tantum, & in locum Curati seu Vicarii legitime impediti vel absentis, surrogatur pro temporis necessitate.

Unde hujusmodi Presbyteri, ad præsentationem Pastoris primitivi, ab Episcopo Parochiæ præfecti, nullatenus dependent a primitivis Pastoribus, quemadmodum mandatarii a mandantibus, aut delegati a delegantibus; sed vigore litterarum institutionis ab Episcopo in forma communi datarum, & installationis per Decanum Christianitatis insecutæ, causam habent per se subsistentem; & in ipsos transfertur omnis plane cura animarum, eamque æque ac alii Parochi tenent & exercent, vigore litterarum institutionis ab Episcopo in forma communi expeditarum: adeoque non jure delegato, sed jure ordinario, cum potestate substituendi in casu infirmitatis, vel absentiæ, seu legitimi impedimenti. Itaque respectu curæ populi sive animarum, & munium Pastoralium, non nisi nomine

tenus

tenus sunt Vicarii; eo quod revera jure proprio hæc omnia exercent; quemadmodum Abbates, Canonici, aliique, qui Ecclesias sic unitas possident, Pastores non re sed nomine sunt; eo quod omnis functio Pastoralis sive cura animarum & regimen populi in solo Vicario resideat.

Unde etiam dicuntur Pastores non simpliciter, sed cum addito *primitivi*: quod est nomen adeo recens, ut nulla in libris Juris Canonici etiam recentioribus, puta Clementinis aut Extravagantibus, ejus mentio occurrat.

Quin nec in Glossario mediæ & infimæ latinitatis, quod summa diligentia & eruditione compilavit Carolus *du Fresne*, nulla hujus vocabuli *primitivi Pastoris*, mentio habetur: argumentum admodum verisimile, virum hunc, in scrutandis Ecclesiasticis monumentis occupatissimum, & oculatissimum, nusquam nomen illud reperisse.

Illud notant recentiores Canonistæ & signanter *Zypeus*, Consult. 4. de Parochiis, num. 7. quod qui jam pridem dicti fuere Patroni Ecclesiastici, titulo unionis & incorporationis Altarium seu Ecclesiarum Parochialium, tandem dicti sunt Pastores primitivi; tamquam qui ipsas Ecclesias, titulo concessionis & incorporationis, quasi suas & proprias acceperunt.

At illud notandum, quod similes concessiones factæ censeantur sine detrimento earum Ecclesiarum in spiritualibus, uti passim notant Doctores ad Cap. 11. ᛭ de Præbendis. *Nota* ait *Panormitanus*, quod licet Ecclesia sit subjecta Religiosis quoad temporalia, non tamen possunt Religiosi ad libitum alterare antiquum statum Ecclesiæ, sed tenentur conservare Rectores seu Vicarios illarum Ecclesiarum in antiquo statu.

Cum igitur nulla esset Ecclesia Parochialis, cui ut minus necessarius non esset unus Rector seu Vicarius, qui curam populi haberet, etiam Monachis & Canonicis similes Ecclesias tenentibus sibi appropriatas, injunctum fuit, ut in iis Ecclesiis Presbyteros collocarent, sive Episcopo præsentarent; quod & renovavit Concilium Lateranense, sub Alexandro tertio, in Cap. 3. §. 2. ᛭ *de privilegiis*.

Ex quibus consequens est, jus Rectoris Societatis Jesu, quod in hac concessione fundatur, nullatenus attingere spiritualia ad ipsam curam Cleri aut populi sive animarum spectantia; quandoquidem hæc jura spiritualia in Collegium Societatis Jesu ex simili concessione non transiverint.

Unde nihil ad curam animarum pertinens, ut sunt verbi Divini prædicatio, Sacramentorum administratio, aliæve functiones aut officia Pastoralia, potest Rector hoc titulo per se vel per alium in Ecclesia incorporata, respectu Cleri aut populi, exercere, aut ei quoquo modo se immiscere sive præsente sive absente seu legitime impedito Vicario, vel etiam eo mortuo & Ecclesia Parochiali vacante; sed hujusmodi vacatione occurrente, servanda erit dispositio Tridentini circa deservituras Ecclesiarum Parochialium vacantium.

Cumque nullum spirituale regimen Cleri aut populi neque cura animarum sit penes Rectorem Collegii Societatis Jesu, integrum vero resideat penes Vicarium Parochiæ præfectum, merito a cura ista Curatus, a pascendo Pastor, & a spirituali regimine Parochiæ Parochus, a Clero & populo vocatur ac reputatur.

Si ergo Rector dicti Collegii eum nominet Vicarium istius Ecclesiæ, nequaquam poterit per hoc qualitatem veri Pastoris disputare, vel in minimo huic derogare; sed ipsa dumtaxat hac appellatione Vicarii denotare, quod hanc Ecclesiam teneat tamquam dependentem a suo Collegio, eique unitam & incorporatam; quemadmodum passim Vicarii aliarum Ecclesiarum Parochialium suas Ecclesias recognoscunt dependentes & appropriatas Monachorum aut Canonicorum Collegiis.

Id recte observavit celeberrimus Jurisconsultus Claudius *Le Maistre*, discursu nono; una inde concludens, nomen *primitivi Pastoris* originem non habere ex cura Pastorali, quam Monachi vel Canonici primitus per se in his Ecclesiis Parochialibus exercuissent, sed ex concessione sive incorporatione harum Ecclesiarum; qua mediante hæ Ecclesiæ ipsis, quoad jus Patronatus vel etiam temporalia, appropriatæ fuerunt; quod vel inde (inquit) manifestum est, quod jus illud primitivi Pastoris etiam Communitatibus mulierum & viro-

virorum laicorum competat.

Nec quidquam facit, quod Vicaria Ecclesiæ Parochialis Hallensis forte authoritate Episcopi in titulum aut beneficium erecta non sit; adeoque Vicarius ipsam Vicariam absolute non possideat.

. Nam Vicarius eatenus equidem Ecclesiam in titulum habere dicitur, ut expelli aut removeri sine causæ cognitione non possit; & vigore litterarum institutionis, ab Episcopo in forma communi expeditarum, & installationis insecutæ, Ecclesiam non ad tempus, pro tempore nimirum vacationis, quemadmodum solent esse deservitores Ecclesiarum Parochialium vacantium, sed in perpetuum, idest ad vitam suam, quasi commendatam habet, ac si justa causa sine titulo possideret: ita ut a solo Judice competente, qui ex usu Belgii in prima instantia est Episcopus, præhabita causæ cognitione, removeri possit.

Generalis enim juris regula est, quod eadem solemnitas, quæ in creatione aut celebratione actus requiritur, etiam in dissolutione ejusdem sit necessaria: ita *Kinschotius*, responso citato num. 10. & 11. conformiter Decreto Synodi Cameracensis supra citato.

Atque ex his evidens est, tantum abesse ut Parochiani dictæ Ecclesiæ plures Curatos sive Parochos agnoscere debeant, in his quæ ad curam animarum, administrationem Sacramentorum aliasve functiones Pastorales pertinent, ut si, quod absit, duo Parochiani Ecclesiæ Parochialis Hallensis (præterquam quod in omnem eventum Rector, in prætensa illa qualitate personæ, nihil aliud prætendere posset in Choro, processionibus vel aliter, quam locum honorificum præ reliquo Clero) matrimonium de facto contraherent coram Rectore Societatis Jesu aut alio Presbytero ab eo deputato, absque consensu Episcopi, aut speciali delegatione Vicarii Parochiæ præfecti, hujusmodi matrimonium propter defectum Parochi, indubie censeretur clandestinum; adeoque juxta Decretum Concilii Tridentini, sess. 24. Cap. 1. de Reform. neque licite neque valide celebratum. Similiter tantum abesse, ut Rector dicti Collegii, præsente & nolente Vicario, jus habeat administrandi Sacramenta Presbyteris servitio dictæ Ecclesiæ deputatis, ut e contra si ipse personatus, cui Ecclesia Parochialis unita est jam pridem per Urbanum octavum Papam, non esset incorporatus Collegio Societatis Jesu, sed adhuc hodie possideretur in titulum per Clericum sæcularem, qui in ipso oppido Hallensi resideret, ipsa persona æque ac reliquus Clerus & populus dictæ Parochialis D. Vicarium tamquam ordinarium Sacramentorum Ministrum agnoscere deberet.

Præterea cum supra demonstratum sit, Rectorem & Presbyteros Societatis Jesu, prætextu unionis seu incorporationis, de qua quæstio, alterare non posse antiquum statum Ecclesiæ, sed teneri conservare Ecclesiam in statu, in quo ante unionem seu incorporationem fuerat, illud etiam expeditum est in peragendis Divinis Officiis observari debere rubricas Diœcesis & Parochiæ, nequaquam vero illas, quæ in Societate Jesu peculiariter observantur: soli quoque Curato seu Parocho & non Rectori hanc provinciam esse demandatam, ut Officia Divina juxta has rubricas celebrentur.

Unde etiam Synodi Belgicæ, Manualia, Ritualia &c. quæ præscribunt ritus & rubricas in peragendis Divinis Officiis Ecclesiarum Parochialium observandas, diriguntur non ad Pastores primitivos, qui dictas Ecclesias suis Monasteriis aut Collegiis unitas seu incorporatas tenent, sed ad ipsos Vicarios seu Parochos & Curatos, quibus universum Ecclesiæ regimen in spiritualibus est demandatum.

Et hæc quidem sufficiunt pro quindecim primis quæsitis.

Ad 16. breviter dicimus, dictam incorporationem nihil novi juris tribuere Rectori Societatis Jesu in præjudicium ipsius Magistratus oppidi Hallensis; Adeoque circa directionem armarii, in quo conservantur ornamenta Divinæ Virginis ejusque Sacelli, in hoc judicio possessorio coram Regio Senatu intentato, standum esse consuetudinibus antiquis in dicta Ecclesia, ante unionem seu incorporationem hujusmodi practicatis.

Ad 17. & 18. respondetur: Cum Custos sive Matricularius sit minister Curati seu Parochi, ut ipsi serviat in iis omnibus, quæ

quæ muneris ejus sunt, uti loquitur Synodus Audomarensis anni 1583. Tit. 20. Cap. 2. naturale est ut in spiritualibus soli Vicario, & non Rectori subjectus existat.

Pastori enim vel ejus vices gerenti, ait Synodus Gandensis, diebus Dominicis & Festis vesperas & laudes vespertinas solemniter decantanti, Custos in habitu decenti & superpellicio indutus debite assistet, pro ut & Missam solemnem vel privatam quocumque anni die celebranti; ac paratus erit, quacumque hora illi a Pastore significanda, ut Pastori inserviat in muneribus Pastoralibus ipsius auxilium requirentibus: cavebit igitur, ne sine Pastoris licentia sese absente; imo, si interdum ob negotia privata domo sua abesse cogatur, mandamus ut alteri idoneo & Pastori grato vices suas committat, vel de absentia sua domesticos aut vicinos suos, vel ipsum Pastorem certiorem reddat quonam pergat: quatenus, necessitate vel occasione urgente, facile valeat reperiri & advocari: Tit. 18. Cap. 19.

Cui conformes sunt pleræque Belgicæ Synodi.

Adduntque Namurcensis Cap. 12. & Audomarensis titulo 20. Cap. 2. ut moneantur diligenter & frequenter a Pastoribus, ut nullas in Altaribus aut in parietibus, nec in ipso Templi pavimento, imo nec in Cœmeteriis notabiles sordes patiantur; ornamenta quoque & bona Ecclesiæ sollicite conservent, dentque operam ut sursum & deorsum in Templis omnia sint munda ac nitida; Altarium mappas, Sacerdotum Amictas atque Albas, sacra Corporalia, priusquam evadant sordida, mutent, aut Sacerdotibus mutanda dent &c. Denique in omnibus diligenter & fideliter, quæ officii sui sunt, præstent.

Quæ omnia indubie de Vicario seu Pastore, cui totius Ecclesiæ Parochialis cura incumbit, neutiquam vero de Rectore Collegii Societatis Jesu, qui non re sed nomine tenus Pastor dicitur, intelligenda sunt.

Responsum ad 19 & 20. Cum soli Vicario totius Parochiæ cura spiritualis principaliter & immediate incumbat, eumque Parochiæ istius Clerus & populus ut ordinarium & proprium Sacramentorum Ministrum agnoscere debeant: cumque Capellani aliique Ecclesiæ Ministri assumantur, ut Parocho in administrandi Ecclesiasticis Sacramentis, & cultu Divino peragendo assistant, ratio postulat, ut Vicarius quoque & non Rector, in eorum admissione consulatur. Et siquidem admissi in explendo officio suo vel aliter defectuosi & negligentes existant, ab ipso etiam Vicario, quem tamquam proprium suum Pastorem venerari & audire debent, corrigantur: præsertim si consideres, quod solus Vicarius & non Rector, de his quæ ad curam spiritualem Cleri aut populi pertinent, Episcopo rationem reddere teneatur.

Responsum ad 21. Cum Vicario, & non Rectori, primaria cura Ecclesiæ & pauperum commendata censeatur, nulla dubitandi ratio est, quin solus Vicarius, & non Rector, cum Scabinis intervenire debeat negotiis illis, quæ mixta vocantur; quibusque ante unionem seu incorporationem, de qua quæstio, intervenire solebant Parochi proprietarii ipsius Ecclesiæ Parochialis unitæ seu incorporatæ.

Responsum ad 29. Cum supra ostensum fuerit, dictam unionem seu incorporationem Rectori Societatis Jesu nihil novi juris tribuere quoad temporalia, evidens est, quod titulo hujusmodi unionis nullum jus prætendere possit circa oblationes, quarum administratio hactenus fuit penes ipsum Magistratum.

Responsum ad 30. Cum Rector Societatis Jesu, in vim concessionis seu incorporationis personatus per Urbanum VIII. factæ, præcipuas decimas intra limites dictæ Ecclesiæ Parochialis possideat, nulla dubitandi ratio est, quin conformiter ad Decretum Synodi Provinc. Cameracensis, titulo *de decimis.*, Cap. 8. renovatum per Synodum Provinc. 2. Tit. 24. Cap. 12. ex proportione decimarum, quas recipit, conferre teneatur; sive instaurari tantum Chorus & domus Pastoralis debeant, sive de integro ædificari.

Quod attinet ad 22. & sequentes articulos usque ad 29. exclusive, notandum est, Patronos & Pastores primitivos Ecclesiarum Parochialium in dictis Ecclesiis præter jus Patronatus aut temporalia, subinde obtinere jura quædam honorifica, quæ tamen ipsam curam populi sive animarum mini-

minime contingunt, in quorum possessione etiam facile turbandi non sunt: præsertim si a tempore immemoriali in pacifica possessione fuerint.

Verum illud etiam notandum est, fundamentum & rationem eorum honorum non esse jus Patronatus, quod personis Collegiorum vel Monasteriorum titulo unionis seu incorporationis Altarium sive Ecclesiarum Parochialium competit, sed aliud jus Patronatus, quod Patronis sive Laicis sive Ecclesiasticis defertur, titulo constructionis, dotationis, & fundationis ipsius Ecclesiæ Patronatæ: uti multis authoritatibus probat Franciscus *de Roie*, Antecessor Andegavensis lib. 2. de juribus honorificis Cap. 3. per totum.

Ubi etiam notat omnes illos honores Fundatori deberi, etiamsi nullam præsentationem habeat, imo quamvis loco Religioso suam præsentationem donaverit: ei enim soli, inquit, omnes alii honores debentur, non etiam personæ illius Collegii vel Monasterii; quia semper verum est eum esse fundatorem, & semper retinere nomen, qualitatem & dignitatem Fundatoris, quam solam inspiciunt sacri Canones, ut ex ea causa pietatis & munificentiæ honorem deferant & exhibeant.

Unde omnes Patroni, tam Laici quam Ecclesiastici, ultra jus præsentationis, habere possunt in suis Ecclesiis honorem sedis & primi consessus, ut nempe fixam & statam sedem in Choro habeant. Item honorem præcessionis, ut in publica & solemni Processione suæ Ecclesiæ honoratiorem locum habeant inter omnes. Idem est de honore panis benedicti, suffitu aquæ benedictæ, osculo pacis & similibus; nec alii quilibet debent eos honores invidere Patrono, qui locum iis dedit, in quo etiam honorentur. Deinde Patronus Ecclesiasticus illud adhuc sibi vindicare potest, ut in Majoribus Solemnitatibus loco Pontificis Sacra celebrare possit in sua Ecclesia. Hæc tamen & similia de iis solis Patronis Ecclesiasticis intelligenda sunt, qui sunt personæ fundatrices Ecclesiæ, cujus bonis & proventibus Ecclesia Patronata extructa & dotata fuit; nequaquam vero de personis Collegiorum vel Monasteriorum, quæ titulo solius unionis seu incorporationis Altaria sive Ecclesias Parochiales, aliorum sumptibus dudum ante constructas & dotatas, suis Collegiis vel Monasteriis appropriatas tenent.

His enim ultra jus Patronatus nulla jura honorifica in Ecclesiis Parochialibus incorporatis competere solent, nisi dependenter a consuetudine aut specialibus Ecclesiarum conventionibus.

Unde abstrahendo ab hujusmodi consuetudine & specialibus conventionibus, & inhærendo soli formulæ unionis seu incorporationis, de qua quæstio, dicimus totum jus, quod Rector Collegii Societatis Jesu titulo dictæ unionis prætendere potest, unice consistere in eo, quod Ecclesia Parochiali vacante jus habeant præsentandi Presbyterum sæcularem sibi gratum & erga Societatem Jesu bene affectum; alias tamen idoneum & debite qualificatum, qui ab Episcopo curam populi sive animarum & totius Ecclesiæ regimen accipiat.

Quod enim attinet preces aliasque solemnitates ab Ordinario indictas, certum est quod mandata Episcopi per Decanum districtus Hallensis dirigi soleant & debeant ad ipsum Vicarium, tamquam verum Curatum seu Parochum; cui proinde executio primario & immediate incumbit.

Similiter cum agitur de receptione Episcopi, ab eo procul dubio recipiendus & ad Ecclesiam solemniter deducendus est, qui ipsi Episcopo rationem de universo spirituali Ecclesiæ regimine reddere tenetur.

Deinde cum Parochiani hunc solum Parochum seu Curatum agnoscant, ad quem cura animarum, administratio Sacramentorum, aliæque Pastorales functiones pertinent; cumque Ecclesia non obstante incorporatione, conservari debeat in statu antiquo, & principaliter destinata manserit peragendis Divinis Officiis Parochialibus, sub regimine spirituali unius Curati seu Parochi, certum est quod pro cantandis Missis solemnibus votivis & aliis solus Vicarius agnosci debeat.

Finaliter dicimus quod Rector Collegii Societatis Jesu, titulo unionis seu incorporationis, de qua quæstio, præter jus Patronatus dumtaxat nullum prorsus jus competat sive intra, sive juxta ipsam Ecclesiam Parochialem, sed totum illud desumen-

sumendum sit a legibus & conditionibus, sub quibus Collegium Societatis Jesu ad dictum oppidum Hallense olim admissum fuit.

Nam quod attinet ad qualitatem personæ, cum ex Bulla Incorporationis ipsius personatus appareat, dictum personatum fuisse beneficium simplex perpetuum, & personalem residentiam non requirens, evidens est quod Collegio Societatis Jesu uniri non potuerit, nisi per omnimodam suppressionem: ita ut per hujusmodi unionem seu incorporationem ipse titulus personatus penitus fuerit extinctus, ejusque fructus, redditus, & proventus Collegio Societatis Jesu solummodo incorporati: attento quod ex notorio usu Belgii Rectores & Presbyteri Societatis Jesu, uti & aliorum Ordinum Religiosi, beneficia simplicia in titulum possidere nequeunt. Illud enim stultum & plane ridiculum est, quod in hac qualitate, quæ mere Ecclesiastica est, sese separare velit ab ipso Ecclesiastico conventu, & locum honorificum affectare inter Laicos præ ipso Magistratu.

Præcipue hic ubi agitur de Ecclesia Parochiali, quæ dudum ante uniones seu incorporationes hujusmodi, dotata, ædificata, & fundata fuit, non sumptibus Collegii Societatis Jesu, sed ex pietate & munificentia oppidanorum, quibus Magistratus præficitur.

Imo cum Rector & Presbyteri Societatis Jesu privilegio sibi concesso tam enormiter abutantur, consultum fuerit ut Magistratus & incolæ oppidi Hallensis, finita hac causa coram Judice Regio, indilate recurrant ad Illustrissimum D. Archiepiscopum Cameracensem, in eum finem ut Vicaria dictæ Ecclesiæ authoritate Episcopi erigatur in titulum; atque ita non tantum Presbytero sæculari in titulum conferri, sed etiam forma concursus a Concilio Tridentino præscripta sess. 24. Cap. 18. de Reform. juxta usum & praxim Belgii, in ejus provisione deinceps servari possit; uti in omnibus pene Ecclesiis Parochialibus, Monasteriis seu Collegiis & locis quibuscumque perpetuo unitis & annexis, factum est authoritate Concil. Trid. sess. 7. de Reform. Cap. 7. conformiter ad Concil. Lateranense sub Innocentio tertio Cap. 30. *de præbendis.*

Ita resolutum Lovanii hac 7. Junii 1715.

(*erat signatum*)

Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Profess.

Amandus *Bauwens*, J. U. D. & Prof. Ordinar.



XVIII.

CASUS RESOLUTIO,

De sensu horum verborum: *in contrahendis*, & *in contractis Matrimoniis* &c., cujusdam Indulti Apostolici circa Dispensationes Matrimoniales; ubi de potestate ordinaria Episcoporum erga easdem Dispensationes.

[*Nunc primo edita.*]

CASUS POSITIO.

U*N Evêque a un pouvoir de Rome de dispenser en certains degrés. Le pouvoir est couché en ces termes:*

Dispensandi in 3. & 4. simpl. & mixto tantum cum pauperibus, IN CONTRAHENDIS: IN CONTRACTIS vero cum hæreticis conversis, etiam in secundo, simplici & mixto; dummodo nullum attingat primum gradum, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

On demande 1. *si l'Evêque à qui le Pape a accordé l'Indult, conçu aux termes cy dessus, peut*, vi talis Indulti, *dispenser les Catholiques des empechemens de consanguinité, ou d'affinité non occultes, qui se trouvent après le mariage contracté.*

La raison d'en douter ce sont les termes même de l'Indult : Dispensandi cum pauperibus in contrahendis. *Par le mot* in contrahendis, *les Theologiens entendent des mariages à faire : & par* in contractis *des mariages faits en face d'Eglise, avec quelques empechemens dirimans.*

Le Pape oppose in contrahendis *à* contractis *; & les Catholiques aux heretiques :* in contractis vero cum hæreticis conversis*; & paroit entendre chose differente par ces deux mots, & leur donner un sens different par cet Indult. En effet le Pape donne pouvoir à l'Evêque de dispenser avec ceux qui ont toujours été Catholiques* in 3. & 4. simplici, & mixto, *pour les mariages à faire :* in contrahendis. *Mais pour des mariages faits entre des heretiques convertis, il leur donne pouvoir de dispenser pour eux seulement*, etiam in 2. gradu simplici & mixto; dummodo nullo modo attingat 1. gradum. *C'est le sens naturel de ces termes de l'Indult :* in contractis vero cum hæreticis conversis.

Donner un autre sens à ces mots, in contrahendis, *&* in contractis, *de maniere que* in contrahendis *signifie* in contractis, *c'est un sens forcé, & qui ne paroit pas naturel; & le Pape est censé dans un Indult qui doit être clair, parler le langage du commun des Theologiens.*

Si ce terme in contrahendis, *renferme* in contractis, *il ne falloit pas mettre celui-ci :* in contractis, *en parlant des heretiques convertis.*

On a consulté gens habiles qui sont d'avis que les termes, in contractis, *dans le sens des mariages faits selon la loi des heretiques, n'est qu'en faveur des dits heretiques convertis, & non des hommes qui ont toujours été Catholiques, à l'égard desquels ils croyent qu'on ne peut pas dispenser, quand ils ont été contractés avec quelque empechement. M. le* Venier *ancien Official de Paris, l'a cru comme cela.*

Dans un fait aussi considerable que celui d'assurer un mariage & la legitimité des enfans, il semble qu'il faut s'arreter au sens litteral de l'Indult du Pape, qui semble restraindre le pouvoir de dispenser, donné à l'Evêque, aux seuls mariages à contracter : in contrahendis, *à l'égard des gens toujours Catholiques ; & l'étendre aux seuls heretiques convertis pour les mariages contractés :* in contractis.

Enfin on a jusqu'à present, entendu ces termes in contractis, *des mariages contractés; &* in contrahendis, *des mariages à contracter; & l'Evêque en question a toujours été dans cet usage.*

On demande 2. supposé que l'Evêque n'ait pas ce pouvoir en vertu de cet Indult, s'il ne l'a pas authoritate ordinaria.

RESOLUTIO.

Ad primum : Indubitatum apparet, quod in casu præsenti Episcopus vigore hujus Indulti Apostolici possit dispensare super impedimento 3. & 4. gradus simplicis & mixti, cum pauperibus suæ Diœcesis, non solum *in contrahendis*, sed etiam *in contractis* Matrimoniis.

Dum enim conceditur authoritas dispensandi in Matrimoniis, nequaquam censetur hæc dispensandi facultas data in casu, quo deberet esse difficilior dispensatio ; negata vero, ubi facilior & minor causa ad dispensandum requiritur.

Porro certum est, & ipsa Synodus Tridentina expresse declarat, sess. 24. cap. 5. de Reformat. Matrim. facilius super impedimento ad contrahendum Matrimonium posse dispensari, si bona fide antea contractum fuit Matrimonium, & postea impedimentum aliquod fuisse cognoscatur, cujus contrahens probabilem ignorantiam habuit, quam si dispensatio petatur ad contrahendum Matrimonium, quod antea non fuit de facto contractum ; nec consequenter ad revalidandum prius Matrimonium requiritur.

Dum igitur per Indultum tribuitur facultas Episcopo dispensandi in 3. & 4. gradu simplici & mixto cum pauperibus *in contrahendis Matrimoniis*, censetur data facultas in contrahendis Matrimoniis, non tantum quæ contrahuntur ad ratificandum seu revalidandum prius Matrimonium de facto contractum bona fide cum impedimento dirimente, super quo facilius dispensari potest, sed etiam in contrahendis de novo Matrimoniis, super quibus, ut ait Concilium Tridentinum, vel nulla omnino detur dispen-

spen-

spensatio, vel raro idque ex causa.

Itaque hæc clausula: *in contrahendis Matrimoniis*, non est restrictiva, sed potius extensiva, utpote ipsam authoritatem dispensandi extendens generaliter ad contrahenda Matrimonia; tametsi agatur de Matrimonio de novo contrahendo, & non tantum de Matrimonio contrahendo ad revalidandum Matrimonium de facto cum bona fide cum impedimento dirimente contractum.

In 2. vero parte Indulti, qua datur authoritas dispensandi cum hæreticis conversis, *in 2. simplici & mixto in contractis Matrimoniis*, restringitur ipsa authoritas dispensandi ad casum, quo Matrimonium de facto contractum fuit bona fide, cum impedimento dirimente; sive ad casum quo juxta Synodum Tridentinam facilius dispensari potest, scilicet in contrahendis Matrimoniis ad revalidandum Matrimonium antea de facto & nulliter contractum.

Igitur per utramque partem Indulti datur Episcopo facultas dispensandi *in contrahendis Matrimoniis*; in priori quidem parte generaliter *in contrahendis Matrimoniis*, sive Matrimonium antea fuerit contractum, sive non; in 2. vero dumtaxat in casu quo Matrimonium antea fuit de facto nulliter contractum: quod significatur per clausulam *in contractis Matrimoniis*.

Proinde oppositio inter duas partes Indulti, non tam intercedit illas duas clausulas, *in contrahendis*, & *in contractis Matrimoniis*; sed potius inter gradus super quibus ipsa dispensandi authoritas indulgetur.

Et quidem cum in priori parte dispensandi authoritas restringatur ad gradus remotiores, idcirco extenditur gratia *in contrahendis Matrimoniis*: in 2. vero parte ubi extenditur dispensatio ad proximiores gradus, restringitur dispensandi authoritas *in contractis Matrimoniis*; sive ad contrahendum Matrimonium, quo facilius dispensatio ob contractum antea bona fide Matrimonium concedi potest.

Ad secundum: Quantumvis ratio suadere videatur, quod Episcopi possint sua authoritate in simili casu super notorio impedimento dispensare; nihilominus quia authoritas super impedimentis dirimentibus Matrimonii ad Romanum Pontificem sensim videtur devoluta; neque hactenus hoc probatum invenitur, quod in casu occurrenti authoritas dispensandi salva manserit, aut restituta sit Episcopis, consultum non apparet, ut Matrimonium de novo contraheretur, prævia solius Episcopi dispensatione; quia facile contingeret ut propemodum contracto Matrimonio, rursus in dubium revocaretur, cum plurium incommodorum subinde sequela.

Ita Responsum Lovanii, hac 31. Julii 1715.

(*& erat sign.*)

Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & Prof.



XIX.

CASUS RESOLUTIO,

Ab Espenio, aliisque Lovaniensibus approbata. Utrum non acceptantes B. *Unigenitus* tam excommunicati possint evitari, eisque ut talibus Sacramenta publice denegari.

[*Nunc primum edita*]

CASUS POSITIO.

QUidam Pastor non solum recusavit acceptare aut publicare Constitutionem *Unigenitus*, verum etiam ab Officiali interrogatus, an propositiones 101. essent Catholicæ, respondit omnes esse Catholicas in sensu Authoris, & spectato libri contextu; non autem prout sunt infideliter extractæ in Bulla, ubi plures sunt truncatæ.

Has ob causas a prædicto Officiali adversus Pastorem istum lata fuit hæc sententia: „ Declaramus prædictum Pastorem „ incurrisse omnes pœnas & censuras, latas per dictam Constitutionem & a jure „ adversus refractarios, & eos qui sustinerent propositiones in eadem Constitutione damnatas. Pronuntiatum a Judice ordinario Diœcesis & Officialitatis &c.

Hæc sententia fuit quidem publicata in Curia Officialis, & prædicto Pastori per Apparitorem insinuata; sed nullibi coram populo promulgata fuit; nec Pastor ille unquam nominatim tamquam excommunicatus denuntiatus est.

QUÆRITUR.

An vigore hujus sententiæ censendus sit prædictus Pastor excommunicatus? & in tantum debeat evitari ut possit publice repelli a sacra Communione, tamquam excommunicatus?

RESOLUTIO.

Notorium est quod in Bulla *Unigenitus*, nulla specialis censura exprimatur adversus illos, qui Bullam illam acceptare renuunt; imo nec adversus eos, qui aliquam ex propositionibus 101. per hanc Bullam censuratis sustinent aut defendunt; sed solummodo contra hos decernatur eos incidisse in censuras a jure expressas: Cum autem in jure non reperiatur expressa excommunicatio nisi in illos, qui cum pertinacia sustinent propositionem hæreticam, non potest dici quemquam vigore hujus Bullæ incidisse in excommunicationem, nisi probetur ipsum cum pertinacia sustinuisse propositionem hæreticam.

Cum autem in Casu supponatur, quod prædictus Pastor interrogatus a Judice agnoverit aliquas ex propositionibus, prout in Bulla exprimuntur, esse falsas, & Pontifex non designet quæ & quot propositiones ut hæreticæ condemnentur, evidens est, quod ex responso Pastoris non liqueat quod aliquam propositionem, ut hæreticam per hanc Bullam censuratam, cum pertinacia sustinere prætenderit; quandoquidem fieri possit ut solæ illæ propositiones, quas ipse Pastor, prout in Bulla continentur, dixit esse falsas, sint ut hæreticæ in hac Bulla condemnatæ.

Præterea cum supponeretur, Pastorem, de quo in Casu, sustinuisse coram Judice propositiones in hac Bulla expressas esse vere Catholicas, idque cum pertinacia; atque ob eam juste declaratus fuisset per Judicem incidisse in censuras juris in Bulla comminatas contra eos, qui has propositiones vel etiam earum unam sustinerent vel defenderent, nihilominus certum est quod ob hanc latam per Judicem sententiam Declaratoriam, & in Curia Ecclesiastica pronuntiatam, & Pastori per Apparitorem intimatam, non possit prædicto Pastori tamquam excommunicato, hactenus sacra Com-

Communio publice denegari.

Notorium enim eſt quod juxta Extravagantem Martini V. quæ incipit *ad Evitanda*, per univerſam Eccleſiam, etiam in Gallia uſu receptam & admiſſam : „ nemo „ deinceps a communione alicujus in Sa„ cramentorum adminiſtratione vel rece„ ptione, aut aliis quibuſcumque Divi„ nis vel extra, prætextu cujuſcumque ſen„ tentiæ aut Cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſuſpen„ ſionis aut prohibitionis ab homine vel a „ jure generaliter promulgatæ, teneatur „ abſtinere vel aliquem vitare... niſi ſen„ tentia, prohibitio, ſuſpenſio vel cenſu„ ra hujuſmodi fuerit in vel contra per„ ſonam a Judice publicata vel denunciata „ ſpecialiter & expreſſe. „

Ex quibus ſequitur nequaquam ſufficere, quod in aliquem ſpecialiter & expreſſe, ideſt nominatim ſententia excommunicationis lata ſive promulgata ſit, ſed inſuper requiri, ut a Judice denuntiata, ſeu publicata fuerit; quemadmodum obſervat Suareſius, Diſp. 9. ſect. 2. Num. 8. additque quod licet Decretum loquatur disjunctive, *niſi ſententia a Judice fuerit publicata*, *vel denuntiata*, nihilominus conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, ita legem illam acceptaverit & interpretata ſit; quia hoc eſt maxime conſentaneum fini illius legis, ſcilicet *ad evitanda ſcandala* &c.

Deinde hæc interpretatio non diſcordat a rigore & proprietate litteræ; quia duo illa verba *publicata* vel *denuntiata* non ponuntur disjunctive tamquam diverſa, ſed tamquam æquipollentia; niſi quod participium *publicata*, proprie referatur ad cenſuram vel ſententiam, *denuntiata* vero ad perſonam.

Itaque ut excommunicatus debeat evitari, non ſufficit quod Judex ſedens pro tribunali publice ſententiam pronuntiaverit, ſed requiritur, ut inſuper hæc ſententia ſit publicata, & excommunicatus publice ut talis ſit denuntiatus.

Publicatio autem hæc ita fieri debet, ut vi ſimilis promulgationis ſive publicationis in communem omnium notitiam venire poſſit. Unde ſuperlaudatus Suareſius loc. cit. ſect. 2. n. 9. dicit promulgationem ſententiæ excommunicationis ita faciendam eſſe, ut actione aliqua publica, & communi conſuetudine uſitata ad res juridice promulgandas, publicata ſit.

Quin imo notat idem Author, ead. ſect. Num. 8. adeo neceſſariam eſſe illam publicationem, ut ipſemet *Parochus*; etiamſi ſecum habeat ſententiam declaratoriam factam contra talem perſonam, non teneatur illam vitare, donec publice, tempore præſcripto, illam denuntiet.

Itaque cenſent infraſcripti, Parochum ſine ſumma injuria & injuſtitia, non poſſe in caſu propoſito huic Presbytero ſacram Communionem publice petenti denegari, etiamſi ejus Superior idipſum ei mandaſſet; quin mandatum illud notorie injuſtum eſt, & contra prædictam Bullam Martini V. ab univerſali Eccleſia ubique receptam.

(Hæc caſus poſitio reſoluta fuit ab Eſpenio, & quibusdam aliis Lovanienſibus).

Anno 1715.

QUÆ-



XX.

QUÆSITUM.

Utrum Regula quarta Indicis in Belgio fuerit recepta & publicata? (a)

ab *Espenio* & duobus aliis Lovaniensibus resolutum.

[*Nunc primum editum.*]

CUm anno 1564. Pius IV. Indicem librorum prohibitorum vulgo Tridentinum, cum adjunctis quibusdam Regulis, quas *Indicis* vocamus, evulgasset, & ab omnibus observari præcepisset per Constitutionem, quæ incipit *Domini Gregis*, plures super hoc Indice librorum hic in Belgio difficultates motæ fuere.

Cum enim in dicto *Indice* permulti libri in omni facultate scientiaque comperti essent, qui alias castigati & a zizaniis impuræ doctrinæ opinionumque emendati bona sui parte utiliter & cum fructu legi posse viderentur, & quorum in Belgio exemplarium erat ingens copia, Dux Albanus Belgii Gubernator jussit nomine Philippi II. Regis Hispaniarum & Belgii Principis, libros hoc Indice contentos, (exceptis Hæresiarcharum libris,) conservari, eosque inter Prælatos, Academias, & viros eruditos suarum Provinciarum distribui, ut singuli in partibus ejus sibi creditis summa ope & alacri studio ita versentur, quo ista librorum prædictorum expurgatio commodius breviusque procederet, & adimpleretur.

Hac porro recognitione & expurgatione, per Prælatos & Academias & viros doctos peracta, idem prædictus Dux Albanus, ut operi huic ultima manus apponeretur, Collegium Censorum in Civitate Antverpiensi instituit, cui ex Ordine Ecclesiastico præfuit quidam Episcopus, & nomine Regio nominatissimus ille Theologus Arias Montanus: hi porro Censores maturo consilio & diligentia, excussis & examinatis iis quæ per Prælatos, & Academias & viros doctos circa libros in Indice Romano contentos, fuerant annotata, tandem convenientem ea de re confecerunt Censuram, seu libellum sub hoc titulo: *Index Expurgatorius*.

Istos autem Censores non tantum libros in Indice Romano proscriptos, sed & ipsas Regulas Indicis per Pium IV. confectas & eidem adjunctas, excussisse, vel inde compertum est, quod sicuti in hoc Indice expurgatorio declararunt, interdictionem librorum in hoc Indice Romano contentorum non esse simpliciter in hisce Provinciis recipiendam, sed quosdam ex illis libris, vel cum aliqua expurgatione, vel etiam nulla, esse permittendos: ita quoque non obscure declaratum, quasdam dumtaxat ex illis Regulis esse recipiendas.

Huic enim Indici expurgatorio quatuor tantummodo ex prædictis Regulis Indicis, scilicet 2. 5. 7. & 8. præfixerunt sub hoc titulo: *Regulæ ex Concilio Tridentino*.

Argumentum evidens, quod hi Censores crediderint, admissionem aliarum Regularum hisce in Provinciis nequaquam convenire.

Hic vero *Index*, una cum prædictis quatuor Regulis, jussu Ducis Albani evulgatus, speciali Edicto Regio de ultima Julii anno 1571. probatus fuit, quo mandat, hunc Indicem in hisce Provinciis ab omnibus servari, & juxta illum procedi: præmittiturque huic Indici immediate post illud Edictum, hoc expressum monitum litteris majusculis: „ Cavetur etiam, ne quis „ hunc *Indicem* aliqua parte augeat vel mi„ nuat, neve ex impressis manuscriptum „ exprimat, citra Gubernatoris & consilii „ authoritatem.

Post

(a) Vide *Supplem. in Jus Universum* &c. Part. 4. Tit. XXII. Cap. V. nec non Tract. De Promulgatione Legum &c. Parte 4. Cap. II. §. 3.

Post hanc publicationem nulla legitur, hic in Belgio, prædicti *Indicis* Romani, aut Regularum eidem subjectarum facta aut postulata publicatio. Igitur cum in hac publicatione quatuor dumtaxat Regulæ fuerint comprehensæ, remissis reliquis, scilicet 1. 3. 4. 6. 9. & 10. concludendum, has Regulas hic nunquam fuisse publicatas aut receptas; quin imo Judicatum fuisse earum publicationem aut receptionem in hisce Provinciis non expedire: si enim harum receptionem & publicationem Collegium convenientem existimasset, quis dubitet, quin eas ac nominatim quartam, cum aliis quatuor Regulis expressisset, & observari voluisset.

Occurrit quidem in Synodo Provinciali Cameracensi, anni 1586., Tit. 1. Cap. 4. Decretum in hæc verba: *non permittantur cuivis de populo libri Sacræ Scripturæ lingua vernacula, contra 4. Regulam Indicis librorum prohibitorum; nisi de licentia Episcoporum aut Deputatorum ab iis.* Sed hoc Decretum non videtur posse dici habere vim publicationis hujus Regulæ; (præsertim contra prædictum Edictum Regium) quo non obscure, ex Judicio Collegii Censorum, hæc Regula IV. tamquam hisce Provinciis non conveniens non fuit admissa.

Deinde tametsi ad hanc Synodum emanaverit Edictum Philippi II. tamen notandum quod hoc Edictum non concernat nisi quædam *puncta* ibidem nominatim expressa, & ad quorum executionem auctoritas Regia specialiter visa fuit ipsis Synodi Patribus necessaria. Inter ista autem puncta nihil reperitur concernens hanc IV. Regulam *Indicis*. Ita Resolutum Lovanii 28. Julii 1717.

(*Et erat signatum:*)

F. *Verschuren*, S. T. Doctor. Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & Prof. J. *Opstraet*, S. Th. Licent.



XXI.

R E S O L U T I O.

Circa jura Parochialia Abbatis St. Trudonis, in sui Monasterii famulos.

[*Nunc primum edita.*]

AD prioris Quæsiti primum membrum: *si adjunctum Extractum attentionem mereatur?* Respondetur, hoc Extractum nullam fidem facere posse ad probandum jura illa, de quibus in Extracto, Pastori seu Vicario Parochialis Ecclesiæ B. M. competere.

Cum enim hoc Extractum non contineat nisi privatam Declarationem, manu Pastoris scriptam & signatam, non potest hæc ullam fidem facere ad jura Pastori asserenda; quandoquidem indubitatum sit, fidem non mereri privatam alicujus scripturam, in proprium suum commodum scriptam. Præsertim quando nulla fortia concurrunt adminicula, quæ fidem ejus adstruant, prout in casu præsenti; ubi e contrario plura occurrunt, quæ fidem ejus enervant, ut ex responso ad alia quæsita constabit.

Ad alterum Quæsiti membrum, indubitatum est jura illa, de quibus in quæsito, consuevisse regulari juxta receptas hactenus observantias: multumque in hisce valere antiquam consuetudinem.

Cum igitur in casus positione asseratur, a tempore memoriam hominum excedente, sive a tempore *immemoriali*, Sacramenta fuisse administrata familiaribus ejus Domesticis famulisque R. D. Abbatis vel Abbatiæ S. Trudonis, per Presbyterum seu Regularem seu sæcularem *Constitutum* ipsius Abbatis, nec non eos per eumdem fuisse sepultos, & hactenus sepeliri; quin & in ipsa Abbatia haberi ab antiquo locum hisce famulis sepeliendis speciatim deputatum, qui vulgo dicitur *Cœmeterium famulorum*;

rum: Censet infrascriptus, quod non obstante prædicto Extractu, jus administrandi Sacramenta hisce famulis, eosque sepeliendi integrum debere manere dicto *Constituto*, titulo immemorialis consuetudinis, quæ vicem Tituli, dum de illo non apparet, supplet.

Ad secundum. In casus positione asseritur, famulos, de quibus in quæstione, a tempore immemoriali Communionem suam Paschalem fecisse in Ecclesia Abbatiæ: item quod ipsis quoque a tempore similiter immemoriali, fuerint administrata Sacramenta per *Constitutum* Abbatis, atque per eumdem fuisse sepultos, in loco eorum sepulturæ speciatim destinato, qui vulgo *Cœmeterium famulorum* dici consuevit, uti supra notatum est.

Quæ omnia cum sint *Pastoralia*, nequaquam dubitari posse videtur, quin Abbas sive ejus *Constitutus* reputandus sit horum famulorum Pastor sive Curatus; quodque similes famuli, etiam quoad curam animarum, Abbati sive *Constituto* sint subjecti; quamdiu intra Monasterium, tamquam ejusdem Monasterio inservientes morantur: ut proinde mirum non sit, hunc *Constitutum* vulgo dictum fuisse Pastorem famulorum.

Et sane cum in casu dicatur, Monasterium S. *Trudonis* fuisse fundatum ante Ecclesiam Parochialem B. M. hancque sitam esse in fundo Monasterii, atque Abbatem ejusdem Ecclesiæ esse Patronum & Collatorem, admodum verisimile est Ecclesiam Monasterii reputandam esse pro Ecclesia Matrice; ac per consequens, in hujus Ecclesiæ Parochialis erectione vel Vicariæ perpetuæ, etiam Abbatis vel Monasterii consensum intervenisse.


Porro consuetum in novæ Ecclesiæ erectione jura aliqua Ecclesiæ Matrici reservari, quæ sub nomine *honoris* expressit Alexander III. in Cap. *ad audientiam* 3. *de ædificandis Ecclesiis*; ubi & honor ille Matrici Ecclesiæ servandus dicitur. Itaque ex illis, quæ a tempore immemoriali per Abbatem seu ejus *Constitutum* servata fuerunt circa prædictos famulos, admodum verisimile evadit, quod in erectione hujus Parochialis Ecclesiæ, jus Parochiale fuerit reservatum Abbati seu Ecclesiæ Abbatiali, respectu omnium, qui ad servitium Monasterii intra septa Monasterii sub obedientia Abbatis morarentur.

Censet perinde infrascriptus, quod Abbas ejusve *Constitutus* sit reputandus ut Pastor dictorum famulorum, atque ipsos, eo pro tempore quo in Monasterio ejus habitant & famulantur, non censeri Parochianos Ecclesiæ Parochialis B. M. atque per consequens testimoniales pro obtinenda dispensatione super proclamationibus Matrimonialibus esse expediendas cum attestatione Abbatis, sive ejus *Constituti*, tamquam eorum Pastoris. Ita responsum Lovanii hac 14. Martii 1718.

(*Erat signatum.*)

Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof.

RE-



XXII.

RESPONSUM JURIS,

Circa suspensionem D. *van Roost*, Canonici & Plebani Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis.

CASUS POSITIO.

Reverendus Dominus Guilielmus van Roost, (*a*) Canonicus & Plebanus Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis per rumorem publicum probe informatus de sinistro in ipsum affectu Excellentissimi ac Reverendissimi sui Archiepiscopi, eo quod ad ipsum D. Archiepiscopum delatus esset quasi recusaret acceptare Bullam Pontificiam, quæ incipit *Unigenitus*; cujus acceptationem multum urgere Dominum Archiepiscopum sciebat; ac propterea veritus sibi imminere grave aliquid, puta Censuram suspensionis, obtulit Cæsareæ & Catholicæ suæ Majestati in Concilio Status 3. Novembris 1718. libellum supplicem hisce junctum, sub Litt. A. Super quo Libello prædictum Concilium Status requisivit advisamentum Excellentissimi Domini Archiepiscopi per Apostillam de data ejusdem 3. Novembris, quod & eadem die legitime insinuatum fuit præfato Domino Archiepiscopo per litteras clausas, uti moris est.

Deinde 4. Novembris habitum fuit Capitulum ordinarium sub juramento, in quo Excellentissimus Dominus a dicto Domino Plebano petiit, an admitteret Constitutionem *Unigenitus*, an non? Ad quod idem Dominus Plebanus respondit causam suam esse in manibus Cæsaris juxta litteras heri ipsi insinuatas, & eo dicto, Capitulo exivit.

Postridie vero, ad instantiam Procuratoris Officii, Dominus Archiepiscopus expedivit litteras Citatoriales ad onus dicti Domini Plebani hisce junctas, ad finem ut die 10. dicti mensis Novembris personaliter compareat, & interim nulla alia prævia citatione super prætenso delicto, neque præmissa ulla Canonica monitione processit ad suspensionem *a Divinis & Pastoralibus functionibus*, ut latius in dictis litteris, sub Litt. B.

QUÆRITUR.

Utrum dicta suspensio sit valida?

RESOLUTIO.

Pro resolutione propositi casus prænotandum.

Primo suspensionem a Divinis vel ab officio aut beneficio, duplici modo sive forma infligi posse, scilicet per modum meræ & simplicis pœnæ in punitionem & satisfactionem perpetrati delicti, eoque casu habet rationem pœnæ vindicativæ.

Alio modo infligitur in modum censuræ, eoque casu proprie non tam infligitur in vindictam & satisfactionem perpetrati criminis, sed ut a crimine commisso Reus retrahatur, & per suspensionem ad obediendum Judici monenti, & eum curare & a crimine avocare volenti pareat; atque propterea non tam censetur infligi in vindictam & satisfactionem commissi delicti, sed potius per modum medicinæ, ut propterea dicatur pœna *medicinalis*.

Nec tam respicit præteritum & commissum delictum quam futurum, sive perseverantiam sive contumaciam in delicto. Hanc duplicem suspensionis speciem & formam notant tam Theologi quam Canonistæ: *Loquendo de propria suspensione Ecclesiastica*, ait Suaresius de Censuris, Disput. XXV. sect. 2. Num. 4. *potest dividi in eam quæ proprie est censura, & eam quæ est pure pœna*.

Eamdem suspensionis divisionem observavit & latius probavit Marius Alterius, Romanus, Canonicus Vaticanæ Ecclesiæ sancti

(*a*) Vide Lucubrationem cui titulus: *Memoires historiques* &c. des Païs Bas Autrichiens T. I. p. 121. & seq.

sancti Petri in speciali suo opere de Censuris, *tom.* 2. *Disp.* 1. *Cap.* 1. eamque ab omnibus passim Doctoribus notari & in praxi receptam testatur, atque inter utramque intercedentes differentias ibidem observat.

Imprimis quia suspensio inflicta per modum pœnæ vindicativæ imponitur in meram pœnam & punitionem perpetrati criminis, monent communiter Doctores quod hæc imponi soleat ad certum tempus pro ratione & qualitate delicti.

At vero suspensio inflicta per modum *Censuræ* ad certum ac determinatum tempus restringi ac determinari nequeat: *Hæc enim suspensio, uti & omnis alia Censura,* ait Suaresius dicta Disp. sect. 1. Num. 3. *præcipue fertur ad reprimendam contumaciam, & ut homo a culpa recedat, ideoque non potest habere alium terminum nisi* DONEC RECEDAT *ab illa*.

Hanc inter suspensionem inflictam per modum meræ pœnæ & in modum Censuræ differentiam latius exponit Marius Alterius in citato opere, *tom.* 2. *Disput.* 7. *Cap.* 2.

Hinc & concluditur suspensionem, prout est censura, non nisi ferri per provisionem sive interim, eo quod non feratur nisi duratura donec Reus satisfaciat, sive donec resipiscat, ideoque sive addantur illa verba, *per provisionem sive interim*, hæc nihil mutant de natura ipsius censuræ, quia in effectu nihil significant, nisi durationem Censuræ donec satisfaciat, & Reus a contumacia resipiscat, quæ in omni censura includuntur.

Ex prædictis autem ulterius habetur, quod cum suspensio ita inflicta habeat rationem veræ Censuræ atque nomine Censuræ veniat, juxta Responsum Inn. III. *in Cap.* 20. *Extra de verborum significatione*, ubi quærenti quid per Censuram intelligatur, respondit: quod per eam non *solum interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia valeat intelligi*.

Ex his concludunt uno consensu Doctores, formam & ordinem judicialem in proferenda sententia suspensionis, ut est *Censura*, esse servandum, qui de jure in prolatione excommunicationis & interdicti præscriptus est.

Secundo itaque notandum, inter defectus essentiales censuræ ab omnibus referri omissionem citationis, & auditionis ejus, cui Censura inuritur.

Unde quærens Suaresius de Censuris *Disput.* 4. *sect.* 7. utrum defectus seu error in sententia debeat esse expressus, ut sententiam reddat *nullam*, ait num. 37. *Quando sententia est nulla ex defectu jurisdictionis*, CITATIONIS *aut alterius rei similis pertinentis secundum jura ad* SUBSTANTIALEM *solemnitatem sententiæ, tunc verum est sententiam esse* NULLAM, *etiamsi talis defectus in sententia non exprimatur*.

Quin citatus Marius Alterius asserere non dubitat, etiam sententiam declaratoriam, *quod aliquis inciderit in Censuram, non posse fieri sine* CITATIONE *& antequam audiatur & contumax judicetur, & si fiat declaratio absque ulla* CITATIONE *& auditione, est ipso jure nulla, & nullum impedimentum adfert quominus gesta per obstrictum censuris valeant*.

Quin & Covarruvias ad Cap. ALMA MATER, *part.* 1. *Cap.* 9. *Num.* 5. monet declarationem juridicam de Censura *ipso jure* contracta non esse faciendam, nisi prius, *citata* parte, *juridice* de crimine constet; & aliter factam declarationem *nullam* esse ipso jure.

Cum igitur forma eadem requiratur in prolatione suspensionis, quæ in aliis censuris, consequens est omissionem *citationis* nullam & invalidam reddere suspensionem.

Quandoquidem informationes præparatoriæ super crimine capiantur parte nec citata nec audita, sequitur Censuram ex his informationibus præparatoriis per Judicem in Reum ferri non posse; etiamsi forsitan ex hisce informationibus summarie constaret de crimine per Reum perpetrato: quia pars nec citata nec audita fuit. Et cum Censura præsertim suspensionis a Divinis & Officio sit pœna ordinaria eaque gravissima, non potest imponi ex processu summario & cognitione summaria, uti recte advertit Franciscus Zypæus in sua Analysi juris novi, *titulo de accusationibus*, *num.* 9. SED EA (ait) *solemnem & plenam cognitionem requirit, quæ instituenda est dum contra aliquem ordinaria punitio intenditur*.

Tertio notandum, quia suspensio, ut est cen-

censura, tendit non tam ad peccantem puniendum, sed vel præcipue ad corrigendum & medendum, ac propterea dicatur pœna *medicinalis*, uti jam pridem monuit Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. *in cap.* 1. *de sent. Excommunicationis in sexto*; ubi de omni specie Censuræ dictum est: *quod cum* MEDICINALIS *sit non mortalis, disciplinans non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, causæ provideat Judex Ecclesiasticus ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis.*

Licet enim sub initium de excommunicatione loquatur, postmodum tamen expresse monet, & *hæc eadem in* SUSPENSIONIS & *Interdicti sententiis velle observari.*

Quare communiter tradunt tam Canonistæ quam Theologi, hæc non sola de excommunicatione, sed de omni specie Censuræ dicta esse; quodque nec minus in *suspensione* ferenda Judex ostendere debeat *se prosequi quod corrigentis fuerit & medentis, quam in ferenda excommunicatione.*

Et licet omnis pœna Ecclesiastica aliquo modo tendat ad correctionem vel ipsius criminosi vel aliorum, qui occasione inflictæ pœnæ a peccato retrahuntur; nihilominus Censura longe alio modo est medicinalis pœna, uti monet & exponit Suaresius de Censuris *Disput.* 4. *sect.* 5. *Num.* 10. *Nam*, ait, PER SE *intendit non solum præcavere futura peccata, sed potius* PER SE *primo curare peccatorem a peccato commisso, & liberare illum a statu, in quo* PERMANET *ratione talis peccati.*

Quarto notandum, censuram ferri non posse in aliquem, nisi in peccato suo hæreat, indigeatque severiori remedio, ut a peccato sanetur atque resipiscat.

Deinde cum Judex in ferenda Censura ostendere debeat se prosequi, *quod corrigentis fuerit & medentis*, inquirendum est, priusquam infligatur Censura, num delinquens in suo peccato aut inobedientia *contumaciter* hærere præsumat; neque suaviori modo in viam salutis reduci possit aut corrigi.

Ex his consequens est, censuram ab homine ferri non posse, nisi in eum, qui *contumaciter* probatus sit hærere in peccato: nec posse censuram *valide* ferri nulla præcedente *contumacia*, ut pluribus adductis tam Canonistis quam Theologis probat Suaresius loco citato *sect.* 5. *Num.* 6.

Quinto notandum, jam pridem receptum fuisse, ut de hac contumacia Judici constet, atque de ea ipse peccator certius convincatur, monitionem esse præmittendam, eamque *trinam*: hæcque monitio in jure nostro vocatur Canonica vel competens, eamque supponit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. *in cap.* 9. *de sent. Excommunicationis in VI.* volens ut *inter monitiones Canonicas, quas statuunt jura præmitti, Judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquot dierum competentia intervalla; nisi facti necessitas aliter suaserit moderanda.*

Permittit quidem Concilium temporum intervalla Judici moderare, si facti necessitas aliter suaserit: ita tamen ut Judex tempus sufficiens ad resipiscentiam largiatur, uti recte notavit Suaresius *Disput.* 3. *sect.* 9. *Num.* 4. additque non videri *permissum ut propter ullam necessitatem admonitio omnino prætermittatur, nullumque tempus ad resipiscentiam concedatur.*

Ratio est quia dum Censura fertur ab homine, non fertur absolute ad puniendum commissum delictum, sed ut Reus ab illo resipiscat; & ex hac parte jam respicit futurum, ut ibidem monet Suaresius *Num.* 7. ET IDEO, ait, *ferri non potest sine aliquo genere admonitionis, quia non potest absolute ferri, sed conditionali modo, scilicet nisi intra tale tempus resipueris vel satisfeceris, talem Censuram incurres: in hac autem forma ferendi Censuram intrinsece includitur admonitio.*

Hinc rursus habetur Censuram non posse ferri *absolute*, sed dumtaxat quasi *provisionaliter* & *interim*, idest donec satisfecerit sive resipiscat; ideoque verba illa *per provisionem* sive *interim* nihil immutare de essentia ipsius Censuræ.

Id quod de Censuris in genere dixit Suaresius (nimirum omnino necessariam esse præviam admonitionem) idipsum de suspensione monuit Alterius *tom.* 2. *Disput.* 7. *Num.* 2. proposito dubio, *An reperiatur aliquis casus, in quo Censura* SUSPENSIONIS *ferri possit a Judice sine* PRÆVIA MONITIONE? *resolvit simpliciter esse respondendum ad*

ad dubitationem, nequaquam posse imponi ab homine pœnam SUSPENSIONIS *aut excommunicationis, quæ revera novum vinculum & novum nocumentum inferat, in eum qui non fuerit* PRÆMONITUS.

Hanc necessitatem præmittendi monitionem Canonicam ante sententiam suspensionis agnoscunt & tamquam certam supponunt Canonistæ.

Hinc Navarrus in suo Manuali, *cap.* 27. *Num.* 159. tamquam indubitatum asserit, quod sicut excommunicationem præcedere *debet monitio*, ita quoque præcedere debet *suspensionem*.

Demum Antonius Diana *part.* 5. *Tract.* 9. *Resol.* 55. asserere non dubitat: *Certum est censuram non posse* VALIDE *ferri, ac proinde nec* INCURRI, *nisi ob peccatum exterius inobedientiæ seu* CONTUMACIÆ *respectu Ecclesiæ; unde dictum est excommunicationem majorem,* SUSPENSIONEM *& interdictum non posse* VALIDE *ferri ob peccatum exterius præteritum, factum absque inobedientia seu* CONTUMACIA *respectu Ecclesiæ seu Ministrorum ejus, idest quando non præcessit aliqua* JURIDICA MONITIO, *qua monuerat opus illud peccaminosum non esse faciendum.*

Nec tantum ante inflictionem censuræ necessaria est prævia monitio; sed requiritur præterea, monitionem hanc fieri authoritate & nomine ipsius Judicis: *Ratio est manifesta*, ait Suarez Disput. III. Sect. XI. Num. 1. *quia admonitio talis esse debet ut si quis non pareat contumax & inobediens existat: quod esse non potest nisi admonitio authoritate Superioris facta sit.*

Quin ex præscripto Concilii Lateranensis sub Innocentio III. *cap.* 48. *extra de Sent. excommunicat.* ADMONITIO *fieri debet personis præsentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio.*

Verum quidem est ab hoc Concilii Lateranensis præscripto, quoad præsentiam personarum, hodie in praxi non nihil esse recessum, uti etiam observat Dominus du Casse Archidiaconus & Officialis Condomensis, in sua praxi Jurisdictionis Ecclesiasticæ Tom. I. Cap. II. Num. 3. sub finem: QUIA, ait, *hæ monitiones fiunt in scriptis & vigore mandati Superioris, quod intimatur parti opera Apparitoris Curiæ, qui relicta ipsi parti copia de facta admonitione, per suam relationem ad calcem originalis appositam sufficienter constare facit.*

Sexto notandum speciale esse in prolatione Censuræ, quod ipsa Sententia Censuræ non tantum proferenda sit in scriptis, sed insuper requiritur, ex præscripto Concilii Lugdunensis *in cap.* I. *de Sent. Excommunicat. in VI.* ut Judex causam Censuræ expresse conscribat, propter quam Censura profertur.

HIs præmissis, ad resolutionem propositi Casus & inde formatæ quæstionis descendendo, censent Infrascripti.

Imprimis liquido constare ex tenore Decreti suspensionis de data quinta Novembris 1718. & litteris Citatorialibus inserti, suspensionem hanc esse inflictam non in meram pœnam sive punitionem & satisfactionem perpetrati delicti, sed per modum Censuræ, ut ea mediante Dominus Plebanus a contumacia seu pertinacia in delicto, de qua quæstio, retraheretur.

Constat enim hanc suspensionem non esse determinatam ad certum tempus (quemadmodum fieri consuevit dum infligitur per modum pœnæ vindicativæ, sive per modum punitionis & satisfactionis perpetrati delicti, ut patet ex prædictis Notabili primo) sed donec satisfecerit sive obedierit præcepto Superioris, eum a contumacia & perseverantia in delicto retrahere & sanare per hanc suspensionem tanquam pœnam medicinalem volentis, in verbis: *Donec vel præfatam Bullam acceptaverit, vel responsione personali ejus visa alias ordinaverimus:* quæ est notoria Formula suspensionis ut est Censura Ecclesiastica, uti ex dictis patescit.

Proinde de validitate vel invaliditate hujus suspensionis, judicandum est juxta regulas in prolatione Censurarum a jure præscriptas.

Itaque cum ex præscripto Concilii Lugdunensis cautum sit, ut Judex in prolatione *Sententiæ causam censuræ expresse conscribat, propter quam Censura profertur*, uti patet ex Notabili sexto, consequens est, nullam aliam hujus suspensionis causam fuisse, aut reputari posse nisi hanc unicam, quod Dominus Plebanus Bullam Pontificiam, quæ incipit *Unigenitus*, recusasse dicatur; quan-

quandoquidem hæc unica ratio in sententia conscribatur, atque ipsa Censura unice tendat ad inducendum Dominum Plebanum ad acceptationem prædictæ Bullæ in verbis: *Donec præfatam Bullam acceptaverit*.

Porro Censura inferri nequit nisi subsit causa non tantum rationabilis, sed & manifesta, juxta Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. *in Cap.* 48. *extra de sent. Excommunicationis*, his verbis: *Judices caveant diligenter ne ad excommunicationem cujusquam absque* MANIFESTA *& rationabili causa procedant*. Quin nec sufficit ad inflictionem Censuræ causam esse rationabilem & manifestam, sed insuper requiritur ut rationabilis & manifesta sit probata ipsi Judici; uti notant Interpretes post Glossographum ad citatum caput 48. qui ad verbum *rationabili* addit: *coram ipso Judice probata*.

Hinc Suaresius reflectens ad præcitatum Decretum Concilii Lateranensis ait: *Manifeste autem, si sit non solum Judici privatim nota, sed etiam* JURIDICE *probata*: rationem reddit *Disput.* 7. *Sect.* 7. *Num.* 4. *Nec enim satis est*, ait, *quod causa in re subsit, si sit occulta, quia Judex humanus non potest de sibi occultis judicare: est autem occulta quoad effectum ferendi sententiam quamdiu juridice probata non est, etiamsi alioquin privatim nota sit illi homini, qui Judex est*.

Itaque priusquam ad suspensionem, de qua in casu, posset procedi, requirebatur ut non tantum ipsi Domino Archiepiscopo sive Judici privatim innotuisset, Dominum Plebanum recusare Bullam, quæ incipit *Unigenitus*, acceptare, sed insuper quod hæc recusatio ipsi Domino Archiepiscopo uti Judici fuisset juridice probata.

Ex his, quæ in casu proponuntur, manifestum est, causam in Decreto suspensionis conscriptam, scilicet recusationem acceptandi prædictam Bullam Pontificiam non fuisse Judici juridice probatam; quandoquidem, uti in casu proposito asseritur, nuuquam Dominus Plebanus a Judice aut ejus authoritate fuerit legitime interrogatus super acceptatione hujus Bullæ ante diem 4. Novembris, quando Dominus Archiepiscopus in Capitulo, cui in qualitate Canonici aderat Dominus Plebanus, & Dominus Archiepiscopus præsidebat, ipsum in qualitate præsidentis interrogavit, utrum acceptare vellet Bullam Pontificiam, quæ incipit *Unigenitus*, adeoque ante hanc per Dominum Archiepiscopum factam interrogationem, non potest vel in specie Dominus Plebanus dici recusasse acceptationem sæpe dictæ Bullæ ad effectum, ut hæc recusatio præberet rationabilem causam suspensionis aut pœnæ Ecclesiasticæ: cum certum sit neminem constringi, præsertim ut incurrat pœnam in foro externo, facere professionem suæ fidei, nisi legitime fuerit interrogatus.

Præterea si attendatur responsum Domini Plebani, datum in Capitulo ad interrogationem Domini Archiepiscopi, his verbis in casu expressum, *causam suam esse in manibus Cæsaris juxta litteras heri ipsi insinuatas*, constat Dominum Plebanum nec tunc absolute recusasse acceptationem hujus Bullæ, sed dumtaxat requisivisse aliqualem dilationem in dando categorico responso ad interrogationem sibi factam.

Quo autem hæc petita dilatio tenderet, nullatenus latere poterat Dominum Archiepiscopum: evidens enim erat in hoc responso Dominum Plebanum per hæc verba, *Causam suam esse in manibus Cæsaris, juxta litteras ipsi* (Domino Archiepiscopo) *heri insinuatas*, sese referre voluisse ad libellum Concilio Status oblatum, & Domino Archiepiscopo communicatum & insinuatum die tertia mensis Novembris, pridie ante interrogationem factam in Capitulo, hic annexum.

Ex hoc porro libello cognoscere poterat Dominus Archiepiscopus hanc petitam a Domino Plebano dilationem, nequaquam reputandam frivolam aut frustratoriam, sed fundatam in debita obedientia, quam subditi, seu Laici seu Ecclesiastici, debent legitimo suo Principi.

Hoc unum enim a suo Principe edoceri postulabat Dominus Plebanus per suum libellum supplicem, utrum conformiter ad sua Edicta, Bulla Pontificia, cujus ab ipso petebatur acceptatio, esset legitime placetata, sive per Principem admissa ad eum effectum, ut in suis Provinciis per modum legis posset promulgari, & ad ejus acceptationem & professionem subditi ejus per cen-

censuras aliasve pœnas constringi.

Insuper ex rationibus per Dominum Plebanum expositis in libello suo supplici Concilio Status oblato, & Domino Archiepiscopo communicato & insinuato, cognosci poterat dubium de Principis voluntate super publicatione hujus Bullæ suo non caruisse fundamento; meritoque Dominum Plebanum ad Concilium Status recurrisse, ut certior de Principis intentione redderetur, atque ita verbo & exemplo subditis suis debitam erga Principem ejusque leges obedientiam instillaret.

Igitur non apparet, qua ratione Dominum Plebanum tantillam dilationem per suum responsum postulantem super acceptatione hujus Bullæ dici queat acceptationem recusasse; idque ad eum effectum ut hæc recusatio gravissimam hanc censuram mereretur, scilicet suspensionem non tantum ab officiis sive functionibus Pastoralibus, sed insuper a Divinis: qualis suspensio seu Censura ex omnium Doctorum calculo requirit culpam *mortalem*.

Sed etsi supponeretur Dominum Plebanum absolute & simpliciter recusasse acceptationem hujus Bullæ; eamque recusationem sine gravi culpa fieri non potuisse; quin & eam recusationem Domino Archiepiscopo juridice fuisse probatam: nihilominus ad Censuram procedi non poterat sine prævia juridica citatione Domini Plebani, & antequam super hac recusatione auditus fuisset, uti supra probatum est Notabili 5.

Porro cum ex positione casus habeatur, Dominum Plebanum ante inflictam Censuram nec fuisse juridice citatum, nec auditum super hac recusatione, ex omissione præviæ citationis, & contra inauditum inflicta censura, resultat essentialis defectus ipsam censuram nullam & invalidam reddens, uti probatum fuit.

Ulterius certum & indubitatum est, ob solum commissum delictum non posse infligi censuram; sed ultra perpetratum & probatum delictum necessariam esse contumaciam in delicto: eamque contumaciam in delinquente non probari, nisi per prævias legitime factas monitiones, prout supra latius expositum fuit; atque una probatum, inflictam censuram, nisi prævia monitione & ex hac resultante contumacia, esse eo titulo omnino nullam & invalidam.

In casus autem positione asseritur, nullam juridicam & legitimam authoritate Judicis monitionem factam fuisse Domino Plebano post prætensam recusatam acceptationem Bullæ; adeoque nec ullam vel in speciem dici potuisse contumaciam in delicto, sive in prætensa recusatione acceptationis Bullæ. Hinc rursus evidens resultat hujus suspensionis nullitas & defectus essentialis, ut in supradictis latius fuit demonstratum.

Denique ex ipsis litteris Citatorialibus habetur, quod prævie ante Decretum suspensionis nullus processus criminalis fuerit formatus super commisso delicto, sive recusatione Bullæ per Dominum Plebanum, sed dumtaxat dicatur id constare ex præviis informationibus per Promotorem Curiæ Archiepiscopalis factis.

Indubitatum est pœnam ordinariam, qualis est suspensio, de qua in casu, infligi non posse ex cognitione summaria, resultante ex præviis & secretis informationibus, nec parte citata nec audita captis; sed inflictionem similis censuræ seu pœnam ordinariam requirere *solemnem & plenam cognitionem*, ut supra ex Francisco Zypæo notatum est.

Neque dici potest, hanc summariam cognitionem ex præviis illis informationibus habitam potuisse sufficere, eo quod hanc suspensionem Dominus Archiepiscopus non inflixerit nisi *per provisionem & interim*: quandoquidem, ut supra non semel notatum est, suspensio, ut est censura, non potest absolute infligi, sed dumtaxat quasi *provisionaliter*, & interim *sive donec* satisfecerit; ideoque, non obstante hac Clausula *per provisionem & interim*, hanc suspensionem esse veram & gravissimam Censuram, nec potuisse ferri nisi servatis iis, quæ in prolatione Censuræ jura præscribunt.

Itaque censent Infrascripti, Suspensionem, de qua in casu, ob non servatum ordinem judicialem a jure præscriptum, esse nullam & invalidam. Responsum Lovanii hac 26. Novembris 1718. Z. B. *van-Espen*, J. U.D. & SS. Can. Prof. *Amandus Bauwens*, J. U. Doctor & SS. Canonum Prof. Ordin.

In-

Infrascripti supremæ Curiæ Brabantiæ Advocati, viso casu, quæstione & resolutione suprascriptis, declarant se ejusdem opinionis esse cum Clarissimis Dominis præconsultis, ob solidas rationes ibi deductas. Actum Bruxellis 3. Decembris 1718. *De la Chambre*; A. *Descartes*; J. *de Plecker*; R. *Bodry*; J. *de Sweert*, H. *van Hanewyck*; J. B. *de Wilde*; R. C. E. *Swarts*.

Visis per Infrascriptos Curiæ Flandriæ Advocatos consultos superius scriptis, facti specie, quæstione desuper proposita, resolutione Clarissimorum Dominorum Van-Espen & Bauwens, visis etiam copiis Instrumentorum in iis relatis, & omnibus mature perpensis;

Censent Infrascripti suspensionem Archiepiscopi Archi-Diœcesis Mechliniensis prorsus esse invalidam, propter rationes in prædicta resolutione deductas: quibus addi potest suspensionem de qua quæritur per se & ex nunc inferre certum præjudicium Domino Plebano, in quantum eum privat Divinis, & functionibus Pastoralibus; cum tamen ad minus dubium & incertum sit, an deliquerit, quandoquidem in litteris Citatorialibus Archiepiscopi expresse contineatur, dictam suspensionem *provisionaliter* tantum esse *decretam*, *donec vel Bullam* UNIGENITUS *acceptaverit*, *vel responsione personali ejus visa*, *aliter foret ordinatum*. Unde recte concluditur fieri posse, ut dictus Plebanus sua responsione ita se justificaret, & rationes tam solidas allegaret, ut suspensio retrahi posset aut revocari. Certum est etiam dictum præfati Plebani in Capitulo, quod Cæsarea Catholica Sua Majestas jam nunc cœpisset de causa cognoscere, non posset haberi pro renutu aut recusatione acceptationis præmemoratæ Bullæ, sed tantum pro legitima temporisatione ad explorandam mentem Serenissimi sui Principis, an & quomodo propositioni & voluntati Archiepiscopi posset parere: atque ita ex una parte potestati Ecclesiasticæ, ac etiam supremi Principis temporalis potestati ex altera, ratione notissimorum Edictorum concernentium necessitatem placetationis omnium *indistincte* Litterarum, Bullarum & Provisionum Sedis Apostolicæ; & quod dictum Apostoli, *Qui potestati resistit Dei ordinationi resistit*, non solum de Potestatibus Ecclesiasticis, sed etiam de Sæcularibus nemine contradicente intelligatur, & accipienda sit: & consequenter quod prædictus Plebanus in perplexitate constitutus, an & quomodo obedire posset utrique, imprudentissime ageret, si suo proprio motu (spreta suprema authoritate Sæculari, se submitteret Ecclesiasticæ, maxime a suprema potestate sæculari jam sumpta cognitione causæ, admissione libelli Plebani, & petita rescriptione Archiepiscopi) se determinaret ad acceptationem dictæ Bullæ, priusquam non solum idem Archiepiscopus rescripserit, sed etiam suprema potestas sæcularis desuper disposuerit. Actum Gandavi hac quarta die Decembris. MDCCXVIII. *Hoonacker*. B. *van Coukelbergh*. Ph. *de Hondt*. J. D. *Bauwens*.

APPENDIX MONUMENTORUM.

A.

REQUETE

De M. van Rooft, au Confeil d'Etat de Bruxelles.

A l'Empereur & Roi.

GUilliaume van Rooft, Prêtre & Pleban de puis cinq ans de l'Eglife Metropolitane de Malines, reprefente tres humblement a Votre Majefté I. & C. qu'il a été cité dans les formes accoutumées de comparoitre Vendredi prochain, quatre de ce mois de Novembre, au Chapitre de la dite Eglife Metropolitaine; que le bruit Commun & la prefomption bien fondée eft, qu'il n'eft cité que pour lui faire accepter, par la fignature ou autrement, la Conftitution ou Bulle *Unigenitus* affés connuë; à quoi on ajoute que s'il ne le fait pas, il eft un homme perdu.

Or quoi que le Remonftrant foit & ait toujours été tres difpofé à obeir aux volontés du Seigneur Archevêque, il ne croit pas pouvoir en confcience fatisfaire à celle-ci, fans expofer en du refpect à V. M. J. & C. les raifons qui l'en empechent.

Primo, qu'on lui a perfuadé que cette Conftitution n'a point été Vifitée on Examinée felon l'ancien ufage dans aucun Tribunal competant de Sa Majefté, & qu'il n'y a jamais eu enfuite des Lettres Patentes du *Placet*, depêchées en duë forme: on lui a même fait croire que les Placcarts & les loix du Pais requirent ce *Placet* ou *Vifa*, pour toute forte de Bulles, mêmes Dogmatiques, felon le fentiment du Confeiller *Stockmans*, dans fon Traité de *jure Belgarum*, & du Docteur *van-Efpen* dans fon livre du *Placet*, approuvé par le Cenfeur Royal de V. Majefté.

2. Bien qu'on appelle cette Bulle *Unigenitus* une Bulle Dogmatique, elle renferme neanmoins tant de chofes, que les Parlemens de France ont jugé contraires à l'autorité des Evêques, aux droits & à la fureté des Souverains, & aux libertés de l'Eglife, qu'ils n'ont pû fe refoudre à enregiftrer la dite Bulle, malgré les ordres exprès du Feu Roy tres Chrêtien, fans apporter des modifications, des reftrictions & des Exceptions à cet égard; de forte que le Remonftrant, fe croiroit coupable envers Sa M. J. & C. fon legitime Souverain, s'il fe conformoit à la dite Bulle par un figne public fans fon ordre exprès. D'autant plus qu'on lui a perfuadé qu'il ne confte pas jufqu'à prefent que Sa M. J. & C. l'ait reçuë dans fes Etats.

3. On apprend par les Nouvelles publiques, que plufieurs Evêques en France avec leurs Chapitres, une infinité de Curés, tous les Benedictins & autres Religieux & Congregations de France viennent d'appeller de cette Bulle, ou du Pape, dont elle eft emanée, au futur Concile general. Ce qui s'eft pratiqué auffi autrefois dans ces Païs-Bas, comme on apprend par le Placcart du 20. May 1497. imprimé au vol. 1. liv. 1. Rub. 8. des Plac. de Flandre.

On apprend auffi que toute l'Univerfité de Paris, avec fes Quatre Facultés, vient de publier un Appel femblable, avec des Expreffions tres fortes.

4. Enfin il laiffe au très pourvû jugement de V. M. J. & C. & de fon Miniftére Superieur de ces Païs-Bas, s'il feroit de la prudence, pendant que l'on voit toute la France partagée & en trouble à l'occafion de cette Bulle, de vouloir expofer fes Etats aux fuites qui pourroient peut-être arriver de l'acceptation de cette Bulle; & il apprehende qu'on pourroit prendre de mauvaife part, fi le Remontrant accepteroit cette Bulle fans prealablement avoir expofé ce que deffus, & de prendre fon recours à Sa M. J. & C.

La

La suppliant en toute soumission & humilité de declarer comment le Suppliant se doit conduire & comporter au sujet susdit, & de le prendre sous sa protection en cet égard ; & de pourvoir qu'il ne soit atteint d'aucune censure soit de suspension ou autre, pour ne pas avoir accepté pour les raisons preexposées la dite Bulle, par telles voyes & moiens que V. M. J. & C. trouvera convenable.

Et en cas que V. M. J. & C. seroit servie de faire communiquer cette, ou de la renvoier à l'avis du Seigneur Archevêque & Chapitre de la Metropolitaine à Malines, de prevenir par *interim* & par provision la dite censure & tous autres attentats qu'on voudroit exercer contre le Suppliant au sujet susdit, du moins jusques à ce que Sa M. J. & C. ait declaré son intention la dessus. Quoi faisant &c. (*signé*) *Guill. van Roost*, Can. & Pleb. de St. Rom.

[*Exhibée au Conseil d'Etat à Bruxelles, le 3. Nov. 1718. & envoyée le même jour à l'Archevêque, afin de rendre son avis.*]



B.

SENTENCE.

De M. l'Archevêque de Malines pour faire citer le Pleban, & pour le suspendre à *Divinis* & des fonctions Pastorales.

THomas Philippus de Alsatia de Boussu Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii, Sanctissimi Domini nostri D. Clementis Papæ XI. Prælatus Domesticus, ad Exercitus Cæsareos & Regios Delegatus Apostolicus, Sacræ Cæsareæ Catholicæque Majestatis actualis intimus Consiliarius &c.

Omnibus Presbyteris, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis & Apparitoribus Curiæ nostræ juratis salutem in Domino. Cum nobis Promotor Curiæ nostræ Archiepiscopalis exposuerit præparatorie, constare Dominum Guilielmum van Roost, non obstantibus multifariis paternis & amicabilibus admonitionibus eidem factis, Bullam, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius* (quæ debite recepta & publicata fuit non solum in hac Archidiœcesi, juxta Mandatum Amplissimi Domini Vicarii Generalis, Sede vacante, die decima tertia Julii 1714. sed etiam in omnibus aliis Diœcesibus Comprovincialibus) acceptare renuisse, & ob hoc a nobis petierit, & de consilio & assensu Reverendorum Dominorum Deputatorum Capituli nostri Metropolitani, obtinuerit has litteras nostras Citatoriales, vobis & singulis vestrum mandamus, ut citetis personaliter peremptorie coram nobis ad diem jovis proximum hora tertia pomeridiana in Palatio nostro Archiepiscopali Mechliniensi, ad instantiam præfati Promotoris Dominum Guilielmum van Roost, Canonicum & Plebanum Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, dicto Promotori, super eo quod præfatam Bullam, quæ incipit *Unigenitus Dei Filius*, huc usque acceptare renuisset cum gravi Christi Fidelium scandalo & obloquio, & conclusione exinde sumenda ; aliisque de jure, consuetudine & Concordatis Principum ad cognitionem nostram pertinentibus die serviente latius deducendis, quod videbitur responsurum. Interim eundem Dominum Guilielmum van Roost provisionaliter suspendimus a Divinis & Pastoralibus functionibus, donec vel præfatam Bullam acceptaverit, vel responsione personali ejus visa aliter ordinaverimus : & quid in præmissis feceritis nobis fideliter rescribatis. Datum Mechliniæ die quinta mensis Novembris anni Millesimi septingentesimi decimi octavi. *Et erat signatum*, THOMAS ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS. *Inferius habebatur*, De mandato Excellentissimi & Reverendissimi Domini mei Archiepiscopi præfati : *& erat signatum*, J. L. HERMAN Graph. *& sigillatum sigillo prædicti Excel*len-

lentissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi.

Ego Infrascriptus Primarius Apparitor Curiæ Archiepiscopalis Mechliniensis cito te Dominum Guilielmum van Roost Canonicum & Plebanum Ecclesiæ Metropolitanæ Divi Rumoldi in hac Civitate, ad instantiam Promotoris præfatæ Curiæ Archiepiscopalis, ad personaliter & peremptorie comparendum coram Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi, in Palatio suo Archiepiscopali Mechliniæ die jovis proximo, decima hujus mensis Novembris MDCCXVIII. hora tertia pomeridiana, ad audiendum petitionem & conclusionem, quam præfatus Promotor tunc temporis contra te faciet, & sumet ob causas in his litteris contentas: idque cum provisionali suspensione, prout in dictis litteris latius continetur. Actum Mechliniæ hac septima mensis Novembris MDCCXVIII.

Signatum erat,

G. Eychens, Primarius Apparitor.



XXIII.

JUDICIUM ESPENII,

A quibusdam aliis Doctoribus Lovaniensibus subscriptum. An Præpositus Congregationis Oratorii, pro suo arbitrio Comitia dissolvere queat. (a)

CASUS POSITIO.

Singulis trienniis apud Presbyteros Oratorii D. J. in Flandro-Belgicis Provinciis celebrantur Comitia, ad quæ ex Statutis & de more conveniunt omnes Superiores Domorum una cum Deputato cujusque Domus; ubi vero non est Superior sed Pastor est Caput Domus, deputantur duo ex eadem Domo, quibus Episcopus loci, si velit, potest interesse per se vel per Vicarium suum Generalem; obtinens ibidem, si compareat, honoratiorem locum, sed non proponit, neque ullo suffragio gaudet, neque ullam durantibus Comitiis auctoritatem exercet.

Comitiis illis seu Conventui Congregationis legitime convocatæ *Præpositus subest*, uti expresse decernitur Cap. 2. *Constitutionum*.

Ita die 9. Maii 1719. cœpta sunt Comitia triennalia in Domo S. Nicolai *Wasiæ*, in quibus, præmissis præmittendis, electi sunt ex more duo Consultantes, quibus onus incumbit faciendi propositiones ab aliis scripto traditas; ita ut Præpositus nequidem proponat, sed tantum habeat suum suffragium.

Discussis nonnullis propositionibus, processum deinde est ad electionem novi Præpositi; cujus electio, ut legitima sit, debet saltem una integra voce superare mediam partem suffragiorum. Cap. 4. *Constitut.*

Dum suffragia examinantur, reperiuntur prima vice, octo pro A. novem vero pro B., secunda, octo pro A. decem pro B., & tertia vice iterum eodem modo: ut proinde ad electionem B. unicum suffragium deesset, eo quod Electores essent numero novemdecim.

Cum deinde ad modicum tempus abivissent ex loco consessus, & ordinario signo nolæ essent revocati, eodem successu repetitum est scrutinium; ita votis divisis inter A. & B. ut neuter eorum integra voce superaret mediam partem suffragiorum. Ad quod attonitus Præpositus dixit: debebimus convocare omnes, qui habent vocem *activam & passivam*. Quod dictum acceptum fuit, sicut accipi debebat, per modum advisamenti; & ut Patres Congregati efficacius inducerentur ad cogitandum de modo concordiæ, V. G. oculos conjiciendi in aliquem tertium: ad quem finem iterum concessum est ad breve tempus exire; sed cum adesset hora prandii, resolutum est prius ire ad mensam.

Post

(a) Primo editum anno 1740. in Chronicon Oratorii D. J. apud Belgas, Appendicis pag. 78. & seq.

Post mensam iterum dato signo ordinario nolæ, plures Patres cum R. A. Patre Præposito venerunt ad locum Congressus ad perficiendam electionem ; sed variis non comparentibus exitum est tantisper e dicto loco. Paulo post R. R. Consultantes urserunt Præpositum, ut inciperetur nova sessio, qui respondit, *Congregationem esse solutam & novam indicendam, ad quam omnes comparerent, qui habent vocem activam & passivam;* deditque interim facultatem quatuor Patribus abeundi ad sua, cum nihil super præmissis fuisset Congregationi propositum, neque Consultantes ut hæc proponerent rogati. Sed facta & extradita ei die sequenti, per eos qui B. elegerant, Protestatione contra prætensam illam dissolutionem, & propositis variis pacis mediis, Præpositus Epistola per expressum missa revocavit absentes ad finienda Comitia ; quo facto cum Præpositus videret A. quem ipse electum volebat, ab aliis non esse eligendum, sed eos, qui elegerant B. velle pacis causa eligere tertium, insalutatis aliis clam discessit.

Ad quam inurbanam agendi rationem cæteri qui B. elegerant, obstupescentes & ingemiscentes partim eadem die, partim die sequenti, tum ne ulteriùs gravaretur Domus S. Nicolai, de præsumpta licentia Rev. adm. Patris Præpositi absentis, ad sua se receperunt, nullatenus tamen existimantes, Comitia esse dissoluta : unde eodem mane PP. Consultantes scripserunt P. Præposito Epistolam, qua conquesti de ejus inexpectato & clanculario discessu, profitentur, se paratos, cum ei placuerit, Comitia Christiane & rite cœpta, sed non ea ratione continuata, consummare & finire.

Q U Æ R I T U R.

Utrum his positis præfata Comitia die 9. Maii in S. Nicolai *Wasiæ* cœpta debeant censeri soluta seu finita ; an vero adhuc subsistere ac durare.

R E S O L U T I O.

Visa suprascripta Casus positione, una cum Quæsito inde formato, censent infrascripti, præfata Comitia neque fuisse, neque esse dissoluta.

Imprimis ex Casus positione constat, 1. quod Comitia, de quibus in casu, fuerint legitime indicta ad diem nonam Maii 1719., in Domum S. Nicolai *Wasiæ* ; & ad dictam designatam diem eo convenerint omnes, qui ex Statutis & de more convenire debebant, atque consequenter ibidem fuisse legitima Congregationis Comitia ipsam Congregationem repræsentantia. 2. Ex eadem Casus positione habetur, quod ipsius Congregationis Præpositus subsit Congregationi sive Comitiis eam repræsentantibus ; in tantum ut nec ipse sua authoritate quidquam ipsis Comitiis proponere queat, sed id pertineat ad PP. Consultantes, ab ipsa Congregatione, sive Comitiis eam repræsentantibus, electos.

3. Supponit Casus positio, nihil per PP. Consultantes fuisse Comitiis propositum super dissolutione Comitiorum, multo minus per Comitia fuisse resolutum aut declaratum, Comitia esse dissoluta & nova indicenda.

Cum igitur juxta ipsas Constitutiones Congregationis, ipse Præpositus indubitanter Congregationi sive Comitiis eam repræsentantibus subsit, ipsisque Comitiis durantibus omnis authoritas, etiam in ipsum Præpositum, resideat in ipsis Comitiis, non videtur, qua specie prætendi queat penes Præpositum esse potestatem pro suo arbitrio Comitia dissolvendi. Et sane si hæc potestas esset penes Præpositum, authoritas Comitiorum pro magna sua parte evanesceret ; si enim Præpositus intelligeret, quidpiam in Comitiis proponendum sibi ingratum, mox dissolvere posset ipsa Comitia, & nova sibi magis placentia per novam indictionem accipere ; atque ita omnem correctionem, si quam forte mereretur, evaderet, & disponeret de Congregatione, prout sibi placet.

Et sane inauditum est eum, qui subest alicui Corpori seu Congregationi, posse huic Congregationi sua authoritate imperare vel legem dare ; quod tamen hic directe fit dum Congregationem legitime congregatam invitam dissolvere præsumit, eamdem in effectu authoritate quidquam statuendi privans.

Hinc legimus, quod ubi agebatur de dissolutione Concilii Generalis per Romanum Pontificem facta, utrum legitima esset, id unum in quæstione fuisse, utrum Romanus Pontifex subesset Concilio Generali legitime congregato, an secus: inter omnes quippe conveniebat, Romanum Pontificem illud invitum non posse dissolvere, si eidem subesset, prout res in Concilio Basileensi disputata fuit.

Et in Concilio Tridentino, ut hæc quæstio evitaretur, placuit Legatis Præsidentibus ejusdem Concilii Patribus proponere: *placetne vobis, ut ad laudem Dei Omnipotentis, huic Sacræ Oecumenicæ Synodo finis imponatur . . . . Responderunt, placet.* Et tum demum Cardinalis Moronus primus Legatus & Præsidens, benedicens S. *Synodo* dixit: *Post gratias Deo actas, Reverendissimi Patres, ite in pace*; qui responderunt: *Amen.*

Cum autem hic indubitatum sit, Præpositum subesse Congregationi seu Comitiis, etiam indubitatum est, ipsum non potuisse neque posse sine consensu Patrum, eadem dissolvere; præsertim ubi negotia, ob quæ Comitia erant indicta, inter quæ præcipua erat electio novi Præpositi, nondum esset absoluta. Imo ipsemet Præpositus sufficienter videtur apprehendisse per suam Declarationem vocaliter intimatam solis PP. Consultantibus (prout in Casu exprimitur) Comitia non fuisse dissoluta; quandoquidem postmodum adhuc solemniter Sessionem indixerit ad finiendam electionem Præpositi.

Neque arguit dissolutionem Comitiorum recessus Patrum a loco Comitiorum, postquam intellexissent P. Præpositum, aliosque clancularie ad sua reversos esse, quandoquidem sat pateat, Patres hos non recessisse a loco isto, nisi necessitate cogente, eo quod viderent ob discessum illum clancularium Præpositi, non esse in proxino habendam Sessionem, ad consummanda Comitia; crederentque injustum, Domum illam S. Nicolai ulterioribus expensis gravare; & interim inducerent Præpositum, ut continuatis Comitiis Patrum nova Sessio seu Congressus haberetur; ut proinde hic eorum recessus non arguat dissolutionem Comitiorum, sed dumtaxat interruptionem Sessionum, quod ipsum indicarunt P. Præposito scripta Epistola, qua profitentur se paratos Comitia consummare & finire. Quis enim dubitet, distinguendum esse inter Sessiones & ipsa Comitia? ut illæ possint interrumpi, integris manentibus Comitiis: sicuti Concilium Tridentinum, licet sæpius interruptum, etiam per discessum Patrum, non ideo tamen fuit dissolutum, sed dumtaxat Sessiones intermissæ; unde se mutuo, tamquam ejusdem Concilii acta, Sessiones ordine sequuntur. Tum vero demum finitum fuit, dum Legatis & Patribus visum fuit finem ei imponere, uti supra dictum est. Ita responsum Lovanii hac 26. Augusti 1719.

(*Et erat signatum*)

A. *Bauwens*, J. U. D. & Prof. Ordin.

Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof.

RE-

XXIV.

RESOLUTIO JURIS,

In favorem D. de *Bade*, Pastoris Diœcesis Tornacensis, nulliter suspensi, per Vicariatum ejusdem Diœcesis,

Ab *Espenio* aliisque Doctoribus signata.

[*Nunc primum edita.*]

CASUS POSITIO.

IN quadam Diœcesi Belgica, Episcopus a sua Diœcesi absens, præter Officialem suum ordinarium, habet quoque suum Vicariatum. Pastor quidam ob prætensum aliquod delictum, ad instantiam Promotoris citatur coram dicto Vicariatu; & ab eo contra ipsum Pastorem profertur sententia provisionalis, qua ad tempus suspenditur a functionibus Pastoralibus, & exercitiis SS. Ordinum. (*a*)

QUÆRITUR.

An dictus Vicariatus potuerit valide de causa cognoscere, & istam sententiam ferre?

RESOLUTIO.

Indubitatum & notorium est, in Ecclesiis Belgicis, Gallicanis, Hispanicis, aliisque passim extra Italiam sitis, Vicarium Generalem Episcopi, & etiam Capituli Sede vacante, seu ejus Vicariatum, omnino distinctum esse, quoad exercitium jurisdictionis, ab eo qui vulgo dicitur Officialis Episcopi, seu Capituli Sede vacante.

Vicarius enim seu Vicariatus, tametsi generalis nullum plane habet exercitium jurisdictionis contentiosæ, sed dumtaxat jurisdictionis voluntariæ: omni plane integra jurisdictione contentiosa, seu ejus exercitio, residente penes Officialem.

Hinc est quod Vicarius Generalis, seu Vicariatus, nullum dicatur habere Tribunal, sed solus Officialis Tribunali Episcopi, tamquam Judex Ordinarius præsidet; atque Causas seu civiles, seu criminales, ad forum Ecclesiasticum spectantes, ipse dirigit, & decidit.

Præterea Officiarii, sive Ministri Curiæ Ecclesiasticæ, puta Advocatus Fiscalis, Promotor, Apparitores & similes, nullatenus subsunt Vicario Generali, aut Vicariatui, sed dumtaxat Officiali, utpote Curiæ Ecclesiasticæ, seu Tribunali Episcopi, in exercitio jurisdictionis contentiosæ præsidenti.

Quapropter sæpius judicatum fuit, Vicarium Generalem, seu Vicariatum, limites suæ jurisdictionis & potestatis excessisse, dum actum aliquem jurisdictionis contentiosæ, puta partes judicialiter citando, aut informationes judiciales accipiendo, aut aliud quidpiam ad jurisdictionem contentiosam spectans exercendo: uti pluribus judicatis Arrestis ostendit Carolus Fevretius, in opere suo *de Appellationibus*, tamquam ab abusu Lib. 3. Cap. 5. N. 3. 4.

Cum igitur in casu posito Vicariatus, ad instantiam Promotoris, citaverit Pastorem, ut coram se super prætenso delicto & libello Promotoris respondeat, quin & ejus responso audito suspensionem provisionalem a functionibus Pastoralibus, & exercitio SS. Ordinum pronunciaverit, indubitatum est, Vicariatum hac in parte terminos suæ jurisdictionis & authoritatis evidenter excessisse; omniaque per Vicariatum acta tamquam nulla & invalida esse: quandoquidem certum sit & indubitatum hic omnia per Vicariatum gesta, non

(*a*) Vide occasionem &c. hujus suspensionis in libro edito anno 1755. cui titulus: *Memoires historiques &c. des Païs-Bas Autrichiens* &c. T. I. pag. 499. & Tom. II. p. 198. & seq.

non ad jurisdictionem voluntariam, sed contentiosam spectare. Hactenusque inauditum est, Promotorem Curiæ Ecclesiasticæ Pastores vel Presbyteros de criminibus aut delictis suspectos, ad Vicariatum seu Vicarium deferre, aut ab eo petere Citatoriales; sed similes Causas criminales ad Tribunal Officialis, cujus est Minister, defert, instruit, & justitiam administrari petit.

Hac porro novitate inducta, facile in præjudicium Regiæ jurisdictionis, & cum non exiguis Vasallorum incommodis, novum Tribunal Ecclesiasticum, hactenus in Belgio incognitum, sensim erigi contingeret. Ita responsum Lovanii, hac 9. Decembris 1719.

(*signatum erat*)

Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & Prof.
Laurentius *Hacquius*, J. U. D. & Prof. Ordin.
Amandus *Bauwens*, J. U. D. & Prof. Ordin.



APPENDIX AD RESOLUTIONEM XXIV.

A.

REQUETE

De M. Joseph de *Bade* presentée au Conseil d'Etat de Bruxelles le 13. Aout 1724.

A l'Empereur & Roy.

REmontre tres humblement Joseph de *Bade*, Prêtre & Pasteur du village de *Moen*, Chatelenie de *Courtray*: que l'Official du Diocese de *Tournay*, directement en prejudice du recours pris en matiere d'oppression vers V. M. J. & C. de la recusation dûment faite contre sa personne, dans laquelle le Remontrant a deja procedé de son coté à la denomination d'Arbitre par l'Acte ci joint sub A. il vient d'ordonner au Remontrant par Decret, ci pareillement joint sub B. qu'il aura à comparoitre pardevant lui à peine *d'Excommunication*: le voulant ainsi absolument forcer à abandonner son dit recours competant, & à se soumettre au jugement d'un Juge recusé. Que ce procedé est une nouvelle invention pour aneantir la protection Roiale & opprimer sans resource les fideles sujets de V. M. selon le bon plaisir des Superieurs Ecclesiastiques; directement contre les Canons, Loix, & Coutumes du Païs, & le repos & la tranquillité publiques. Cause que le Remontrant, pour prevenir sa totale oppression & ruine, & les desordres & scandales qu'elle causera infailliblement parmi ses Paroissiens, est contraint de prendre de nouveau son recours vers votre Majesté.

Suppliant tres humblement, qu'elle soit servie (joignant cette aux Requêtes precedentes) d'interdire serieusement au dit Official de Tournay de passer outre au decretement de la dite Excommunication comminée; & sans prejudice de ce, de defendre (pour prevenir tout scandale) à tous & un chacun de tel etat & condition qu'ils puissent être, Ecclesiastiques ou seculiers de la publier, faire ou laisser publier, ou d'y deferer en aucune maniere, directement ou indirectement.

Et en cas d'avis *interim* & *par provision*, l'interdiction & la defence susdites: consideré le *periculum in mora*, & qu'il est plus facile de prevenir les censures, que de les faire redresser quand elles sont portées. En quoy &c.

DE-

B.

D E C R E T

Du Conseil d'Etat de Bruxelles, en faveur du Curè de *Bade*.

Hercule Joseph Louis Turinetti, Marquis de Prie &c. &c.

VEnerable cher & bien amé: Joseph de *Bade* Prêtre & Pasteur du Village de *Moen* nous ajant representé ce que vous verrez par les requêtes ci encloses, nous vous les envoyons, afin de nous informer des raisons que vous pouvez avoir pour ne pas deferer à la suspection faite par le dit Pasteur de *Moen*, & de faire proceder à la nomination des Arbitres, ainsi que le Suppliant a fait de son coté; & de suite vous nous y serviez incessament de votre avis. A tant venerable cher & bien amé Dieu vous ait en sa St. garde. Bruxelles le 26. Aout 1724. (paraphé) Elissm vt. (signé) le Marquis de Prié; contre signé J. B. de *Heems*. *L'Adresse etoit a l'Official de l'Evêché de Tournay*.

Le Secretaire J. B. de *Heems*, qui a contresigné la susdite lettre, a par une lettre separée de même date fait connoitre au même Official, que la resolution du dit Conseil d'Etat etoit aussi qu'il devoit cependant tenir en etat & surceance l'excommunication comminée par le Decret mentionné dans la susdite Requête, jusques à ce que son avis vû autrement seroit disposé; & que c'etoit pour menager son authorité, que le Conseil avoit bien voulu lui en donner part par une lettre separée.

Ces lettres ont été delivrées au dit Official de l'Evêché de *Tournay*, en personne, le 27. du dit mois d'Aout 1724. à deux heures, après midi par Jacques Janssens Chevaucheur de l'Ecurie de l'Empereur & Roy.

En conformité de la susdite interdiction, toute procedure a été tenue en etat & surceance, de même que l'Excommunication comminée; & rien n'a depuis plus été entrepris par ledit Official contre ledit Pasteur de *Moen*.

XXV.

R E S O L U T I O J U R I S,

Circa potestatem Episcoporum, & Capitulorum Sede vacante, dispensandi in casibus reservatis Romano Pontifici, quando ad ipsum non patet accessus.
[Accedit confirmatio ejusdem Resolutionis anni 1725.]

[*Nunc primum edita*.]

CASUS POSITIO.

QUum Catholici (Hollandiæ) Clerum frequentantes, intra gradus consanguinitatis justas ob rationes Matrimonium contrahere meditantur, & relaxatione legis opus habent, illam a Romana Curia impetrare nequeunt, nisi sub conditionibus iniquis; & inter alias nisi se promittant Ecclesias Cleri derelicturos.

QUÆRITUR IGITUR.

1. An ex jure Divino & antiquo non competat in suis Diœcesibus Ordinariis potestas omnia agendi, quæ potest Pontifex?

2. Quam-

2. Quamvis vel ex Ecclesiæ lege, vel ex usu, vel ex usurpatione tolerata, Dispensandi facultas videatur Romano Pontifici reservata, & Ordinariis quodammodo ablata: An hoc etiam extendendum sit ad casum, quoad Pontificem non datur accessus?

3. An nos, ob circumstantiam supra expressam, non versemur in illo casu?

4. An igitur Capituli Ultrajectini Vicariis non liceat modo in tertio & quarto consanguinitatis gradu dispensare; maxime quando urgens ratio adest, & Pastor & contracturi, qui talem dispensationem petunt, omnino persuasum habent hoc esse modo in potestate Vicariorum? Addito præterea, quod non necesse sit publicare, undenam dispensatio sit profecta, & quod juxta Patriæ leges tale Matrimonium, etsi citra dispensationem contraheretur, ratum foret ac validum.

RESOLUTIO.

Certum est, Episcopos tamquam Apostolorum successores positos esse a Spiritu Sancto, ut regant Ecclesiam Dei; idque cum plenitudine Sacerdotii, in his quæ curam animarum populi sibi commissi spectare possunt. Neque legitur, quod post adventum Spiritus Sancti Petrus alia potestate ac cæteri Apostoli in propaganda fide & populi salute procuranda usus fuerit.

Postquam vero singulis Episcopis suæ particulares Ecclesiæ sive populi concrediti fuere, etiam ipsi Romano Episcopo sua fuit assignata Ecclesia, ac singulis Episcopis data facultas, cum plena authoritate Ecclesiam sibi commissam gubernandi, & ordinandi quidquid pro salute populi sibi commissi judicarent esse ordinandum, juxta illud S. Cypriani: *Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem Domino redditurus.* Et illud Hieronymi ad Evagrium: *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Thanis, ejusdem meriti, ejusdem & Sacerdotii: potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.* Apud Gratianum, dist. 93. Can. 24.

Hinc communiter docent Canonistæ, plenam authoritatem administrandi & regendi Ecclesiam Episcopis, sive Ordinariis, de jure communi, præveniendo omnem positivam reservationem, competere; atque ex hoc principio uno consensu docent, omnium Beneficiorum collationem seu provisionem singulis Episcopis in sua respectiva Diœcesi competere, nisi ostendatur eam vel Pontifici esse reservatam, aut alteri cuiquam delatam.

Inde ulterius conficiunt, omnem reservationem Pontificiam reputandam esse ut odiosam, tamquam Ordinariorum authoritati in jure communi fundatæ contrariam; atque idcirco in dubio, & ubi ipsa reservatio plene non probatur, judicandum esse in favorem Ordinarii.

Eodem ex principio deducunt communiter Canonistæ Episcopum sive Ordinarium in omnibus casibus, justa exigente causa, posse dispensare, nisi probetur, in particulari casu, hanc dispensandi authoritatem Pontifici esse reservatam, & Episcopo ademptam: quæ Canonistarum conclusio non obscure quoque probata est ab Innocentio III. in Cap. 29. ⁜ *de Sentent. Excom.* ubi respondet, Episcopum posse absolvere a quadam Excommunicatione, hac subjecta ratione: *quia Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non reservavit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi;* sat manifeste significans, Episcopum posse absolvere ab omni Excommunicatione per Canones lata, nisi probetur quod Conditor Canonis eam sibi reservaverit: non alio indubie fundamento, nisi quod Episcopus præveniendo omnem reservationem, possit pœnas Canonicas relaxare, ubi viderit id animarum saluti convenire.

Quidni igitur eodem fundamento dicatur, rigorem Canonum per Episcopum relaxari posse, nisi relaxandi sive dispensandi authoritas probetur reservata; uti ad citatum Capitulum recte observavit Glossographus scribens: *Est hic argumentum Episcopos posse dispensare, ubi specialiter dispensatio non est inhibita.*

Itaque dubium non apparet, quin & ex communi Canonistarum sententia Episcopus possit in sua Diœcesi, præveniendo omnem

omnem positivam reservationem, quæ pro salute animarum judicaverit necessaria & opportuna; plenaque dispensandi authoritas Episcopis, vigore suæ ordinariæ potestatis, competat & competierit, priusquam labentibus sæculis dispensandi authoritas super aliquibus articulis disciplinæ, Sedi Apostolicæ fuit reservata.

Ad secundum. Quandoquidem, teste Synodo Tridentina, Sess. 25. Cap. 18. de Reform. & continuo Ecclesiæ usu, publice expediat legis vinculum quandoque relaxari, ut plenius, evenientibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat, indubitatum est, Episcopis ac Ordinariis hanc authoritatem relaxandi salvam manere, etiam super iis articulis, super quibus dispensandi authoritas tandem, Ecclesia connivente, Romano Pontifici est reservata; dum nimirum is occurrit casus, ut publice expediat legis vinculum relaxari, nec ea tamen relaxatio a Pontifice impetrari possit; ne alias reservatio non tam in ædificationem Ecclesiæ & Fidelium, quam in destructionem data censeretur.

Hoc fundamento post alios docet Thomas *Querola* Episcopus Minorensis, in sua praxi Episcopali, verbo *Dispensatio*, *Num.* 5. quod, ubi Matrimonium publice est contractum, cum impedimento dirimente occulto, nec sine scandalo separari possunt, nec pateat accessus ad Pontificem, possit Episcopus super impedimento dirimente dispensare; additque, *& dum ego haberem hunc casum, ita fuit mihi ab Urbe responsum*.

Hoc eodem fundamento tamquam indubitatum asserit D. *Ducasse*, Doctor Theologus, Archidiaconus, Vicarius Generalis & Officialis Condomiensis, in suo Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica, Tomo 1. Cap. 10. §. 4. Num. 2. „ *Que l'Ordinaire „ peut dispenser de quelque empechement „ secret qu'on decouvre dans le temps que „ tout est prêt pour la celebration du Mariage, & que les parties ne peuvent pas „ attendre la dispense du Pape sans quelque „ scandale, & sans qu'il leur en arrive „ quelque prejudice considerable* “.

Deinde subjungit: „ *Dans ces sortes de „ cas, ces empechemens cessent d'etre reservés au Pape* “ (Rationem hanc notandam allegans) „ *parceque la reservation qui lui „ en est faite, & la puissance que Jesus „ Christ lui a donnée, est pour edifier & „ non pour detruire* “: quæ ratio patenter indicat, mentem Authoris non fuisse authoritatem Ordinariorum in dispensando coarctare ad casus ibidem expressos, sed indicare voluisse, cessare reservationem, ipsamque authoritatem Ordinariorum ab ista reservatione solvi, quoties publice expedit rigorem Canonum relaxari, & tamen recursus ad Pontificem non pateat; vel sine notabili incommodo dispensatio Pontificia expectari non possit; verbi gratia: *in omnibus casibus, in quibus contingeret, reservationem cessuram potius in destructionem quam in ædificationem Ecclesiæ, si in similibus occurrentibus casibus reservatio obtineret*.

Ad tertium. Cum ex circumstantiis habeatur publice expedire, ipsamque conditionem & salutem personarum requirere ut super impedimento Matrimonii Canonum rigor relaxetur, nec ipsa dispensatio Pontificia haberi moraliter queat, ex prædictis sat intelligitur, etiam in hoc præsenti casu Ordinarium posse dispensare.

Ad quartum. Dispensandi authoritas in prærallegatis casibus, nequaquam competit Ordinariis, vigore alicujus commissionis seu delegationis Apostolicæ, sed vigore jurisdictionis ordinariæ; quæ quodammodo reviviscit sive libera redditur, dum ob circumstantias ipsa reservatio, qua authoritas ordinaria vinculabatur, cessare judicatur; quod & præcitatus D. *Ducasse* notavit, loco allegato, verbis supra expressis subjiciens: „ *Delà vient que quand les Prelats dispensent de ces sortes d'empechemens, ils le „ font en vertu de la jurisdiction qui leur „ est naturelle* “. Atque hinc ulterius infert: „ *que leurs grands Vicaires n'ont „ pas besoin pour cet effet d'une commission „ particuliere* „.

Cum igitur Capitulum Cathedrale, Sede vacante, succedat in omnem jurisdictionem ordinariam, omniaque exercere queat, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, indubie Vicarii Capituli, quibus exercitium jurisdictionis Capitulo competentis concreditur, poterunt non secus atque ipsi Ordinarii in similibus circumstantiis, vigore jurisdictionis ordinariæ, super impedimentis Matrimonii dispensare.

[Amplissimus ac Reverendus D. Decanus Capituli Metropolitici Ultrajectini J. C. *Erkelius* mihi asseruit, Resolutionem hujus Casus positionis datam esse a Clar. Viro D. Z. B. *van-Espen* Juris utriusque Doctore ac Professore in Academia Lovaniensi. Quod attestor. *Matthias Oosterling*, Secretarius Capituli supradicti ac Protonotarius Apostolicus Delphis 21. Octobris 1720.].

XXVI.

CONFIRMATIO PRÆCEDENTIS RESOLUTIONIS.

[*Nunc primum edita*.]

CASUS POSITIO. (a)

ECclesia Ultrajectina, ob dissensiones, quas propter defensionem jurium suorum habet cum Curia Romana, ad Summum Pontificem non habet accessum pro obtinendis dispensationibus Matrimonialibus; nec etiam tales conceduntur supplicantibus, nisi prius promittant se non habituros communionem cum iis Sacerdotibus, qui Cleri & Ecclesiæ jura tuentur.

Episcopi & Vicarii Apostolici usque ad tertium gradum ordinarie dispensaverunt, sed ex Indulto Pontificis, ut supponitur.

Quæritur an, & in quo gradu dispensare possit Archiepiscopus Ultrajectinus?

Præterea quandoquidem numerus Catholicorum, qui Ecclesiæ unitatem colunt & ab omni schismate abhorrent, minor sit quam ut semper invenire quilibet possit conjugem in unitate Ecclesiæ permanentem, & summum periculum sit perversionis & seductionis a veris & legitimis Pastoribus, cum summo animarum suarum periculo, si cum aliis jungatur, Quæritur:

2. An sicut Romæ periculum perversionis propter hæresim sufficiens habetur causa ad dispensandum, etiam simile periculum schismatis in hac Patria non sit causa sufficiens dandæ dispensationis, & in quo gradu?

[Resolutio præcedentis Casus reperitur in subsequenti Epistola.]

(a) Missa Lovanium, 9. Oct. 1725.

EPISTOLA D.***

Ad Ill. D. Corn. Joan. Barchman, Archiepiscopum Ultrajectinum.

Illustrissime Præsul.

REsponsionem ad *Casus positionem*, quam petiisti a Clarissimo D. *van-Espen*, tibi 17. hujus mensis, per Epistolas meas significavi, communicavique.

Hujus responsionis contentum erat:

1. Quod Indultum Romani Pontificis, circa Matrimonii dispensationes, magis *Reale* quam *Personale* existimari debet: scilicet magis datum Ecclesiæ propter instantes & continuas necessitates, quam uni Episcopo vel alteri in particulari; consequenter quod illud Indultum Ecclesiæ concessum seu datum, adhuc existere censeri debet.

2. Quod juxta veteris Ecclesiæ sanctorumque Patrum praxim, ista potestas & authoritas dispensandi sit penes Episcopos: ita ut singuli in sua propria Ecclesia hac authoritate possint uti, prout necessitas ac charitas id postulant.

Quod etsi secundum hodiernam praxim hanc potestatem sibi soli arrogaverit Pontifex,

sex, tamen, si absque legitima ratione dispensationem neget, vel non pateat accessus ad ipsius Sedem, authoritas illa *jure devolvitur* ad fontem unde emanarat, scilicet ad Episcopum.

3. Quod de talis dispensationis necessitate, ut in casu nostro, Fideles debeant sufficienter instrui, ac convinci; & hoc ad evitandum pusillorum scandalum.

Nunc idem Clarissimus D. ad plenam responsionem permisit, hæc sequentia desumi ex Supplemento secundæ partis, Tituli XIV. Num. 13. ipsius operis, Manuscripto.

Cap. I. Num. XIII.

Quandonam reservatio dispensandi dicenda sit cessare?

In textu notatum est, quod ex communi Canonistarum opinione, Episcopus dispensare queat, super impedimento dirimente, si hoc demum, contracto in facie Ecclesiæ Matrimonio, innotescat, nec sine scandalo Matrimonium, quoad Torum dissolvi queat, facilisque ad R. Pontificem recursus non pateat. Hæc indubie opinio huic innititur fundamento, quod credatur cessare reservatio, jure dumtaxat mere positivo inducta, dum charitas aut necessitas proximi id exigit: quemadmodum omnem Casuum & Censurarum reservationem, sive Episcopalem sive Papalem, cessare non ambigitur, si charitas vel necessitas proximi, seu salus animarum, quæ suprema lex est, id exigat.

Quidni igitur dicamus, generaliter & hanc reservationem cessare, atque Episcopis liberam esse dispensandi authoritatem, si salus animarum, seu charitas aut necessitas proximi id requirat.

Cap. 2. Num. 1.

Quare reservationes dispensandi visæ sint jam pridem odiosæ?

Quandoquidem, etiam fatentibus Curiæ R. Ministris (uti in textu ex Pyrrho Corrado notatum est) difficile admodum sit, de negotiis in dissitis Provinciis occurrentibus R. Curiam, Summosque Pontifices rite informari, & plenam ac sufficientem accipere negotiorum illorum notitiam, ut propterea visum sit dispensationes potius in forma *Commissoria*, quam *Gratiosa* expedire, facile intelligitur merito reservationes causarum & dispensationum, quas recentior ætas contra pristinas Ecclesiæ regulas induxit, semper reputatas fuisse odiosas: & e contrario æquam semper visam esse Patrum regulam, quæ singula negotia, in suis respective Provinciis ubi orta sunt, terminari velit; & singulis Episcopis authoritatem integram permisit gubernandi Ecclesiam sibi commissam, & incidentia negotia Ecclesiastica in ædificationem populi sibi commissi dijudicandi & terminandi.

Unde nec pristinis Ecclesiæ sæculis nota fuit formula *Commissoria*, qua causarum discussio aut examen factorum pro obtinenda dispensatione allegatorum, e Curia R. Ordinariis locorum committeretur: quasi tota authoritas penes unum R. Pontificem resideret, Episcopi vero & Ordinarii non nisi tamquam Pontificis Delegati & Vicarii, hujusmodi negotia, & quidem juxta tenorem commissionis & authoritate Pontificia, absolvere aut dispensare possent.

Cap. 2. Num. 2.

Dispensatio in forma Commissoria cur inducta, & quibus incommodis obnoxia?

Cum tempore Concilii Tridentini omnem pene dispensandi authoritatem sibi assereret Curia R. intelligerentque Patres Tridentini, in Curia R. sine ulla pene narratorum notitia seu verificatione, dispensationes dari; huic abusui, quantum temporis conditio, & R. Curiæ, pro tuenda sua authoritate & recepta praxi, zelus patiebatur, occurrere volentes, præscribendum censuerunt, ut dispensationes extra Curiam Romanam concedendæ, suum saltem ultimum complementum non essent habituræ, nisi prius Ordinarii locorum narrata esse vera cognoscerent: prout in Decreto in textu relato expressum est.

Cum itaque Ordinarii sive eorum Officiales jubeantur examinare & discutere veritatem narratorum, atque judicare num causæ seu rationes dispensandi in litteris expressæ revera subsint, indubie satius esset, ut

ut conformiter ad avitam Patrum disciplinam integra authoritas dispensandi Episcopis (prout in nota præcedenti observatum fuit) ad ædificationem Ecclesiæ & salutem Fidelium permitteretur : & ita quoque ipsi Fideles sumptibus & difficultatibus sublevarentur, quibus per recursum ad R. Curiam, pro obtinendis hisce litteris Commissionis non parum gravantur.

Quo magis certus esses, Illustrissime Præsul, de Clarissimi Domini responsione, eo libentius hisce propria sua manu subsignavit.

(*Erat signatum.*)
(Oct. 1725.) Z. B. *van-Espen.*



APPENDIX AD RESOLUTIONES XXV. & XXVI. (*a*)

Consultation sur le droit des Evêques d'accorder des dispenses reservées au Pape sur le refus injuste qu'il en peut faire.

LETTRE

De M. de Torcy, Ministre d'Etat, à M. Boursier, Docteur de Sorbonne &c.

L'Importance de l'affaire, & la confiance que M. de Montpelier prend en vous Monsieur, me font esperer que vous voudrez bien me donner vos avis sur les cas contenus dans le Memoire, que je vous envoie. Je vous en demande le secret, & je vous prie de me faire savoir s'il vous sera plus commode ou que je me rende chez vous pour vous entendre, ou que je vous envoie un carosse pour vous amener chez moi. En ce cas, vous aurez s'il vous plait la bonté de me marquer le jour & l'heure. J'ai compté que vous ne desapprouveriéz pas la liberté que je prends, s'agissant d'une affaire ou l'Eglise est si interessée; & je vous prie de croire que je suis plus que personne, Monsieur, entierement à vous.

(*signe*) *de Torcy.*

4. Mai 1718.

MEMOIRE A CONSULTER.

On suppose qu'un Pape, voulant faire recevoir dans le Royaume un Decret qui interesse ses Libertes, prende le parti de ne plus accorder aucune dispense pour le Diocese des Evêques qui refuseroient de recevoir ce Decret, & de renvoyer toutes les Suppliques qui viendroient de ces Dioceses.

Dans ce cas on demande :

Si le refus du Pape étant connu & assuré, un Evêque peut accorder les dispenses de Mariage & celle des voeux, dans les cas ou l'on a coutume de recourir à Rome.

RESOLUTION.

Le Conseil soussigné, qui a vû l'exposé, estime que, comme le remarque un savant Canoniste, (*b*) les Evêques pendant plusieurs siecles ont été en possession d'accorder les dispenses pour lesquelles on a coutume de recourir maintenant au Souverain Pontife.

C'est ainsi que nous voyons dans le Concile d'Ancyre de l'an 314. des dispenses accordées aux Diacres par l'Evêque pour contracter Mariage, *propterea quod eis Episcopus licentiam dederit*, dit ce Concile.

Nous trouvons de pareilles dispenses dans le IV. Concile de Tolede, C. 44. *Clerici*, dit ce Concile, *qui sine consultu Episcopi sui, aut viduam, vel repudiatam, vel meretricem in conjugio acceperint, separari eos a proprio Episcopo oportebit*. Ce Canon donne lieu de conclure, qu'un tel Mariage, qui auroit été invalide & qu'il auroit

(*a*) Cum in sequenti Resolutione de eodem agatur argumento eam hic inferendam putavimus, utpote quæ nunquam publici juris fuit, etiamsi nostro quidem judicio Doctorum suffragio non sit indigna.

(*b*) Van-Espen, *Dissert. Canon. de Dispens. præsertim Matrimon.*

auroit fallu separer si l'Evêque n'y avoit consenti, étoit souffert lorsqu'il avoit été contracté avec sa permission.

Quoique le Concile d'Agde en 506. composé des Evêques de presque toutes les Provinces du Royaume, defende de contracter des Mariages entre personnes qui sont liées par affinité, cependant il laisse subsister ces Mariages, même entre personnes qui étoient dans les degrés les plus prochains. Le Concile d'Epone l'an 519. le 3. Concile d'Orleans l'an 538. ordonnent la même chose; & les paroles de ce dernier Concile doivent être particulierement remarquées, puisqu'elles font voir que c'étoi l'Evêque Diocesain qui étoit chargé ou de separer ces Mariages, ou de les laisser subsister par grace, conformément au reglement du Concile: *Illud etiam adjiciendum esse credimus, ut IN EPISCOPI DISCUSSIONE consistat de his qui in Civitate sua ac territorio consistunt, ac tali sunt ordine sociati, utrum ignoranter ad illicita conjugia venerint, an per contumaciam quæ sunt interdicta præsumpserint; quia sicut his qui per ignorantiam lapsi sunt subvenitur (ut contracta hucusque hujusmodi conjugia non solvantur* comme le dit ce Concile dans le même Canon;) *ita illis, quibus prius Patrum Statuta in notitiam venerunt, quique etiam contra Sacerdotum interdicta in tali permixtione versantur, priorum Canonum in omnibus Statuta serventur; ut non prius ad communionem recipiantur quam incesti adulterium, sicut scriptum est, separatione sanaverint.*

Il n'est pas necessaire de rapporter un plus grand nombre de preuves tirées de l'antiquité, pour montrer que dans les premiers siecles de l'Eglise, les Evêques ont été en possession d'accorder des dispenses, touchant les empechemens diriments, soit avant le Mariage, soit après qu'il a été contracté; & que le pouvoir de le faire n'a point été regardé comme un droit uniquement & essentiellement reservé au Souverain Pontife par l'institution de J. C.

Un celebre Canoniste remarque „ que „ ni les Canons, ni les Decretales de Gre- „ goire IX. ne determinent à qui convient „ le pouvoir de dispenser des empechemens „ de Mariage, & qu'on ne trouve aucun „ Decret general qui ôte cette puissance „ aux Evêques, & qui la reserve au „ Souverain Pontife“. (*a*)

Il est vrai que c'est un usage, reçu maintenant dans toute l'Eglise, qu'on ne s' adresse qu'au Pape pour obtenir dispense des empechemens dirimens, excepté dans certains degrés, où quelques Eveques sont en possession de le faire, & en certains cas marqués dans nos Theologiens; & l'on ne doit point s'écarter de cet usage, au quel plusieurs Conciles particuliers ont rendu temoignage.

Mais il est vrai aussi que si le recours au Souverain Pontife devenoit impossible, le Pape ne voulant point accorder de dispenses qu'on n'eut consenti à sacrifier nos Libertés, dans ce cas, qu'on ne presume point neanmoins devoir arriver, il est naturel que les choses rentrent dans l'ordre primitif, & que les Evêques accordent ces dispenses, puisque le pouvoir d'en accorder est une suite de celui qu'ils ont reçu de J. C. de gouverner l'Eglise de Dieu, selon la portion d'authorité qu'il leur a confiée.

C'est ainsi que le cas a été décidé par l'Assemblée generale tenue à Paris l'an 1408. où après que l'Eglise Gallicane eut pris le parti de la neutralité, c'est-à-dire de la soustraction d'obeissance aux deux Papes qui se disputoient la Papauté, il fut ordonné que le Concile des Evêques de la Province accorderoit les dispenses de Mariage pour lesquelles on avoit coutume de recourir au Souverain Pontife. C'est ce que nous lisons en ces termes dans le Decret intitulé: *Advisamenta* &c. (*b*) *si autem magna Reipublicæ utilitas exigeret, fore cum aliquo Rege & Principe super hoc dispensandum, tunc causæ cognitione præmissa, Concilium Provinciale, citra tamen casus Lege Divina prohibitos, valeat dispensare, ut de quarto gradu cum illis quibus viderit dispensandum.*

On renvoye aussi au Concile Provincial les dispenses touchant l'empechement de l' Alliance spirituelle & de l'Honneteté publi-

(*a*) Van-Espen, Part. 2. Tit. 14. C. 1. N. X. de Disp. Matrim.

(*b*) Preuves des Libertés de l'Egl. Gall. C. 20.

blique, pour être accordées sur des causes moins considerables que les précedentes.

Il paroit par le reglement de cette Assemblée, aussi bien que par toute l'Histoire de l'Eglise que l'usage des dispenses étoit aussi rare dans ce tems que celui des Conciles étoit frequent. Mais il paroit aussi que le principe sur lequel on s'est appuyé pour faire ce reglement, est que le recours au Pape étant devenu impossible, à cause du parti qu'on avoit pris pour faire cesser le schisme, il étoit naturel que les Evêques rentrassent dans la possession d'accorder ces dispenses; & pour rendre ces dispenses plus rares en les rendant plus difficiles, on resolut que les Evêques ne les accorderoient que dans le Concile de la Province.

Ce principe paroit authorisé par le Droit Canonique par rapport à une autre matiere, sur laquelle les Canons ont expressément reservé la dispense au Souverain Pontife. C'est sur la matiere de l'excommunication reservée, sur laquelle neanmoins la reserve au Pape cesse, & les dispenses rentrent dans le droit commun, & sont attribuées à l'Ordinaire, dans le cas où le recours à Rome n'est pas possible. Cap. *de Catero*, & Cap. *Quamvis de Sentent. Excomm.*

Les Theologiens & les Canonistes nous fournissent, par rapport même aux dispenses de Mariage, une espece qui favorise le pouvoir des Evêques & le droit de recourir à leur authorité dans le cas de necessité. C'est lorsqu'un mariage est contracté avec un empechement occulte, & qu'on ne pourroit, sans scandale ou sans peril, recourir au Pape pour obtenir dispense de cet empechement. Alors c'est l'usage de l'Eglise Gallicane, approuvé par la Cour de Rome selon le temoignage de Zerola, (a) que l'Evêque Diocesain accorde la dispense; & la raison de cet usage est que la coutume de recourir à Rome pour obtenir les dispenses de Mariage n'a point été introduite au préjudice des ames, au salut desquelles les Evêques sont obligés de subvenir par une obligation, que le droit Divin leur impose.

Le même peril du salut des ames, qui se trouve après que le Mariage est contracté, peut se trouver avant qu'il le soit; & si les Evêques ne pouvoient licitement accorder dispense, le Pape ne voulant le faire qu'au prejudice de nos Libertés, il faudroit ou qu'ils consentissent à sacrifier ces Libertés pretieuses, ce qu'ils ne pourroient sans trahir la verité: ou qu'ils laissassent perir des ames qui leur sont confiées, ce qu'ils ne pourroient sans manquer aux devoirs les plus essentiels de la charité.

Dans ce cas, où un precepte de droit Divin concourt avec un usage de pure discipline qui a été établi par les hommes; c'est une regle indubitable & reconnue par tous les Theologiens qui ont traité la matiere des Loix, que le devoir de droit Divin doit l'emporter.

Enfin *Sanchez*, L. 2. Disp. 40. N. 7. soutient que l'Evêque peut quelques fois dispenser d'un empechement dirimant occulte, avant même que le Mariage soit contracté, lorsqu'il y a une necessité urgente qui le demande; ce qu'il montre, entr'autres preuves, par le pouvoir qu'il a de dispenser du voeu simple de chasteté, en cas de necessité.

On trouve la même decision dans *Silvius*, *Reginaldus*, *Præpositus*, *Bonacina*, *Barbosa*, *Perez*, *Pontius* & autres Auteurs, remplis dailleurs des opinions Ultramontaines.

On la trouve aussi dans les Auteurs qui sont attachés à nos Libertés, comme dans la Theologie Dogmatique & morale à l'usage du Seminaire de Chalons.

Mais il est bon d'observer que, le Mariage étant non seulement un Sacrement, mais encore un Contract civil, qui a des effets civils, & qui par cet endroit est soumis aux loix civiles, on croit qu'il seroit à propos que dans le cas exposé, qui seroit un cas public, les parties, qui auroient besoin d'obtenir dispense, prissent la précaution de presenter une Requête au Parlement, & lui notifier le refus du Pape & la necessité où elles se trouvent de se pourvoir par devant l'Evêque Diocesain.

Deliberé en Sorbonne, le....... 1718.

[N.B.

(a) In *Praxi*, I. Part. verbo *Dispensatio*.

[N. B. Nous ne trouvons ni le nom ni le nombre des Docteurs de Sorbonne, qui ont signé cette consultation dans la Minute originale, écrite de la main de M. Boursier, que nous avons sous le yeux; les signatures n'ayant été mises sans doute que sur l'expédition, qui en fut remise à M. de Torcy, & que nous n'avons pû nous procurer.]



XXVII.

R E S O L U T I O,

Doctorum Facultatis Juridicæ Lovaniensis.

De probatione necessaria ad validitatem novæ Professionis in Monasterio strictioris observantiæ.

[*Nunc primum edita.*]

C A S U S.

Titius & Cajus, Professione Benedictini, transierunt ad Ordinis Cisterciensis (qui eamdem S. Benedicti Regulam profitetur) strictiorem observantiam; ubi post quinque vel sex Menses novam Professionem emiserunt, juxta ejusdem Cisterciensis Ordinis antiquum Statutum anni 1257. quod sic habet: „ Monachus alterius Ordinis Pro- „ fessus secundum Regulam S. Benedicti, „ in aliquo Ordinis nostri Monasterio re- „ ceptus, si Benedictus non est, in cella „ Novitiorum sit per annum & eodem or- „ dine, quo Novitius benedicatur; si au- „ tem Benedictus fuerit, statim detur ei „ Cuculla, & completis ad minus antea „ 4. Mensibus, postea ad nutum Abbatis „ in Capitulo petitionem faciat de Pro- „ fessione facienda, & in Ecclesia sicut „ Novitius Monachus Professionem suam „ legens super Altare offerat nihil amplius „ faciens „. Ubi notandum est, quod olim apud nonnullos Benedictinos non raro separarentur Professio & Benedictio, quæ hodie solent conjungi; dum post emissionem votorum, quæ est Professio, Abbas super Professum cantat aut recitat orationes, quæ Benedictionem constituunt.

Porro præfati Statuti observantia etiamnum viget in Abbatia *Trappensi*, aliisque ejusdem observantiæ Monasteriis, nemine contradicente, ut videre est in Libro Gallice conscripto Relationum mortis quorumdam Religiosorum dictæ Abbatiæ. Titius & Cajus igitur, emissa sic secunda Professione, secure ac tranquille perseverarunt in gestatione habitus, in observantia, in proferendo suffragium, aliaque servando & faciendo, quæ servare & facere solent illius, in qua erant, Domus Religiosi vere Professi.

Post novem vero aut decem Annos, Sempronius ibidem Abbas, quamdam præcipue erga Cajum displicentiam animo concipiens, inquirere cœpit num eorum valida esset Professio, præsertim cum Synodus Tridentina sess. 25. de Regular. Cap. 15. Professionem ante expletum Probationis annum emissam, declaret invalidam ac nullam.

Titius tandem concepto similiter tædio propter hujusmodi agendi modum Abbatis, nec non propter observantiam, quæ ipsi non satis foveri ac firmari videbatur, magna insuper laborans stomachi debilitate ac dolore petiit ab Abbate Sempronio, ut sibi liceret ad prius suum Monasterium redire. Huic petitioni Sempronius non solum annuit, sed præterea Cajo indixit, ut & ipse rediret ad suum.

Q U Æ R I T U R.

Primo, An hujusmodi Professio Titii & Caji, prout in Casu refertur, facta ante exple-

expletum Probationis annum sit irrita? notanter propter Decretum Concilii Tridentini sess. 25. de Regular. Cap. 15.

Secundo, utrum nullitas Professionis, ex defectu annalis Probationis resultans, debeat juxta Decretum Concilii Trid. intra quinquennium a die Professionis proponi?

Tertio, utrum Professio, de qua in Casu, non censeatur per gestationem habitus Professorum, & admissionem ad actus Capitulares, sufficienter ratificata; etiamsi defectus aliquis subsuisset in ipsa Professionis emissione?

RESOLUTIO.

Certum est variam primitus fuisse circa tempus Probationis Novitiorum disciplinam. Et quidem constat, quod apud Monachos Orientales, præcipue Ægyptios, Probationis tempus protractum fuerit ad Triennium; apud Latinos vero, saltem sæculo VI. secundum Regulam S. Benedicti, fuerit dumtaxat annale.

Sed & hoc constat quod tempus illud, sive triennale sive annale, non fuerit determinatum nisi in Probationem eorum, qui e vita sæculari ad Monasticam transire cupiebant.

Unde Justinianus Imperator in Novella sua 5. c. 2. conformiter ad Regulas Orientalium, Triennium Probationis præscribens, nominatim ac de solis iis loquitur, qui de sæculo accedebant, in verbis: „ ut
„ accedentes ad vitam Monasticam per
„ Triennium in veste laica maneant, Di-
„ vina addiscentes eloquia; & ut Reve-
„ rendissimi eorum Abbates requirant eos,
„ unde eis desiderium vitæ singularis accesse-
„ rit: & discentes ab iis, quod nulla
„ maligna occasio ad hoc eos adduxerit,
„ habeant eos inter eos, qui adhuc docen-
„ tur & monentur, & experimento per-
„ cipiant eorum tolerantiam & honestatem:
„ non enim, (ait) facilis est vitæ muta-
„ tio, sed cum animæ fit labore. „

Similiter & S. Benedictus in sua Regula, Cap. 58. præfigens annale tempus probationis, non loquitur nisi de accedentibus e vita sæculari ad Monasticam, uti ex toto contextu illius Capitis est manifestum.

Nam imprimis sic exorditur: Noviter *veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus*. Agit igitur de nondum converso, & nondum Professo; utique qui *noviter* venit ad conversionem; quod dici non potest de Monacho alibi professo & converso.

Præterea agit S. Benedictus de accedente hujusmodi, cui non vult statim concedi ingressum, quemque vetat recipi ad cellam hospitum, nisi postquam *quatuor aut quinque dies perseveraverit pulsans*: cum tamen in eadem sua Regula Cap. 61. ubi agit de Monacho peregrino, ipsi sine mora ingressum annuat, mandans ut *suscipiatur, quanto tempore cupit*; nullumque deinde determinatum tempus præscribens, quo in cella hospitum aut Novitiorum probari debeat, sed id Abbatis relinquens arbitrio.

Et sane Professio Monastica, cui tempus probationis triennale vel annale per Regulas præfixum est, indubitanter intelligi debet de ea, per quam quis e vita sæculari primitus transiens, vere fit Monachus; quod non fit nisi emittendo tria vota solemnia ad essentiam vitæ Monasticæ pertinentia.

Porro Monachus, qui jam Professus est, ad alium Ordinem transiens, non potest amplius dici veram ac proprie dictam illam Professionem emittere.

Hinc & S. Benedictus loquens de receptione Monachorum extraneorum, non dicit eos, dum aliæ Congregationi se obstringunt, vitam Religiosam ingredi vel profiteri, sed dumtaxat per suam promissionem Congregationi sociari in verbis: *si quis*
„ *Monachus de longinquis Provinciis super-*
„ *venerit*: (postquam indeterminato aliquo
„ tempore tamquam hospes ibidem commoratus fuit) postea *voluerit*, inquit, *stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maxime quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci*. Deinde subdit: *suscipiatur Congregationi sociandus*: patenter innuens Monachi peregrini promissionem nequaquam esse veram & proprie dictam Professionem, sed solummodo promissionem stabilitatis in isto Monasterio, per quam ejusdem Congregationi associetur.

Cum igitur Tridentina Synodus loquatur de Professione Religiosa ac Monastica, deter-

determinetque tempus probationis annale, conformiter ad Regulas Monasticas Ecclesiæ Latinæ, notanter Benedictinam (quam teste Christiano Lupo, t. 3. Schol. in Can. Pag. 627. *esse omnium Regularum Dominam semper censuit Apostolica Sedes*) indubie intelligi debet de Professione illa prima & proprie dicta, per quam quis e sæculo veniens tribus Religionis votis solemnibus sese obstringit; quaque mediante verus Religiosus constituitur, & de qua loquuntur Regulæ Monasticæ, notanter S. Benedicti.

Ad hæc ipse contextus Concilii Tridentini patenter evincit, ibidem non agi nisi de tempore probationis, quæ præmittenda est Professioni eorum, qui e vita sæculari ad Monasticam primitus transeunt.

Imprimis enim, id quod eodem illo Decreto, unoque contextu statuitur de ætate 16. annorum ad Professionem requisita, applicari nequit nisi Professioni eorum, qui e sæculo convertuntur. Præterea nullitas, quam Synodus per hoc Decretum superinducit, dumtaxat afficere potest primam illam Professionem, quam e sæculo veniens emittit. Declarat enim Synodus non simpliciter, quod ea Professio invalida sit & nulla, sed insuper quod „ *nullam inducat* „ obligationem ad *alicujus Regulæ* vel Re„ ligionis, vel Ordinis observationem; „ aut ad alios *quoscumque* effectus: „ quibus verbis, inquit *Fagnanus*, ad Cap. *Perlatum*, *de his quæ vi metusve causa*, n. 29. & 30. „ Declaravit S. Congregatio sublata „ tam esse obligationem ad Religionem „ in genere; „ adeoque taliter Professo liberum esse redire ad sæculum; quod nulla veri specie de 2. Professione Monachi extranei potest intelligi: nam licet nulla foret hæc ejus 2. Professio, nihilominus dici non posset ad nullam *Regulam*, *Religionem* Ordinemque adstringi.

Igitur Decretum Concilii Trid. extendi nequit ad eam Professionem, qua Monachi Ordinem mutantes, alteri Ordini sic associantur; quandoquidem S. Synodus de simili Professione non loquatur. Cum enim Decretum hoc, quatenus prædictam nullitatem Professionis inducit, pœnale sit, & contrarium juri communi, quo ex Superiorum arbitrio ante expletum probationis annum Professio valide emittebatur, non potest ultra expressos terminos extendi.

Præsertim ubi nec eadem subest ratio, prout in præsenti. Nam cum jam Professus Monachus dumtaxat in alio Ordine probare se ipse & probari debeat circa quædam *accidentalia*, quæ ad faciliorem & meliorem votorum observantiam instituta sunt; ast e contrario e sæculo veniens non solum probare se debeat & probari circa *accidentalia* quædam, sed & circa ipsa Religionis essentialia, sufficienter patet majorem exactioremque per se requiri probationem pro Professione e sæculo venientis, quam pro Professione jam ante ad essentialia immutabiliter adstricti.

Itaque censent infrascripti, Professionem Titii & Caii, de qua in casu, nullatenus dici posse irritam; neque Decretum Concilii Trid. ad similem Professionem extendi; & consequenter Titium & Caium illi Congregationi strictioris observantiæ, cui fuerant associati, conformiter ad Regulam S. Benedicti, manere obstrictos & incorporatos.

Ad secundum, manifestum est Synodum Trid. voluisse, ut Professus in aliqua Religione, prætendens Professionem suam invalidam sive nullam, teneatur intra quinquennium causam sive titulum nullitatis proponere coram Ordinario, & Superiore sui Monasterii.

Igitur quandoquidem Professio publice emissa & per Superiorem seu Conventum acceptata prætendatur invalida seu nulla ex defectu annalis Probationis seu Novitiatus, non apparet ullum dubium, quin juxta Decretum Synodi, hæc nullitatis causa debeat intra quinquennium a die Professionis proponi, sive quod eam proponere volens post elapsum quinquennium non sit audiendus. Evidens quippe est Synodum Trid. in hoc suo Decreto comprehendisse omnes causas, e quibus posset nullitas Professionis deduci. Expressis enim quibusdam causis nullitatis subjungit: *aut quid simile*; aperte significans se nolle ad expressas causas Decretum suum restringere, sed alias quoque causas voluisse comprehendi.

Hinc & concludunt communiter Doctores juxta tenorem hujus Decreti, non videri faciendam distinctionem inter impedi-

menta temporalia & perpetua; uti videri potest apud *Fagnanum* ad Caput I. ✠. *de his quæ vi metusve causa fiunt*: qui & ibidem asserit sententiam asserentem invaliditatem Professionis ex impedimento *perpetuo*, etiam lapso quinquennio posse proponi, semper a Sacra Congregatione Regularium fuisse reprobatam.

Ad hæc, impedimentum, de quo in casu, non magis censeri potest perpetuum, quam impedimentum ætatis, cujus nominatim meminit Synodus. Quemadmodum enim impedimentum ætatis cessat hoc ipso quo Professus ad legitimam ætatem pervenit, similiter impedimentum non adimpletæ annalis Professionis sive Novitiatus cessare dicendum est, dum per plures annos post emissam suam Professionem, & Professus vitam Religiosam, & Conventus ipsius Professi qualitates & vivendi rationem probavit.

Itaque censent infrascripti, nec Monachum sic Professum, neque Abbatem seu Conventum in casu proposito esse audiendum, post lapsum quinquennium a die Professionis.

Licet enim Synodus Trid. loquatur de solis Monachis Professis nullitatem suæ Professionis deducere volentibus, nihilominus id ipsum ex natura correlativorum obtinere respectu Conventus seu Superioris receptum est; uti latius deducit Prosper *Fagnanus*, loco citato; qui & ibidem testatur etiam S. Congregationem Cardinalium conformiter declarasse causam nullitatis per Superiorem sive Conventum intra quinquennium a die Professionis esse deducendam, nec post quinquennium esse audiendum.

Ad tertium, indubitatum est juxta Regulam S. Benedicti, nullum specialem ritum ad essentiam Professionis fuisse necessarium: imo nec jure Decretalium aliquam formulam Professionis fuisse præscriptam; sed & ex factis & quibusdam actibus Professionem probari potuisse; puta ex gestatione specialis habitus Professorum, nec non ex admissione Novitii ad exercitium eorum, quæ Professis Religiosis sunt propria; idque aperte deducitur ex Cap. 22. ✠ *de Regularibus*; & fusius exponitur in Cap. 1. eodem, in 6. Eamque Canonistæ appellare consueverunt *Professionem tacitam*, quam nec per Concilium Trid. sublatam probat Prosper *Fagnanus*, ad Cap. *Ad nostram*, *de Regularibus*.

Verum quidem est, in Gallia & in Belgio probationem Professionis in Judiciis non recipi nisi per scripturam; qua Professio facta exponitur, & ab ipso profitente signata.

Verum cum Edicta Principum, hanc speciem probationis præscribentia, loquantur de Professione Religiosa, indubitanter intelligenda de ea Professione, qua quis se votis solemnibus Religionis obstringit, atque ita in alium statum transit; & consequenter cum agatur de re summi momenti, merito Principes exactiorem & solidiorem paucioribusque difficultatibus obnoxiam requisiverunt probationem.

Cum vero in casu præsenti non agatur de vera & proprie dicta Professione Religionis, qua quis se votis solemnibus Religionis obstringit, sed dumtaxat de simplici incorporatione sive associatione alicui Congregationi seu Monasterio, censent infrascripti ad hunc casum, sive ad similem improprie dictam Professionem, hæc Edicta non esse extendenda; præsertim cum in hoc articulo adversentur juri Communi, quo etiam tacita Professio sive probatio ex factis & conjecturis recipitur.

Itaque apparet Professionem, de qua in Casu, per gestationem habitus Professorum, & admissionem ad actus Capitulares sufficienter fuisse ratificatam, etiamsi defectus aliquis in hac Professione subfuisset. Ita Responsum Lovanii hac 28. Febr. 1721.

(*Erat signatum*)

Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & Prof.
J. *Hacquius*, J. U. D. & Prof. Ord.
J. *Wirix*, J. U. D. & Prof. Ord.
J. A. *Brenart*, J. U. D. & Prof. Primarius.
Amandus. *Bauwens*, J. U. D. & Antecessor Primarius.

JU-

XXVIII.

JURIS RESPONSUM,

Circa Illegitimam Suspensionem R. P. Hieronymi Zegers, Presbyteri Congregationis Oratorii

Apud Belgas. (*a*)

CASUS POSITIO.

CUm Hieronymus *Zegers*, Presbyter Congregationis Oratorii Domus Mechliniensis vago quodam rumore percepisset, contra suam personam Mechliniæ publice affixum esse Decretum aliquod pœnale & infamans, sub nomine Excellentissimi ac Reverendissimi D. Archiepiscopi, hic junctum sub *A.* idem sine mora eidem Archiepiscopo curavit legitime insinuari Actam recusationis & appellationis sub *B.*

Notarius autem, cum accepisset responsum de refutatoriis, appellavit denuo tamquam a novo gravamine, uti retulit.

Quapropter præfatus Hieronymus *Zegers* 31. mensis Julii ab Illustrissimo Domino Internuntio petit Rescriptum appellatorium per libellum sub *C.* quod, non obstantibus iteratis instantiis, annuere distulit, prætexens præfatum Decretum simplicem continere citationem.

Interea emisit Excellentissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus novum Decretum, publicis locis Mechliniæ affixum, die 2. subsequentis mensis Augusti, hic junctum sub *D.* quo eidem iterato ordinatur, ut „ compareat infra octiduum coram „ nobis (inquit) in Palatio nostro Episcopali Mechliniæ ad purgandam contumaciam, & respondendum ad Articulos „ in forma juris ipsi ibidem proponendos „ in satisfactionem dictarum litterarum Citatorialium, sub pœna confessi & convicti: ordinantes interim, ut dicta die præstet juramentum & subscriptionem Formularii Alexandri VII. juxta Bullam „ Clementis XI. quæ incipit *Vineam Domini*, sub pœna suspensionis a Divinis „ ex nunc pro tunc. „

Ab hoc novo Decreto iterum appellavit per Actam datam 9. dicti mensis Augusti, hic junctam sub *E.* eamque per Notarium Apostolicum *van der Elst* debite insinuari curavit, qui & eamdem ejus appellationem iteravit & Apostolos petiit, sed male exceptus & cum terrore Carceris repulsus fuit, uti retulit.

Unde præfatus Hieronymus *Zegers* libellum supplicem 20. Augusti obtulit Illustrissimo Domino Internuntio sub *F.* exhibens quod primum Decretum Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi, licet præferret citationem, tamen revera esset sententia definitiva, utpote quo ipsi inaudito injungebatur purgatio Canonica. Quodque idem Reverendissimus in præjudicium non solum appellationis, sed etiam recusationis legitimæ procederet ad ulteriora; quodque novo Decreto suo ipsum iterato & ad eumdem finem citasset sub pœna suspensionis a Divinis, sicque eum privaret recusationis remedio; non sine gravamine prorsus irreparabili, a quo coactus fuerit appellare.

Unde supplicabat, quatenus, jungendo præsentem libellum præfato anteriori, dignaretur causam & causas hujusmodi committere aliis Judicibus Ecclesiasticis, eo quo priori libello petitum erat modo, clausulis & effectibus.

Sed nihil obtinuit: postque iteratas instantias tandem 27. ejusdem mensis Illustrissimus Dominus Internuntius Judices dare negavit; quare Notarius Apostolicus *van der Elst* protestatus fuit *de denegata justitia*, uti constat ex ejus relatione annexa sub *G.*

Interea, dum hæc ita agerentur, Reverendissimus Archiepiscopus sciens nihil ab Internuntio obtentum iri, tulit Decretum,

 loeis

(*a*) Primo editum anno 1721.

locis publicis Mechliniæ affixum die 18. dicti mensis Augusti, quo ipsum suspendit a Divinis; sibi reservans procedere ad ulteriores Censuras Ecclesiasticas. Habetur sub *H.*

Hanc suspensionem præfatus Hieronymus *Zegers* neglexit; tamquam notorie nullam, & mere via facti latam: instituitque recursum adversus tam manifestam ac violentam oppressionem, ad protectionem Regiam; supplicans Imperatori ac Regi quatenus mandare dignaretur Domino Internuntio, ut sibi concederet Judices integros pro ut de Jure: aut alias ipsi administrare, aut administrari juberet justitiam eo modo, quo Sacra Sua Majestas ex æquitate & justitia duceret convenire.

QUÆRITUR.

1. An Præfatus Hieronymus *Zegers* Eminentissimum ac Reverendissimum Dominum Archiepiscopum legitime recusaverit?

2. An idem a Decretis annexis sub litt. *A.* & *D.* rite appellaverit?

3. An Illustrissimus Dominus Internuntius potuerit negare Judices?

4. An Decretum suspensionis a Divinis, hic annexum sub *H.* non sit notorie nullum, & mere via facti latum?

5. An adversus hanc violentiam & oppressionem non recte recursum instituerit ad protectionem Regiam, & concluserit prout in casu?

6. An, & quomodo possit Rex huic violentiæ prospicere?

7. An eidem *Zegers* sub Regia protectione & manutenentia continuare liceret functiones spirituales sui Ordinis, non obstante Censura via facti inflicta?

Viso & examinato casu supra posito, una cum annexis & in eo reclamatis actis censent infrascripti.

Ad I. Recusationem interpositam per Reverendum P. Hieronymum *Zegers*, Oratorii Presbyterum, contra personam Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis fuisse legitime institutam; ut minus ad eum effectum, ut ea instituta Dominus Archiepiscopus Personam Judicis contra prædictum Patrem sustinere non posset, quoadusque per Arbitros Juris causa recusationis esset legitime decisa.

Nec enim dubium videtur, quin legitima & sufficiens esset causa recusationis, si ea, quæ contra Personam Domini Archiepiscopi in libello Recusationis fuerant allegata, probari possent esse vera.

Porro indubitatum est, non ad personam Judicis recusati spectare de veritate aut falsitate factorum, quibus recusatio innititur, judicare, sed id privative pertinere ad Arbitros Juris.

Unde quæcumque Decreta, post institutam legitime recusationem, sub nomine dicti Domini Archiepiscopi lata convincuntur esse nulla, ob defectum Jurisdictionis in persona ejusdem Archiepiscopi.

Expeditum enim est, per recusationem legitime interpositam æque ac per Appellationem, omnem in Judice recusato jurisdictionem suspendi, quousque causa recusationis per Arbitros juris fuerit decisa.

Hinc post glossam ad Cap. JUDEX verbo *proponatur* de Officio Jud. Deleg. in VI. communiter hodie tradunt Doctores, acta a Judice recusato, etiam pendente causa recusationis coram Arbitris Juris juxta dispositionem Juris Canonici indecisa, esse nulla; ut licet etiam postmodum per Arbitros declaretur causa Recusationis insufficiens, & causa ad Judicem Recusatum remittenda, tamquam non sufficienter probatum suspectum, tamen Acta pendente recusatione non convalescant.

Ad II. Quandoquidem Decreto sub litt. *A.* Pater Hieronymus *Zegers* non tantum simpliciter fuerit citatus, sed per idem Decretum fuerit condemnatus, idque nec citatus nec auditus, ut se Canonice purgaret a suspicione hæresis Jansenianæ, per subscriptionem Formulæ Alexandrinæ juxta Bullam Clementis XI. quæ incipit *Vineam Domini*, evidens est, quod per hoc Decretum judicatus sit de dicta hæresi suspectus; quodque hanc suspicionem per purgationem Canonicam ante omnem ulteriorem processum diluere jubeatur.

Quis autem dubitet quin Decretum, quo quis per Judicem de hæresi pronuntiatur

tur suspectus, jubeaturque se de illa Canonice expurgare, reputandum sit pro sententia definitiva, aut saltem vim definitivæ [illegible] Decretum bente : quandoquidem [illegible] palam lædatur, ipse-fama sic [illegible] condemnatus in suspicionem hæresis vocetur ante quam fuerit super hac suspicione auditus. Neque enim magis permittit juris ratio, ut quis inauditus & indefensus de perpetrato crimine aliquo declaretur suspectus, quam ut de crimine pronuntietur convictus.

Qua ratione motus Innocentius XII. in Brevi ad Episcopos Belgii die 4. Februarii 1694. noluit pro suspecto de Jansenismo haberi, *nisi prius suspectum esse legitime constiterit*.

Itaque censemus a Decreto sub littera *A.* quo dictus Pater indefensus suspectus declaratur de Jansenismo, & ad purgationem Canonicam condemnatur, recte fuisse appellatum.

Quantum vero ad Decretum sub littera *D.* recte quoque ab eo appellatum fuit. Cum enim hoc Decretum emanaverit sub nomine Domini Archiepiscopi, non solum post interjectam appellationem a Decreto priori sub littera *A.* sed insuper post propositam recusationem, evidens est, ab hoc Decreto tamquam lato a Judice recusato, & cujus per hanc recusationem jurisdictio erat suspensa, uti probatum est in responso ad primum, meritissime tamquam a nulliter lato potuisse appellari.

Ad III. Praxis notoria & indubitata Belgii habet, ut Nuntii vel Internuntii Apostolici ne vel minimum actum jurisdictionis exercere possint, neque de causis inter partes agitatis cognitionem judicialem sumere, aut de justitia vel injustitia causæ, sive in prima aut secunda vel ulteriori instantia, judicare: sed ut omnis judicialis cognitio & decisio spectet ad Judices ordinarios vel in partibus delegandos.

Igitur in casu proposito, non erat Domini Internuntii judicare, num primum vel secundum Decretum contineret gravamen irreparabile per sententiam definitivam, sed de eo judicare spectabat ad Judices in partibus delegandos; uti & de justitia vel injustitia appellationis.

Nullatenus proinde potuit Dominus Internuntius prædicto P. *Zegers* Appellanti [illegible] diciorum invertendo.

Notanter in casu præsenti, tum quod primum Decretum sub *A.* latum contra inauditum, sententiam contineat in effectu definitivam; tum quod ex Acta appellationis a secundo Decreto, satis pateret, gravamen quod sibi per hoc Decretum illatum contendebat Appellans, ut minus præferret speciem irreparabilitatis valde probabilem, de qua merito per Judicem appellationis cognosceretur, & judicaretur.

Ad IV. Quandoquidem ex casus positione, & annexis habeatur suspensionem a Divinis (de qua in casu) inflictam fuisse per Dominum Archiepiscopum post interpositam Appellationem & propositam recusationem de ejus persona, consequens est, hanc Censuram suspensionis esse notorie nullam.

Certum enim est juxta modernam Ecclesiæ disciplinam & receptam praxim, nullam proprie dictam censuram valide infligi posse; nisi per Judicem, sive per eum cui competit jurisdictio fori externi Ecclesiastici, idque servato juris ordine. In quo si committatur defectus aliquis substantialis, *certum est*, ait Suaresius, *censuram non solum esse utcumque injustam, sed prorsus invalidam, quia sententia ipsa nulla est, & sententia nulla nullum potest producere effectum*. De censuris Disp. 4. sect. 7. Num. 2.

Jam vero inter essentialia ordinis judicialis, non postremum est ipsa Judicis non suspensa seu impedita jurisdictio.

Expeditum autem est, effectum appellationis esse, suspendere jurisdictionem Judicis, a quo appellatum est, „ quodque examen & cognitionem causæ, in qua appellatum est, ad appellatum seu provocatum Judicem transferat „ uti post alios loquitur & probat *Wamesius* in Commentario de Appell. ad Cap. 1. Num. 1.

Additque „ non tantum transferri quoad „ principale negotium, sed etiam quoad ejus „ accessiones: item quod appellantem a ju„ risdictione ejus qui judicavit eximat. „

Unde Suaresius de Censuris *Disp.* 28. *sect. V.* agens de modo servando in ferenda suspensione, ait *N.* 3. „ oportere . . . .

„ præ-

„ præsertim ut suspensio non feratur post „ interpositam *appellationem* : quia erit *nulla*, „ ut est communis sententia, de- „ fectu jurisdictionis , quæ per *appella-* „ *tionem* suspenditur . „ Idipsum uno consensu tradunt Canonistæ ad *Cap.* 37. ✠ *de Appellat.* ubi in terminis respondet Pontifex, quod *post appellationem excommunicari non possint* : & ad *Cap.* 40. ✠ *de sententia excommunicat.* ubi Pontifex æquiparat sententiam excommunicationis latam post legitimam appellationem interpositam excommunicationi , *in cujus forma intolerabilem errorem fuisse patenter expressum* probaretur : qualem excommunicationem *ipso jure* nullam esse nemo dubitat.

Quinimo Censuræ, post interpositam appellationem , ita sunt *ipso jure nullæ* , ut etiam *deserta aut iniqua declarata appellatione non convalescant*, uti loquitur *Wamesius* loco citato *Num.* 4. & evidenter probatur *in Cap. Licet de sententia excommunicat.* in VI.

Ex qua omnimoda Censurarum nullitate infert *Wamesius*, quod excommunicatio post legitime interpositam appellationem „ sic „ inflicta , judiciali retractatione non in„ digeat , nec absolutionem requirat ; „ quodque si *Divinis* se immiscuerit non „ contrahat irregularitatis vitium . „ Conformiter ad responsum Pontificis *in Cap. ad Præsentiam* 16. ✠. *de appel.* quo mandat Archiepiscopo Eboracensi , ut „ Pres„ byterum , pro eo quod , post excom„ municationem *contra appellationem* factam, „ *Divina cantavit* , nullatenus inquietet : „ sed ad eum statum reducat omnia , in „ quo erant tempore emissæ appellatio„ nis . „

Unde Glossographus hanc ponit regulam: *sententia excommunicationis* , *post appellationem legitimam lata*, *nulla est* : *unde qui postea celebrat non punitur*.

Ex qua Decretali præterea statuunt Canonistæ, quod talis Censura *nec remedio appellationis indigeat* . *Wamesius* ad hoc Capitulum *Num.* 2.

Quemadmodum autem post interpositam appellationem suspenditur jurisdictio Judicis , ita & per recusationem ; saltem quousque de causis recusationis secundum formam & Statuta Canonum fuerit judicatum : unde etiam unus idemque titulus est in Decretalibus *de Appellationibus & recusationibus*.

[illegible] concorditer concludunt Doctores, *quod sicut per app*[illegible] *ita & per recusationem Judicis suspendatur ejus jurisdictio* , *ne possit in causa in qua recusatur*, *ad aliquem actum procedere* ; *& si processerit* , *processus sit* NULLUS : uti loquitur Andreas Vallensis in Paratitlis Decretalium ad tit. de appellat. §. 18. Num. 1.

Et Petrus Rebuffus in suo Tractatu *de Recusationibus Art. 6.* ait, hodie indu„ bitatum esse , quod Judex post recusatio„ nem propositam non possit de principali „ cognoscere , & si cognoverit , processum „ esse *nullum* ; quia recusatus omni jurisdi„ ctione privatus censetur : ideo quidquid „ postea facit , censetur facere tamquam „ privatus non habens jurisdictionem „ . Idipsum latius prosequitur Hieronymus de Cevallos Tract. *de cognitione per viam violentiæ Quæst.* 14. notans Num. 28. Rotam sic sæpius judicasse , adeo ut hæc sententia dici debeat communis & inviolabili praxi firmata .

Igitur manifestum est, Censuram suspensionis , de qua hic quæstio , prorsus esse nullam & nullius effectus , utpote latam a non habente jurisdictionem : seu cujus jurisdictio per appellationem , & recusationem erat suspensa & impedita . Ante omnia enim in eo , qui Censuram infert, necessario requiritur liber usus jurisdictionis contentiosæ .

Præter hanc insignissimam nullitatem, occurrunt in eodem Decreto suspensionis sub *H.* variæ aliæ nullitates etiam notoriæ .

Nam 1. latum apparet hoc Decretum sine informationibus præparatoriis per Promotorem de more capiendis : quæ legitimæ informationes ad essentialia processus criminalis sic pertinent , ut ejus quasi basis & fundamentum sint , adeoque & harum omissio totum processum nullum reddat , necesse est .

2. Videtur Dominus Archiepiscopus hic egisse motu proprio , neque enim apparet Decretum esse latum ad instantiam Promotoris , tamquam Actoris & Accusatoris . Fit quidem mentio Promotoris in primo Decreto sub *A*, ubi illi mandat : ut citet

Pa-

Patrem Zegers, sed rursus ordine praepostero, cum hoc ipsum mandandum fuisset potius Apparitoribus, & non nisi ad instantiam ipsius Promotoris; cujus instantiae nullum in toto processu invenire est vestigium: ita ut videatur Dominus Archiepiscopus hic substinuisse personam Accusatoris & Judicis simul, quod in causa legitima inauditum est, & totum processum evertere debet.

3. Consuetudine & usu invaluit, fundato in ipso Evangelio, ut adhibeantur monitiones Canonicae sub expressa comminatione talis Censurae puta *suspensionis*. Circa quas essentialis rursus defectus se manifestat. Nam cum in Decreto sub *A* tantum in genere dicatur, *sub poenis juris*, censeri debet in ordine ad suspensionem tantum unam monitionem Canonicam praecessisse, nempe in Decreto sub *D*. Nec opponi potest, unam monitionem aequivalere interdum tribus, quia in hoc Decreto sub *D*. non praescribitur nisi tempus octo dierum, adeoque non sufficiens in ordine ad contumaciam: atque adeo defectu contumaciae & competentis monitionis, etsi alia non deessent, Decretum Censurae, de quo agitur, necessario corrueret.

Ex quibus omnibus luculenter patet, praefatam suspensionem a Divinis comprehensam in Decreto sub *H*. esse undequaque cassam, irritam, notorie nullam, & latam mere via facti.

Ad V. Nihil adeo proprium est Regibus & Principibus, quam vi oppressos benigne protegere, praesertim cum a potentioribus opprimuntur. Quod perspicue expressit Rex Salomon in suo Eccles. Cap. 5. *Si videris*, inquit, *calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii*; ut (si priores *judicio violento, & subversa justitia* egenos oppresserint) eos protegant, ac in illos animadvertant. *Et insuper*, si & hi defecerint, *universae terrae Rex imperat servienti*. Unde Propheta Regius describens Psal. 71. benignitatem ac felicitatem futuri imperii Regis Salomonis, ait: „ humiliabit *calumniatorem*; liberabit *pauperem* a *potente*, & pauperem cui non „ erat adjutor . . . . animas pauperum „ salvas faciet . . . . Ex iniquitate redi- „ met animas eorum, & honorabile no- „ men eorum coram illo. „

Cum vero violentiae illae nisi validiore manu vix queant comprimi, & poenarum timore sisti, ideo Deus illis gladium commisit; unde ait Apost. *Si malum feceris time: non enim sine causa* (Princeps) *gladium portat. Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum agit*. Rom. 13.

Quare etiam Principes Christiani nihil sibi gloriosius duxerunt, quam oppressorum Patres ac Protectores nuncupari; suaque Tribunalia eis tuta Asyla esse voluerunt.

Id Magno illi Constantino adeo sanctum erat, ut publica Sanctione declaraverit in *L. unica Cod. quando Imperator inter*, &c. *Quod si Pupilli vel Viduae aliique, fortunae injuria miserabiles, judicium nostrae Serenitatis oraverint, praesertim cum alicujus Potentiam perhorrescunt, cogantur eorum adversarii examini nostro, sui copiam facere*.

Hinc & Pupillorum, Viduarum, aliarumque miserabilium personarum, sub violentia potentiore gementium est perpetuum etiam his temporibus privilegium, ut adversarios suos ad Curiam Principis in jus vocent: *Ubi nec* VIOLENTIAE *locus datur, nec avaritia vitia formidantur: Ubi & innocentia profugium, &* CALUMNIATORES *jus possunt invenire districtum*: uti loquitur Theodoricus Rex apud Cassiodorum Lib. 4. Cap. 9.

Cum vero Clerici, aliaeque personae Ecclesiasticae, non minus quam laici sint Cives Reipublicae & Regis subditi, aeque eis protectio debetur, dum vi opprimuntur.

Imo ut recte advertit *Salgado* de protectione Regia *Part. 1. Cap. 1.* praeludio 2. Num. 72. *Defensio Regia* POTIUS *convenit* ECCLESIAE, *&* ECCLESIASTICIS PERSONIS, *quam aliis, quia arma non ferunt*.

Unde S. Leo ad Leonem Augustum Epist. 75. „ debes, „ inquit, „ incunctan- „ ter advertere Regiam potestatem tibi non „ solum ad mundi Regimen, *sed maxi-* „ *me ad Ecclesiae praesidium* esse collatam, „ ut ausus nefarios comprimendo, & „ quae bene sunt statuta defendas, &

„ ve-

„ veram pacem his quæ sunt turbata re-
„ stituas. „

Quod si violentia Clericis ab ipso Judice Ecclesiastico inferatur, tunc vel maxime, „ eis protectio Regia debetur, cæteris enim violentiis (inquit Salgado „ *prœl.* 4. *Num.* 192.) hæc, quæ a Judice fit, major est & atrocior, cum sub „ securo & superioritatis ac jurisdictionis „ prætextu, facillime deliberari possit ad „ ejusmodi vim inferendam.

Et quidem numquam facilius Judices & Superiores Ecclesiastici opprimunt Clericos, quam dum *violento judicio* & *subversa justitia* eos Censuris Ecclesiasticis perstringunt, quibus eos functionibus suis & officiis *via facti* exuunt.

Unde vel tunc præcipue tenetur Rex suam protectionem impartiri Clericis eam inclamantibus; & ideo magis, quod numquam periculosius pax publica & communis tranquillitas perturbentur, quam hujusmodi irritis Censuris. Cujus rei testimonia innumera, quæ non sine horrore referri possent, suppetit Historia Ecclesiastica.

Ex qua simul discimus, Reges ac Principes semper adversus hujusmodi violentas Censuras suam potentem Protectionem benignissime Clericis impartiisse: estque & hodie hac in parte illæsa ac usitata in toto orbe Christiano Protectio Regia. Id testantur Authores omnes eam materiam tractantes, ac inter cæteros quoad *Hispaniam* celeberrimus *Covarruvias*, Hieronymus de *Cevallos* & Franciscus de *Salgado*, toto suo Tractatu de *Protectione Regia vi oppressorum*; nec non in altero de *Supplicatione ad Sanctissimum*.

Quoad *Galliam*, testes sunt Joannes Galli Advocatus Regius, Arnulphus Rusæus in Curia Parisiensi Consiliarius, in Tract. *de Regalia*, nec non nominatissimi illi Pithæi in probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

Et quoad *Belgium* vel unus *Anselmo* in suo Triboniano Belgico *Cap.* 32. ubi in compendium contractas exhibet notas, quas harum Provinciarum Senatus Regii miserunt ad Margaretam Parmensem Belgii Gubernatricem, quæ eorum exquisierat judicium super publicatione Concilii Trident. Et quidem §. 48. exhibet notata ad prææallegata verba Concilii Tridentini. *Nefas autem sit, &c.* quibus verbis „ Magistratibus omnibus (ait Anselmo) se„ vere interdicitur, ne excommunicationes „ Ecclesiasticæ Potestatis impediant, aut „ jam latas revocari mandent, „ *Hic rursus*, prosequitur, *plerique obloquuntur*, *Judices Regios hac authoritate* AB OMNI MEMORIA *in Belgio usos*, *ut* CENSURAS *impedire possint*, *vel ad revocandum cogere Ecclesiasticos*, *remedio immissionis in eorum temporalia*, *quando excessus & abusus id postulant*: *alioquin tolli e medio remedia* CASSATIONIS *& aliarum provisionum Regiarum*, *veluti quæ dicuntur* PROVISIONS EN CAS D'ABUS, VOYE DE FAIT, ET AUTRES, *quæ sua consultatione ajunt Brabanti præcipua esse auxilia tuendæ Regiæ dignitatis & jurium Subditorum*.

Qui inveteratus & antiquissimus usus ad nos illæsus devenit, ac in viridi est observantia.

Juvabit hic exprimere testimonium prælaudati Celeberrimi Didaci Covarruvias Episcopi Segoviensis, & ita in hac re minus suspecti, quique ipsi Concilio Tridentino summa cum laude interfuit: *In Regia & Castellana Republica*, inquit, *illud observantissimum est*, *& diu obtinuit a tempore*, *quod memoriam hominum excedit*, *posse ab his qui a* JUDICIBUS ECCLESIASTICIS *vi &* CENSURIS *opprimuntur*, *Regios Auditores & Consiliarios*, *qui apud Regia suprema prætoria jura reddunt*, *omnino adiri ut vim auferant*, *& compellant Judices Ecclesiasticos ab ea inferenda cessare*. Pract. qq. Cap. 35. Num. 3.

Quod si quis, prosequitur, *contendat a Principibus sæcularibus hanc tollere potestatem*, *statim*, *non quidem sero*, *comperiet experimento* MANIFESTISSIMO, *quantum calamitatis Reipublicæ invexerit*.

Hic vero forensis usus (inquit idem Covarruvias) *non tantum in his Castellanis Regiis Hispaniarum Ditionibus & Principatibus*, *sed & apud Gallos*, *aliosque Christianæ Reipublicæ sæculares Principes est receptissimus*.

Neque per hunc usum forensem dici possunt Principes aut Magistratus sæculares manum ponere ad thuribulum, sive authoritatem Clavium sibi arrogare, aut eripe-

eripere eam Episcopis, quibus a Deo commissa est, quandoquidem hujus Regiæ protectionis unicus scopus & finis sit, ut post Covarruviam, aliosque recte advertit Josephus Sese, J. U. D. in Tract. *De inhibition.* Cap. 8. §. 3. N. 69. & post ipsum Franciscus Salgado *de Protectione Regia*. Part. 1. Cap. 1. Prælud. 5. n. 194. *vim repellere, propulsare, & oppressum sublevare, & Ecclesiasticum quodammodo reducere ad viam justitiæ & tramites legitimos.*

Igitur ex his manifestum evadit, Patrem H. Zegers recte instituisse recursum ad Protectionem Regiam adversus vim & oppressionem, quam patitur per suspensionis Censuram, latam post legitime interpositam appellationem: quæ violentia præ omnibus aliis locum præbet recursui ad Protectionem Regiam, uti loco citato notavit Covarruvias, & toto suo tractatu *de Protectione Regia* exposuit Franciscus Salgado. Maxime cum per hunc recursum nihil aliud petatur, quam ut tam enormis violentia tollatur, & nihil per viam facti, sed servato in omnibus juris ordine cum ipso agatur.

Ad VI. Resolutio hujus per se ex præcedenti sequitur. Nam cum proxime ostensum sit, Principes a Deo positos esse, *ut liberent vi oppressum de manu Calumniatoris.* Jeremiæ Cap. 22. res ipsa loquitur, Regem non solum posse, verum etiam debere prospicere violentiæ, de qua Hieronymus Zegers apud Suam Majestatem jure merito conquestus est: idque eo magis, quod hæc oppressio ex illa etiam parte, inaudito exemplo, gravata sit, a qua levamen accipere debuisset.

Nempe ex parte Domini Internuntii, a quo contra omne fas, ut visum est ad Tertium, denegati sunt Judices in partibus; quamvis eos miser ille, & saltem in speciem enormiter læsus, iterum iterumque inclamasset. Quo quid posset homini libero durius aut intolerabilius accidere!

Etenim in hunc præcipue finem Internuntius a Summo Pontifice delegatus esse censetur; aut certe non sub alia conditione in ditionem Suæ Majestatis admittitur, quam (Verba sunt Placeti super facultatibus Internuntiorum) *quod in causis appellationum committet eas Judicibus in partibus.* Cui tamen conditioni Dominus Internuntius in præsenti casu sine causa defuit: sicque recusantem & iterato appellantem reliquit Judici a quo, severiori Censura feriendum.

Cæterum indefensum seu indiscussum Censura perstringere, non violentiam tantum, sed vel tyrannidem esse declarat Concilium Hispalense II. sub S. Isidoro Can. 6. „Multi (Episcopi) sunt, inquit, qui „indiscussos (Presbyteros) POTESTATE „TYRANNICA non authoritate Canonica „damnant. Et sicut nonnullos gratia fa„voris sublimant; ita quosdam odio, in„vidiaque permoti humiliant, & ad levem „opinionis auram condemnant, quorum cri„men non approbant „. Qui Canon relatus in Corpus Canonicum Caus. 15. Quæst. 7. Can. 1. jam partem juris communis constituit, & in causa proposita expendi meretur.

Remedia vero, quibus Rex violentiæ, de qua in casu, & infractioni ordinis judicialis, postquam de ea cognoverit, prospicere possit, nota sunt & in promptu, utpote usu quotidiano frequentata. Puta, informis & per se invalidæ Censuræ cassatio, abusus Potestatis Ecclesiasticæ notatio, manutenentia vim passi, coercitio vim inferentis per severiora Decreta, per immissionem in bona temporalia, &c.

Qualia quidem adversus violentas Judicum Ecclesiasticorum Censuras remedia, si Belgii & totius Orbis Catholici Consilia Regia etiam in favorem Clericorum ab omni memoria adhibere non consuevissent, ipsa facti jurisque ratio, & Serenissimorum Imperatorum recentiora exempla docere nos possent.

Nam cum anno 1707. die 27. Julii Clemens XI. edidisset Bullam aliquam, qua volebat non solum annullare Concordiam quamdam initam super hybernis stationibus Militum Germanorum in Ducatu Parmæ & Placentiæ, verum etiam confirmare seu publicare Ecclesiasticas Censuras Sedi Apostolicæ reservatas contra Cæsareos Ministros, Commissarios, Milites, &c.

Non dubitavit Imperator Josephus I. gloriosæ memoriæ, per Diploma suum da-

rum Viennæ 26. Junii 1708. eandem Bullam Pontificiam *cassare*, *annullare*, *irritam & injustam decernere*, unaque *inhibere omnibus ac singulis Ecclesiasticis ac sæcularibus* Ipsius *& Imperii Vasallis*, *Ministris ac subditis*, . . . *sub gravissima*, inquit, *nostra & Imperii indignatione*, *omnium bonorum confiscatione*, *corporalique pœna*, *ne quam rationem ejus*, *quod in adducto scripto*, (eadem Bulla) *continetur*, *in ulla re habeant*; *sed districte mandamus*, *ut nostris jussibus*, *& ordinationibus constanter & debite pareant*; *dum vicissim Protectionem nostram Clementiamque Cæsaream fidelibus ac obedientibus impertiri non intermittemus*.

Similiter S. Cæsarea & Catholica Sua Majestas Mandato suo Viennæ lato 31. Januarii 1713. *cassavit*, *annullavit*, *abolevit nullaque declaravit* Decreta quædam comminatoria & executiva excommunicationis, attentata per Dominum Nuntium Coloniensem, nunc Cardinalem Bussi, adversus Gasparem Josephum Huygen, Jurium Doctorem in Universitate Coloniensi; „ injungens, idque sub pœna gravi, sex „ Doctoribus Ecclesiasticis illius adversariis, „ ut Acta omnia coram dicto Domino „ Nuntio producta repetant, & una cum „ Decretis hujus causæ inde emanatis re- „ tractari faciant, &c. „

Quæ exempla confirmare debent Tribunalia Regia, quibus Principis suprema potestas commissa est, in praxi & exercitio manutenendi cives & subditos suos, eosque protegendi adversus Judicum Ecclesiasticorum violentas sententias; adhibitis etiam, ubi opus est, remediis coactivis.

Ad VII. Cum jam satis superque constet, ad Principem aut ejus Consilium omnino pertinere, ut cognoscat de vi & via facti, qua in Judiciis Ecclesiasticis subditi sui sæculares aut Clerici opprimi possint; ejusdemque officium esse, ut Censuras violentas, & calcato juris ordine latas, cassando, irritas, nullasque declarando, sic oppressos protegat; eosdemque in juribus & muniis suis, in quibus turbabantur, efficaciter manuteneat: nullum superesse potest dubium, quin sub hac Principis & Custodis Canonum protectione & manutenentia liceat Clerico (de quo in casu) libere & tuto functiones suas Ecclesiasticas continuare: saltem quamdiu nulla alia sententia legitima Canonica impeditur.

Etenim uno consensu tradunt tam Theologi quam Canonistæ, Censuram, quæ neglecto essentiali ordine judicii fuit lata, tamquam nullam & invalidam posse contemni, ac ne quidem in foro externo servandam esse; nisi ad summum ratione scandali, quod e contemptu oriri in populo posset, eo quod ignoret populus, an revera Censura ista neglecto juris ordine, *via facti* fuerit inflicta. Unde *si scandalum quacumque ratione cesset*, *& innotescat aliis* QUALITAS SENTENTIÆ, *cessat obligatio*. Ita, post Navarrum, de hac Censura tractans Suaresius e Societate, *de Censuris*, Disp. 4. sect. 7. Num. 16.

Porro, si innodatus *tali* Censura, ab ea appellationem instituisset ad Judicem Ecclesiasticum, isque eam nullam & invalidam declarasset; nullus dubitat, quin ille libere functiones Ecclesiasticas posset resumere; eo quod legitime jam constaret de nullitate Censuræ, ac sic scandalum cessaret, quod alias timebatur.

Igitur dum Princeps Protectionem suam impartitur Clericis adversus Censuras nullo juris ordine latas, illis pariter licebit functiones Ecclesiasticas continuare: eo quod, dum jam quoque debite ac legitime constabit, eas *via facti* ac sic nulliter fuisse latas, scandalum sit cessaturum, quod ex non observantia timebatur. Siquidem & ad Consilia Regia, ut supra notatum est, cognitio de violentia seu via facti pertineat.

Ita enim in dies videmus per Consilia Regia manutentos Pastores, Canonicos, Presbyteros aliosve Clericos, in functionibus spiritualibus, Beneficiis suis annexis, continuare, & libere pergere, in quarum pacifica possessione per violentas Censuras via facti turbati fuerant.

Atque hic tandem opponere desinant: quod effectus Censuræ Ecclesiasticæ sisti aut tolli nequeat, nisi per Potestatem Ecclesiasticam, cum sit ejus solius solvere, cujus solius est ligare. Jam enim ad nauseam responsum est, Potestatem Laicam non cognoscere de meritis causæ intrinsecis, aut dissolvere posse Judicium Ec-

Ecclesiasticum servato juris ordine æque aut inique latum ; sed ad illam hoc solum omni jure naturali , Divino , humano & perpetuo usu spectare , ut cognoscat de forma & ordine processus , declaretque censuram aliquam via facti latam & ex sese nullam esse , cassam , & irritam , ideoque subditum suum adversus talem vim & oppressionem protegat & manuteneat . *Nam Regum officium proprium est liberare de manu calumniatoris vi oppressos*, a quibuscumque tandem vis illa inferatur.

Quapropter censent infrascripti , quod si Princeps , aut ejus Consilium in causa proposita intervenisse declaret violentiam , sive Censuram latam fuisse prætermisso substantiali ordine juris , posse P. Hieronymum Zegers (non obstante hac Censura) libere & tuto functiones sui Ordinis & muneris, in quibus fuit per Censuram nulliter latam turbatus , resumere & continuare ; saltem quamdiu per Judicem Ecclesiasticum , juris ordine servato , similem Censuram eum meruisse non fuerit judicatum . Ita responsum Lovanii die 27. Junii 1721. *Amandus Bauwens*, J. U. D.& Antecessor Primarius . Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & Prof.

Infrascripti Advocati in supremo Brabantiæ Senatu , visis omnibus supra relatis & deductis , idem omnino censemus cum Clarissimis Dominis Præconsultis . Actum Brux. 7. Julii 1721. A. *Descartes* ; J. B. *de Wilde* ; J. *de Plecker* ; C. *van Baren*; *De la Chambre*; H. *van Hantwyck*; J. *de Swert* ; R. C. E. *Swarts*.

Infrascripti se conformant præcedentibus resolutionibus propter rationes in iis allegatis . Datum Gandavi 14. Julii 1721. Ph. *de Hondt* : B. *van Coukelberghe* ; *Masseau*.

Infrascriptus se conformat præcedentibus resolutionibus , censetque R. Patrem Hieronymum Zegers legitime recusasse Eminentissimum ac Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Mechliniensem , & a Decretis annexis sub litt. *A.* & præcipue D. legitime appellasse : Deinde Illustrissimum Dominum Internuntium non potuisse negare Judices : Decretum quoque suspensionis a Divinis annexum sub *H.* esse notorie & evidenter nullum & via facti latum , recteque contra hanc violentiam & oppressionem nec non ob denegatam justitiam ad Protectionem Regiam esse concursum : Posse autem huic rei a Rege prospici præcipue per abusus potestatis Ecclesiasticæ notationem , manutenentiam . vim passi , coercitionem vim inferentis per severiora Decreta , jussionem , ut quæ de facto latæ sunt Censuræ leventur atque revocentur , &c. Denique sub Protectione Regia eumdem R. Patrem Zegers posse tuto & libere sui Ordinis & muneris subire functiones ; adeo ut ne eo nomine a quoquam, qualiscumque ille sit , contra eum processus ulli legitime intentari possint , nempe postquam Judices Regii causa cognita judicaverint , via facti ad Censuras esse processum . Actum Gandavi 17. Julii 1721. J. B. *Bauwens*.



A.

Thomas Philippus de Alsatia de Boussu, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis; Primas Belgii, S. D. N. Clementis Papæ XI. Prælatus Domesticus, ad Exercitus Cæsareo-Regios Delegatus Apostolicus, Sacræ Cæsareæ Catholicæque Majestatis actualis intimus Consiliarius, &c. Omnibus has visuris salutem in Domino.

CUm informati essemus, quod Patres Joannes de Hooge & Hieronymus *Zegers*, Oratorii Domus Mechliniensis Presbyteri, male sentirent, & indigne locuti essent de quibusdam Bullis Pontificiis, cum magno Christifidelium scandalo & obloquio, evocavimus ad nos Dilectum nobis in Christo venerabilem Dominum Ægidium *Smet* Oratorii Præpositum, cui 13. mensis April. ultimo elapsi, oretenus injunximus, ut dictos duos Patres indilate ad nos accedere juberet, ut purgarent se de mala doctrina, jurarent Formularium Alexandri Septimi juxta Constitutionem Clementis XI. quæ incipit *Vineam Domini*, & panderent mentem suam super Constitutione *Unigenitus*, quæ si præstare detrectarent, illos ex Congregatione Oratorii dimitteret. Sed cum satis longo tempore expectati non comparerent, dirigendum duximus ad præfatum Dominum Præpositum mandatum nostrum tenoris sequentis: „Thomas Philippus de Alsatia de Boussu, „ Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii, „ S. D. N. Clementis Papæ XI. Prælatus „ Domesticus, ad exercitus Cæsareæ Catholicæque Majestatis actualis intimus „ Consiliarius, &c. Dilecto nobis in Christo venerabili Domino Ægidio *Smet*, „ Congregationis Oratorii Præposito, salutem in Domino. Cum ad nos delatum sit, & non sine magno animi nostri dolore intellexerimus, quod Patres „ *Zegers* & de *Hooge* Oratorii vestri „ Presbyteri male sentiant, & indigne locuti sint de quibusdam Bullis Pontificiis, „ & quod super excessu illo admoniti non „ se correxerint, sed e contrario Præfatus „ Pater *de Hooge*, per Epistolam suam „ ad præsidem Seminarii nostri Archiepiscopalis datam, suspicionem de mala sua „ doctrina plurimum auxerit, mandavimus „ tibi ut dictos Patres indilate ad nos accedere juberes; & quia huc usque non „ comparuerunt, hinc est quod iterum „ mandemus per præsentes, ut prædictos „ duos Patres cites, ut quam citissime „ Nobis satisfaciant, & se liberent suspicione Jansenismi per juramentum, & „ subscriptionem in Aula nostra Mechliniensi „ faciendam Formularii Alexandri Septimi, „ juxta Bullam Clementis XI. quæ incipit *Vineam Domini*, sub pœna dimissionis „ ex Oratorio. Datum Mechliniæ 28. „ Maii 1717. (*erat Signatum*) Thomas „ Archiepiscopus Mechliniensis. *Infra habebatur*: de mandato Excellentissimi ac Reverendissimi Domini mei Archiepiscopi „ præfati; (*& erat contra Signatum*) A. „ C. D. *Smet*, Secretarius. „ Quibus non obstantibus cum Pater Hieronymus *Zegers* hactenus non comparuerit, & Pater Joannes *de Hooge* 9. hujus mensis Junii comparuerit quidem in Aula nostra Archiepiscopali, sed contra ordinationem nostram ex illa clanculo aufugerit, absque eo quod ullam nobis super prædictis punctis satisfactionem dederit, hinc est quod nos similibus excessibus occurrere volentes mandandum duximus Promotori Curiæ nostræ Ecclesiæ, prout illi mandamus per præsentes, ut dictos duos Patres Joannem *de Hooge*, & Hieronymum *Zegers* citet, etiam per Edictum publicum, assignando illis tres dies pro primo, tres dies pro secundo, & tres dies pro tertio & peremptorio termino, ad comparendum coram nobis in Aula nostra Archiepiscopali Mechliniæ, ad effectum ut circa prædicta puncta nobis satisfaciant, & liberent se suspicione Jansenismi per juramentum & subscriptionem Formularii Alexandri Septimi juxta Bullam Clementis XI. quæ incipit *Vineam Domini*, idque sub pœnis juris. Datum Mechliniæ 19. Junii 1717. (*& erat Signatum*) Tho-

Thomas Archiepiscopus Mechlin. (*inferius habebatur*) de mandato Excellentissimi ac Reverendissimi Domini mei Archiepiscopi præfati. (*& erat Signatum*) A. C. D. *Smet*, Secretarius; *& sigillatum Sigillo præfati Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi.*

Uyt crachte van de Originele Brieven van citatie daer van de bovenstaende in copye, ende der instantie van den Promoteur van den gheestelycken Hove des Arts bisdoms van Mechelen, daege ick ondergeschreven Appariteur van den voorsz. gheestelycken Hove U. E. Paters Joannes de Hooge ende Hieronymus Zegers, beyde Priesters van de Congregatie van het Oratorie binnen dese Stadt Mechelen, omme voor de eerste reyse persoonelyck ende peremptoirelyck te compareren voor Syne Excellentie den Aerts-bisschop van Mechelen in desselfs Paleys Archi-episcopael, alhier op den 30. Junii 1717. ten 10. uren voornoen om aldaer te voldoen aen den teneur van de bovenstaende brieven, ende te aenhooren den eysch ende conclusien die den voorsz. Promoteur alsdan aldaer tegens U. E. alle beyde doen ende nemen sal, uyt saecken in de voorsz. brieven breeder uytgedruckt; op pene in gevalle van geene comparitie, dat gylieden sult versteken worden van alle exceptien dilatoir, ende in cas van geene comparitie herdaege U. E. voor de tweede reyse om te compareren ter plaetse ende ure voorsz. op den 3. Julii 1717. op pene van versteecken te worden van alle exceptien peremtoir, ende dat het feyt U. E. alle beyde opgeleyt sal gehouden worden voor bekent, ende in cas van alsdan noch geene comparitie herdaege U. L. alle beyde voor de derde en de leste reyse om te compareren ter voorsz. plaetse ende ure op den 7. Julii 1717. om U. E. Sententie te hooren pronontieren de costen te sien taxeren ende de brieven monitorialen ende executorialen daer op decerneren: ende inthimeere. U. L. alle beyde ende verclaere dat ingevalle gylieden op eenige van de voorsz. daegen niet en compareert, dat men evenwel sonder voordere wete ofte dagement sal voorts procederen, de getuygen produceren voor soo vele het noodigh soude konnen wesen; de Sententie pronuntieren ende voorts als naer rechte, style ende practycke. Actum binnen Mechelen desen 25. Julii 1717.

Willem Hellin.



B.

Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi.

DEbito cum respectu notificat Hieronymus *Zegers*, Congregationis Oratorii Presbyter, se magno cum dolore inaudivisse præfatam suam Excellentissimam Gratiam intentionis esse, adversus eum jure procedendi; unde prædictus Presbyter utens remedio, quod omnia jura tam Divina, quam humana sibi concedunt, declarat se excipere contra personam, & judicium præfatæ Excellentissimæ suæ Gratiæ, tamquam notorie suspectæ & præventæ, ob rationes sequentes.

Imprimis quod Excellentissimus Dominus, paucis ab adventu suo in hanc Diœcesim diebus, a Presbytero quodam Congregationis Oratorii Mechliniensis exquisierit, an non sit penes Congretionem potestas, suos, nulla allegata ratione, dimittendi; quod potestas illa exerceri posset contra duos ejusdem Congregationis Presbyteros, *de Hooge* & *Zegers* designans, de quibus, ut aiebat Excellentissimus, apud se ab aliquo e Capitulo suo depositæ erant querelæ: quo Sacerdote respondente Congregationem hujusmodi potestate non pollere, Excellentissimus attollendo humeros tacuit.

2. Quod Excellentissimus Dominus jam ab anno plures motus in Oratorio excitare cœperit adversus Patrem *Zegers*, in ordine ut ab Oratorio dimitteretur.

3. Quod 28. Maii hujus anni Excellentissimus direxerit ad Reverendum admodum Patrem Præpositum ejusdem Congregationis Decretum in forma authentica, quo dictus Pater non auditus, imo nec citatus aut voca-

vocatus taxatur, contra veritatem, tamquam qui male sentiat, & locutus sit indigne de quibusdam Bullis Apostolicis; & quod monitus se non correxerit.

4. Quod eodem, ad Præpositum, Decreto dictum Patrem, non citatum, non auditum, voluerit per eundem Patrem Præpositum cogere, ut, ad liberandum se a suspicione Jansenismi, coram se juraret Formularium.

5. Idque sub gravissima pœna dimissionis ob Oratorio, qua præfatus Pater Zegers Congregationis suæ, in qua senuit, prærogativis, alimentis, aliisque tam ad mores quam ad vitam adminiculis privatus, & de salute periclitaretur, & ad inopiam redigeretur.

6. Quod per hæc omnia idem Pater *Zegers*, non citatus, nec auditus, graviter sit infamatus, tam in sua Congregatione quam extra, & in honore suo graviter læsus.

7. Quod hæc omnia non solum sint contraria juri humano & Divino, sed etiam speciali Brevi Innocentii XII. de data sexti Februarii 1694. directo ad immediatum Prædecessorem Excellentissimæ suæ Gratiæ.

8. Quod eo usque processerit præventio Excellentissimi Domini adversus Patrem *Zegers*, & in dimissionem ejus animositas, ut in se suscipere voluerit litis incommoda, quæ eidem Congregationi imminere possent ex parte præfati Patris *Zegers*, occasione petitæ dimissionis ab Oratorio.

9. Quod præfatus Excellentissimus penes se habeat viros dicto Patri *Zegers* male affectos, & eorum consiliis utatur.

10. Quod ex his omnibus præfatus Pater *Zegers* merito exhorrescat judicium præfati Excellentissimi ac Reverendissimi Domini; & juramento ejus de exhorrescentia, quod præsentat in casu necessitatis, sit deferendum.

Ob quas aliasque rationes, quando & ubi opus erit latius deducendas, declarat præfatus Pater *Zegers*, se præfatum Excellentissimum ac Reverendissimum Dominum Archiepiscopum, salva in omnibus reverentia ipsius personæ & dignitati debita, recusare, ut notorie suspectum, in hac & in omnibus causis, quæ dictum Patrem *Zegers* quacumque ratione concernere possent, cum suis concernentibus, & emergentibus, annexis & connexis, rogans eundem Excellentissimum quam potest humillime, ut eandem causam & causas hujusmodi dimittere, & a se ablegare, aut ad designationem arbitrorum procedere dignetur, juxta stylum & praxim, & jus commune in Capitulo 61. *de appellationibus*; protestans de nullitate omnium; quæ in præjudicium hujus suæ recusationis contigerit attentari.

Insuper quia ad dictum Patrem *Zegers* rumore aliquo, licet minus certo delatum est, quod ex parte præfati Excellentissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi emanaverit Decretum pœnale & infamans, & in locis publicis Mechliniæ affixum.

Hinc in quantum opus & causæ præfati Patris *Zegers* utile aut conveniens esse posset, & non alias, & sub expressa protestatione de non consentiendo in judicium præfati Excellentissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis, aut sibi præjudicando in materia recusationis præfatæ, quam e contrario ex dicto acto & Decreto, dum pleniorem ejus notitiam habuerit, tamquam ex nova causa amplius stabilire intendit, præfatus Pater Hieronymus *Zegers* appellat & provocat in his scriptis ab eodem Decreto, & quolibet alio forsitan lato, aut ferendo, omnibusque inde secutis aut secuturis, ad SS. Dominum nostrum Papam, Illustrissimum ejus Internuntium, omnesque alios, ad quos de jure, vel consuetudine appellare potest, petens primo, secundo & tertio instanter, instantius, instantissime de Apostolis reverentialibus, responderi protestans de nullitate & attentato in Casum, &c.

Committens omnes & singulos Presbyteros, Clericos, Notarios, & Tabelliones latores harum, & quemlibet eorum in solidum, ut præsentem actum recusationis, & in quantum opus aut utile, appellationis, præfato Excellentissimo & Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi insinuent, Apostolos petant, protestentur, agantque omnia, quæ præfatus Pater Hieronymus *Zegers* agere posset, si præsens foret; etiamsi magis speciale mandatum requirerent, promittens ratum & gratum, &c.

&c. promittens, obligans, renuntians, &c. in quorum omnium fidem præsentes signavit hac prima Julii, anni millesimi septingentesimi decimi septimi. (*Signatum erat*) Hieronymus *Zegers*, Oratorii Presbyter.

Concordantiam cum suo originali attestor JOANNES VAN DER ELST, *Notarius Apostolicus juratus*. 1717.

Infrascriptus Notarius Apostolicus juratus, Bruxellis residens, declarat per præsentes, se tertia Julii 1717. fuisse hora octava vesperi ad Palatium Archiepiscopale Mechliniæ, ut insinuaret suprascriptam actam recusationis & appellationis; & petiisse a portario ad alloquendum Excellentissimum & Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Mechliniensem, qui mihi respondit in Verbis: *que Monseigneur étoit à table & qu'après la table il ne parleroit à personne*. Actum ut supra. *Joannes van der Elst*, Notarius Apostolicus juratus.

Infrascriptus Notarius Apostolicus juratus, Bruxellis residens, declarat per præsentes se insinuasse Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi originaliter actam recusationis & appellationis per manus Domini Secretarii; & acceptavit, dicens in verbis, *sal U leeren op Sondaghen insinuatie doen, seggende voor twee Appariteurs, nempt dat in kennisse:* & interim appellavi a Decreto Excellentissimi ac Reverendissimi Domini lato, & petii instanter ac instantissime responderi de Apostolis reverentialibus & protestatus fui de expensis, damnis & interesse, passis & patiendis. Actum Mechliniæ quarta Julii 1717. *Joannes van der Elst*, Notarius Apostolicus juratus Bruxellis residens.

Infrascriptus Notarius Apostolicus juratus, Bruxellis residens, declarat per præsentes, se die vigesima octava Julii anni millesimi septingentesimi decimi septimi, accessisse Excellentissimum ac Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Mechliniensem, & ab eodem Excellentissimo Domino in persona petiisse, ex parte Reverendi Patris Hieronymi *Zegers*, instanter, instantius ac instantissime responsum de Apostolis reverentialibus suprascriptæ actæ appellationis Excellentissimæ suæ Gratiæ, per me infrascriptum Notarium ad manus Domini sui Secretarii intimatæ, die quarta currentis, qui mihi respondit in verbis: *nihil habeo quod tibi dicam ad hoc;* quod responsum declaravi me accipere pro refutatoriis, & ab eodem responso tamquam a novo gravamine iterative appellavi ad quemcumque Judicem superiorem; & protestatus sum de expensis, damnis & interesse. Actum in Roosbeke, juxta Michelbeke, inter Gerardimontes & Audenardam, die, mense & anno quibus supra. *Joannes van der Elst*, Notarius Apostolicus juratus, Bruxellis residens.



C.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Domino Internuntio.

EXponit omni cum Reverentia humillimus Orator Hieronymus *Zegers*, Congregationis Oratorii Flandro-Belgici Presbyter, omnes Viros bonos, & qui vera pietate in Matrem suam Ecclesiam ducuntur, gravissime affici luctuoso illo dissidio Theologorum, quorum quidam, dum opiniones suas defendere & Fideles post se abducere satagunt, adversæ partis & opinionis Theologos, tamquam Hæreticos insectantur, in maledicentiæ suæ subsidium abutentes ipsis Constitutionibus Apostolicis, Viros maxime Catholicos tamquam iis Rebelles traducendo: eoque obtentu Superioribus, etiam sæculi Potestatibus obrepunt, & efficiunt ut officiis, muniis, beneficiis, gradibus & functionibus excludantur, qui in Ecclesia ut stellæ in firmamento lucere potuissent; quo ipsi in Ecclesia rerum potiantur. Quæ calamitas maxime Belgium afflixit, maximo sane scandalo vicinorum Acatholicorum, qui funesto schismate ab Ecclesia defecerunt, & ex dissidio illo captata occasione, primam

mam notam veræ Ecclesiæ, nimirum unitatem in Romana Ecclesia exsibilant & pertinaciæ suæ prætextum obducunt. Hisce malis excitatus felicis recordationis Innocentius Papa XII. inter ejusdem Ecclesiæ filios & eorumdem Sacramentorum participes, pacem & animorum conjunctionem stabilire volens, Brevi suo Apostolico de data 6. Februarii 1694. directo ad Archiepiscopum Mechliniensem, & cæteros ejusdem Provinciæ Episcopos, provide statuit & præfatis Episcopis injunxit, „ ut pro „ vestra pietate & prudentia, facultate illa, „ qua per Constitutionem Apostolicam muniti estis, ita Formularii subscriptio„nem seu juramentum ad praxim redu„catis, ut in exigendo juramento prædicto „ zelus & charitas vestra quam maxime „ eluceat, ne alicujus fama indebite læda„tur aut detractionibus & murmurationi„bus locus detur: " *& finaliter*. Demum „ ad extinguenda Theologorum jam pri„dem inter se excitata dissidia, Fraternita„tibus Vestris, quantum in Domino possu„mus, præsentibus nostris mandatis injun„gimus, ne ulla ratione quemquam vaga „ ista accusatione & invidioso nomine Jan„senismi traduci aut nuncupari sinatis, „ nisi prius suspectum esse legitime consti„terit, aliquam ex his Propositionibus do„cuisse aut tenuisse, nec quemquam sub „ hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, „ beneficiis, gradibus ac concionibus haben„dis, vel alia quacumque functione Eccle„siastica, permittatis, nisi, servato juris „ ordine, eam pœnam, quæ Viris alioquin „ Catholicis gravissima est, commeruisse „ probatum fuerit ". Decretum certe æquissimum dignumque, cui Rex Clementissimus Carolus II. gloriosæ memoriæ conservandæ causa publicæ tranquillitatis brachium Regium adjungere voluit. Sane hisce mediis securis ad radicem funestarum harum dissensionum ponebatur, qua infelix illa arbor penitus excisa fuisset, si omnes ii ad quos præfata æquissima mandata, sunt directa vocem Supremi Pastoris audissent, ejusque voluntati se conformassent. Verum Excellentissimus D. modernus Archiepiscopus Mechliniensis, ad cujus immediatum prædecessorem præfatum Breve Apostolicum directum fuit, eo non obstante, instigatione hominum inquietorum, quorum consiliis utitur, & quibuscum Orator in opinionibus suis non per omnia consentit, adversus Oratorem se commoveri passus est, suamque præventionem adversus eum fere ab initio, quo ad Archidiœcesim hanc advenit, ostendit: in hoc incumbens ut Orator ex Congregatione sua, etiam indicta causa, dimitteretur; pluresque motus in eum finem in præfata Congregatione excitavit; qui, dum ipsi ex voto non succedebant, tandem 19. Junii emisit Decretum, hisce junctum, motu proprio, ad nullius instantiam, eo unice tendens ut Orator ejusque Congregatio diffametur. Ipse enim Orator non auditus sive in judicio sive extra, suspectus Jansenismi declaratur, & evocatur, non ad dicendam causam, sed ad liberandum se suspicione prætensi Jansenismi per juramentum Formularii; hoc est indicitur ei purgatio Canonica, quæ nemini nisi graviter infamato, in judicio legitime audito & in demonstranda sua innocentia deficienti, de jure imponi potest; quamquam nec purgatio, de qua hic agitur, sit materiæ conveniens: etenim clara & diserta Sedis Apostolicæ voluntas est, ne Episcopi ulla ratione quemquam vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinant, (multo minus ipsi ad ignominiosam purgationem Canonicam adigant) nisi prius suspectum esse legitime constiterit aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse. In præfato vero Decreto Orator ne quidem insimulatur aliquam ex dictis propositionibus docuisse aut tenuisse; sed unice, licet falsissime, quod de quibusdam Bullis Apostolicis male locutus fuisset: quoque atrocior esset diffamatio, hæc omnia contra Oratorem, Decreto publico, locis publicis affixo, decreta sunt; præter, imo contra stylum & praxim, juxta quæ citationes per Edictum numquam decernuntur adversus eos, qui in loco habent domicilium, ad quod fieri potest citatio, quale Mechliniæ habet Orator, qui in ipso Decreto vocatur *Presbyter Congregationis Oratorii Domus Mechliniensis*; imo ipsi, curandis suis negotiis & valetudini afflictæ ex symptomate ruptæ venulæ, absenti dantur tres dies, pro quolibet trium termi-

terminorum; quo tempore nimirum novem dierum, fere ipsi impossibile erat adesse, de causa sua deliberare, & exceptiones suas proponere: ut primo sustineret publicam diffamationem, deinde, brevitate temporis, exceptionibus suis frustratus, sententiam ignominiosam non solum sibi sed & Congregationi Oratorii; eoque consilio studiose inserta videntur parerga illa, quæ verbaliter & deinde per Decretum acta dicuntur cum Superioribus præfatæ Congregationis, ut inde ipsa Congregatio insimuletur uti fautrix malarum doctrinarum; cum tamen optandum foret ut Consiliarii aut Instigatores præfati Excellentissimi Domini Archiepiscopi eadem religione & in S. Sedem observantia, qua prædicta Congregatio, se gessissent. Verum favente Deo, innocentium Protectore, factum est ut citius opinione eorum, res ad Oratorem devenerit, quo facultatem habuit ut intra legitima tempora & recusationem contra personam præfati Excellentissimi Domini Archiepiscopi & appellationem a dicto ejus Decreto interponeret, pront fecit per actam hisce junctam, una cum relatione Notarii Apostolici *van der Elst*; ad quam etiam præfatus Excellentissimus Dominus Archiepiscopus die 28. currentis mensis Julii in effectu respondit de refutatoriis, ut patet ex Relatione præfati Notarii; a quo rursum tamquam a novo gravamine exstitit appellatum.

Verum quidem est quod interposita recusatio de jure sistere debeat progressum ulteriorem præfati Decreti a quo, sed tamen nullo modo reparata est fama Oratoris & suæ Congregationis enormissime læsæ, quamque ulterius lædere posset cum responderit de refutatoriis. Unde præfatus Orator recurrit ad Illustrissimam & Reverendissimam vestram Gratiam:

Supplicans humillime quatenus dignetur causam & causas ejusmodi appellationis, injustitiæ, nullitatis, attentatorum & attentandorum quorumcumque ac quam & quas dictus Orator habet, habere & movere vult & intendit, contra & adversus præfatum Excellentissimum Dominum Appellatum, omnesque alios de & super præmissis, una cum omnibus suis annexis & connexis incidentibus, dependentibus, summarie audiendas cognoscendas decidendas fineque debito terminandas Judicibus Ecclesiasticis, & eorum cuilibet committere & mandare, cum potestate quos, quibus, ubi, & quando, & quoties opus fuerit sub censuris sententiis & pœnis Ecclesiasticis aliisque pecuniariis & arbitrariis citandi; inhibendi, attentata revocandi, aggravandi, reaggravandi, interdicendi, servata forma Concilii Tridentini, invocato etiam ad hoc, quatenus opus, brachii sæcularis auxilio; fatalia quatenus darent prorogandi, quatenus vero lapsa sint Oratorem adversus illorum & cujusvis temporis lapsum ac præjudicialia quæcumque in integrum, prout juris fuerit restituendi; attentata & innovata quæcumque imprimis & ante omnia jure medio revocandi, aliaque faciendi, dicendi, gerendi & exequendi in præmissis, & circa ea necessaria quomodolibet & opportuna, non obstant. fel. re. Bonifacii PP. VIII. de una & Concilii Generalis de duabus diætis, dummodo non ultra tres, & aliis Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus cæterisque contrariis quibuscumque statum, &c.

Et cum absolutione a censuris ad effectum præsentium consequendum & per Breve Illustrissimæ Dominationis vestræ, præsenti supplicatione introclusa, committatur si placet Reverendis Dominis Abbati Ulierbacensi, Decanis D. Gudulæ Bruxellensis & Sancti Jacobi Lovaniensis, & eorum cuilibet in solidum.



D.

Thomas Philippus de Alsatia de Boussu, Dei & Apostolica Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis; Primas Belgii, S. D. N. Clementis Papæ XI. Prælatus Domesticus, ad Exercitus Cæsareo-Regios Delegatus Apostolicus, Sacræ Cæsareæ Catholicæque Majestatis actualis intimus Consiliarius, &c.

VIsis informationibus habitis per Reverendum Admodum Dominum Præpositum Congregationis Oratorii, virtute mandati nostri oretenus dati, decima tertia Aprilis hujus anni millesimi septingentesimi decimi septimi, contra Patres Joannem *de Hooge* & Hieronymum *Zegers*, Presbyteros dictæ Congregationis, viso etiam altero mandato nostro eidem Domino Præposito in scriptis dato, vigesima octava Maii ejusdem anni, cum Epistola dicti Patris *de Hooge* in eodem mandato memorata, visis denique Litteris citatorialibus ad onus dictorum Patrum per nos decretis, decima nona Junii ultimo elapsi, cum relatione citationis virtute dictarum Litterarum citatorialium edictaliter factæ, vigesima quinta ejusdem mensis Junii: Nos de plurium Theologorum & Jurisperitorum consilio, in contumaciam dictorum citatorum non comparentium, ordinamus iisdem iterato, ut compareant infra octiduum coram nobis in Palatio nostro Archiepiscopali Mechliniæ, ad purgandam dictam contumaciam & respondendum ad Articulos in forma juris ipsis ibidem proponendos, in satisfactionem dictarum Litterarum citatorialium, sub pœna confessi & convicti, ordinantes interim ut dicta die præstent juramentum, & subscriptionem Formularii Alexandri Septimi juxta Bullam Clementis XI. quæ incipit *Vineam Domini*, sub pœna suspensionis a Divinis ex nunc pro tunc; salva insinuatione per unum ex Apparitoribus Curiæ nostræ Archiepiscopalis edictaliter facienda. Datum in actu visitationis Parochiæ de Rooboſt vigesima nona Julii 1717. (*& erat Signatum*) Thomas Archiepiscopus Mechlin. (*Inferius habebatur*) de mandato Excellentissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi præfati: (*& erat Signatum*) C. P. *Hoynck van Papendrecht:* Secretarius; *& sigillatum Sigillo præfati Excellentissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi in hostia rubra.*

Uyt crachte van den Originelen Vonnisse, waer van den bovenstaende is Copye, insinueert ende sommeert den ondergeschreven Apariteur van den geestelycken Hove des Aertsbisdoms van Mechelen U. L. den Eerweerdigen Pater Hieronymus Zegers, Presbyter der Congregatie van het Oratoire ten fine U. L. sult. hebben te voldoen aen het voorschreven Vonnis, ende diervolgende te compareren voor Syne Hoogweerdigheyt myn Heer den Aerts-bischop van Mechelen, in het Paleys Archiepiscopael tot Mechelen voorschreven, op den twelfsten deser ten thien uren voornoen, ten fine en op de respective penen als by het selve Vonnis: adverterende U. L. sonder prejuditie van dien, dat ick tot U. L. laste gelycke insinuatie ende sommatie gedaen hebbe op den tweeden deser met ordinaire affixie van Copyen van het gemelt Vonnis ende insinuatie ende sommatie als boven daer onderstaende, soo op het voorschreven Paleys Archiepiscopael, als andere gewoonelycke plaetsen. Actum vierden Augusti duysent sevenhondert seventhien.

HENDRICK VAN STEENWEGHEN.

Justi-


E.

J*Ustina Zegers, Suster van den Eerweerdigen Pater Hieronymus Zegers, Priester van 't Oratorie, als specialen last ende macht hebbende van den selve, gesien de Citatoriales van wegens Syne Excellentie den Heere Arts-bisschop van Mechelen, geëmaneert den negen en twintighsten der gepasseerde maendt Julius ende geëxploiteert by Edict den tweeden deser loopende maendt Augusti, verclaert wel expresselyck te adhereren aen de Acte van recusatie ende appellatie by den vermelden Pater Hieronymus Zegers respectivelyck geproponeert, ende geinterjecteert by Acte van den eersten der voorleden maendt Julius, aen de selve Syne Excellentie geinsinueert door den Apostolicken Notaris van der Elst den vierden der selver maendt: dienvolgens nochte den Rechter, nochte den Tribunal herkennende, niet den Rechter als zynde wettelyck gerecuseert, nochte den Tribunal, alwaer van geappelleert is, ende waer van beyde de saecken noch zyn hangende, redenen waeromme sy iterativelyck soo van dese Citatie als alle andere rechtvoorderinge geappelleert heeft als van een nieuw gravamen, als by het welcke haeren principaelen gefrustreert wordt van den middel van recusatie geordonneert, soo door de naturelycke, als Canonike Rechten; gelyck sy uyt redenen voorschreven appelleert by desen, soo van de selve Citatie, als van alle het gene uyt de selve gevolght is, ofte soude konnen volgen, tot Syne Heyligheyt den Paus van Roomen, synen Doorluchtighsten Internuntius ende alle andere, tot de welcke sy naer rechte ofte gewoonte magh appelleren, versoeckende eerstmael, tweede ende derde mael, met alle behoorelycke instantie, antwoordt* de Apostolis reverentialibus, *protesterende in eas, &c. van attentaet, nulliteyt, midtsgaeders van injurie, costen, schaeden ende interesten, &c.*

Constituerende alle Priesters, Notarissen ende publiecke Persoonen Thoonders desers ende ieder in solidum, *om dese te insinueren aen de vermelde Syne Excellentie den Heere Arts Bisschop voorschreve, ende voorders te doen als in de selve: t'oirconde, &c. hebbe dese onderteeckent binnen Mechelen den negensten Augusti seventhien hondert seventhien. Was onderteeckent*, JUSTINA ZEGERS. Concordantiam cum suo Originali attestor JOANNES VAN DER ELST, Notarius Apostolicus juratus.

D'Insinuatie van de bovengeschreve Acte van Appel is origineelyck geinsinueert aen Syne Excellentie den Heere Arts-Bisschop van Mechelen in persoon, & acceptavit: *ende naer dat Syne voorsz. Excellentie de selve gelesen hadde, heeft de selve gehouden, seggende* in verbis, je suis bien aise que je sçay que cette Damoiselle demeure à Malines: *waer over begoste ick t'appeleren, waer op Syne voorsz. Excellentie my seyde* in verbis, allés-vous en vite vite, & remerci's moy que je vous ay pas mis la premiere fois, deuxiéme & asteur la troisiéme fois en prison. *Actum tot Mechelen den negensten Augusti* 1717. JOANNES VAN DER ELST, Notarius Apostolicus juratus.

Den ondergesz. Notaris declareert sich getransporteert te hebben tot Mechelen, om te hebben responsum de Apostolis reverentialibus *van Syne Excellentie den Heere Arts-Bisschop van Mechelen, over de bovenstaende Acte van Appel, aen hem in persoon den negensten deser maendt Augusti geinsinueert, ende alsoo den selven niet en hebbe konnen spreken, hebbe gebeden synen Secretaris, om aen Syne voorsz. Excellentie de selve antwoort te vraegen, den welcken my heeft geantwoordt* in verbis, ik en houve daer van Syne Excellentie niet te sprecken, gaet maer stillekens aen, oft men sal U daer in een cot doen steken neffens de poorte, *welcke antwoordt hebbe ontfangen* pro refutatoriis, *en hebbe van de selve iterativelyck, als van een nieuw gravamen, geappelleert tot alle superieure Rechters ende geprotesteert van alle costen, schaeden ende interesten, waer op hy seyde* ick hoore ende ick sien. *Actum Mechelen den negenthiensten Augusti* 1717. JOANNES VAN DER ELST, Notarius Publicus Apostolicus juratus.



F.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Domino Internuntio.

EXponit, omni cum Reverentia, Devotus Orator Hieronymus *Zegers*, Congregationis Oratorii Flandro Belgici Presbyter, quod 31. Julii novissimi, Illustrissimæ, ac Reverendissimæ vestræ Gratiæ libellum supplicem obtulerit, in ordine ad rescriptum appellatorium cum delegatione Judicum, super appellatione per Oratorem interjecta a Decreto & citatione per Edictum ad onus suum emanato, ab Excellentissimo & Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi; quod Decretum licet præferat citationem, tamen revera est sententia definitiva: saltem eatenus quod per eam Orator inauditus, declaretur ut prætense suspectus Jansenismi; nec tam evocetur ad dicendam causam quam ad purgationem Canonicam; quod contrarium est Juri Divino & humano, & signanter Brevi Apostolico Innocentii XII. de data sexta Februarii 1694. uti latius ostensum est in prædicto Oratoris libello, ad quem, cum venia Illustrissimæ vestræ Gratiæ, se refert Orator. Verum cum Illustrissima & Reverendissima vestra Gratia moveretur scrupulo, quasi dicta citatio non contineret gravamen, quod per sententiam definitivam reparari non posset, res hactenus hæsit; sed, sub correctione, modo cessat hic scrupulus: etenim Acta ex parte Oratoris præfato Excellentissimo & Reverendissimo Domino Archiepiscopo insinuato, & prædicto priori suo libello juncta, non est nuda appellatio, sed præcipue recusatio, & in quantum opus aut utile esse posset, appellatio; recusatio, quamdiu causa ejus per Arbitros Juris non est decisa, suspendit de jure omnem ulteriorem progressum; appellatio vero serviebat, ut vulneri famæ Oratoris & Congregationis suæ inflicto medela aliqua adhiberetur, eoque tendit præfata supplica Illustrissimæ & Reverendissimæ vestræ Gratiæ oblata. Nunc vero præfatus Excellentissimus Dominus Archiepiscopus, in præjudicium, non solum appellationis, sed etiam recusationis legitime propositæ & debite ipsi insinuatæ, procedit ad ulteriora, & novo Decreto suo Mechliniæ publicis locis affixo 2. currentis mensis Augusti, iterato & ad eundem finem Oratorem citavit sub pœna suspensionis a Divinis, uti patet ex eodem Decreto hisce juncto; atque adeo Oratori non admisso ad deducendas & probandas rationes præfatæ suæ recusationis eripitur medium recusationis, quod omne jus tam Divinum quam humanum ei concedit, ne contra omnem æquitatem se causamque suam, eamque quam maxime arduam, teneatur permittere Judici suspecto, qui præventionem suam adversus Oratorem tot modis ostendit, novumque ejus judicium & recusationis medium præbuit per præfata sua Decreta, quibus in hac eadem causa adversus Oratorem inauditum, dum eum Jansenismi suspectum declarat & ad purgationem Canonicam vult adigere, sententiam suam dixit, atque adeo juxta omnes Jurisperitos, inidoneus est, qui in eadem personam Judicis sustineat, cum suam opinionem, præsertim quam adeo publice manifestavit, non facile præsumatur retractaturus; unde ut confidit Orator, videbit Illustrissima vestra Gratia hoc processu præfati Excellentissimi Domini Archiepiscopi & virtuali rejectione naturalis medii recusationis, Oratori inferri gravamen plane irreparabile; unde ab eodem tamquam tali idem Orator appellavit, per Actam de data nona currentis mensis Augusti hisce junctam, eamque per Notarium Apostolicum *van der Elst* debite insinuari curavit, qui & eandem ejus appellationem iteravit & Apostolos petiit, ad quam etiam per Secretarium præfati Illustrissimi Domini Archiepiscopi die 19. currentis mensis Augusti, responsum est in effectu de refutatoriis; ut patet ex relatione præfati Notarii, a quo rursum, tamquam a novo gravamine extitit appellatum: sed dictus Notarius utraque vice, male exceptus & cum terrore carceris repulsus fuit. Unde Orator recurrit ad Illustrissimam ac Reveren-

rendissimam vestram Gratiam.

Supplicans humillime quatenus, jungendo præsentem libellum præfato anteriori, dignetur causam & causas ejusmodi committere aliis Judicibus Ecclesiasticis, eo quo priori libello petitum est modo, claufulis & effectibus.



G.

LE soussigné Notaire Apostolique, declare qu'il a le trente-uniéme Juillet mil sept-cent-dix sept, presenté à Monseigneur l'Illustrissime Internonce *Santini*, par mains de Monsieur son Secretaire, une requête de la part du Reverend Pere Jerôme *Zegers*, Prêtre de la Congregation de l'Oratoire de Malines, afin d'obtenir *rescriptum appellatorium cum delegatione Judicum*, dans la cause du prédit Pere *Zegers* appellant, contre son Excellence le Seigneur Archevêque de Malines Appellé, à cause du Decret de Sa dite Excellence, de date dix-neuf Juin 1717. en après ayant été plusieurs fois chez le dit Seigneur Internonce tant seul qu'accompagné de Mademoiselle Justina *Zegers*, Sœur dudit Jerôme *Zegers*; quand Sa dite Seigneurie Illustrissime nous a dit en presence de Mademoiselle *Zegers*, le six d'Août 1717. *que ce n'étoit qu'une simple citation; qu'il n'avoit pas d'appel, que le Pere Zegers devoit comparoître & se justifier, & si son Excellence donneroit sur celà sentence, que lors il pourroit appeller de la dite sentence, & qu'il nous donneroit lors des Juges, autrement qu'il lieroit d'apresent les mains de l'Archevêque, ce qu'il ne pouvoit pas faire*; ensuite de ladite reponse j'ai presenté le vingtiéme dito, une seconde requête à Monseigneur l'Illustrissime Internonce par les mains de Monsieur son Secretaire pour desabuser, sous très-humble correction, Sa Seigneurie Illustrissime & remontrer que le Decret du dix-neuf Juin n'étoit pas une simple citation, mais en effet une sentence definitive, comme se voit par la dite requête à laquelle étoient annexez un second Decret de la part de son Excellence le dit Seigneur Archevêque, émané le vingt-neuf Juillet dernier, & exploité par Edict le deuxiéme d'Août, comme aussi l'acte d'Appel de Mademoiselle *Zegers* du 9. d'Août, en vertu de sa procure speciale; & en après ayant retourné plusieurs fois chez le dit Seigneur Internonce, j'ay enfin obtenu le vingt-sept dito d'Août de sa Seigneurie Illustrissime cette reponse: *dites au Pere Zegers, que je lui conseille de se reconcilier avec son Superieur; qu'il montre qu'il est bon Catholique & qu'il n'est pas de ces petits Messieurs de France; & qu'il luy écrive, s'ils l'ont accusé d'être suspect de Jansenisme, qu'il dit qu'ils en ont menti; qu'il est bon Catholique; & qu'il jure la Bulle d'Alexandre, & qu'il signe*. Et priant encore Sa Seigneurie Illustrissime de m'accorder les Juges, il me disoit, *qu'il seroit très-mal, s'il les luy accorderoit*; sur quoy j'ay protesté *de denegata Justitia*. Actum 27. d'Août 1717. *Joannes van der Elst*, Notarius Apostolicus & Regius publicus.

Tho-




H.

Thomas Philippus de Alsatia de Bossu, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis ; Primas Belgii, S. D. N. Clementis Papæ XI. Prælatus Domesticus, ad Exercitus Cæsareo-Regios Delegatus Apostolicus, Sacræ Cæsareæ Catholicæque Majestatis actualis intimus Consiliarius, &c.

VIso Decreto nostro, de data 29. Julii 1717. lato ad onus Patrum Joannis *de Hooge* & Hieronymi *Zegers*, Presbyterorum Congregationis Oratorii, una cum relationibus Insinuationum, edictaliter factarum, virtute dicti nostri Decreti per Apparitorem Henricum *van Steenwegen*, & attenta non comparitione dictorum Citatorum, Christi nomine invocato, de Plurium Theologorum & Jurisperitorum consilio & assensu, decretantes pœnam comminatam per præfatum nostrum Decretum, suspendimus dictos Patres Joannem *de Hooge*, & Hieronymum *Zegers* a Divinis, nobis reservantes procedere ad ulteriores Censuras Ecclesiasticas, prout de jure ; & ordinantes ut hæc nostra sententia in locis ordinariis affigatur & edictaliter insinuetur. Datum Mechliniæ 14. Augusti 1717. (*Et erat Signatum :*) Thomas Archiepiscopus Mechliniensis : (*Inferius habebatur :*) de mandato Excellentissimi ac Reverendissimi Domini mei Archiepiscopi ; (*& erat Signatum :*) A. D. *Smet*, Secretarius ; *& sigillatum sigillo præfati Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi in hostia rubra.*

De Insinuatie van den Origineelen Vonnisse, waer van de bovenstaende is Copye, wordt door den ondergeschreven Appariteur van den geestelycken Hove des Arts-Bisdoms van Mechelen mits desen gedaen aen U. L. Pater Hieronymus Zegers, ten eynde van U. E. naer het selve te reguleren, adverterende U. E. sonder prejuditie van dien dat ick aen U. L. gelycke Insinuatie by Edict ende a la Bretesque gedaen hebbe op den 17. *deser met ordinaire affictie van Copye van het voorschreven Vonnis, ende Insinuatie als boven daer onderstaende soo op het Paleys Archiepiscopael tot Mechelen voorders als andere gewoonelycke plaetsen. Actum desen* 18. *Augusti* 1717. HENDRICK VAN STEENWEGEN.

Jose-



I.

Josephus Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnionæ, &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wurtembergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portûs Naonis, & Salinarum, &c.

COmpertum est omnibus, novissimorumque temporum series demonstrat, quam insigni cura, labore ac sumptu hostes ex Italia ejecti sint, atque huic libertas, quam vis Gallica labefactarat, victricibus nostris Fœderatisque armis feliciter restituta: ut proinde persuasi omnino fuerimus, neminem potuisse e totius Italiæ Proceribus reperiri, qui non esset gaudium propterea & condignum erga Nos amorem gratitudinemque testaturus.

Verum memorare nunc, haud absque justo doloris sensu, cogimur, Ministros Curiæ Romanæ, seu alieni instinctu genii, seu proprii qualiscunque emolumenti fiducia, eo abreptos esse, ut ausi fuerint, ad stuporem universi, & cum Reipublicæ Christianæ scandalo, sæcularibus in rebus *spiritualia arma* intentare, & scriptum typo impressum in vulgus edere, tenoris sequentis.

Tum sequitur Bulla Clementis XI. die 27. Julii 1607. qua annullat seu nullam declarat Concordiam quamdam initam super Hybernis stationibus militum Germanorum, in Ducatu Parmæ & Placentiæ; ac insuper confirmat seu publicat CENSURAS ECCLESIASTICAS Sedi Apostolicæ reservatas contra Cæsareos Ministros Commissarios, milites, &c. Tum prosequitur IMPERATOR.

Nos habita declarationis præinsertæ, clausularumque ejus omnium ac singularum attenta consideratione, non possumus non graviter inter cætera ex eo commoveri, quod antiquissima Nostra & Imperii Romani in Italia, atque inde dependentia Ducatus Mediolanensis Jura in Parmam ac Placentiam, velint a Romana Curia, per assertionem Dominii quasi sibi competentis, præsidenter convelli, cum plena Historiarum fide, & ipsis Investiturarum per Prædecessores Nostros Romanorum Imperatores datarum tabulis, aliisque actibus evidentibus, in hunc usque diem constet, directum, supremum & Majestaticum Dominium in præfatam Parmam Placentiamque, non nisi Nobis Sacroque Romano Imperio competere, legitimosque Ducatus Mediolanensis Possessores desuper investiri. Ostendi profecto nequit, directum hoc & Supremum Dominium, reservatumque Majestaticum, ab ullo unquam Imperatore abdicatum esse, aut sine expresso Ejusdem ac Imperii consensu a Ducibus Mediolanensibus abdicari, cedi, vel transferri, multo minus a Curia Romana valide usurpari, ab eave per Duces Parmenses legitime recognosci potuisse. Innuunt hoc plures Historiarum libri, & prolixe simul notant, quæ hac in materia pro conservatione Jurium Imperialium non interrupto ordine peracta sint. Neque latet publici status peritos, quantopere Prædecessores Nostri, & speciatim Carolus Quintus gloriosæ memoriæ, Cæsarea sua Imperiique Jura, non in curriculo vitæ solum, sed ultimæ etiam voluntatis elogio, sit tuitus testatusque. Et aliunde sat liquet, Imperialia Jura sic esse Imperio innexa, ut ab illo, sine totius assensu nequaquam separari, multoque minus ab invito per *Bullas Pontificias, qualibuscunque fulminum minis refertas*, abstrahi & separari queant.

Irritus idcirco labor fuit, & vix non explosione dignus, quo allegati in supra tacta Declaratione Pontifices judicium in causa propria arrogare, & *ope Bullarum ejusmodi*, Jura tertiorum sibi afferere conati

nati sint. Nec certe potest intelligi, quid in mentem Romanæ venerit Curiæ, quando a militia nostra bona Ecclesiæ invadi scripsit, cum sciat aut scire saltem debeat, Nostra & Imperii esse feuda, in quæ miles dispertitus est; alimenta quoque vitæ necessaria tantopere per Jus naturæ ac gentium privilegiata haberi, ut possint etiam in territorio neutrali tunc potissimum quæri sumique, cum sustentatio in propriam alentis defensionem præservationemque ab ulteriore hostili damno & periculo cedit: quales circumstantias in præsenti inveniri casu, & per Canones, leges, rationemque status, ad communia onera ipsummet Clerum pro pace ac libertate stabilienda obligari, nemo est, qui non videat; præsertim illa in Provincia, in qua & mos hujusmodi antiquus circa communionem tributorum militarium servatur, & possessiones Cleri Parmensis tam amplæ existunt, ut quartam Ducatus integri partem pene exsuperent. Indignum itaque Clericali felicitate est visum, quod, cum alii eguerint, ipsa tenacitatem suam prodere, nec cum Laicis, quanquam instanter a Commissario Nostro Imperiali sollicitata, nec ad obulum quidem erogandum, concurrere voluerit, sed pertinaci suo refractarioque inhæserit proposito, quamvis ipse consensus Pontificius pro collectis ad communem necessitatem utilitatemque conferendis; non sine illustri reverentiæ nota in tractatu per dictum Commissarium Nostrum concluso, fuerit reservatus.

Quæ omnia & plura alia: quibus tam provide ac juste ex parte Nostra procedi placuit, adeo luculenta sunt Nostræ æquitatis & Muneris Cæsarei legitime exerciti testimonia, ut, ex quo Juris fonte *acres istæ superius exposita* CENSURÆ SPIRITUALES confestim profluxerint, dispicere haudquaquam valeamus. Fecimus quod Nostra & Imperii Jura postularunt; & eo quidem modo fecimus, quem Constitutiones Imperii, illarumque usus dictavere, ac singularis etiam observantia, qua communem Christianitatis Patrem Sedemque Apostolicam extra partium studia prosequimur, desiderare visus est; prout Cardinalis *Grimani* negotiationes complures, tum pro impetrando superfluo Pontificis assensu, tum ad remonstrandum auctoritatis Ecclesiasticæ, præpropere nimis ac perperam adhibitæ, abusum, non uno loco convincunt.

Observamus exempla in simili collectarum & onerum Ecclesiasticorum genere, sed modo agendi prorsus dispari cum hostibus Nostris, ut ut communem Europæ libertatem infestantibus, & nullo favore dignis; quibus tamen a Romana Curia, vel consensus etiam sæpe contra fas ipsum præbetur subito, vel ita indulgetur conniveturque, ut animositas contraria, qua & Nos liberrime in conspectu totius mundi impetimur, & aperta Nostra ac Imperii Jura passim verbis, typis, factisque impugnantur, jam pridem duriorem in Nobis motum excitasset, nisi hunc innata bonitas Austriaca & alia momenta intuitu sanctæ Ecclesiæ mollivissent. Et vellemus adhuc ulterius longanimitatem Nostram, etsi jam ab origine Nostri Regiminis Cæsarei sat lacessitam, lubenter manifestam reddere, *si in omittendis* NOSTRORUM *& Imperii Jurium defensionibus* longior mora permissa foret, possemusque erga DEUM & posteros de illa recte excusari; nunc autem, cum in contrarium a lege Divina & humana, recta ratione, Gentium jure, & aliis Justitiæ pietatisque principiis moneamur.

Hinc omnibus istis ac singulis innixi, nec non juratæ Capitulationis Nostræ Constitutionumque Imperialium memores, adhibito Consiliariorum Nostrorum arcanorum, totiusque Consilii Nostri Imperialis Aulici scrutinio, consultis etiam extraneis præstantibus Theologis, Canonumque & Legum civilium peritis, pro Nostrorum atque Imperii Jurium tutela.

Declaramus supra insertam sic dictæ nullitatis Declarationem, *inanem*, *irritam*, *& nullam*, *simulque* EXCOMMUNICATIONEM *in ea expressam*, *aut si quæ alia hujuscemodi prætenditur*, *aut prætendi potest*, OMNINO PRO INVALIDA *reputandam esse*, eoque minus hanc subsistere, quo evidentius patet, ejusdem requisita (nimirum peccatum mortale, contumaciam in notabili errore, præviam personarum citationem, &c.) defecisse, ac deficere, scriptumque Romanæ Curiæ, non ad defendendam hæreditatem Domini, sed ad Jura Imperialia super Ducati-

catibus Parmæ ac Placentiæ porro usurpanda, tendere.

Et cum juxta sanctorum Patrum Conciliorumque mentem, *non illis, quibus, sed his, a quibus infliguntur, timenda sint* CENSURÆ, Nos Judici omnis carnis, cordiumque Scrutatori, Omnipotenti DEO, sicut & cuilibet mortalium ab affectibus libero, discernendum atque æstimandum relinquimus, quid oporteat de ploratu Cleri sentire, qui tunc aures obturatas habet, cum Nostri ac Sacri Romani Imperii hostes in Germanicis Italicisque Provinciis, imo in ipsis Pontificum Ditionibus, Ministros DEI & Ecclesiæ pro libitu opprimunt, crudeliterque discruciant; in Nos vero & Serenissimum ac Potentissimum Principem Dominum Carolum Tertium Hispaniarum Regem, ac adversus Neapolitanum Regnum, Sabaudiæque Ducem, tunc primum insurgit, cum Nobis & justæ causæ nostræ tam prospera affulsere sidera, ut ex hostilibus præval.disque manibus sit cum aliis Italiæ oppressæ Partibus Neapolis & Belgium prodigiose ereptum.

Ad perpetuam præterea rei memoriam tenore præsentium declaramus, & efficacissime, quantum opus, protestamur, nullum omnino Jus, & multo minus directum supremumque Dominium in Parmam & Placentiam Sedi Romanæ a Nobis dimitti, neque dimitti posse, quin potius omnia & singula suprema Dominia, quæ in Prædecessorum Nostrorum Nostrumque præjudicium usurpata sunt unquam, & adhuc usurpantur, quocunque etiam nomine appellentur, Nobis & Sacro Romano Imperio firmiter reservamus & confirmamus omni meliori forma ac modo; cunctas possessiones illegitimas & prætensiones, exceptis iis, quæ ex magnanimitate & munificentia Cæsarea in antedictam Sedem expressim translatæ sunt, annullando, abolendo & cassando, eoque magis pro nullis injustis ac invalidis declarando, quo manifestius per se corruit, quicquid Imperatoriæ Majestati, clam palamve, auctoritate propria subtractum est, aut etiam ab Imperatore extra normam debitam alienari nequit.

Solemnissime pariter & speciatim Romanæ contradicimus Curiæ prætensam illam quoad Jura tertiorum bonave temporalia potestatem, quam Bullæ Pontificiæ exercere præsumunt, cum hæ, nec validæ hoc in genere, nec receptæ sint, quibuscunque insigniantur nominibus, & Nos Romanumque Imperium obligare non possint debeantve; neque facultatem Nos ullam admittamus; aut tollerare possimus in sæpefata Curia, quæ cassare vel annullare conetur ea, quæ nos vi Muneris Authoritatisque Nostræ Cæsareæ disponimus ac ordinamus; nullatenus dubitantes, quin Conventus universi Imperii, ac omnes ejusdem Electores, Principes, & Status, Vasallique ac subditi, consilio Nobis ac auxilio suo efficaci, ubi opus fuerit & ordo rerum demandarit, sint actutum adstituri.

Iterato igitur, & deliberato animo, sanoque & maturo accedente consilio, atque ex plenitudine potestatis Nostræ Cæsareæ, hisce publice *declaramus, contradicimus, abolemus, cassamus, & protestamur, ut supra, solemnissimo, quo potest fieri, pacto & modo, annullantes, & irritum injustumque decernentes*, quicquid in sæpius memorato superiore scripto quoad formam aut materiam in præjudicium Nostrorum & Sacri Romani Imperii Jurium, vel etiam contra *Nostros Ministros, Commissarios, Milites vel alios quoscunque*, exprimitur, aut intellectum videri potest.

Inhibemus quoque omnibus ac singulis Ecclesiasticis ac sæcularibus Nostris & Imperii Vasallis, Ministris ac subditis, sive in terris Ecclesiæ, sive in Ducatibus Parmæ aut Placentiæ, sive alibi existentibus, sub gravissima Nostra & Imperii indignatione, omnium bonorum confiscatione, corporalique pœna, ne quam rationem ejus, quod in adducto scripto continetur, in ulla re habeant; sed districte mandamus, ut Nostris Jussibus, & ordinationibus constanter & debite pareant; dum vicissim protectionem Nostram Clementiamque Cæsaream fidelibus ac obedientibus impertiri non intermittemus; Monituri idcirco etiam modo debito Parmensem Ducem, ut nullum aliud Dominium quam Nostrum & dicti Hispaniarum Regis Fratris Nostri charissimi, utpote legitimorum Ducatus Mediolanensis respective Dominorum & Possessorum, ratione Parmæ ac Placentiæ recognoscat, cum potissimum etiam aliunde in propatulo sit, quod

quod respondere Nobis de Nostris & Sacri Romani Imperii Juribus non immerito teneatur.

Rogamus denique Omnipotentem ac Justissimum DEUM, ut ardentem omnibus & sincerum honestæ, fidæ ac perpetuæ pacis concordiæque amorem instillare, Nobismet autem largiri gratiam dignetur, qua continuo & fortiter, quæcunque ad Nos & Sacrum Imperium pertinent, tueri valeamus, cum sublimissima gratitudine totum id, quod Cæsaris est, Divinæ Majestati acceptum ferentes, publicaque hac Declaratione, Protestatione & Reservatione repetita profitentes, circa temporalia Imperii bona & Jura nihil alteri cuipiam, nisi quod expresso Prædecessorum Nostrorum & Imperii consensu munitum est, atque in specie nullum dicti Imperii Dominium temporale supremum legitime unquam competere, asseri, aut vindicari posse; iis omnibus ac singulis, quæ secus facta sunt aut reputantur, hisce pro nunc ut ex tunc, & pro tunc ut ex nunc, ac futuris æternum temporibus, quam fieri potest solemnissime, gravissime, firmissimeque contradicentes, vigore Diplomatis hujus, Manu Nostra subscripti, & Sigillo Nostro Cæsareo muniti, quod dabatur in Civitate Nostra Viennæ, die vigesima sexta mensis Junii Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo, Regnorum Nostrorum Romani decimo nono, Hungarici vigesimo primo, Bohemici vero quarto.

JOSEPHUS.

(L. S.)

Vt. FRID. CAROLUS Comes de Schönborn.
Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium. FRANCISCUS WINANDUS DE BERTRAM.



K.

S. Cæsarea Majestas Dominus noster Clementissimus.

EX humillimis, quas sex de Facultate Juridica Coloniensi Doctores ac Professores sæculares, adversus reliquos sex Doctores Ecclesiasticos, ratione recursus ad Dominum, eo tum Nuntium Apostolicum, nunc Cardinalem Bussium, sumpti, exhibuerunt querelis, non sine indignatione intellexit, quem in modum, non obstante quod dicta Facultas, vel a primæ fundationis suæ principio, ita sit instituta, ut ex duodecim, quibus Collegium ejus Facultatis constat, sex solummodo Juribus publice tradendis Professores ordinarii eligantur, iidemque etiam a Magistratu Coloniensi, salarium annuum ordinarium recipiant, nec non in subsidium a Cæsarea Majestate, id omne quod pro Responsis Juridicis, ut & Regalibus, pro Jure sigillandi & expediendi solvitur, pro præcipuo relictum habeant. Reliqui vero sex Ecclesiastici, non Professores sed simpliciter Doctores appellentur; & certis Præbendis primæ Gratiæ Facultati affixis, aliisque a Sede Apostolica tum Beneficiis Ecclesiasticis tum Præbendis 2. ac 3. Gratiæ fruantur fruive possint, eoque intuitu Sacros Canones doceant, relationibus autem transmissorum actorum haud interesse, nec sententias latas sigillare nec remittere queant; & proinde Decanatus Officii, utpote cujus potissima functio in huc usque adductis consistat, haud quaquam capaces sint; non ita pridem tamen postremo loco nominati sex Doctores Ecclesiastici; cum dictis Professoribus sæcularibus unam passim eandemque sibi asseruerint æqualitatem, atque ad eundem Decanatum primo apud Universitatem sese admitti prætenderint, & posteaquam ibi non fuissent exauditi, contra Jus fasque, nec non Statutorum Juratorum Academicorum dispositionem, ad præfatum ejus temporis Dominum Nuntium Apostolicum ibidem recurrere præsumpserint, ab eoque prima vice Decretum Decanatus sequestratorium adversus paulo ante Electum Decanum Doctorem Gasparum Josephum *Kuygen* obtinuerint, postmodum vero impetraverint, ut prædictus

ctus Dominus Nuntius Apostolicus appellatione desuper interposita, haudquaquam attenta, repetitis mandatis inhibitoriis, eumdem *Huygen* impetere haud destiterit, sed ut concredita sibi sub juramento sigilla, annales, clavesque ad Archivum Facultatis reponeret sub comminata 500. florenorum aureorum pœna jusserit, parvo etiam tempore interjecto, præ primis in eandem condemnarit. Et cum executio Illius Decreti pœnalis Magistratui Coloniensi demandata, speratum effectum haud sortiri videretur, *plane ad* EXCOMMUNICATIONEM *progressus sit, eandemque publicis valvis ubique affigi curarit*: humillime supplicantes ut justitiæ remediis ac rescriptis a Serenissimo Electore Palatino, qua S. R. Imperii Interregni tempore Vicario, impetratis, Sua quoque Cæsarea Majestas, post Solium Imperiale conscensum, inhærere, & supplicantibus contra sententias istas injustas a memorato Domino Nuntio latas, ex Juris Constitutionumque Imperialium præscripto subvenire Clementissime dignaretur. Cum itaque ex circumstantiis in supplica adductis & demonstratis, abunde appareat, prædictum recursum incompetenter factum, non nisi ad collisionem supremarum Potestatum in Ecclesiasticis & Politicis, tendere, & non exiguis incommodis & scandalis viam aperire: Hinc Altissime D. Sua S. Cæsarea Majestas iis omnibus a Consilio suo Imperiali Aulico sibi debite relatis, probeque atque accurate perpensis, non modo recursum illum a memoratis sex Doctoribus Ecclesiasticis ad sæpius dictum Dominum Nuntium Apostolicum hac in causa sumptum, severe, cumque indignatione exprobandum, sed & *Decreta ejusdem comminatoria & executiva, utpote ex se nulla & invalida, cassanda, annullanda, & abolenda jussit, prout ea omnia cassat, annullat, abolet, nullaque declarat*, ac insuper memoratorum sex Doctorum Ecclesiasticorum universos temporales reditus, in pœnam temerarii recursus, sequestrari jussit: de reliquo etiam iisdem serio districteque sub pœna amissionis voti activi, *præcipit & injungit, quod acta omnia coram dicto olim Domino Nuntio producta repetant, & una cum Decretis hujus causæ inde emanatis retractari faciant*, eaque se repetiisse ac retractari fecisse intra bimestre, ab harum publicatione, proximo in Consilio Imperiali Aulico doceant; proindeque ab omni posthac ad Nuntium Apostolicum aut Judicem Ecclesiasticum recursu, in ejusmodi causis, abstineant, sin secus, comminata pœna, cum debito rigore contra Ipsos ad executionem deducetur. Signatum sub Cæsareæ Majestatis Sigillo secreto Viennæ 31. Januarii 1713.

FRID. CARL. Comes de Schönborn. (L. S.)
J. H. HAYECK de Waldstätten.

XXIX.

RESOLUTIO ESPENII;

ab aliis Doctoribus & Jurisperitis approbata.

Circa Causam Legentium & Regentium Gymnasii Litterarii Facultatis Artium Lovaniensis pendentem in supremo Brabantiæ Concilio ; nec non circa hujus Concilii competentiam quoad Academicos Lovanienses.

[*Nunc primum edita.*]

CASUS POSITIO.

CUm die quinta hujus anni 1721. per venerandum D. Decanum Facultatis Artium indicta esset Congregatio ordinaria ejusdem Facultatis, in horam undecimam matutinam, idque secundum statum prædictæ Facultatis *de die Congregationum ordinariarum*, præcipiens illam haberi *die quinta Januarii, seu pridie Epiphaniæ*, convenerunt in locum Congregationis ordinariæ Magistri frequentissimi, quando Decanus præfatus ex suffragiis duorum vel trium Deputatorum conclusit indictam & quasi inchoatam Congregationem ordinariam transferendam esse in aliam diem.

Contra quam Conclusionem reclamarunt imprimis Deputatus Nationis Hollandicæ, & duo ex quatuor Regentibus Consultoribus, ac plures alii Magistri adstantes; dein ex his plures postularunt 1.a dicto D. Decano, deinde a D. Vicedecano, ut hac die præscripta per Statutum perficeret Congregationem ordinariam.

Cum autem Decanus & Vicedecanus recusarent, rogarunt iidem Magistri Facultatis Seniorem, ut in defectu Decani & Vicedecani fungeretur munere, quod in casu simili per Statutum *de electione Decani & ejus officio* Seniori committitur.

Unde idem Facultatis Senior pro munere suo ex Magistris cum illo remanentibus numero plusquam quindecim, advocavit Procuratorem unum ex quatuor, qui remanserat, & tres inter eos, qui ex tribus aliis Nationibus permanserant Seniores, quorum consensu habito super articulis proponendis deliberationi Congregationis proposuit :

1. An placerent *ordinaria* in Statutis præscripta, nimirum *distributio ordinaria*; item *publicatio Statutorum, quæ Magistros de Concilio concernunt*; item resignatio officii Promotoris.

2. Proposuit an placeret ad Concilium Facultatis admittere Magistrum Joannem *Reymenandt*, titulo Subregentiæ Pædagogii Falconensis, prout de jure.

Ex deliberationibus Magistrorum suffragantium conclusit Senior, ad 1. placere *ordinaria*; atque ita facta est distributio ordinaria & publicatio Statutorum præfata, utrumque per Magistrum Ægidium Denique, Notarium, propter absentiam Magistri P. Augustini Denique Bedelli moderni. Conclusit ad 2. admitti ad Concilium Facultatis Magistrum Joann. *Reymenandt*, salvis salvandis.

Nota 1. quod unum ex Statutis Facultatis habeat, nihil unquam posse vel a tota Facultate resolvi contra aliquod Statutum, modo tres sint qui reclament contra talem resolutionem.

Nota 2. quod absentibus Decano & Vicedecano, jus convocandi Facultatem, & consequenter proponendi & concludendi, per Statuta ejusdem Facultatis competere Magistro Seniori.

Nota 3. quod Subregentes quatuor Pædagogiorum jure suo admittendi sunt ad Concilium Facultatis ; quodque eorum supplicatio proponi & admitti possit, in quacumque Congregatione sive ordinaria sive extraordinaria.

Quæritur 1. Utrum fuerit in potestate Decani & Deputatorum Congregationem ordinariam, quæ secundum Statuta pridie Epipha-

phaniæ haberi debet, transferri in aliam diem post Epiphaniam, qua Congregatio illa ordinaria haberi posset?

Quæritur 2. Utrum Senior Magister Facultatis Artium & alii, qui cum ipso in loco Congregationis permanserant, non recte fecerint Congregationem ordinariam sic perficiendo, prout illos fecisse supra refertur: & an possit legitimitas illius Congregationis in dubium vocari ob absentiam Decani, Vicedecani, & majoris partis Deputatorum ordinariorum, aut alio titulo?

Quæritur 3. Utrum post recessum Domini Decani & Deputatorum ordinariorum potuerit per Seniorem Facultatis proponi supplicatio Subregentis Pædagogii Falconis.

RESOLUTIO.

Quandoquidem per Statutum Facultatis Artium designati sint dies certi, quibus indici & haberi debeat Congregatio ejusdem Facultatis, consequens est quod Decanus illius Facultatis, cui competit exequi Statuta, teneatur præscripta die Congregationem Facultatis indicere, utpote cui indictio dictæ Facultatis incumbit.

Et quidem cum ex Statuto Facultatis præscripta die Congregatio sit habenda, ac propterea dicatur ordinaria, hæc Congregatio dici debet convocari, non tam authoritate Decani quam authoritate ipsius Facultatis, ita ut ipse Decanus dumtaxat illam convocare censeatur ex mandato & authoritate Facultatis.

Quapropter potest etiam Decanus hanc Congregationem indicere, & sine assensu aut consilio Deputatorum ea proponere, quæ juxta ordinationes & antiquam Consuetudinem Facultatis in ea proponenda sunt, quæ ob id *ordinaria* vocantur.

Et sane sicuti Universitas & Facultas non sine causa Congregationes illas ordinarias certo ac determinato tempore habendas censuit, & nonnulla in eis proponi voluit, ita quoque plura & gravissima sequi possent incommoda, si illo statuto tempore Congregationes illæ non haberentur, & proponenda non proponerentur. Exempli gratia; inter Congregationes ordinarias Universitatis imo & Facultatis, determinatis diebus celebrandæ occurrunt Congregationes, in quibus eligendi sunt Rector Universitatis, nec non Facultatum Decani, & ex singulis Facultatibus Appellationum Judices; quæ Congregationes si ex judicio & arbitrio Deputatorum ultra præfixum diem differri possent, & Universitas Rectore & Judicibus Appellationum, & Facultates suo respective destituerentur Decano; cum omnes ii ad summum eligantur ad semestre, quo finito eorum expirat officium; atque ita ex aliarum Congregationum dilatione plura his similia nata sunt oriri incommoda.

Unde & in Universitate Congregationes ordinariæ, quæ ex Statuto Universitatis determinatis diebus haberi debent, per Rectorem dictæ Universitatis indicuntur independenter a consensu aut Consilio Deputatorum; atque independenter ab eorum consensu *ordinaria* proponuntur & resolvuntur. Atque ita observari vidit infrascriptus van-Espen, qui per quadraginta & amplius annos de Concilio Universitatis exstitit.

Itaque in Casu proposito non fuit in potestate Decani aut Deputatorum Congregationem ex Statuto Facultatis instituendam pridie Epiphaniæ, differre in diem post Epiphaniam. Ratio evidens est: quandoquidem dies Congregationis non committatur præfigenda Decano cum Deputatis; sed hæc dies sit per ipsam Facultatem præfixa. Porro indubitatum est nec Statuta, nec ordinationes Facultatis dependere ab arbitrio & judicio Decani & Deputatorum, ut ii possint illa pro suo judicio & arbitrio immutare; sed ipsi tamquam Ministri seu Deputati Facultatis tenentur ex officio eadem exequi.

Verum quidem est quod Decanus & Deputati tamquam fideles Facultatis Ministri, possint & debeant intendere, ne quid præjudicii aut incommodi subinde sequi posset ex vigorosa observantia alicujus Statuti; sed & hoc verum est, quod ipsi sua authoritate non possint a Statuto recedere, prætextu hujusmodi præjudicii aut incommodi secuturi; sed eo casu convocanda esset Facultas, ut ipsa ob præjudicium aut incommodum quod secuturum timetur, judicet a Statuto nonnihil esse recedendum, aut ejus executionem suspendendam.

Pro-

Proinde *ad primum* censet infrascriptus, non fuisse in potestate Decani & Deputatorum Congregationem ordinariam habendam pridie Epiphaniæ, sine consensu Facultatis differre in alteram diem post Epiphaniam; imo ne quidem cum consensu totius Facultatis, modo tres contra talem resolutionem Facultatis reclamarent.

Ad secundum, cum ex Casus positione habeatur Decanum & Vicedecanum noluisse etiam interpellatos per Magistros ejusdem Facultatis, Congregationem per Decanum vi Statuti indictam, & jam tum inchoatam perficere, imo e conventu discessisse, non dubium quin licuerit Seniori Facultatis, tamquam in absentia ac defectu Decani & Vicedecani a Facultate in Vicedecanum substituto, Congregationem istam perficere, & proponenda proponere, sive verius ipsum Statutum Facultatis exequi.

Ad tertium, cum in omni Congregatione ex consuetudine Facultatis consueverint admitti supplicationes eorum, qui jure suo ad Facultatis Concilium sunt admittendi, censet infrascriptus supplicationem Subregentis Pædagogii Falconis in Congregatione prædicta per Seniorem fungentem munere Decani & Vicedecani absentium, tamquam punctum unum ex ordinariis potuisse, imo & debuisse proponi, maxime consentientibus Senioribus; qui in absentia Deputatorum ordinariorum, juxta notoriam praxim Universitatis, supplent locum Deputatorum. Ita responsum Lovanii hac septima Januarii 1721. Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & Prof. Idem censeo J. A. *Bresnart*, J. U. Doctor & Antecessor Primarius. Idem censeo Amandus *Bauwens*, J. U. Doct. & Antecessor Primarius. J. G. *Geens*. J. B. *Henricii*. J. O. *Donnogtine de Galdorp*. [Causidici Parlamenti Mechliniensis]. Idem censemus A. *Des Cartes*. H. *van Hanewyck*. R. C. E. *Swarts*. C. *van Buren*, 1721. J. *de Swert*. J. *de Plecker*. [Causidici Concilii Brabantiæ.]

XXX.

CASUS POSITIO.

Circa eamdem causam.

[*Nunc primum edita*.]

ARTICULUS I.

De primæva Facultatis Artium institutione, & statu ejus ac forma Essentiali.

Artium Facultas, una ex quinque quibus alma Universitas Studiorum Lovanii constituta est, quæque cæterarum quasi Fundamentum est, & Matrix, exordium suum sumsit a quatuor Ludis seu Gymnasiis 1. [vocata fuere postea *Pædagogia*] in quibus non prius Philosophia quam Litteræ humaniores ab ipsa erectione Academiæ tradebantur. Erectio autem refertur ad annum millesimum quadringentesimum vigesimum sextum, vide *Vernulæi Academiam*, pag. 23. in fine.

„ Ab origine Academiæ, inquit Valerius in Fastis, etiam Litterarum sicce „ Grammaticæ studium in Pædagogiis viguit: „ & memini me vidisse exemplum Reformatæ rationis studiorum cum Grammaticæ tum Philosophiæ, sicce formulam „ artium tradendarum in Pædagogio Castrensi anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, typis editam in *Fastis* pag. „ 250. editionis secundæ.

In hac formula studii Castrensis variæ Classes Grammaticæ proponuntur, committendæ Præceptoribus septem. Extat hæc in Archivis Regiis Bruxellis.

„ Litterarum studium, ait Vernulæus, „ jam a condita Academia in quatuor Gymnasiis florentissimum fuit, in iis Grammaticæ Rhetoricæque professiones quam „ plurimæ.

„ Unde, ut idem Author prosequitur, cum „ Fer-

„ Ferdinandus Alvaresius Dux Albanus, „ & Belgii Præfectus, universum Academiæ statum ac omnes in ea professiones „ cognoscere desideraret, publico scripto, „ quod ad eum Academia transmisit, præter Philosophicas litterariæ in singulis „ Pædagogiis professiones ut minimum quatuor, in quibusdam plures etiam sunt enumeratæ. *Academ. pag. 61. & 62.*

In hoc publico scripto ad Belgii Præfectum misso anno 1568., & adhuc extante in Archivis Regiis, commemoratur in principio universam Academiam constare ex quinque Facultatibus; tum omnium Facultatum ex ordine lectiones & Professores exhibet.

In ipsa vero Facultate Artium ponit non solum Philosophicos sed etiam Professores litterarios, docentes principia Grammaticæ, Grammaticam, Syntaxim, Poësim, Rhetoricam, Dialecticam, principia Arithmeticæ, &c.

Postremo loco assignat duos publicos Professores, quos Facultas Artium quoque habet in communi Schola Artium: alterum Ethicorum; alterum Rhetoricorum, ut qui doceant tantum diebus Dominicis & Festis.

Et post enumeratas quinque Facultatum professiones omnes, tandem subjungit.

Est quoque in Universitate a Domino Hieronymo Buslidio fundatum Collegium quod Trilingue appellatur &c. quod nimirum ad nullam Facultatem refertur, quia nulli speciatim incorporatum est.

Porro Professores & Rectores Studiorum humanitatis in quatuor Pædagogiis sic fuisse incorporatos Facultati Artium ut ad ejus Consilium essentialiter pertinerent, evincere videtur ipsa Facultatis ordinatio anni 1462. qua sancitum erat ab initio *ne quis in Pædagogiis quidquam doceret nisi in Facultatis Senatum receptus esset*. Acad. *pag. 64.*

Atque hæc sunt quæ primævam Facultatis Institutionem ejusque essentialem formam ac statum abunde declarare possunt.

ARTICULUS 2.

De privilegio nominationum Facultatis quatenus ad Legentes & Regentes Litterarios pertinet.

Sedente Romæ Leone X., qui bonarum artium & Litteratorum Virorum æquus Æstimator & Patronus munificentissimus extitit, cum communi Academiæ privilegio Sixtino minus provisum videretur Facultati Artium, quæ quotidie augebatur; & speciatim iis non esset consultum, qui in regenda docendaque juventute gravissimos quotidie labores satis longo tempore in ea exantlabant, & propterea singulari prærogativa digni habebantur.

„ Facultas Artium, inquit Vernulæus, „ in qua quatuor sunt Gymnasiarchæ, cum „ totidem eorum Vicariis, *totque Litterarum* & Philosophiæ *Professores*, præter„ quam plurimos alios Artium Magistros, „ ut his omnibus Pontificiæ largitatis be„ neficio amplius providere, & hoc veluti „ præmio ad studium undequaque plures al„ licere posset, novum ab Apostolica Se„ de privilegium supplex postulavit: *Acad.* „ *pag.* 100.

Nimirum idem erat tunc status & forma essentialis Facultatis, qui supra, articulo primo, exhibitus est.

Facultas autem interveniente Maximiliano Imperatore, Carolo item & Margareta Austriæ Archiducibus, facile a Pontifice impetravit quod petebat, nempe potestatem *nominandi* (verba sunt & Facultatis supplicantis & Pontificis concedentis in Bulla) *unum ex Magistris in Artibus, qui inibi in Facultate prædicta sex annis legerit seu rexerit, vel ob doctrinæ eminentiam ad docendam Logicam vel Physicam Aristotelis admissus, seu in illa novem annis promotus & Graduatus fuerit & de illius Consilio sit, vel aliquando extiterit.*

Estque hæc famosa Clausula disjunctiva, quæ claritatis causa distingui potest in membra quatuor, ut 1. ponantur Legentes Sexennales. 2. Regentes & Subregentes, item Sexennales. 3. Professores Philosophici. 4. Magistri novennales, qui in Consilio Facultatis locum habent, vel aliquando habuerunt. vide *Acad.* pag. 104.

De qua Clausula quæritur an primo & secundo membro comprehendere censenda sit Legentes & Regentes Litterarios.

In quam rem notandum, quod Professores Litterarii etiam Legentes vocentur in ipsa novissima renovatione Statutorum Facul-

cultatis, ut verbi gratia Cap. 2. Art. 2. *cum aliis vero in Litterarum studio Legentibus non dispensabitur nisi ad summum in duobus Annis.*

Item in ordinatione suæ Majestatis anni 1623. die 17. Novembris, recepta per Facultatem & inserta Libro Statutorum, pag. 93. *Cæteri*, inquit, *Professores Litterarii etsi sex annis legerint contenti erunt ea prærogativa &c.*

Observandum etiam patere ex proœmio Bullæ Leoninæ, Pontificis mentem fuisse, *singularum personarum meritis & conditione diligenter attentis earum commoditatibus & utilitatibus æqua lance consulere.*

„ Nempe ut ii qui studium & laborem impenderant mercedem ex laboribus perciperent eorundem, & alii vita & exemplo invitati ad litteras perdiscendum libentius invitarentur, uti ex supplicatione Bullæ Sixtinæ, repetitur.

Item quod Facultas & Augustissimi Principes in expositione sua, Bullæ Leoninæ inserta, ad Pontificis animum inclinandum, eamdem Facultatem magnopere commendent ex eo quod „ ex ipsa velut ex fonte cæteræ Facultates scaturiant, ac ipsa Theologia, per quam hæreses confunduntur, viris *Litteratissimis* tamquam fulgentibus candelabris claruerit, & florendo clareat, in qua etiam juvenes, quibus in juventute minus provisum esse solet, ab ineunte ætate Litterarum rudimenta suscipiunt.

Pensandum denique id quod Clemens VII. afferit de Adriano VI. cujus evulgat Bullam, quam hic motu proprio in favorem Facultatis Artium condiderat:

Adrianus Prædecessor, inquit, sollicita consideratione pensans quod per LITTERARUM *studia Divini nominis & fidei Catholicæ cultus protendebatur & omnis humanæ conditionis prosperitas augebatur, ac dignum imo debitum censens, ut ea quæ pro studiorum hujusmodi manutentione & incremento & virorum doctorum, qui lectionum laboribus & vigiliis pro aliorum institutione insudant sustentatione provide concessa erant, per suæ approbationis præsidium robur perpetuæ firmitatis obtinerent &c.*

ARTICULUS 3.

De Gymnasio Litterario SS. Trinitatis.

Anno 1658. Lovanii erectum est Gymnasium Litterarium SS. Trinitati sacrum, in quo docentur studia humaniora in Classibus sex, & præsunt Regens, Subregens & quinque Professores.

Hoc Gymnasium proprium est Facultatis Artium, eique incorporatum.

Ideoque hæc Facultas ejus Moderatrix & Patrona existit, omniaque ejus docendi & Regendi munia confert, nempe Magistris suis in Artibus.

Juventus etiam hujus Gymnasii subjecta est legibus & Jurisdictioni ejusdem Facultatis, non secus ac Philosophiæ Studiosi.

Notandum quod in erectione ejusdem Gymnasii Pædagogium Porcense, in quo solo ad tempus illud docebantur Litteræ, juri suo docendi Litteras cesserit, uti & Fundationibus, quæ eo spectabant, in gratiam novi istius Gymnasii.

Adeo ut ab illo tempore nullæ Professiones Litterariæ Facultatis Artium propriæ nisi in præfato Gymnasio existant.

Quæritur I. An ex ipsa institutione & essentiali forma ac statu Facultatis Artium Professores & Rectores Litterarii non pertineant proprio jure ad Concilium ejusdem Facultatis.

II. An Bullæ Pontificiæ privilegiorum ejusdem Facultatis in primo & secundo membro famosæ Clausulæ disjunctivæ, *nominandi unum ex Magistris in Artibus, qui inibi in Facultate prædicta sex annis legerit seu rexerit &c.* non censendæ sint comprehendisse Legentes & Regentes Litterarios.

III. An Facultas Artium privata sua authoritate potuerit per Ordinationes primævum statum sui Corporis immutare: aut præjudicare iis juribus aut prærogativis, quæ alicui secundum primævum suum statum competere possent.

IV. An Professores & Rectores Gymnasii Litterarii SS. Trinitatis non sint censendi successisse in jura & prærogativas eorum, qui olim in Pædagogiis docuerunt & direxerunt studia humaniora.

V. An concurrentibus Legentibus & Regentibus dicti Gymnasii Litterarii pro admissio-

missione ad Concilium Facultatis Artium possint iis neglectis eligi aut admitti alii Magistri, qui nec legunt nec regunt in eadem Facultate.

Viso & examinato casu supra posito infrascripti censent.

Ad 1. Nullum dubitandi locum esse quin ex ipsa institutione & essentiali forma ac statu Facultatis Artium Lovaniensis Professores & Rectores Litterarii, proprio suo jure pertineant ad Concilium ejusdem Facultatis non minus quam Regentes & Professores Philosophiæ.

Etenim ex his, quæ in casu proponuntur satis liquet Facultatem Artium constitisse a principio, ad instar aliarum Facultatum, ex Professoribus & Regentibus, juventutem ad eam Facultatem spectantem moderantibus & erudientibus.

Quod imprimis constat ex publico illo scripto, quod teste Vernulæo in sua *Academia Universitatis Lovaniensis* Duci Albano transmisit, in quo exhibetur Universitas, ut constans ex quinque Facultatibus, & enumerantur membra unamquamque Facultatem constituentia.

Porro inter membra Facultatis Artium enumerantur non solum Philosophici, sed etiam Professores Litterarii, nam teste Vernulæo *præter Philosophicas Litterariæ in singulis Pædagogiis Professiones ut minimum quatuor in quibusdam etiam plures sunt enumeratæ.*

Itaque dubium non est quin omnes illi, qui Professiones illas litterarias ad Facultatem Artium spectantes obibant, fuerint per Universitatem Duci Albano repræsentati tamquam Facultatem illam essentialiter componentes, quemadmodum Professores aliarum Facultatum eas quoque constituebant.

Id ipsum innuunt verba, quod Dux Albanus Universum Academiæ statum noscere desideraret, adeoque indubie singularum Facultatum statum sive corpus prout ex propriis suis membris esset constructum.

Et manifestius evincit quod post enumeratas omnes Professiones quinque sæcularium, & quasi Facultates illas respective constituentes subjungat: *est quoque in Universitate a Domino Hieronymo Buslidio fundatum Collegium quod Trilingue appellatur.*

Indubie Universitas hunc Academiæ statum exhibens Duci Albano eum repræsentavit prout eum ab antiquo viderat institutum & vigentem.

Et sane ex ipsa Ordinatione Facultatis Artium anni 1462., de qua in casu, evincitur jam eo tempore Professores Litterarios in Pædagogiis docentes de Facultatis Concilio fuisse, siquidem præcipitur, *ne quis in Pædagogiis quidquam doceret nisi in Facultatis Senatum receptus esset.*

Certum autem est quod illo tempore in Pædagogiis docerentur non solum Philosophia, sed etiam Litteræ humaniores; adeoque evidens est nullum potuisse admitti ad docendum Litteras, nisi esset de Facultatis Concilio.

Ut autem Magistri Litterarii ad Concilium Facultatis Artium suo jure pertineant æquissimo sane jure constitutum est.

Concilium enim uniuscujusque Facultatis in Academia aliqua nihil est aliud quam cœtus virorum qui juventutem in studiis ad Facultatem istam spectantibus regunt & instituunt.

Facultas autem Artium hujus Universitatis Lovaniensis, cum ab initio non solum Philosophiam, sed eas etiam Artes semper professa sit, quæ maxime ad humanitatem & politiorem doctrinam pertinent, quales sunt Grammatica, Poetica, Rhetorica &c. easque ex sua Institutione profiteri necessario debeat.

Res ipsa loquitur, Magistros Litterarios æque ad Concilium Facultatis Artium pertinere debere quam Philosophiæ Præfectos.

Enimvero si a Concilio Facultatis Artium distrahas Professores & Regentes Litterarios: qua ratione Cœtus ille dici poterit moderari & instituere magnam illam & pretiosam juventutis suæ partem, quæ studiis *Litterariis* dedita est.

Cum tamen studiosa illa juventus ut præcipua spes & cura Academiæ & Reipublicæ ipsi Facultati Artium per suam institutionem a suprema potestate specialiter commissa sit, ut in studiis humanioribus & bonis Artibus tam necessariis, tam dignis & utilibus sedulo excolatur.

Ad 2. Ex Supplica per Facultatem Artium, junctis sibi Belgii Principibus, Leoni X. Summo Pontifici pro obtinendo pri-

privilegio nominationum oblata, manifestum est Facultatem Artium repræsentatam fuisse eo tempore ut constantem ex Professoribus & Regentibus, qui juventutem moderarentur & erudirent, idque a tenera ætate, dum Rudimentis Litterarum esset instituenda, in verbis: *in qua etiam juvenes, quibus in juventute minus provisum esse solet ab* INEUNTE ÆTATE LITTERARUM RUDIMENTA *suscipiunt*.

Ex quo evidenter sequitur, sub Professoribus illis sive Legentibus qui Facultatem constituebant comprehensos fuisse Litterarios; siquidem hi sunt, per quos juvenes ab ineunte ætate Litterarum rudimenta suscipiunt.

Proinde evidens est eo tempore Facultatem Artium repræsentatam fuisse Leoni X. prout eam postea exhibuit Universitas Duci Albano, nempe ut constantem ex omnibus Professoribus sive Legentibus & Regentibus juventutem Facultatis erudientibus, sive Philosophicis sive Litterariis, prout ad primum latius.

Ulterius manifestum est ex tenore Bullæ, Pontificem voluisse benefacere & privilegium concedere Facultati Artium prout hæc ipsi erat exhibita.

Itaque nullatenus dubitandum, quin Leo X. in prædicta clausula de Legentibus & Regentibus in Facultate Artium locutus fuerit ad mentem supplicantium, & consequenter comprehenderit non solum Legentes & Regentes Philosophicos; sed etiam Litterarios, per quos ab ineunte ætate juvenes Litterarum rudimenta suscipiebant.

Ad 3. Certum imprimis est Facultatem Artium per suas Ordinationes non potuisse invertere statum & ordinem sui Corporis, prout illud per primævam suam institutionem erat constitutum, & prout illud per Facultatem & Serenissimos Belgii Principes fuit repræsentatum Romanis Pontificibus privilegio Nominationum dotandum.

Ulterius quandoquidem Pontifices privilegium nominandi indulserint Facultati Artium, prout hæc ipsis erat exhibita, debuit Facultas illum suum statum, quantum in se est, integrum conservare, & prærogativam privilegii concedere juxta eum sensum, quem habebat Bulla eo tempore, quo fuit edita.

Porro ex dictis ad secundum quæsitum habetur quod Pontifex per Legentes in famosa Clausula debuerit intelligere & intellexerit Legentes etiam Litterarios, quandoquidem & ipsa Facultas & Serenissimi Belgii Principes in Supplica sua eosdem Legentes Litterarios, una cum cæteris, Facultatem constituentes, & privilegii subsidio sublevandos Pontifici proposuerit.

Accedit quod Principes & privilegia juxta eorum tenorem authoritate sua roborantes primævum statum Facultatis in Supplica præfata exhibitum constabiliverint.

Itaque censent infrascripti, Facultatem Artium sua authoritate non potuisse primævum statum sui Corporis, prout is per Bullas Pontificias & Placeta Regia probatus & obsignatus fuit, ullatenus immutare; neque Litterariorum juribus aut prærogativis in quoquam præjudicare potuisse, sed ea, prout erant tempore impetrati privilegii, integra conservare debuisse.

Et sane nequaquam credibile est Facultatem Artium voluisse quidquam immutare contra primævum statum suum, quem pro obtinendo privilegio Pontifici exhibuerat, & cujus intuitu Pontifex annuerat, aut prærogativas & jura, quæ Legentibus Litterariis tamquam Facultatem tunc temporis una cum reliquis constituentibus concessa erant, voluisse ullatenus violare.

Verum quidem est, quod circa initium præteriti sæculi nonnulli de Facultate Artium, notanter Professores Philosophiæ & Regentes, Clausulam Bullæ Leoninæ supra memoratam, ita cœpissent interpretari quasi Legentes Litterarii, qui in dicta Clausula erant juncti Regentibus, non solum deberent cedere iis, qui ad docendam Logicam vel Physicam Aristotelis admissi erant, sed insuper omnibus Regentibus Pædagogiorum.

Et quidem conformiter ad hanc interpretationem edita videtur Ordinatio Facultatis 1602. uti intelligitur ex *Academia* Vernulæi.

At ex eodem Authore colligitur huic Ordinationi Facultatis non paruisse Legentes Litterarios, nisi postquam & in quantum per Regiam Suam Majestatem hæc Ordi-

Ordinatio fuisset discussa & declarata Bullis Pontificiis non omnino contraria.

Scribit enim Vernulæus suo tempore exortam fuisse controversiam, „ cui, inquit, locum dedit quorundam non sinceris in bonas Artes affectus, contendentium nomine *Legentium* eos dumtaxat censeri, qui Logicam aut Physicam profiterentur, non qui Grammaticæ partem aliquam aut Rhetoricam, aut Ethicam seu publice seu privatim interpretarentur: verum cum ad cognitionem Sanctioris in Belgio Catholicæ Majestatis Consilii delata controversia omnis esset anno 1623. 15. Cal. Decembris; Reverendus Dominus Joannes *Drusius* Parcensis Abbas, Academiæ Visitator, & Amplissimus Vir Gerardus *Corselius*, Libellorum supplicum Magister, & Sanctioris Consilii Senator, Regia authoritate Judices constituti ita pronuntiarunt:

„ *Professores duo Publici Facultatis Artium alter Ethicæ, alter Rhetoricæ, habebuntur in posterum in numero Magistrorum Legentium in eadem Facultate, ad effectum, ut cum sex annis legerint, fruantur prærogativa attributa per Litteras Apostolicas privilegii nominationum his, qui sex annis legerint in verbis:* UNUM EX MAGISTRIS QUI INIBI IN FACULTATE PRÆDICTA SEX ANNIS LEGERIT.

„ *Cæteri Professores Litterarum, etsi sex annis legerint, contenti erunt ea prærogativa, quam illis tribuit Ordinatio dictæ Facultatis facta Octavo Cal. Septembris anno 1602.; ita ut præferantur omnibus cæteris Magistris, exceptis iis, qui ad legendam Logicam vel Physicam, vel ad regendum admissi fuerint; item iis, quibus per præsentem Ordinationem attribuitur dicta prærogativa eorum, qui sex annis legerint*". Hanc sententiam ratam esse Rex jussit eodem anno 14. Cal. Decembris; utque illi Facultas Artium pareret, severe mandavit. Hæc apud Vernulæum.

Ex quo Decreto Regio hoc equidem habetur: 1. quod Ordinatio Facultatis memorata non habuerit suum plenarium effectum, nisi postquam & in quantum Regia authoritate fuit firmata.

2. Quod Legentes Litterarii censerentur nomine *Legentium*, de quibus in Bulla, & quod iidem insuper essent suo jure de Consilio Facultatis; siquidem ibidem præferantur omnibus Magistris, etiam novennalibus, qui de Consilio Facultatis sunt, vel aliquando extiterunt.

Cum tamen & ex Bulla & ex usu indubitatum sit, nulli dari jus prærogativæ in privilegio nominationis nisi sit, vel fuerit de Consilio Facultatis.

Ad 4. Quandoquidem Facultas Artium una cum Serenissimis Belgii Principibus, Facultatem Artium Romano Pontifici, pro obtinendo privilegio nominationum repræsentaverit tamquam constantem ex iis, qui juventutem *ab ineunte ætate rudimentis Litterarum* imbuerent: atque ipse Pontifex horum etiam intuitu privilegium speciatim annuerit, uti in resolutione ad secundum fusius expositum est, dubitari non potest, quin Legentes & Regentes in prædicto Gymnasio, ad mentem Pontificis & Serenissimorum Principum reputandi sint Legentes & Regentes, a quibus juxta Bullam in eadem Facultate juvenes Litterarum rudimenta ab ineunte ætate suscipiunt.

Neque refert quod præsentes Magistri Litterarii non Legant aut Regant in Pædagogiis; quandoquidem ridiculum esset dicere supremam potestatem non respexisse ad munera, labores & personas, sed tantum ad ipsa loca.

Itaque censent infrascripti hodiernos Legentes & Regentes dicti Gymnasii Litterarii successisse in locum eorum omnium, qui tempore petiti privilegii magno numero in Pædagogiis docebant & regebant studia humaniora, & a quibus tunc juvenes *ab ineunte ætate litterarum rudimenta* suscipiebant: eosdemque ipsos tamquam eorum successores gaudere debere iisdem juribus & prærogativis: eo magis quod jam soli in amplissimo Gymnasio totam studiosam Facultatis Artium juventutem ab ineunte ætate studiis Litterariis imbuere debeant, quod onus olim divisum erat & dispertitum in plures, qui in singulis Pædagogiis in hoc ipsum erant præfecti.

Ad 5. Resolutio hujus quæstionis sponte fluit ex resolutionibus præcedentibus.

S 2 Cum

Cum enim in superioribus probatum sit Legentes & Regentes Litterarios ex mente supremæ potestatis habere prærogativam in Nominationibus ante omnes Magistros, qui non Legunt aut Regunt in Artibus etiam ante illos, qui novem annis Graduati de Consilio Facultatis sunt, vel ex titerunt.

Adeoque etiam & jus proprium habeant ut sint de Consilio Facultatis, sine quo prærogativam hanc, ut supra dictum est, obtinere non possent: evidenter consequitur nullum e Magistris in eorum præjudicium sive cum eorum exclusione eligi aut admitti posse ad Consilium Facultatis.

Ratio est, quia, ut jam probatum est, Legentes & Regentes Litterarii ex institutione Facultatis & placito utriusque potestatis ante omnes alios Magistros non Legentes aut non Regentes in Facultate, ad Consilium Facultatis vocati sunt, ac consequenter per concursum alterius Magistri etiam in alia Facultate superiori Graduati nullo modo excludi possint.

Id quod illustrari potest exemplis quotidianis. Si enim Fundator beneficiorum, aut ut vocant, Bursarum, tribuat prærogativam suis consanguineis, aut oriundis ex certo loco, consanguineus aut ex designato loco oriundus præferetur omnibus aliis qualitate ista destitutis.


Imo tametsi plures essent beneficii aut Bursæ illius Collatores aut electores, hique extraneum unanimi etiam suffragio prætulissent, nihilominus posset consanguineus aut ex loco designato oriundus possessionem civilem illius beneficii aut Bursæ accipere & in ea manuteneri, sicut quotidie observatur.

Idem prorsus in Casu proposito & Magistris Litterariis locum habere omnino censendum est.

Ita responsum Lovanii die trigesima Januarii millesimo septingentesimo vigesimo primo: (*signatum erat*) Z.B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof. J. A. *Brenart*, J. U. D. & Antecessor Primarius. A. *Bauwens*, J. U. D. & Antecessor Primarius. [ad huc inferius erat] infrascripti in Supremo Brabantiæ Consilio Advocati, visis & examinatis Casus positione & resolutione suprapositis ob rationes solidas a Clarissimis Viris præconsultis allegatas idem censemus, hac quinta Februarii 1721.

(*erat signatum*)

A. *Descartes*. J. Lion. *Jamez*, J. *de Swert*. C. F. *Cole*. J. F. *Goyvarts*, *Gadhovius*. J. *Flodrop*. J. *de Plecker*. R. C. E. *Swarts*. J. B. *Grau*.



XXXI.

JUDICIUM TERTIUM,

Circa idem negotium.

[*Nunc primo editum*.]

INfrascriptus attestor & declaro quod secundum constantem usum & praxim hujus Universitatis in causis quibuscumque, ubi agitur de Possessorio, exortis inter Supposita, aut etiam inter ipsas Facultates ejusdem Universitatis, semper recurratur ad ordinarium Tribunal Regium; quodque numquam audierim aut viderim hujusmodi causas Possessorias agitari, vel agitari debere, coram Rectore Magnifico; imo quod nec unquam intellexerim Universitatem ipsam id ipsum prætendisse, tametsi infrascriptus plusquam a quadraginta septem annis de Consilio dictæ Universitatis extiterim, & jam per annos quadraginta sex J.U. Doctor, in hujusmodi causis perpetuo versatus fuerim. Idemque censeo prædictam praxim Universitatis non obstante ejus jurisdictione & privilegio fundatam esse in eo quod manutenentia

nentia sit quædam species protectionis contra violentiam sive turbationem facti; quæ protectio soli Principi aut ejus Auditoriis eum repræsentantibus competat; adeo ut inter jura Principis, quæ Regalia dicuntur, & Coronæ ipsius indivulse adhærent, manutenentia censenda sit: uti late probat Celeberrimus Author Franciscus *Salgado*, in tractatu de protectione Regia, Part. 1. Cap. 2. Num. 28. & seq. & praxis universalis immemorialis omnium Regnorum confirmat; teste Didaco *Covarruvias*, qui floruit a ducentis circiter annis; *Practicarum qq.* Cap. 35. ubi & ejusdem praxeos utilitas & necessitas exponitur. Et certe si præfatus recursus ad Tribunalia Regia in causis Possessoriis tollatur, mox apparebit in Universitate nostra, quod præiaudatus Covarruvias generatim affirmavit; nempe *statim non quidem sero comperietur experimenta manifestissimo quantum calamitatis Reipublicæ invectum sit;* attento quod in hac Universitate sicut in cæteris Tribunalibus Ecclesiasticis, oporteret habere tres sententias conformes, ut vim passus & possessione sua, via facti, turbatus, posset restitui. Ita declaratum & responsum hac 24. Octobris 1721. Lovanii. (*Et erat signatum*) Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof. (*Inferius habebatur*) Idem attestor & declaro; (*Signatum*). A. *Bauwens*, J. U. D. & Antecessor Primarius ab undecim annis Stricti Collegii Facultatum, Jur. U. Regens. Idem censeo. (*Signatum*) J. A. *Brenart*, J. U. D. & Antecessor Primarius.



APPENDIX AD JUDICIUM TERTIUM,

Consulte du Conseil Souverain de Brabant, adressée au Marq. de Prié sur le même objet.

MONSEIGNEUR,

Il n'est pas surprenant de voir l'Internonce de Sa Sainteté se donner tant de mouvement pour appuyer les plaintes mal fondées de quelques membres de la Faculté des Arts dans l'Université de Louvain (dans la Requête) qu'il a plû à Votre Excellence de renvoyer à notre avis par Lettre du 22. Mars dernier, puisqu'elles ne tendent qu'à dépouiller les Tribunaux de Sa Majesté de l'autorité Royale qu'ils exercent en son nom, & de relever & aggrandir ainsi l'autorité de la Cour de Rome & des gens d'Eglise, au préjudice & à l'oppression des sujets du Roi. Il n'y a que le recours à la protection Royale qui soit capable de les en garantie; à quoi ce Ministre tache de porter obstacle par faire ôter aux Conseils la connoissance des matieres possessoires, pour rendre peu à peu la Cour de Rome l'arbitre des loix & privileges du pays. Les Glorieux Predecesseurs de Sa Majesté ont toujours eu tant de soin d'un point si important qu'ils en firent une condition expresse dans le Concordat *fait avec le Prince de Liege le* 10. *Mars* 1541. *Ils défendirent d'accorder aucunes Lettres de Places qu'avec cette clause: que le possessoire sera à la connoissance de leurs Tribunaux. Ils attribuerent aussi cette connoissance à ce Conseil par un article particulier de ses instructions du* 13. *Avril* 1604. *Enfin ils n'approuverent les graces & indults accordés à ceux de la dite Faculté des Arts, qu'avec cette restriction:* Que s'il se meut procès en matiere possessoire, qu'ils feront tenus de l'intenter par devant les Juges Provinciaux. *C'est sur ce principe que nous avons commencé à prendre connoissance des causes dont il s'agit.*

La premiere est celle que Pierre Taffart, *le plus ancien de la dite Faculté & neuf autres conjointement avec Jean* Opstraet, *comme Procureur de la Nation Hollandoise, & Antoine* Cinck *comme Procureur de la Nation Flamande de la même Faculté, soutiennent en ce Conseil, afin d'être maintenus dans l'ancienne possession d'approuver ou désapprouver les actes du Doyen qui finit, ou fort de fonction, à l'occasion que Gille* van Dyck *ayant achevé son terme de Doyen avoit*

avoit entrepris d'inserer aux Regiſtres de la Faculté les prétendus actes de ſon Decanat, non obſtant que deux des quatre Nations (dont la Faculté eſt compoſée) les avoient poſitivement déſapprouvés, & que les Actes d'un Doyen qui finit ou ſort hors de fonction ne peuvent être conſiderés, comme actes légaux & valides de la Faculté, tandis qu'ils ne ſont ratifiés & approuvés par les dites quatre Nations, ou par la plus grande partie.

Cette cauſe étant conteſtée & inſtruite juſqu'à réplique incluſivement, & le Doyen van Dyck ne trouvant matiere pour y dupliquer, prit recours à l'Internonce & ſçut obtenir par ſon entremiſe état & ſurſéance de toute procedure par Lettres de Votre Excellence du 2. Decembre 1719. juſqu'à ce que notre avis vû autrement ſeroit diſpoſé.

Nous y reſervimes de notre avis par conſulte du 29. Novembre dernier (a). Mais comme les hautes occupations de Votre Excellence ne lui permirent pas d'y prendre ſitôt reſolution, & que cependant Pierre le Clercq & N. Bertonville s'avançoient d'intervenir aux aſſemblées de la Faculté comme prétenduement elus pendant le Decanat du dit van Dyck, dont l'election défectueuſe avoit obligé le dit Taſſart & conſorts, d'improuver entre autres les actes de ſon Decanat, ceux-ci s'adreſſerent à ce Conſeil par la Requête c'y jointe en double, ſur laquelle ce Conſeil la joignit à la cauſe ſusmentionée, ordonna qu'elle ſeroit communiquée à partie pour y dire dans la huitaine, & lui interdit cependant de plus rien attenter juſqu'à ce que Votre Excellence auroit diſpoſé ſur notre conſulte prétouchée.

Cette apoſtille, qui eſt du 24. Decembre dernier, nous paroiſſoit d'autant plus juſte que comme l'état & ſurſéance accordée par Votre Excellence étoit reciproque & regardoit auſſi bien le dit van Dyck & ſes adhérents que ledits Taſſart & ſes conſorts, les uns & les autres devoient également s'abtenir de rien attenter juſqu'à ce que Votre Excellence auroit trouvé bon de reſoudre ſur leur different.

Cependant l'Internonce qui avoit pris à cœur cette affaire, ayant porté lui-même une ſeconde Remontrance du dit van Dyck dans les mains propres de Votre Excellence ſçut faire enſorte que V. E. trouva bon de lever l'interdiction de ce Conſeil ſur la fauſſe expoſition du dit van Dyck que nous n'avions pas encore reſervi de notre avis, quoique nous l'avions rendu dès le 29. Novembre dernier, comme nous l'avions fait voir au Secretaire d'Etat Snellincx, par un double autentique quelques jours avant cette levée de notre interdiction.

La ſeconde cauſe dont il s'agit eſt celle que le Sourégent du Faucon Jean Reymenant a intentée en ce Conſeil par les Lettres de maintenue cy jointes en double, pour être maintenu dans la poſſeſſion de la place qu'il a dans la dite Faculté, contre les troubles lui faits par le Doyen de la même Faculté Coedyck.

En vertu de ces Lettres le Doyen fut ajourné au Rolle, & il y conteſta en forme contre la concluſion du Sourégent priſe au poſſeſſoire.

Mais ſe trouvant preſſé de ſervir contre la réplique du Sourégent, & n'ayant auſſi matiere pour y dupliquer, fut conſeillé de ſuivre les traces de ſon prédeceſſeur en office le Doyen van Dyck, en employant l'Internonce pour faire arrêter le cours de la cauſe, & il reuſſit ſi bien qu'à ſon entremiſe & encore ſous le faux pretexte que nous étions en défaut de rendre notre avis, V. Excellence fut derechef ſervie de tenir auſſi cette procedure en état & ſurſéance, ſans que le dit Sourégent ait pû obtenir levée de cette ſurſéance, ni ſur l'appuy de la notoire competence de ce Conſeil, ni ſur l'appuy des raiſons énoncées par l'avis des Docteurs & Avocats cy joint en copie qu'il a eu l'honneur de préſenter à Votre Excellence (b).

La troiſieme cauſe dont il s'agit eſt celle que les Régens & Profeſſeurs du College de la Très Sainte Trinité ſoutiennent pour être maintenus dans la poſſeſſion de leur droit de devoir être choiſis & admis au Conſeil de la Faculté des Arts lorſqu'ils ſe

(a) Voyez cette Conſulte dans les *Memoires hiſtoriq. ſur l'affaire de la B. Univ. dans les Païs-bas Autrichiens* &c. T. 1. p. 253. & ſuiv.

(b) Reſolutio Eſpenii, data 7. Janv. 1721. ſupra, N. XXIX.

se présentent, *du moins préferablement à tous autres* qui nec Legunt nec Regunt in eadem Facultate.

Ils y ont conclu „ *Ten eynde het Hoff* „ *mainteneerende de Suppliant en in de possessie van hun rechs van te moeten gekosen ende geadmitteerd worden* ad Consilium dictæ Facultatis dum se præsentant *ten minsten preferabelyck aen alle andere* qui nec Legunt nec Regunt in eadem Facultate, *gedient zoude wesen te verclaeren dat den voorgemelden pretensen Keus op den* 21. *Jan.* 1721. *geschied in de persoonen van den voorschreven Van Kiel en de Procurator Geybels tot het* Consilium præfatæ Facultatis *is nul ende van onweerden*, *ende in tegendeel dat den Keus gedaen van de persoonen van de twee Supplianten van Soetesle ende D'Offegne tot het zelve* Consilium *wettigh ende van weerden is*. „

Cette conclusion a donné lieu à Votre Excellence de nous charger par sa Lettre du 22. *Mars* 1721. *de l'informer distinctement si elle concerne purement le possessoire*.

Il n'y a personne tant soit peu versé dans la pratique de ce Conseil qui ne sçache que les causes possessoires s'y traittent en deux differentes manieres; l'une au Role, & l'autre communicatoirement; & l'on se sert fort souvent de cette voye communicatoire, parcequ'elle est beaucoup plus courte & expéditive.

Les causes possessoires se traitent au Role, quand le Suppliant demande & obtient sur sa Requête Lettres d'ajournement au Role, à fin de maintenue en cas d'opposition; lorsque l'impetrant à jour servant au Role ramene à fait le contenu de ses Lettres afin de maintenue & conclut à l'enterinement des mandements y repris.

L'enterinement de ces mandemens consiste en ce qu'après pleine instruction de cause, la Cour maintenant l'impetrant dans la possession ou quasi possession de son office, benefice ou autre droit, déclare nul & de nulle valeur tout ce qui a été fait au contraire, ordonne à partie de le casser & reparer & de faire ce qu'a dû & doit être fait ensuite de la possession de l'impetrant.

Les causes possessoires se traitent communicatoirement lorsque le suppliant au lieu de demander Lettres à fin de maintenue, conclut par sa Requête à ce que la Cour le maintenant dans la possession ou quasi possession de son office, benefice ou autre droit soit servie de declarer nul & de nulle valeur tout ce qu'a été fait au contraire, ordonne à partie de le casser & reparer, & de faire ce que a dû & doit être fait ensuite de la possession du Suppliant, de sorte que conclure sur ce pied ou conclure a l'enterinement des mandemens repris dans les Lettres à fin de maintenue est une & même chose.

Or la cause des Regens & Maîtres du College de la très Saint Trinité est uniquement bâtie sur la possession de leur droit de devoir être choisis & admis au Conseil de la Faculté des Arts, preferablement à tous autres qui nec Legunt nec Regunt in eadem Facultate. *Elle est instituée communicatoirement par une conclusion ordinaire usitée regulierement ez causes possessoires, qui se traitent communicatoirement*.

L'essentiel de leur demande ne va qu'a être maintenus dans la possession de leur droit de devoir être choisis & admis au Conseil de la Faculté des Arts préferablement à tous autres, qui nec Legunt nec Regunt in eadem Facultate. *Si l'on trouve matiere de leur adjuger cette demande il s'ensuit que le choix fait de la personne de N. N.* van Kiel & G ybels ad Consilium Facultatis *est nul & de nulle valeur, & qu'au contraire le choix fait des Supplians, sçavoir Pierre Jean* van Soetesle, *Professeur de la Syntaxe, & Nicolas* d'Offogne *Sourégent du College de la très Sainte Trinité, est bon, & doit sortir effet; non seulement parce que le choix des dits* van Kiel & Geybels, qui nec Legunt nec Regunt *seroit entrepris par voie de fait, contre la possession des dits Regens & Maitres, & que celui du Maitre* van Soetesle & *Sourégent* d'Offogne *seroit fait conformement à cette possession, mais aussi parcequ'étant maintenus en icelle & dans le choix ce en suivant fait en leur faveur, il y auroit de l'incompatibilité que celui fait en faveur de leurs adversaires pour les mêmes places vacantes subsisteroit pareillement*.

C'est

C'est pourquoi quand ils auroient conclu simplement afin d'être maintenus dans la possession de leurs droits de devoir être choisis & admis au Conseil de la Faculté des Arts, preferablement à tous autres nec Legentes nec Regentes, *ce Conseil leur adjugeant cette conclusion & les maintenant en la dite possession declareroit en même tems aussi que le choix des dits* van Kiel & Geybels *seroit nul & de nulle valeur, & que celui des Supplians devroit sortir effet, qui est le style constamment pratiqué de tout tems en ce Conseil, quoique cette declaration quand elle ne fut pas exprimée dans la sentence y seroit tacitement comprise, & en resulteroit* reipsa & per consequentiam necessariam; *n'etant pas bien possible que le choix des dits* van Kiel & Geybels *puisse tenir lieu, pendant que celui des Supplians seroit maintenu.*

De tout quoi Votre Excellence pourra reconnoitre que l'action intentée devant nous par les Regens & Maitres du College de la très S. Trinité, bâtie uniquement sur leur possession ancienne, concerne purement le possessoir, nonobstant que leurs conclusion à fin d'y être maintenus, s'etend aussi à ce que le choix des dits van Kiel & Geybels *seroit declaré nul; attendu que cette declaration est une suite necessaire, un accessoire inseparable du principal qui est la maintenue.*

Voila Monseigneur l'état & la consistence des trois causes dont l'Internonce appuye la défense en faveur des Doyens van Dyck & Coedyck, *non pas pour conserver à ceux de l'Université la jurisdiction qui leur a été accordée par le Prince, ainsi qu'il pretend par ses remontrances, mais pour dépouiller ce Conseil du droit de juger du possessoire entre eux & contre eux, que Sa Majesté lui a attribué par une reserve expresse, leur accordant leur jurisdiction. Le but de ce Ministre est d'établir en ce pays une superiorité absolue & despotique de la Cour de Rome, pour empêcher le recours aux Conseils du Roy par la voye de maintenue, qui est une des especes de la protection Royale par laquelle le Prince défend ses sujets contre tous troubles de fait; retablit & soutient le repos & la tranquillité publique.*

C'est pourquoi Monseigneur nous avons eu juste sujet de croire qu'il étoit de notre devoir indispensable d'entreprendre la connoissance des dites causes, uniquement fondées sur la possession & le trouble de fait des parties respectivement, à moins que d'abandonner un droit que tous les Princes Catholiques ont toujours eu soin de conserver à leurs Tribunaux, ainsi que nous avons fait voir par notre dite Consulte du 29. Novembre dernier.

Et comme les raisons y déduites pour etablir la competence de ce Conseil à l'égard de la premiere de ces causes militent egalement pour les deux autres; que desuite nous avons jugé avec fondement qu'il n'y avoit plus rien à consulter en cette affaire, il nous a été bien sensible de voir les expressions surprenantes faites dans la Lettre de Votre Excellence du 4. Septembre dernier; nous sommes si fort persuadés de son équité naturelle que si elle eut été informée à fond de notre conduite & de la nature de cette affaire, Elle n'auroit pas permis qu'on usat de termes aussi rudes que ceux y énoncés à l'égard de ce Conseil qui a l'honneur de représenter Sa Majesté & d'être le dépositaire de ses droits & prérogatives. Nous avons l'honneur d'être avec respect Monseigneur &c.

2. *Octobr.* 1721.

XXXII.

JURIS RESPONSUM (a),

Circa suspensionem Provisionalem R. D. J. C. *Leydecker*, Vicepastoris Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis, per *Vicariatum* (ut dicunt) ejusdem Ecclesiæ inflictam (b), in qua præcipue agitur de discrimine inter jurisdictionem Vicarii Generalis & Officialis.

CASUS.

Reverendus D. Joannes Carolus *Leydecker* Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis Capellanus & Vicepastor, sed nunc interdictus functionibus Vicepastoralibus, super quo lis pendet, sæpe a tempore dictæ interdictionis in Sacello SS. Sacramenti in prædicta Ecclesia Vestibus Sacerdotalibus indutus ante vel post Sacrum suum Eucharistiam populo distribuit; & notanter die nona & decima hujus mensis intra quindenam Paschatis, qua populus frequentior ad mensam Domini confluere solet. Ampl. D. Vicarii Generales Emin. ac Reverend. Domini Cardinalis Archiepiscopi adhuc absentis, per adjunctas litteras eundem quasi gravissimi criminis ex illo capite reum coram prætenso suo Tribunali citari fecerunt ad instantiam, ut aiunt, Promotoris, suspendentes illum provisionaliter a Divinis.

QUÆRITUR.

1. An suspensio illa provisionalis sit valida?
2. An saltem non sit omni modo injusta?

Et 3. Quo modo magis opportuno citatus se defendere queat?

Infrascriptus J. C. & Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis Canonicus Graduatus, visis hac facti specie, dictis Citatorialibus, & quæstionibus inde deductis, existimo suspensionem illam esse *ipso Jure nullam*: constat enim quod dictæ litteræ, licet falso Eminent. Domino adscribantur, & ejus mandato datæ dicantur, etiam contra notorium usum omnium Judicum delegatorum, qui authoritate quidem Delegantis sed suo nomine jus dicunt; tamen a parte rei a dictis Amplissimis Dominis Vicariis concessæ sint, qui etiam iisdem ordine Dignitatis servato subscripserunt.

Jure communi quidem hæc nomina, *Vicarius*, & *Officialis* Episcopi confunduntur: quia Episcopi Italiæ solent universam Jurisdictionem suam eidem personæ mandare: sed moribus Belgii ac Galliæ nihil notius, quam quod Officialis toto cælo a Vicario distet: Officialis enim dicitur, cui Episcopus Jurisdictionem suam contentiosam mandavit; Vicarius vero ille, cui voluntariam commisit. Capitulum nostrum Sede vacante eodem modo partitur exercitium Jurisdictionis Archiepiscopalis ad se devolutæ, constituendo Vicarium Generalem pro voluntaria, & Officialem pro contentiosa. Unde sicut Officialis non potest sibi quæ ad voluntariam spectant, arrogare; ita vicissim nec Vicarius potest causas ad cognitionem Episcopi pertinentes decidere: quia distincta & limitata est utriusque potestas; nec in hisce partibus Vicarius, ut talis, Tribunal umquam habuisse visus est, aut causas judicialiter cognovisse. Late Clariss. D. *Van-Espen*, Juris Eccles. Univ. *p.* 1. *tit.* 12. *cap.* 4. & 5.

Illud etiam moribus nostris Officialem inter & Vicarium Episcopi discrimen est, quod prior indistincte omnes causas ad cognitionem Episcopi spectantes decidendi jus habeat; unde etiam nunc, prout de jure, idem Tribunal cum Episcopo habere dici potest *Cap.* 2. *de Consuet. in* 6. Sed Vicarius (quamvis improprie *Generalis* ap-

(a) Primo editum anno 1722.

(b) Vide prolixius negotium hujus interdicti in libro edito anno 1755., cui titulus: *Memoires historiques* &c. *des Païs-bas Autrichiens* &c. T. 1. p. 250. & seq.

pellari soleat) non omnem Jurisdictionem voluntariam Episcopi exercere potest; sed solum intra mandati fines, qui pro arbitrio mandantis restringi solent. Quare Vicarii Generalis facultates, non visis litteris Constituentis, amplius sciri aut intelligi nequeunt, quam cujuslibet alterius delegatam jurisdictionem habentis.

Constat autem quod illi, qui se dicit delegatum, nulla fides sit adhibenda ante exhibitas delegationis litteras *l. 1. C. de mand. Princip. Cap. 31. x. de Offic. & potest. Jud. deleg. late Barbosa ad dict. Cap. N. 1. & 2.* Ubi etiam ostendit receptissimam esse D. D. sententiam, quod citatus non inserto Citationi Delegationis tenore, non teneatur comparere; argumentum evidens, citationem ejusmodi esse nullam, nec alios subsequentes actus judiciales posse subsistere, quod etiam in terminis docet Mascard. de probat. *Concl. 491. N. 6. & 7.* aliique passim.

A Delegato ad Vicarios Generales Episcoporum Belgii recte argumentamur, quia illi tantum nomine tenus tales sunt; cum non totam jurisdictionem Episcopalem, imo ne quidem totam voluntariam, sed solum ad mandati fines restrictam habeant, ita ut a parte rei veri Delegati Episcoporum, non Vicarii Generales sint.

Quare cum in hoc casu commissionis tenor prædictis litteris insertus non sit, concludendum est eas ipso jure nullas esse, nec citatum teneri ad comparendum: tanto magis quod etiam in illis asseratur D. Officialem esse *Generalem*, qualis certe dici non posset, si ipsi vel partem Jurisdictionis contentiosæ commissam haberent, vel nunc illas, nunc alias causas fori Episcopalis pro libitu notioni suæ arrogare possent.

Ex nullitate dictæ citationis etiam recte infertur dictam suspensionem provisionalem, uti ejusdem actus judicialis partem, eodem nullitatis vitio laborare, argumento a toto ad partem; & quod ei, cui minus denegatur, id quod plus est concedendum non sit: cum enim Delegatus ante exhibitam delegationem pro non Judice habendus sit, ita ut nec valide citare possit, clarum est sententias ejusdem etiam provisionales, qualis est hæc suspensio, nullas esse; adeoque nec citatum a Divinis abstinere debere.

Ad secundum Respondeo, ex solis dictis litteris luce meridiana clarius patere, suspensionem illam, etiam supposita gratis validitate ejus, *ex omni parte injustam* esse, pluresque tam *facti quam Juris intolerabiles errores continere*: quia in illis citatus non alterius criminis arguitur, quam quod functiones Vicepastorales exercuit, distribuendo intra quindenam Paschatis Eucharistiam variis Parochianis in Sacello SS. Sacramenti ejusdem Ecclesiæ.

Sed inexcusabili Juris errore: functio enim illa non est Pastoralis, sed ad summum Sacerdotalis: & id clare evincit Trident. *Sess. 22. Cap. 6. de Sacrificio Missæ*, dum optat, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, prout in primitiva Ecclesia moris erat. Nec distributio Sacræ Communionis tempore Paschali soli Pastori & ejus Vicario reservata est: quia licet tunc temporis Fideles in Parochia sua communicare debeant, tamen nulla lege obligantur ad recipiendum Sacram Communionem ex manibus Parochi aut ejus Vicarii: neque etiam ullo jure Sacerdotibus Curam Animarum non habentibus inhibetur illo tempore in Parochiali Ecclesia Eucharistiam distribuere. Imo & notoria praxis habet, tam in nostra quam in aliis Parochialibus Civitatum, quod quilibet Presbyter ante vel post Sacrum suum Sacram Communionem Fidelibus Mensæ adstantibus elargiatur: & etiam in nostra Ecclesia vix umquam Pastor aut ejus Vicarius, sed certus Minister ad hoc constitutus illo munere fungitur; qui si absit, Celebrantes pro commoditate populi ejus vices supplent.

Falso igitur asseritur in dictis Litteris, quod Citatus illo modo exercuerit functionem Pastoralem, quod inhibitionem Emin. Domini, Decretum D. Officialis, & authoritatem Superiorum cum gravi Fidelium scandalo & obloquio contempserit: alta sane verba, sed casui plane non consona: interdictus enim functionibus Pastoralibus, non prohibetur alias alterius ordinis exercere, nec jure suo utens alterum contemnere aut offendere velle videri debet, nec Sacra ministrans præsumi potest Sacrilegæ intentionis reus, aut magis causasse

fasse obloquium aut scandalum, quam alii Presbyteri Curam Animarum non habentes.

Neque Citato crimini verti potest, quod, ut supponunt dictæ Litteræ, contra inhibitionem moderni Parochiæ Deservitoris Eucharistiam distribuisset, quia in facto ponitur, quod demum post distributionem inhibuerit. Sed supponamus quod ante inhibuerit, sane illo pacto functionem non Pastoralem, inaudita hactenus metamorphosi, in Pastoralem convertere non potuit nec licuit ipsi in illa Ecclesia, quæ immediate Jurisdictioni Capituli Metropolitici subjacet, Presbytero functiones Ordinis prohibere: ultra quod inhibitio intelligi solum deberet pro tempore, quo ipse aut specialis Distributor præsto essent ad distribuendum, ne alias parati ad communicandum, longiori mora provocarentur ad murmurandum.

Igitur injusta est hæc suspensio defectu causæ. Etiam injusta est ob modum, quo lata est: nempe adversus inauditum: quia uno solum casu ad summum sustineri potest hujusmodi provisionalis suspensio, scilicet in atrocioribus delictis satis præparatorie probatis, & ita palam notis, ut accusato sine gravi scandalo pendente Judicio permitti nequeat Sacra facere; quæ omnes circumstantiæ ab hoc casu procul absunt, prout satis probatum.

Imo etiam gratis supposito, quod ab Emin. Domino aut ab Officiali distributio Eucharistiæ ipsi interdicta fuisset, una aliave transgressio (de duabus enim tantum accusatur) gravioribus delictis ab æquo rerum arbitro non annumeraretur, ad illum effectum, ut suspensio illa ferri posset, quia scandalum aut obloquium Divina celebrando, pendente lite, evidenter non causaret; nec provisionali remedio illi contra inauditum locus esse potest, dum gravius esset ipsa pœna per definitivam sententiam inferenda: licet enim suspensio illa spem promptæ absolutionis spondere videatur, tamen a parte rei satis clare hoc agitur, ut citatus intra moras Judicii diuturni illo vinculo innodatus maneat; quia non est verosimile prætensos illos Judices, qui contra apertam veritatem crimina ei affingunt, post responsionem visam æquiora decreturos.

Ad tertium satis ex dictis liquet suadendum non esse Citato, ut coram illis personaliter respondeat, ne illo modo fundatissimis exceptionibus declinatoriis, quæ lite contestata serius proponuntur, renuntiet: sed illis ante omnia significandum erit per modum, ut aiunt, simplicis advertentiæ, nullam Vicariis Jurisdictionem contentiosam competere, ac prætensum Tribunal eorum Belgis plane ignotum esse; adeoque citationi aut suspensioni isti citatum parere non debere. Si illo modo errorem suum percipientes, novis forte citatoriis mandatum suum inferi faciant; & ex eo pateat contentiosam Jurisdictionem etiam mandatam esse, tunc recurrendum erit ad recusationis remedium: nec causæ sufficientes deerunt, prout vulgo etiam notum est: imo solæ ad hoc sufficient dictæ litteræ citatoriæ, cum Judex, qui tam enormiter gravavit, ultra gravaturus præsumi debeat. Pluribus opus non est in hac suppositione: quia certo mandatum illud quod hactenus in tenebris delituit, publici Juris non facient.

Ita censui Mechliniæ hac 15. Aprilis 1722.

J. F. MELCHIOR.

Infrascripti J. U. Doctores, viso, & examinato casu supra posito, & litteris citatorialibus annexis censent.

Ad primum Censuram suspensionis a Divinis, de qua in casu, esse omnino nullam ob notorium defectum Potestatis, & Jurisdictionis in proferente.

Indubitatum quippe est, quod juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam & praxim nulla censura valide ferri queat, nisi ab eo, qui Jurisdictionem habet fori externi, sive Jurisdictionem *contentiosam*, quodque nulla Censura infligi possit, nisi servato ordine Judiciario, atque neglectum ordinis Judiciarii reddere Censuram omnino nullam. *Quotiescumque in sententia est defectus substantialis ordinis Juris, certum est.* (*ait Suaresius in tract. de Censuris Disp.* 4. *sect.* 7. *Num.* 2.) *Censuram esse non solum utcumque injustam, sed prorsus invalidam: quia sententia ipsa nulla est, & sententia nulla nullum potest producere effectum.*

 Ulte-

Ulterius indubitatum est, quod juxta notoriam praxim Belgii, uti & Galliæ nulla omnino Jurisdictio *contentiosa* sive Fori Judiciarii sit penes Vicarium, aut Vicarios Generales Episcopi, nec quod hi habeant hujus Jurisdictionis exercitium, sed solum his committatur Jurisdictio, quam vocant voluntariam, tota Jurisdictione contentiosa, & Judiciaria plenarie residente in Vicario, qui hodie dicitur *Officialis*, qui & solus cognoscit & expedit ea, quæ ordinem Judiciarium requirunt.

Unde Vicarium Generalem Episcopi definiens conformiter ad modernam praxim & disciplinam Ecclesiæ Vir Clarissimus Ludovicus de Hericourt in suo erudito Opere, cui tit. *Les Loix Ecclesiastiques dans leur ordre naturel, part.* 1. *Cap.* 2. *Num.* 1. *Le Vicaire General de l'Evêque est un Prêtre, qu'il établit pour exercer en son nom la Jurisdiction* VOLONTAIRE.

Porro ex Litteris Citatorialibus hic annexis, evidens est, quod hæc citatio, & Censuræ inflixio provisionalis processerit a Vicariis tamquam mere Vicariis Generalibus Episcopi: subscribunt enim non in qualitate Officialis, sed in qualitate Vicariorum Generalium.

Verum quidem est, quod secundus in ordine Amplissimus DD. de Visscher assumat sibi titulum *Officialis Mechliniensis;* sed ut ostendat se in hac parte non procedere tamquam Officialis, addit & *Vicarius Generalis*, in qua qualitate unum cum aliis duobus constituit Corpus, quod vocant *Vicariatum*, & coram quo Citatus evocabatur.

Insuper ex iisdem Litteris Citatorialibus, manifestum est hos Vicarios Generales sibi voluisse attribuere Jurisdictionem contentiosam sive sese erigere in Judices fori contentiosi, novumque Tribunal hactenus in Belgio non cognitum erigere.

In Litteris enim Citatorialibus expresse dicitur, mandamus omnibus Apparitoribus *Curiæ nostræ*, ut citetis . . . . ad instantiam Promotoris *Curiæ nostræ* . . . . quæ omnia manifeste significant hanc citationem fieri coram hoc Vicariatu, tamquam vero & hic recepto & usitato Tribunali Ecclesiastici fori exterioris sive contentiosi.

Numquam enim Vicariatus, cui exercitium Jurisdictionis *voluntariæ* committitur, venit nomine *Curiæ*.

Neque ullos Apparitores aliosve similes Ministros habet, sed hi omnes ad solam Curiam Ecclesiasticam sive Tribunal fori contentiosi, cui solus Officialis præsidet, spectare noscuntur.

Denique hactenus inauditum, quod Promotor, qui est Minister Curiæ Ecclesiasticæ, suas causas deferat atque super iis Jus dici petat coram Vicariatu, admodumque verisimile est Promotorem, priusquam hanc causam instituerit, non deliberasse & contulisse cum Advocato Fiscali, prout præscribunt Ordinationes Curiarum Provinciæ Mechliniensis *Tit.* 4. *Cap.* 2.

Neque enim verisimile est, quod Advocatus Fiscalis Promotorem pro Instructione & Decisione hujus causæ misisset ad Vicarios Generales, quos noverat nulla Jurisdictione *Contentiosa* munitos, & coram quibus Promotorem causas Criminales deducere aut umquam deduxisse hactenus inauditum.

Ad secundum censent, *cum Domino præconsulto*, censuram provisionalem a Divinis etiam ex parte materiæ esse injustam: certum enim est, & ab omnibus receptum adeo gravem censuram, qualis est suspensio a Divinis, non posse infligi, nisi ob crimen mortale & quidem enorme, quale nec in speciem dici potest commissum esse per citatum distribuendo Sacram Communionem ante vel post Sacrum, tempore Paschali in Ecclesia Metropolitana & Parochiali S. Rumoldi, cum hactenus nullo Canone nullove etiam alicujus Episcopi Decreto inhibitum sciatur, præsertim sub pœna similis Censuræ, Presbyteris nullam Curam Animarum habentibus distribuere, etiam sine licentia Parochi Sacram Eucharistiam tempore Paschali: neque hanc distributionem inter functiones Pastorales esse relatam, uti latius in sua resolutione deduxit *Præconsultus*. Neque probabile est, quod, si Promotor, priusquam hanc causam contra Citatum instituisset, cum Advocato Fiscali informationes suas communicasset & super iis contulisset, ad ejusmodi censuram provisionalem concludere attentasset; vidisset indubie Advocatus Fiscalis, si quis excessus esset commissus in hac distributione Communionis, is esset e levioribus, castigan-

stigandis non Censuris, sed Paternis monitionibus.

Ad tertium censent, cum D. Præconsulto, Citatum nullatenus posse comparere in vim factæ citationis ad instantiam Promotoris coram hoc hactenus inaudito & non cognito Tribunali, sed persistendum in simplici advertentia, qua declarat se non posse agnoscere hos Vicarios tamquam Judices fori judiciarii.

Insuper censent, quod, si hi Vicarii quidquam ulterius contra Citatum attentare aut sibi Jurisdictionem *Fori Judiciarii* attribuere præsumant, Citatus merito contra hanc violentiam & attentatum recurrere posset ad Parlamentum Regium, implorando Regiam protectionem, utque per remedium cassationis aliave hic in Belgio usitata media hanc violentiam tollat, prout hic, & alibi est usitatissimum. Et quidem testatur Didacus Covarruvias Pract. qq. Cap. 35. Num. 5. quod *in Regia & Castellana Republica illud observantissimum sit, & diu obtinuerit, a tempore, quod memoriam hominum excedit, posse ab his, qui a Judicibus* Ecclesiasticis vi & Censuris *opprimuntur, Regios Auditores & Consiliarios, qui apud Regia suprema Prætoria Litigantibus jura reddunt, omnino adiri, ut* VIM *auferant, & compellant Judices Ecclesiasticos ab ea inferenda cessare.*

Si hoc obtineat in Censuris, quibus neglecto ordine Juris seu via facti per Judices Ecclesiasticos subditi opprimuntur, multo magis obtinere debet in casu præsenti, quandoquidem censura non solum neglecto ordine Juris per Judicem inflicta sit, sed inflicta per illos, qui nulla jurisdictione *fori Judiciarii* muniti quasi novum Tribunal sine consensu Principis, & cum non exiguis Vasallorum incommodis erigere præsumunt.

Ita resolutum Lovanii hac 24. Aprilis 1722. Z. B. VAN-ESPEN, J. U. D. & Prof. SS. Can. AMANDUS BAUWENS, J. U. D. Antecess. Prim.



A.

Thomas Philippus S. R. E. Presbyter Cardinalis de Alsatia, de Bossu, *Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii &c. &c.*

OMnibus Presbyteris, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis, & Apparitoribus Curiæ nostræ juratis salutem in Domino. Vobis & singulis vestrum mandamus, ut citetis personaliter peremptorie coram nobis ad diem jovis proximum hora nona matutina in Palatio nostro Archiepiscopali Mechliniensi ad instantiam Promotoris Curiæ nostræ, D. Joannem Carolum *Leydecker* Presbyterum, ei super eo, quod non obstante inhibitione nostra ipsi intimata die 10. Jan. 1721. & non obstante Decreto Reverendi Adm. D. Officialis nostri Generalis de data 31. Jan. ejusdem anni, ipsi etiam insinuato, quo ipsi provisionaliter etiam inhibitæ fuerunt quæcumque functiones Vicepastorales, renitente & invito etiam *D. Baetseliers* moderno Vicepastore & Deservitore Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ & Parochialis D. *Rumoldi*, ausus fuisset quasdam functiones Vicepastorales ibidem exercere, & notanter in Sacello Venerabilis Sacramenti, ubi Parochianis distribuitur Communio Paschalis, diebus nona & decima hujus, variis Parochianis dictæ Ecclesiæ eandem Communionem distribuisset, in formalem contemptum supradictæ inhibitionis nostræ & Decreti D. Officialis, ac in vilipendium authoritatis Superiorum suorum, cum gravi Christi Fidelium scandalo & obloquio; & conclusione exinde sumenda, aliisque de jure, consuetudine, & Concordatis Principum ad cognitionem nostram pertinentibus, die serviente latius deducendis, quod videbitur responsurum. Interim cum præfati excessus sint notorii, *provisionaliter* eundem D. Joannem Carolum *Leydecker suspendimus a Divinis*, donec ejus responsione personali visa aut alias, aliter ordinaverimus, & quid in præmissis feceritis nobis fideliter rescribatis. Datum Mechliniæ

niæ die 11. Aprilis 1722. (*& erant signati*) P. F. *Baert*, Præpos. Vicar. Generalis. L. I. A. de *Vischer*, Officialis Mechlin. & Vicar. Generalis; & C. P. *Hoynck van Papendrecht*, Vicar. Generalis. (*Inferius habebatur*) de Mandato Emin. ac Rev. D. Cardinalis Archiepiscopi præfati, (*& signatum*) A. *Nanni*, Graph. & sigillatum sigillo antefati Emin. Domini;

Insinuatio eodem die facta.

Ego infrascriptus virtute originalium Litterarum citatorialium, quarum suprascriptæ sunt copiæ, & ad instantiam Promotoris Curiæ Ecclesiasticæ Mechliniensis Archiepiscopatus, cito te D. Joannem Carolum *Leydecker* in Palatio Archiepiscopali Mechliniensi die 16. Aprilis 1722. hora decima ante meridiem ad personaliter peremptorie comparendum coram Reverendissimis ac Amplissimis Dominis Vicariis Generalibus Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis in finem, & prout latius in dictis litteris expressum; interim virtute suprascriptarum litterarum provisionaliter tibi insinuo suspensionem a Divinis, donec responsione vestra visa aliter ordinatum fuerit cum intimatione debita & consueta. Actum Mechliniæ hac undecima Aprilis 1722.

JUDOCUS HALS. 1722.



B.

Sentence de Maintenue en faveur de M. J. C. Leydecker &c. par le Grand Conseil de Malines.

Vû le procès entre M. Jean Charles *Leydecker*, Prêtre Benificier de la Chapelle de St. Etienne, Vicecuré de l'Eglise Metropolitaine de St. Rombaut en cette ville d'une part : Les Prevolt Doyen & Chapitre de la dite Metropolitaine Adjournez & suppliants par requêtes validées pour civiles le 11. Fevrier & 27. Avril 1722. sous benefice des qu'elles ils ont exhibé pieces, debattues par parties, jointes au procès par ordonnance du 19. Fevrier, & 28. Avril, de la même année, d'autre : Vû aussi l'ordonnance du 20. de ce mois & ce qui est ensuivi, l'Empereur & Roi rejette les dittes requêtes validées pour civiles ; & faisant droit garde & maintient l'impetrant en la saisine & possession de la dite Chapelle & Vicecure, & fonctions Vicepastorales, fruits, & emoluments en dependants, sauf de prêcher & entendre les Confessions ; declare les adjournez en leurs oppositions, fins & conclusions contraires, non recevables, n'y fondès les comdemne en dommages & intérêts soufferts & à souffrir pour l'impetrant, ès amendes des dites deux requêtes validées pour civiles, presentées, apres acte dispositif, & en depens du procès au taux de la Cour. Prononcé à Malines le 23. May 1722.

RE-

XXXIII.

RESPONSUM ALTERUM.

JURIS CONSULTORUM LOVANIENSIUM, (a)

Quo Asseritur illud quod ab iisdem & altero praeconsulto, primo datum fuit, in casu praetensae suspensionis a Divinis, R. D. J. Caroli Leydecker, *Sacellani & Vicepastoralis Ecclesiae Metropolitanae Mechliniensis.*

CASUS.

EVulgata & typis commissa fuit quaedam Consultatio hic annexa trium Advocatorum Parlamenti Mechliniensis cum Resolutione quatuor Theologorum Ecclesiae Metropolitanae ejusdem civitatis data ad instantiam Officii Fiscalis Curiae Ecclesiasticae, directa adversus Responsum cui subscripserunt Amplis. D. *Melchior* & Claris. DD. *Van-Espen* & *Bauwens*.

QUÆRITUR.

An haec Consultatio vel Resolutio evertat in aliqua parte dictum Responsum Amplissimi D. Melchior & Doctorum Lovaniensium, aut probet validitatem vel justitiam praetensae censurae?

Infrascripti J. U. Doctores, viso & examinato Casu, DD. Jurium Licentiatis & Causarum Patronis in Parlamento Mechliniensi, proposito, eorumque super eodem Consultatione, nec non quatuor Theologorum Resolutione, censent, nihil in his contineri, quod praecedens nostrum, aut primi consulti responsum vel in speciem enervet; vel inflictam censuram a nullitate, aut ab injustitia vindicet.

In praecedenti resolutione ad primam propositam quaestionem, nimirum: *an suspensio illa provisionalis sit valida?* respondimus, eam esse omnino nullam, ob notorium defectum potestatis & Jurisdictionis in proferente: eo quod expeditum sit inflictionem censurae requirere Jurisdictionem fori contentiosi in proferente; qua DD. Vicarios Generales non esse instructos probavimus.

Ut igitur hanc censuram per DD. Vicarios Generales inflictam a nullitate vindicare possent, omnem in sua consultatione movere lapidem, ut DD. Vicarios Generales hac Jurisdictione instructos esse evincerent, ac consequenter ob defectum hujus Jurisdictionis in Vicariis Generalibus, inflictam censuram non posse dici invalidam.

Ut id probent mox sub initium sui responsi pag. 5. dicunt: *existimamus illos* (Consultos) *recte sentire, cum aiunt, saltem primus* (D. Melchior) *Jure communi* Vicarium & Officialem pari jure censeri, & nomina confundi.

D. consultus non dixerat *pari jure* censeri; sed, licet id dixisset, nihil ad quaestionem praesentem elicere poterant praefati DD. causarum Patroni, quandoquidem hic non sit quaestio, quomodo inter se distinguantur Vicarii Generales & Officiales de jure communi, quod constat ex Responsis & Decretalibus Rom. Pontificum, qui respondere solent conformiter ad praxim Italiae; sed quae sit utriusque jurisdictio & distinctio secundum mores Belgii, quod & ipse primus Consultus nominatim expressit his verbis: *jure communi quidem hac* „ nomina, *Vicarius* & *Officialis* Epi„ scopi, confunduntur: quia Episcopi „ Italiae solent universam jurisdictionem „ eidem personae mandare; sed moribus „ Belgii ac Galliae nihil notius, quam „ quod Officialis toto caelo a Vicario di„ stet. „

Pergunt DD. Jurium Licentiati, & quodammodo arguunt praefatum D. consultum, quasi ex proposito omisisset dicere: vel

(a) Primo editum anno 1721.

vel ipso novissimo Tridentini jure etiam ipsum Episcopum, & ipsius in spiritualibus Vicarium Generalem pari etiam jure censeri vel in ipsis criminalibus; quin imo & in appellationibus: distinctive Sacrum Concilium loquitur sess. 13. *de Reform. Cap.* 1. *&* 3. *& alibi*..

Hæc a præfato D. consulto nequaquam ex proposito omissa creduntur; sed quia sciebat indubie, Decreta Concilii Trid., non secus ac Decreta Pontificum, eorumque Decretales, formata fuisse ad normam praxis Italiæ, in qua ob exilitatem Diœcesium etiamnum hodie utraque jurisdictio *voluntaria & contentiosa* uni & eidem personæ mandatur, atque ita Vicarius Generalis & Officialis confunduntur.

Potuissent & hi DD. Jurium Licentiati addere Decretum Concili Trid. sess. 24. Cap. 16. de Reform. ubi aperte confundit Vicarium Generalem & Officialem per Capitulum Sede vacante constituendum.

Quapropter nemo negaverit, jure communi & Concilii Trid. Vicarium Generalem Episcopi, aut Capituli Sede vacante, & Officialem, pro eadem persona accipi, & utraque jurisdictione tam *voluntaria* quam *contentiosa* esse instructum.

Porro Decreta Concilii ad praxim & mores Italiæ fuisse inflexa etiam observavit Cardinalis *de Luca*, discursu 31. in Concilium præfatum. Postquam enim notaverat Sede vacante in Italia eligendum esse in Vicarium Generalem Doctorem *in Decretis*, si talis sit in Capitulo, conformiter ad Decretum Concilii sess. 24. Cap. 16. de Reform.

Rationem subjungit Num. 16. „ Cum „ enim illud, inquit, in magna parte ex „ Italis Cardinalibus Episcopis & Prælatis „ constaret, ita secundum *Italiæ mores* sen„ sisse visum est. „

Et Num. 18. notavit „ quod in Hispa„ nia constans opinio est, ut ex consuetu„ dine repositum sit in libertate Capituli „ eligere Canonicum vel alium sibi visum, „ etiam non Doctorem, in Vicarium. Ista„ que consuetudo, ait, supponebatur etiam „ inconcussa, & certa in ista Ecclesia. „

Ex his evidenter habetur, Concilium Trid. Decretum suum expressisse secundum praxim & mores Italiæ; ac propterea in Vicarium Generalem requisivisse gradum in *jure* propter utramque in unam eandemque personam concurrentem *jurisdictionem voluntariam & contentiosam*.

Insuper constat, teste dicto Cardinale, in Hispania perseverasse, etiam post Concilium Trid. consuetudinem in Vicarium Generalem eligendi quemcumque Canonicum, sive non graduatum in *jure*, ea indubie ratione, quod ibidem esset consuetudo eligendi Vicarium Generalem, qui dumtaxat præesset jurisdictioni *voluntariæ*, & alium, qui dicitur Officialis, jurisdictioni *contentiosæ* præpositum.

Eandem etiam post Concilium Trid. in omnibus passim Ecclesiis extra Italiam, ac notanter in Belgio, praxim & consuetudinem usque in hodiernum diem perseverasse adeo notorium est, ut vix concipi possit, quomodo inciderit DD. causarum Patronis eam praxim in dubium revocare.

Agnoscunt & ipsi causarum Patroni nec primum consultum nec Doctores Lovanienses defectum *jurisdictionis contentiosæ* in Vicariis Generalibus adstruxisse ex jure communi, aut Decretis Concilii Tridentini, sed ex praxi & moribus Belgii.

Postquam enim dixerant jure communi & Concilii Tridentini, Vicarium & Officialem confundi, & penes sola nomina distingui, subjungunt pag. 7. „ Sed illi „ objectant mores, quin & authoritatem „ *Van-Espen*, scilicet una consulti. Di„ cunt ergo in hisce partibus insolens esse, „ imo nec auditum, nec visum Tribunal „ Vicarii. Hoc scilicet discrimine & par„ titione, Officiali contentiosam, Vicario „ solam esse voluntariam jurisdictionem. „ Caput utrumque, quod ille citat, per„ legimus; D. *Van-Espen* Cap. 5. N. 2. „ asserit quidem, at non ex vero; totaque, „ quam adfert, probatio non profert rem „ extra Galliæ fines, ipseque sit nobis te„ stis, ubi Forget & Fevret in agmen „ ducit. „

Verum est quod Dominus consultus & DD. Lovanienses sustinuerint & sustineant, „ *in hisce partibus* insolens esse, imo nec „ auditum, nec visum Tribunal Vicarii; „ hoc scilicet discrimine & partitione, Offi„ ciali contentiosam, Vicario solam esse „ voluntariam jurisdictionem. „

Sed

Sed quod dicunt se utrumque caput, quod ipse (D. *Melchior*) citat, perlegisse, nescimus num verum sit.

Si enim attente utrumque citatum caput perlegissent, indubie vidissent, Doctorem *Van-Espen* non ex moribus Galliæ hanc Belgii praxim adstruxisse, sed eam Num. 1. & 2. ejusdem Cap. 5. ut notoriam & nulla probatione adstruendam supposuisse, uti & fecerat parte 1. Tit. 9. Cap. 3. Num. 3. Sed demum Num. 3. dicti Cap. 5. ex Pragmaticis Galliæ id unum ostendere voluisse, quid ex notoria hac Belgii praxi sequatur, scilicet quod Vicarius, qui dicitur Generalis & sola jurisdictione *voluntaria* instructus, nequeat ea vi suæ jurisdictionis exercere, quæ vel videntur attingere jurisdictionem *contentiosam*. Quod addunt, *Van-Espen*, qui de Belgarum moribus scribit, nominare nimem;

Sane quid opus erat chartas replere citationibus Authorum in re omnibus nota?

Interim si Belgam desiderent, inspiciant *Zypæum*. Archidiaconum & Officialem Antverpiensem lib. 3. Juris Pontif. Tit. *ne Sede vacante* Num. 4. ubi aperte scribit, Vicarium Generalem, quem Episcopi constituere solent in his locis, eum esse qui *voluntariam*, & Officialem qui *contentiosam* jurisdictionem exercet.

Et si majorem authoritatem requirant, videant Synod. Mechl. sub *Hovio* Tit. 52. Cap. 5. ubi videre est, in Diœcesi Mechliniensi qualitatem *Vicarii Generalis* & qualitatem *Officialis* ab antiquo diversis personis fuisse collatas.

Ibidem enim præfato capite nominantur Judices Synodales ac 1. loco nominatur D. Henricus *van der Burgh*, J. U. Licentiatus, Decanus Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis, & Vicarius Generalis Archiepiscopatus ejusdem, ac deinde Jacobus *Boonen* Canonicus & Officialis Mechliniensis.

Id ipsum clarissimis terminis expresserunt Ordinationes seu Statuta omnium Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis, quæ apertissime Officialem a Vicario Episcopi distinguunt, illumque solum tamquam Tribunali & Consistorio Curiæ Ecclesiasticæ præsidentem & causarum Judicem designant & agnoscunt.

Post hæc progredientes aiunt: „ *Restrictius in Gallia*, extensius apud nos receptum Tridentinum; recepti Canones. „ Quæso, quæ lex, quod Statutum, quod „ Privilegium in Belgio arrosit, abrogavit, „ repudiavit Tridentinum aut Canones? suas „ sibi res judicatas habeant Galli, suas „ Belgæ. „

Scitur quidem, in Gallia nunquam obtineri potuisse a Ministris Regiis ut Concilium Trid. ibidem promulgaretur, notanter quoad Decreta reformationis; sed utrum hæc Decreta in Gallia restrictius, quam in Belgio sint in usum recepta, nescimus an id probari possit.

Fuit quidem Concilium Trid. quoad Decreta reformationis etiam authoritate Principis in Belgio publicatum, sed vix credi potest, DD. causarum Patronos adeo circa praxim & mores Belgii esse ignaros, ut ignorent, quanta cum moderatione hujus Concilii Decreta in Belgio recepta fuerint, ut probat clausula inserta litteris Regiis, quibus Episcopis & Magistratibus executionem Concilii Trid. demandabat: de qua clausula & moderatione post *Zypæum* in Jure novo, & Antonium *Anselmo* in suo Triboniano Belgico, videre potuissent prolegomena ad citatum opus Doctoris *Van-Espen* §. 6. & quæ in eodem opere sparsim annotata fuerunt de hac moderatione.

Sed quid ineptius quam quod exclamentes quærunt: „ Quæ lex, quod Statutum, „ quod privilegium in Belgio arrosit, „ abrogavit, repudiavit Tridentinum aut „ Canones? „ nonne eadem ratione quæri posset: quæ lex, quod Statutum, quod privilegium omnia illa Decreta Concilii Trid. aut hic in Belgio, aut extra Italiam pene non recepta, aut ad usum non deducta arrosit, abrogavit & repudiavit?

His omnibus respondendum esset, ea non esse simpliciter recepta prout sonant; eo quod, ut supra dictum est, ad praxim & mores Italiæ nimium inflexa, ac propterea inveteratis aliarum Provinciarum moribus non sat essent conformia; qui inveterati Provinciarum mores si subitanea mutatione inverterentur, idipsum non sine populi perturbatione fieri prævidebatur: censuit proinde Princeps salvis hisce inveteratis moribus, cum moderatione esse exe-

exequenda Decreta : *Non ad contraveniendum dicto Concilio , sed ut executio accommodetur naturæ cujusque Provinciæ*.

Quod circa revocabilitatem Officialium pag. 7. dicunt „ Gallis perpetua est Officialis Jurisdictio , nec permissa amotio. „ Ita post Mornac. *Van-Espen* dicto Cap. „ 4. N. 10. refert quidem recentius contra judicatum. „

Hæc quidem ad præsentem casum & quæstionem parum pertinere videntur : quandoquidem hic quæstio non sit, quæ sit Episcoporum authoritas revocandi suos respective Officiales , sed quæ sit Vicariorum Generalium Jurisdictio.

Interim ut paucis dicamus , constat super hoc Articulo nihil in Gallia stabile & universale fuisse usque ad Annum 1700. prout sat indicant varia circa hunc Articulum Parlamentorum Arresta a D. *Van-Espen* citata Cap. 4.

At Edictum Regium de Anno 1700. datum post editionem hujus Operis *Van-Espen* revocabilitati magis favet , uti videre est apud D. Hericourt in suo Opere, *Les Loix Ecclef. &c.* Part. 1. Cap. 2. Art. XXXI.

Quod autem addunt : „ Referre una potuisset apud nos rem hanc , scilicet lippis & tonsoribus notam , numquam „ fuisse revocatam in dubium , Episcopos „ scilicet Jure suo uti , meraque Juris facultate , sive porro sinant Officiales Jurisdictionem exercere sive Juris dicendi „ revocent facultatem . „

Optandum fuisset , ut in hujus asserti probationem , evincens aliquod argumentum attulissent, aut saltem aliquod judicatum , quo hæc Episcopalis authoritas Officialem semel stabilitum , & Tribunali Ecclesiastico ut Judicem ordinarium præpositum, revocandi fuisset asserta.

Imo e contrario , eam non esse in Belgio Episcoporum aut Prælatorum facultatem revocandi pro libitu suo Officiales seu Judices semel constitutos , in primis probat generalis Belgii praxis , quæ passim omnia officia vult esse perpetua , ac notanter officium Judicis , quod ob gravitatem & dotes , quæ in eo requiruntur , merito præ reliquis perpetuitatem exigit. Et quidem cum Anno 1700. Archidiaconus Condromii in Ecclesia Cathedrali Leodiensi tentasset revocare Officialem a se constitutum in Ducatu Limburgensi , Consilium Brabantiæ , interveniente officio Fiscali , declaravit Archidiacono fas non esse revocare seu amovere pro libitu , sed Officialem a se constitutum debere esse perpetuum.

Quod vero quærunt pag. 6. „ nonne Episcopi , & Vicarii idem est Tribunal ? „

Inepta Quæstio , nec ad præsentem casum aut propositam quæstionem pertinens ; nihilominus facilis est responsio.

Quis unquam e Canonistis aut Pragmaticis in dubium revocavit , idem esse Tribunal Vicarii , quem dicimus Officialem , cum Episcopo: sin vero de Vicario, quem dicimus *Generalem* , quæstio sit , quis ex Pragmaticis nostratibus vel umquam cogitavit idem esse Tribunal cum Episcopo , cum ipsis certum esset simili Vicario nullum esse Tribunal, utpote non judicio *contentioso*, sed *voluntario* præposito.

Non minus hallucinantur hi causarum Patroni ob non adhibitam distinctionem inter Vicarium Generalem & Officialem , dum dicunt : „ Quin & verius est , Vicarii Jurisdictionem non esse delegatam „ sed ordinariam . „

Id enim verum est de Officiali sive Vicario in *contentiosis*, qui est Judex ordinarius , non Assessor Episcopi , qui authoritate quidem Episcopi , sed nomine suo & sub proprio suo sigillo causas instruit & decidit tamquam Ordinarius.

Contrarium est de Vicario in voluntariis, qui est merus mandatarius , quem Episcopus , dum sibi libet , assumit , etiam tantum ad certum tempus , aut certos casus infirmitatis , aut absentiæ , quibus cessantibus, cessat ejus potestas , imo & illimitate datam semper revocare potest Episcopus & sibi reservare , uti jam notaverat *Van-Espen* Tit. XII. Cap. 5.

Quod ulterius addunt : „ Juxta Fevretium , ipso *Van-Espen* teste , Episcopos „ Galliæ ita se jurisdictione contentiosa „ exuisse, ut nec ipsis judicare fas sit , nec alios „ dirimendis causis delegare , aut committere. „ Saltem addere debuisset, quod ipse *Van-Espen* „ expresse monuerit: *Num dictum Fevretii* „ *verum sit , se multum dubitare*.

Præ-

Præterea si sincere processissent, & addere debuissent, *Van-Espen* eodem Capite monuisse, dictum Fevretii, „ si verum „ esset, non esse conforme *Belgii nostri* „ *Disciplinæ*, quæ (ut ait) Episcopis „ authoritatem causarum decisionem sibi re„ servandi hactenus conservasse videtur. „

Hæc si ea sinceritate, quæ Pragmaticos decet, proposuissent, nullatenus exclamassent.

„ Hæc quam a nostris moribus abhor„ reant, vel popellus facile judicaverit quo„ tidiano rerum experimento.

Hac sua vociferatione non obscure indicantes, quasi D. *Van-Espen* cæco modo sine discussione mores Galliæ cum moribus Belgii confunderet.

Imo ex his aliisque ab ipsis ex Doctore *Van-Espen* adductis omnibus innotescere potest, quam vanus sit eorum clamor, dum paucis interjectis rursus sic sibi plaudunt: „ Vel hæc paucula luculenter demon„ strant, quam periculosum sit Gallorum „ mores producere ad populum, alio pla„ ne Jure utentem. „

Quandoquidem vel ipsis fatentibus Doctor *Van Espen* praxim & disciplinam Galliæ a praxi & disciplina Belgii in multis dissonam esse asseruerit, vel si consonam esse dubitaret, id monere non omiserit.

Post hæc etiam triumphabundi glorian„ tur: „ Selectiora congerere labor esset „ forte exiguus, sed hæc ipsa collegisse ad „ hoc argumentum satis superque est, ever„ so scilicet totius molis fundamento, ex „ Gallorum usu accersito. „

Quasi vero praxis & disciplina Notoria Belgii, quæ Jurisdictionem voluntariam & contentiosam in duas distinctas personas, scilicet in Vicarium Generalem & Officialem dispertitur, Argumento ex Gallorum usu accersito fuisset asserta, & non potius ex notorio & inveterato usu Belgii, ut supra ostensum est, pro indubitato habita.

Post hæc DD. causarum Patroni afferunt, quod inter Canonistas quæratur: *An Episcopus teneatur Vicarium constituere? in affirmativam*, inquiunt, *plerumque concedunt*.

Id quidem verum est, spectata consuetudine & praxi Belgii aliarumque passim Provinciarum extra Italiam, de Vicario in *contentiosis*, quem Officialem dicimus, talem enim Episcopus constituere tenetur.

Imo & ipsi Romani supponunt, in omnibus passim Episcopatibus esse Vicarium, quem dicimus Officialem, Tribunali Ecclesiastico tamquam Judicem ordinarium præsidentem.

Solent enim rescripta sua, ac notanter Dispensationes Matrimoniales dirigere ad Vicarium seu Officialem Episcopatus v. g. Mechliniensis. Quin & stylus Curiæ R. habet, quod Rescriptum directum Officiali non possit executioni mandari per Episcopum, ut notatum fuit *in Jure Eccles.* Part. 2. Tit. 14. Cap. 2. ex Pyrrho Corado.

Porro quod addunt: *Sed melius hæc res relinquitur arbitrio Judicis & conscientiæ ipsius Episcopi*.

Id rursus verum est de Vicario in *voluntariis*, ut relinquatur ejus Constitutio conscientiæ ipsius Episcopi, qui si omnia per se facere possit, Vicario non indiget, nec ad eum constituendum compelli potest.

Similiter & hoc Vicario in voluntariis verissimum est quod ulterius inferunt: „ Ut „ igitur Episcopus in hoc casu diuturnæ „ absentiæ, Ecclesiæ pro viribus consu„ lat, necesse omnino est, Vicarium ut „ constituat amplissima, qua potest, po„ testate instructum. „

Sed omnino id abusivum & a praxi alienum de Vicario *in contentiosis*, sive Officiali: cum enim hic fixum ac stabile habeat Tribunal, cui tamquam Judex ordinarius cum amplissima authoritate instruendi & decidendi causas *fori contentiosi* præsidet, nullatenus necesse est ut Episcopus in casu diuturnæ absentiæ hanc Jurisdictionem contentiosam alteri committat, novumque Tribunal erigat, cui similis noviter creatus Vicarius in contentiosis seu Officialis præsideret, & causas instrueret ac decideret, quod hic in Belgio numquam ab Episcopis etiam in casu diuturnæ absentiæ aut infirmitatis factum fuisse legitur, nec hi causarum Patroni umquam ostendent.

Pergunt & aiunt: *Hæc ratio generalis est.* „ Occurrit & alia, quæ ex hac ipsa facti „ specie proficiscitur. Ipse citatus præbuit „ causam & occasionem. Vocatus ad Tri„ bunal Officialis (remissa scilicet causa

„ ab Eminentissimo) recusavit Judicem ; „ Judex tandem rem totam remisit ad „ Eminentissimum, uti Superiorem. Superior igitur jam discedens necesse habuit „ & ad hanc causam committere, qui sua „ vice judicaret. Neque verosimile est „ Citato in votis esse, ut res sua sit sine „ Judice.

Igitur fatentibus DD. causarum Patronis, ratio specialis, ob quam in hoc casu diuturnæ absentiæ necesse fuerit, ut Eminentissimus ac Reverendissimus D. Archiepiscopus committeret exercitium Jurisdictionis *contentiosæ* tribus DD. Vicariis Generalibus, hæc fuit, quod Citatus recusasset Amplissim. D. *de Visscher* Officialem, ejusque Assessorem D. *van Aken*, atque idcirco D. Archiepiscopus alium Judicem deputare debuisset, qui causam decideret.

Haud difficulter conceditur quod in casu recusati Judicis seu Officialis possit Episcopus alium Judicem delegare, ut proinde hoc ex capite facultas fuisset D. Archiepiscopo (modo & ipse per Citatum non fuisset recusatus) alium Judicem delegare.

Sed sane summæ fuisset imprudentiæ hanc causam committere his tribus DD. Vicariis Generalibus, inter quos erat ipse D. *de Visscher* jam recusatus: quanta enim fuisset imprudentia, illum ipsum D. *de Visscher* in causa, in qua recusatus erat, cum aliis in Judicem delegare.

Unde vix concipi potest, qua ratione huic provisionali sententiæ sive suspensioni a Divinis, D. *de Visscher* tamquam Judex, & *Officialis Mechliniensis* subscribere non fuerit veritus, cum ipse sciret, & in hac casus positione supponatur, se fuisse recusatum & ob hanc recusationem se causam remisisse ad Eminentissimum.

Quin & hæc sola D. *de Visscher* in hac causa interventio notorie nullitatem sententiæ præfert, quandoquidem notorium sit sententiam prolatam a Judice recusato esse nullam & invalidam.

Præterea cum inter rationes recusationis contra D. *de Visscher* hæc inter alias foret, quod esset membrum Capituli Metropolitani, cum quo D. *Leydecker* erat in lite coram hoc magno Consilio Regio super attentata amotione ipsius a suo Vicepastoratu, circa quem versabatur causa ab Officio contra ipsum instituta; quanta fuisset rursus imprudentia, si Eminentiss. eandem causam commisisset præcise tribus, qui omnes erant de gremio ejusdem Capituli.

Proinde quod de commissa Jurisdictione contentiosa vel in generali, vel ad hunc specialem casum data per Eminentiss. D. Archiepiscopum his tribus Vicariis Generalibus dicitur, merum esse commentum credimus, adinventum ut aliquid tandem in justificationem hujus exorbitantis provisionalis sententiæ & suspensionis dici videretur.

Hæc de commissa Jurisdictione contentiosa asserta, esse merum commentum & illud evincit, quod D. *de Visscher* usque in hodiernum diem manserit Officialis Mechliniensis & solus Tribunali Ecclesiastico in causis instruendis & decidendis præesse perrexerit, suoque nomine & stylo consueto sententias promulgare.

Nec creditur quod ex Registris hujus Tribunalis vel ullum Decretum proferetur sub DD. Vicariorum Generalium nomine, ideoque indubie solus D. *de Visscher* sibi adscripsit in hac prætensa provisionali sententia titulum Officialis Mechliniensis.

Sed & illud maxime mirandum hos causarum Patronos hujus Casus resolutionem suscipere voluisse, priusquam ipsis exhibitum esset una cum Casus positione instrumentum commissionis, quo DD. Vicarii ab Eminentissimo D. Archiepiscopo erant constituti Vicarii, illudque vel eo magis petere debuissent, quod & ex ipsa Casus positione, nec non ex Resolutione D. *Melchior* & Doctorum Lovaniensium intelligere poterant, quæstionem super validitate vel invaliditate censuræ, de qua quæstio, præcipue dependere a potestate DD. Vicariorum, quæ ex dicto instrumento petenda erat.

Uti enim recte notat Rebuffus in praxi Benef. Part. 1. Tit. *de Vicariis* Episcoporum N. 9. „ *Vicarius* non debet exercere „ officium, nisi habeat Scripturam suæ „ potestatis, & eam exhibeat petenti- „ bus, alioquin damnis & expensis one- „ rabitur. „

Di-

Dicunt quidem in sua Resolutione pag. 8. significatum esse primo Consulto (D. *Melchior*) *Modernos Vicarios non* „ abusi- „ ve , sed vere ab Eminentissimo Domino „ constitutos esse in spiritualibus Genera- „ les . „ Sed quid inde , non visis litteris, concludi poterat, nisi ipsos esse constitutos Vicarios Generales in *spiritualibus* ad normam qua passim in Belgio , & notanter in hac Diœcesi Mechliniensi constitui sciuntur Vicarii Generales in *spiritualibus* ; nimirum cum sola Jurisdictione in *voluntariis*.

Unde immerito redarguunt D. consultum, quod *male habeat* quod Vicarii Generales delegationis non ediderint litteras, quandoquidem ex his litteris intelligi deberet , num Eminentissimus D. in hac commissione , ab ordinaria & hactenus consueta commissionis formula , recessisset . Sed & illud exorbitantius videtur , quod dicant pag. 9. & 10. „ Citatus comparere debuisset , „ tametsi citatorialibus litteræ commissio- „ nis sive delegationis non essent insertæ, „ *cum* , inquiunt , CITATUS *in eadem sit* „ *Ecclesia* , & ignorare nequeat Tribunal „ omnibus notum jurisdictionem exercens „ ab eo tempore , quo ad urbem profectus „ est Eminentissimus Cardinalis Archiepi- „ scopus. „

Ubinam quæso , a discessu Eminentissimi D. notum fuit Tribunal , cui tres Vicarii Generales præsiderent , aut ubinam visus est ullus actus Jurisdictionis contentiosæ , qui a simili Tribunali prodiit ?

Quin & ipsis causarum Patronis commissio prætensa *jurisdictionis contentiosæ* in Vicariis suspecta esse debebat ea sola ratione , quod nullus actus jurisdictionis contentiosæ sub eorum nomine expeditus reproduceretur.

Ad secundam quæstionem propositam , quæ erat hæc , an censura provisionalis suspensionis a Divinis *saltem non sit omni modo injusta ?* Visa & examinata provisionali sententia hujus suspensionis a Divinis , nec non causa hujus censuræ in sententia expressa , responderunt tam primus Consultus (D. *Melchior*) quam Infrascripti J. U. Doctores eam esse injustam.

Et sane videntur & Officium Fiscale casum proponendo , nec non & ipsi causarum Patroni, sat perspectum habuisse, causam hujus suspensionis a Divinis in litteris citatorialibus expressam , non esse sufficientem ad justificationem hujus censuræ ; atque idcirco plura esse adducenda , ut vel in speciem hujus provisionalis censuræ contra non auditum multo minus convictum justitiam adstruerent.

At mirum est Officium Fiscale ipsosque causarum Patronos adeo Juris Canonici ignaros, ut nescirent ex solis litteris citatorialibus sive sententia provisionalis suspensionis de causa inflictæ censuræ, num justa vel injusta sit, judicandum esse.

Quid enim notius , quam quod Concilium Lugdunense Generale sub Innoc. IX. relatum in Cap. 1. de sent. excom. in VI. præceperit , *ut quisquis excommunicat* (idem est de suspensione & interdicto) *excommunicationem in scriptis proferat , & causam excommunicationis* EXPRESSE *conscribat , propter quam excommunicatio profertur.*

Ut autem Concilium ostenderet quam enixe idipsum observari vellet , addit ; *Si quis autem Judicum hujusmodi Constitutionis temerarius extiterit violator , per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ & Divinis Officiis noverit se suspensum.*

Hæc si attendissent causarum Patroni , nequaquam tam fidenter asseruissent pag. 10. in fine , male supposuisse DD. consultos nihil aliud Citato obfuisse quam quod functiones Pastorales exercuerit , quandoquidem certum sit nihil præter causam in sententia suspensionis EXPRESSE conscriptam ad judicandum de justitia vel injustitia censuræ potuisse supponi : quod autem additur: *facti species , etiam alia quam plurima ingerit , quæ Citatus forte Consultis non indicavit*. Verum est , sed merito non indicavit , sciebat enim illa omnia attendi non debuisse , nec exponi , ut judicaretur de justitia vel injustitia censuræ, adeoque perperam per Officium Fiscale ad justificandam hanc censuram, in casu fuisse proposita , & per Patronos causarum in sua Resolutione perperam considerata.

In sententia autem nulla alia causa hujus censuræ EXPRESSE conscribitur præter hanc : quod Citatus *ausus fuisset* „ quasdam „ functiones Vicepastorales ibidem (in „ Ecclesia Metropolitana S. Rumoldi) „ exer-

„ exercere, & notanter in Sacello Venerabilis Sacramenti, ubi Parochianis distribuitur Communio Paschalis, diebus 9. „ & 10. Hujus (Aprilis 1722.) variis „ Parochianis dictæ Ecclesiæ eandem Communionem distribuisset in formalem contemptum supradictæ inhibitionis nostræ „ (Citato intimatæ die 10. Januarii 1721.) „ & Decreti D. Officialis (31. Januarii „ ejusdem anni) ac in vilipendium Authoritatis Superiorum suorum cum gravi Christi Fidelium scandalo & obloquio. „

Id unum itaque examinandum restat, utrum Communionis (etiam Paschalis) distributio annumeranda sit functionibus Pastoralibus, ita ut Citatus, prætense interdictus a functionibus Vicepastoralibus, censeretur contravenisse huic prætenso Decreto, & functionem Pastoralem exercuisse, prout in sententia suspensionis a Divinis, hæc sola causa suspensionis EXPRESSE conscribitur.

Utrum vero magis Theologorum (prout hi Jurium Licentiati prætendunt) quam Jurisperitorum sint partes, judicare: utrum SS. Eucharistiæ distributio sit functio Pastoralis vel tantummodo Sacerdotalis, merito dubitatur: cum enim ad disciplinam pro temporum & locorum circumstantiis variam pertineat, per quos aut quibus in locis Communionis distributio fieri debeat, hoc examen potius ad Canonistas, quam Theologos spectare videtur.

Ad hæc quæ sint functiones Pastorales ex Canonibus, Decretisque Ecclesiasticis petendum est, non ex privatorum arbitrio aut ordinatione, prout non sine juris errore supposuit officium Fiscale in Casus positione, ubi arguit Citatum, quasi aggressus fuisset exercere *functiones Vicepastorales*, dum 2. Maii 1721. voluit celebrare Sacrum solemne ad Altare B. M. V. de *Concordia* in Ecclesia Metropolitana fundatum per quemdam lanionem ad opus Vicepastorum D. Rumoldi.

Quasi vero celebratio hujus Missæ solemnis annumeranda foret *functionibus Vicepastoralibus*, eo quod hic lanio eandem per Vicepastores celebrari voluerit.

Quidni igitur eodem titulo *functionibus Archidiaconalibus* esset annumeranda celebratio Missæ solemnis, sive anniversarii, si quis Fundator voluisset suum anniversarium sub pingui honorario celebrari ab ipso Archidiacono.

Hanc interim Advocatorum hæsitationem super resolutione hujus quæstionis animadvertentes quatuor Theologi una cum DD. Vicariis de gremio Capituli Metropolitani Canonici existentes, & quibus æque, ac ipsis Vicariis animus erat sententiam suspensionis provisionalis a Divinis sustinere, ultro assumpserunt resolutionem hujus quæstionis: *Utrum distributio SS. Eucharistiæ sit functio Pastoralis, an ad summum, Sacerdotalis*. Cum vero, præter Scholasticorum & Casuistarum turbam, nullum Canonem aut Juris Canonici authoritatem pro adstruenda sua Resolutione adducant, manifeste probant suam in Canonibus & Ecclesiastica disciplina inscitiam.

Quis enim nescit, non ex Casuistarum, aut Scholasticorum placitis petendum esse, quæ hic & nunc sint functiones Pastorales aut Sacerdotales; sed id potius statuendum esse ex Canonibus & Decretis Ecclesiasticis, aut etiam ex consuetudine vim legis habente petendum esse?

Si hi Theologi, secuti suos Casuistas, id dumtaxat prætendant, distributionem SS. Eucharistiæ *ex se*, uti & cæterorum Sacramentorum administrationem esse functionem Pastoralem, sive ad solum Parochum *jure proprio* pertinere, non refragabimur, nec ut id probetur, opus erat tot Theologorum citationibus chartam implere.

Ad id enim probandum solus Textus Concilii Trid. sess. 24. Cap. 13. de Reform. sufficiebat, quo mandatur Episcopis, ut distincto populo unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui cognoscere valeat populum sibi commissum, & a *quo*, ait, *solo licite Sacramenta suscipiat*.

Neque D. primus consultus, quem in hac sua Resolutione aggrediuntur & arguunt, umquam negavit hujus Sacramenti distributionem seu administrationem *ex se* esse functionem Pastoralem, eamque *jure proprio* Parocho competere; sed id unum contendit, eam hodie e tacito ut minus consensu Parochorum factam esse functionem

nem Sacerdotalem, in quantum nimirum ex Parochorum & Prælatorum consensu sub Parochia & in Parochiali Ecclesia permittuntur Presbyteri, *publicas*, id est ad quas populus venire permittitur, Missas celebrare.

Dum enim Missas publicas celebrare permittuntur, ipsis concessa censetur Sacræ Communionis distributio, tamquam ipsius Sacrificii pars.

In hujus probationem adduxit præfatus primus Consultus Decretum Concilii Trid. quo ait, „ se optare ut in singulis Missis „ Fideles adstantes non solum spirituali „ affectu, sed Sacramentali etiam perce- „ ptione communicarent. „

Videamus quid contra hanc probationem dicant quatuor hi Theologi, „ *nibil* „ *aliud citato loco*, inquiunt, *vult S. Synodus*, *quam ut Fideles communicent in* „ *singulis Missis*, *non determinans ex* QUORUM MANIBUS *ipsi communicare debeant*. „

Quid magis Magistrale & arrogans, aut a Decreto hujus S. Synodi magis alienum! si hoc non sit illudere Decreto Synodali, nescimus quid erit.

Quando Concilium optat ut in singulis Missis adstantes Fideles *Sacramentali* etiam perceptione communicent, an forte voluit ut singulis Missis Sacrificanti adesset Parochus aut alius Sacerdos, qui ad distribuendam S. Eucharistiam a Parocho licentiam haberet, e cujus manibus communicarent?

Nec minus insulsum quod addunt: *certe non voluit Trident*. CONTRA VETERES CANONES *jus Parochorum lædere*.

Hic si ullibi manifeste produnt suam veterum Canonum ac disciplinæ nimis crassam ignorantiam. Si enim vel minimam de avita Patrum disciplina notitiam haberent, scirent indubie, quod *Concilium Trid. dum optavit ut Fideles adstantes in singulis Missis Sacramentali etiam perceptione* communicarent, una optaverit, ut paulatim restitueretur pristina Patrum praxis, qua distribuebatur S. Communio per ipsum Sacrificantem, postquam ipse sub specie vini communicasset, atque ita Fideles cum Sacrificante de Sacrificio participarent.

Et hic quidem ritus religiose per duodecim & amplius sæcula servatus fuit teste Morino lib. 8. de Pœnit. Cap. 14. Num. 2. additque: „ nec in Ecclesia conservabatur Corpus Christi alium in finem, quam „ propter infirmos, una scilicet ex pane „ conservata particula, quocirca sanis non „ erat extra Sacrificii actionem communicandi locus. Consuetudo moderna Corpus „ Christi propter Fidelium Communionem „ reservandi recens est, a Monachis Mendicantibus primum introducta, deinde „ ab aliis plerisque usurpata, quæ nondum „ tamen Romani ritus Rubricas expungere potuit. „

Quod de *Rubricis* hic asserit Morinus, verissimum esse evincit *Rubrica* Ritualis Romani Pauli V. quæ titulo de Sacramento Eucharistiæ hæc scribit: „ *Communio* autem populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quando ex rationabili causa „ post Missam sit accipienda) cum orationes, quæ in Missa post Communionem „ dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed „ etiam ad alios communicantes spectent. „

Quis igitur ambigat, quin Patres Concilii Trid. optaverint restitui Sanctissimam illam Ecclesiæ disciplinam, ut una cum Sacerdote celebrante adstantes Fideles etiam Sacramenti perceptione communicarent, atque ita omnibus Sacerdotibus celebrantibus facultas esset S. Eucharistiam adstantibus distribuendi.

De hac Patrum mente optime instructus S. Carolus statuit in suo Concilio V. Part. 1. Tit. 9. „ Hoc institutum, „ quod antiquissimi ritus est, Sacerdos religiose servet, ut intra Missarum solemnia, postquam scilicet Sanguinem ipse „ sumpserit, Fidelibus Sacram Communionem ministret. „

Manifestum itaque est, quod dum optavit Concilium Trid. ut in singulis Missis adstantes Sacramentali etiam perceptione communicarent, una supposuisse Presbyteros admissos ad celebrandas publicas Missas, ad quas populus confluit, posse adstantibus Sacram Communionem distribuere; ac proinde D. *Melchior* primo consultum, solide conclusisse ex Decreto Concilii Trid. distributionem Eucharistiæ non esse functionem Pastoralem, sed ad summum Sacerdotalem.

Unde

Unde nec creditur ulli Sacello aut Monasterio directe concessum umquam esse, ut ibidem distribueretur Sacra Communio, sed ut iis in locis Missæ Sacrificium peragi posset, qua data facultate, censebatur & celebrantibus data facultas distribuendi SS. Eucharistiam Sacrificio Missæ adstantibus.

Videntur equidem hi Theologi perspectum habuisse, quod licet distributio SS. Eucharistiæ *per se* & *jure proprio* spectaret ad Parochum, illud tamen non esse sufficiens ad justificandam inflictionem provisionalis censuræ, de qua agitur.

Hinc pag. 4. suæ resolutionis descendunt ad distributionem Communionis Paschalis, quam saltem esse functionem etiamnum hodie Pastoralem adstruere nituntur.

Et quidem ad eam adstruendam adducunt authoritatem secundo Consulti Z. B. *van-Espen*, quasi ipse in suo jure Eccles. Art. 2. Tit. 4. Cap. 1. Num. 22. 23. 24. asseferet, distributionem communionis Paschalis etiamnum hodie esse functionem proprie Pastoralem, non Sacerdotalem.

Huic temerario asserto confidenter subjungere non verentur : „ Judicet nunc „ æquus Lector, an dictus D. *van-Espen* „ sibi ipsi non contrarietur, dum in sua „ consultatione, quæ subsequitur illam „ D. Jurisconsulti audacter resolvit, Com„ munionem Paschalem non esse functio„ nem Pastoralem. „

In primis non dixit secundo Consultus in sua consultatione Communionem Paschalem non esse functionem Pastoralem : sed id unum dumtaxat asseruit, censuram suspensionis a Divinis esse injustam ex parte materiæ ; eo quod certum „ sit, & ab „ omnibus receptum, adeo gravem cen„ suram, qualis est suspensio a Divinis, „ non posse infligi, nisi ob crimen mor„ tale, & quidem *enorme*, quale nec in „ speciem dici potest commissum esse per „ Citatum, distribuendo Sacram Commu„ nionem ante vel post Sacrum tempore Pa„ schali in Ecclesia Metropolitana & Pa„ rochiali S. Rumoldi. „

Atque in probationem illius addit : *Cum hactenus nullo Canone, nulleve etiam alicujus Episcopi Decreto inhibitum sciatur, præsertim sub pœna similis censuræ, Presbyteris nullam curam animarum habentibus, distribuere etiam sine licentia Parochi Sacram Eucharistiam tempore Paschali : neque hanc distributionem inter functiones Pastorales esse relatam.*

Hoc igitur incumbebat Theologis, ut vel unum Canonem, aut alicujus Episcopi Decretum proferrent ; quo Presbyteris nullam curam animarum habentibus, quibus tamen facultas est in Ecclesia Parochiali tempore Paschali celebrandi, inhibitum sit eodem tempore Sacram Communionem distribuere, præsertim sub pœna talis censuræ, vel quo distributio Sacræ Eucharistiæ tempore Paschali inter functiones Pastorales sit nominatim relata.

Sed nec id verum est, secundo Consultum in suo Jure Eccles. locis per hos Theologos citatis scripsisse, Communionem Paschalem esse functionem Pastoralem.

Verum postquam ostendisset, quod sensim invaluisset, ut Sacra Communio non tantum in Ecclesia Parochiali, sed in omnibus passim Monasteriis, Sacellis, ac Oratoriis distribueretur, eo quod consuetudine invaluisset, ut in his omnibus locis Missæ publicæ, seu ad quas populus publice admittitur, celebrari permitterentur, conclusit : *tandem jus Ecclesiæ Parochialis ad solam Communionem Paschalem, & Parochorum ad hujus, nec non Viatici administrationem redactum creditur.*

Nonne hinc fat compertum esse debebat hisce Theologis, Doctorem *van-Espen* id dumtaxat voluisse significare, quod, licet consuetudine tandem invaluisset SS. Eucharistiæ distributionem fieri in omnibus Monasteriis, Sacellis, & Oratoriis, in quibus Missæ, ad quas populus confluit, celebrantur, jus tamen distribuendi S. Communionem saltem tempore Paschali Parochiali Ecclesiæ esset reservatum, sive quod Fideles S. Communionem semel in Anno tempore Paschali in Ecclesia Parochiali recipere teneantur ; quam extra tempus Paschale ipsis jam liberum videtur in aliis Ecclesiis, Sacellis, aut Oratoriis recipere.

Hoc autem Author, esse *Jus Parochorum*, idcirco dixit, quia Parocho, titulo sui Beneficii Parochialis, censentur competere omnia jura Ecclesiæ suæ Parochialis.

Et sane videmus, quod Synodi etiam nostræ Belgicæ, dum hoc præceptum annuæ Communionis urgent, id unum declarent,

rent, Fideles tempore Paschali teneri communicare in Ecclesia sua Parochiali: *Quilibet Annos discretionis* „ habens communicare debet, ut minimum in Paschate „ in Ecclesia sua PAROCHIALI, ait Synodus P. Mechl. Tit. 7. Cap. 5. cui consonant & reliquæ Synodi.

Addunt quidem DD. Theologi ex nescio quo Casuista, aut Scholastico quod „ ad licitam Eucharistiæ distributionem „ Ordinis potestas omnibus Sacerdotibus „ communis non sufficiat; sed desuper requiratur potestas Jurisdictionis, aut saltem licentia eorum, qui Jurisdictionem „ habent".

Sed quam hoc est frivolum! ubinam quæso unquam legerunt, quod ad distribuendam S. Communionem, alia requiratur Jurisdictio quam ad celebrationem Missæ? Nonne qui potestatem habet publice celebrandi, una censetur accepisse potestatem distribuendi S. Communionem tamquam partem functionis Sacrificii?

Quapropter cum, ut supra notatum est, ostendi non possit, quod ullo privilegio Monasteriis, Sacellis, aut Oratoriis expresse indultum sit, ut ibidem S. Communio distribuatur, sed dumtaxat datum sit privilegium vel facultas publicas Missas celebrandi: qua facultate data, sufficienter data censebatur facultas distribuendi S. Communionem.

Quid sibi volunt ea quæ ulterius proferunt? „ Sacerdos, inquiunt Theologi, „ qui sine tali licentia, & quod gravius „ est, plane invito, & expresse inhibente „ Superiore vel Parocho Eucharistiam di- „ stribuit, peccat mortaliter.

„ Ratio est, quia talis Sacerdos mittit „ falcem in messem alienam: officium alie- „ num usurpat, jus alterius invadit in re „ gravi. Proprius enim Sacerdos jus ha- „ bet pascendi oves suas, & ne alieni „ pascant".

Hæc enim quam impertinenter & inepte huic casui applicantur! & quam sunt manifesta contra Citatum exorbitantis præventionis indicia!

Quis enim credidisset; hæc tam enormia applicatum iri Sacerdoti, publice in ipsa Ecclesia Metropolitana & Parochiali S. Rumoldi quotidie celebranti, nimirum propter distributam S. Communionem ante vel post Sacrum tempore Paschali; idque populo S. Communionem expetente & Deservitore aut Presbytero ad Communionem deputato non præsente.

Hocne sane est, *mittere falcem in messem alienam*, Officium alienum, jus alterius invadere in re gravi?

Nonne hæc distributio Communionis in tali casu potius reputari debuisset inter officia charitatis, utpote qua Fidelibus promptius de Sacra Communione providetur, & qua ipsi Parocho, majoribus functionibus impedito, succurritur?

Quid porro magis a ratione alienum, quam dicere hic invadi jus Parochi *in re gravi*. Cum omnibus notissimum sit, distributionem SS. Eucharistiæ esse unam ex facilioribus functionibus Sacris, ideoque & eam passim committi Presbyteris ad functiones Pastorales vel parum idoneis, vel ab iis abhorrentibus.

Imo constat pluribus sæculis eam commissam fuisse Diaconis, uti notatum in sæpe allegato jure Eccles. Part. 2. Tit. 4. Cap. 1. ut interim Episcopi & Presbyteri gravioribus functionibus intenderent.

Igitur si Theologi nostri suas illas qualificationes potius applicassent iis, qui prætextu privilegiorum, aut nescio cujus prætensæ possessionis, invitis Parochis invadere attentant Sacras functiones, ut sunt annuntiare verbum Dei, Confessiones excipere, probabilis videri posset zelus, quem præ se ferunt pro juribus Pastoralibus, & ab omni præventione liber.

Nunc autem ut hanc per D. Citatum factam Eucharistiæ distributionem tamquam *crimen enorme* & tali censura castigandum, quoquo modo colorent, Decretum accersunt sub nomine Clem. V. in Concilio Viennensi, relatum in Clem. 1. de privilegiis.

Verum si proprius expendatur textus hujus Decreti, satis apparebit, quod administratio Eucharistiæ hic confertur cum administratione Extremæ Unctionis, quæ non nisi infirmis administratur: ut proinde censurarum comminatio, de qua in hoc Decreto, præcipue dirigi videatur ad Religiosos, qui limites suorum Privilegiorum excedentes, Sacramentum extremæ Unctionis,

nis, & Eucharistiæ infirmis extra casum necessitatis, sine licentia Parochi administrare præsumunt.

Quapropter non legitur, quod Synodi nostræ Belgicæ hanc censurarum comminationem impenderint, nisi in Regulares, qui Eucharistiam extra septa sui Monasterii publice vel occulte ad infirmos sine licentia Parochi deferre auderent; uti videre est in sæpe citato Jure Eccles. Part. 2. Tit. 4. Cap. 4. ubi num. XI. refertur responsum quatuor Doctorum Lovaniensium de Anno 1664. qui postquam ad interrogationem Pastorum Civitatis Antverpiensis responderunt, vetitum esse Regularibus occulte deferre Eucharistiam ad infirmos, addiderunt: posse, imo & teneri Episcopum prohibere delationem occultam hujus Sacramenti sub pœnis *in dicta Clementina* expressis; signanter quando leviores pœnæ judicantur non sufficere ad obviandum efficaciter abusibus contrariis.

Quod denique proferunt in fine, ex Pastorali Mechliniensi, nihil pertinet ad casum præsentem; non enim præcipit Pastorale, ut Fideles SS. Eucharistiam tempore Paschali sumant de manu Parochi, aut Presbyteri ab ipso specialiter deputati: sed solummodo monet „ *ut Parochus* „ descripta habeat nomina suorum Parochianorum in libro status animarum, & „ qui dicto tempore non communicaverint, „ & post octavam Paschæ sæpius admoniti, propriæ salutis immemores, præcepto huic satisfacere neglexerint, eos „ graviter puniendos Ordinario suo denuntiet. „

Ex quo manifestum est, id unum voluisse Pastorale, ut Parochi solicite curarent, ut Decretum Concilii Lateranensis de annua communione rite observaretur, & defectuosi, ac sæpius moniti, & non obedientes, Ordinario denuntiarentur.

Medium autem, quo id assequantur, suggerit Pastorale, scilicet, ut Parochus descripta habeat nomina suorum Parochianorum in libro status animarum.

Porro hoc medium a Parochis, ac notanter in hac Ecclesia Metropolitana ob nimiam numerositatem Parochianorum non impendi, sat norunt ipsi Theologi hujus Ecclesiæ Canonici.

Sed dicunt, aliud medium ibi impendi, hoc nimirum, ut distributio Communionis Paschalis committatur uni speciali Presbytero, quod & incaute fateri primum D. consultum in sua consultatione dicunt, atque insuper sua confessione suisque verbis seipsum jugulare, viro illi exprobrare non dubitant.

Ibidem præfatus Consultus aliud non dixit, quam quod praxis notoria etiam in Ecclesia Metropolitana habeat, quod *vix unquam Pastor, aut ejus Vicarius, sed certus Minister ad hoc constitutus illo munere fungatur*.

Quasi vero, quia certus Minister constituitur in adjutorium Parochi, ut hoc munere fungatur, idcirco aliis Presbyteris in Ecclesia celebrantibus hoc munus esset interdictum.

Falsum est, quod hic Minister constituatur, „ *ut observet & invigilet*, an „ omnes Parochiani Ecclesiæ præcepto sa„ tisfaciant, ut persuadere volunt Theo„ logi, nec id asserit D. Melchior.

Sed constituitur simpliciter, ut per totum Anni circulum S. Communionem in sublevamen Parochi & Vicarii, functionibus gravioribus occupatorum, pro commoditate populi distribuat, idque sub certo honorario ad hoc constituto.

Sed supponatur, Presbyterum aliquem specialiter pro distribuenda Communione Paschali a Parocho esse constitutum, ut invigilet, & observet, prout dicunt hi Theologi, an omnes Parochiani Ecclesiæ præcepto satisfaciant, nequaquam medium hoc ullatenus sufficiens esset ad finem consequendum, notanter in hac Ecclesia Metropolitana & Parochiali: cum enim Concilium Lateranense Fideles adstringat ad annuam Communionem sub hac restrictione: *Nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum*: Quis non videat, in tanta multitudine Confessariorum tam Regularium quam Secularium (qui hodie sub nomine proprii Sacerdotis veniunt) pene esse impossibile, quemquam convincere, quod non satisfecerit præcepto Concilii Lateranensis, nominando Confessarium aliquem seu Regularem, seu Secularem, de cujus consilio ad

ad tempus a Communione abstinendum esset.

Non est dubium, quin hæc, aliave majora incommoda oriantur ex tanta multitudine Confessariorum tam Regularium quam Secularium, nec non ex promiscua illa facultate distribuendi Sacram Communionem extra Ecclesias Parochiales; sed Superiorum est, ac signanter Episcoporum, pro tempore, & locorum circumstantiis, hisce remedium adferre.

Interim si Parochus judicet, se posse notitiam assequi non communicantium in Paschate, & præcepto Ecclesiæ de annua Communione non satisfacientium, sibi aut suo Vicario reservando tempore Paschali distributionem SS. Eucharistiæ, non dubium, quin illud medium impendere posset.

Hoc tamen certum est, quod Presbyter huic reservationi non deferens, nequaquam dici posset præcepto aut legi Superiorum contravenisse, ita ut saltem ob hanc contraventionem pœnam in foro externo incurrisse censeretur: sed a superiore legislativa potestate, & jurisdictione fori contentiosi instructo, hujus reservationis petenda fuisset approbatio, cum appositione alicujus pœnæ in foro externo per contravenientes huic Superioris Decreto, incurrendæ.

Unicuique jam facile judicare erit, nulla præventione præoccupato, quam vana sit horum Theologorum gloriatio, quamque intolerabilis eorum arrogantia, dum per modum invectivæ in D. primo consultum suam resolutionem in hunc modum concludunt: „ Ex jam allegatis æquus rerum „ arbiter nullo negotio dispiciet, quam „ singularis, & infundata sit opinio D. „ Jurisconsulti, quam futiles & stramineæ „ rationes, quibus illam roboravit, & „ quam meliori jure ille inexcusabilis ju„ ris erroris argui debeat".

Nonne potiori jure dici posset, non nisi futiles esse & stramineas rationes, a præventione & passione contra Citatum excogitatas, quibus prætensam hanc censuram colorare laborarunt?

Nam quid impotentius, quam in gravamen excessus a Citato prætense commissi, dum Sacram Communionem 9. & 10. Aprilis hujus anni distribuit, allegare formalem contemptum & vilipendium Superiorum, & grave Fidelium scandalum?

Quis enim umquam Superior D. citato interdixit distribuere Sacram Communionem tempore Paschali? dicitur quidem in casus positione D. *Batseliers* Deservitorem, admonuisse eum, ut a distribuenda Communione abstineret, addens, *se querelas depositurum apud Superiores*.

Utrum dictus D. Deservitor querelas suas deposuerit apud Superiores, nescitur: hoc scitur, Citatum numquam fuisse monitum, multo minus ipsi interdictum a Superioribus Sacram Communionem distribuere, ut proinde id quod de formali contemptu & vilipendio Superiorum inclamant hi Theologi, aliud non sit, quam inanes larvæ & vociferationes ad commovendos rudes confictæ. Uti & illud quod addere non verentur de gravi Fidelium scandalo: quasi vero cederet in grave Fidelium scandalum; quod Sacerdos, qui per sex Annos in hac Ecclesia Metropolitana Parochiali tamquam Vicepastor functiones Pastorales laudabiliter obierat, Missam celebrans in præfata Ecclesia populo adstanti, & communicare expetenti SS. Eucharistiam distribuat in Sacello SS. Sacramenti præfatæ Ecclesiæ, ubi Sacra pyxis in hoc exposita erat, & ubi Citatus hucusque celebrare consueverat.

Id ipsum dici potest de Causarum Patronis dum pag. 12. suæ consultationis huic casui applicare non verentur illud *solemne*, uti aiunt, *Canonistarum effatum*, *etiam ipso jure suspensionem irrogari ob manifestum crimen propter scandalum*, ETIAMSI NON SIT ENORME.

Quod præterea subjungunt: *illud magnopere mirandum*, *quod* DD. *consulti censeant suspensioni isti citatum non debere parere*.

Sane nescio quod hic magnopere mirandum, quod Consulti, ac notanter primus, dixerint Citatum suspensioni parere non debere, quandoquidem ex ipsorum resolutione novisse poterant, ipsos hanc censuram existimasse non tantum esse injustam ex parte materiæ, sed & notorie ac manifeste nullam, tum ob defectum Jurisdictionis in proferentibus, tum ob multiplices defectus ordinis Judiciarii, quo casu simili censuræ non esse parendum, unanimis

 nimis

nimis est Canonistarum & Theologorum sententia.

Neque de hoc casu loquitur D. Hericourt loco per Causarum Patronos citato, sed de casu, quo censura, servato juris ordine, per legitimum Judicem est inflicta; quam observari debere ex S. Gregorio recte adstruit ibidem dictus Author, tametsi censuram passus certo sciat, aut saltem scire putet, esse injustam ex parte causæ, ne ex non observantia scandalum Fidelium, aut contemptus clavium & Judicis oriatur.

Nihilominus ut Citatus, nec in speciem DD. Vicariorum, sub quorum nomine hæc censura lata erat, authoritatem contemnere videretur, ei usque in hodiernum diem paruit.

Prædicti causarum Patroni existimantes se abunde satisfecisse prioribus duabus quæstionibus, sibi per Officium Fiscale propositis, ad tertiam quæstionem, quæ erat, *quid Citato in his circumstantiis faciendum fuerit secundum jura & SS. Canones*, respondent: *Quoad tertiam nihil est quod addi possit nobilissimæ Justiniani Constitutioni in Novella 83. exhibemus textum cedro dignum. Si vero Ecclesiasticum sit delictum, inquit, egens castigatione Ecclesiastica, & mulcta, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis Provinciæ Judicibus, neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles Judices: cum oporteat talia Ecclesiastice examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam mulctam secundum sacras, & Divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.*

Addunt: *de Canonibus non potest esse quæstio, cum illi sint in hac re notissimi.* Quid hæc nobilissima Justiniani Constitutio, nec non Sacri Canones, ad quos provocant, ad præfatæ quæstionis resolutionem faciant, vix percipi potest. Quis enim inficiatur, quin ex Justiniani Constitutionibus, & SS. Canonibus Clerici in criminalibus Jurisdictioni Episcoporum subjaceant, præsertim si de crimine Ecclesiastico, per pœnas Ecclesiasticas castigando, agatur? Neque id ipse Citatus, aut DD. consulti umquam negarunt. Verum aliquid amplius voluisse causarum Patronos, sufficienter indicant, ubi in ejusdem quæstionis resolutionem, & sui dicti confirmationem addiderunt: *juri, & Canonibus authoritatem quoque suam jungunt Principes nostri in instructionibus supremi Senatus Tit.* des REQUETES ET PROVISIONS DE JUSTICE *Art. penultimo & ultimo, cui accedit Decretum recens 7. Novembris 1695. Novæ editionis fol. 324.*

Ex ordinationibus Principum per hos Patronos hic citatis & adductis, nequaquam obscurum est, hos causarum Patronos intendisse, quod Citatus debuisset in his circumstantiis se submittere Jurisdictioni & judicio Vicariorum, non autem recurrere pro remedio adversus inflictam censuram, ad Regium Parlamentum: ipsosque Doctores Lovanienses male consuluisse, dum Citato pro remedio adversus hanc censuram suggesserunt recursum ad Parlamentum Regium pro imploranda Regia protectione adversus hanc *via facti* sive neglecto juris ordine inflictam censuram.

Verum si citatæ ordinationes Principum rite attendantur, non amplius probant assertum DD. Causarum Patronorum, quam Constitutio Justiniani, & Canones, ad quos provocant.

In primis enim ordinationes Parlamenti, citatis articulis, aliud non volunt, quam præcavere, ne per appellationes *tamquam ab abusu*, aliosve recursus, Ecclesiastici, aliive subterfugiant processus in materia morum, aut doctrinæ per Episcopos aliosve Superiores inchoatos. Verba articuli sunt: *Pource qu'es lieux où l'on est accoutumé admettre appellations en cas d'abus, plusieurs s'avançent d'appeller des procedures des juges Ecclesiastiques comme d'abus, seulement pour empêcher lesdites procedures, & afin d'éviter correction & punition de leurs crimes, & delicts, & après ne relievent lesdites appellations, où après les avoir relevé, les laissent tomber en interruption.*

Similiter Decretum Regium de 7. Novembris 1695. in consultatione a DD. Causarum Patronis reclamatum unice præcavet, ne sub titulo possessorii (aliove simili) Ecclesiastici sistant executionem Decretorum, aut ordinationum, quas Episcopi in materia morum & doctrinæ edidissent, aut in futurum edere vellent, in verbis: *Nous*

Nous vous faisons cette, pour vous interdire, comme nous vous interdisons serieusement de reçevoir, vous mêler ni proteger aucun instance ou pretension que l'on voudroit former par devant vous, soit à titre de possessoir, ou autrement contre les dispositions & ordonnances que les Evêques ou Diocesains pourroient avoir faits ou feroient ci-après pour cause de doctrine & mœurs desdits Ecclesiastiques.

Quid igitur evidentius, quam hæc usque allegata in probatione ad tertiam quæstionem a causarum Patronis, esse ad casum præsentem omnino impertinentia?

Neque enim Citato vel umquam incidit, processum contra se *legitime* institutum coram legitimo suo Judice in materia morum aut doctrinæ, per recursum ad Regium Parlamentum sistere, vel ordinationes sui Episcopi in materia morum & fidei titulo possessorii, aliove simili, suo frustrare effectu.

Si enim authoritate sui legitimi judicis D. *Leydecker* fuisset in materia morum aut doctrinæ juxta stylum ordinarium citatus; processusque adversus ipsum ordine judiciario formatus, nihilque *via facti*, vel ordine juris neglecto attentatum, numquam Citato incidisset, habendum recursum ad Parlamentum Regium, neque censuissent Doctores Lovanienses, pro remedio adversus prætensam Censuram, ad dictum Regium Parlamentum esse recurrendum.

Notum enim erat & Citato & Consultis, recursui ad Tribunalia Regia pro imploranda protectione locum non patere, si Judex Ecclesiasticus, præsertim in decernenda Censura, processerit ordine judiciario per omnia servato, nihilque per *violentiam*, sive *via facti* attentaverit.

Primum enim, quod in hoc recursu probandum venit, est *violentia* a Judice Ecclesiastico per inflictionem censuræ illata, quam violentiam authoritate Regia tollendam postulat recurrens, uti uno consensu testantur omnes, qui de hoc recursu ad Tribunalia Regia scripserunt.

Ac inter alios Didacus Covarruvias Pract. q. q. Cap. 35. Num. 3. tractans de hoc recursu adversus Judices Ecclesiasticos, qui pendente appellatione ad Pontificem non verentur suæ sententiæ executionem per inflictionem censurarum urgere, expresse monet, *quod Consiliarii Regii* NON COGNOSCANT DE JUSTITIA *appellationis ad Summum Pontificem deferendæ, ad hoc ut ab ipsis sententia confirmetur vel revocetur;* SED TANTUM AD HOC UT TOLLATUR VIS ILLA, *quæ a Judice Ecclesiastico injustissime fit appellanti, dum eum* CENSURIS *Judex pro executione sententiæ, quæ nondum transivit in rem judicatam, pendente appellatione ad Summum Pontificem, opprimit.*

Vel uti loquitur Franciscus Salgado de protect. Regia Part. 1. Cap. 1. Prælud. 5. Num. 194. *Judex Regius dumtaxat cognoscit de violentia, ut ubi de illa constiterit, authoritate Regia, vim* PROPELLAT, PROPULSET, OPPRESSUM SUBLEVET, ET ECCLESIASTICUM REDUCAT AD VIAM JUSTITIÆ, ET TRAMITES LEGITIMOS.

Hoc cum suum assertum ex omni natione citatis Authoribus confirmasset, monet in principio dicti præludii quinti, quod hoc *sit cardo, seu potius columna fortissima, super qua totum hujus recursus pondus, onus, virtus, essentia requiescunt: sitque totius*, CONTRADICTIONIS, INSIDIARUM SEU ARGUMENTORUM *fortissimus murus, constans propugnaculum impenetrabile, & valida resistentia, &c.*

Contradictio, insidiæ seu argumenta, de quibus loquitur Salgado, indubie sunt contradictiones, insidiæ seu argumenta, quibus nonnulli Prælati aliive Judices Ecclesiastici hujus recursus ad Regia Tribunalia apud Reges & supremos Principes suspectum & odiosum reddere moliuntur, quasi per hunc recursum Clerici a correctione seu virga Pastorali suorum Prælatorum se subducere vellent; ipsaque Regia Auditoria similem recursum Clericorum recipientia, authoritatem Episcoporum in corrigendis excessibus suorum subditorum, ac notanter in *usu Clavium* seu ferendis censuris Ecclesiasticis, infringere attentarent, majoremque, quam sibi competat, authoritatem in rebus Ecclesiasticis arrogare, & manum suam ad thuribulum extendere.

Non dubium, quin hisce argumentis ad reddendum hos recursus odiosos apud Principes, utantur illi præcipue Prælati, & Judices Ecclesiastici, qui non plane liberi sunt a veneno, de quo monendum cen-

censuit Eugenium III. Papam S. Bernardus: *Nullum venenum tibi magis timeo quam libidinem dominandi*.

Verum absit, ut Principes & suprema Auditoria, Judicum illorum contradictionibus, insidiis seu argumentis moveantur, ut subditos suos seu laicos seu Ecclesiasticos a se repellant, qui unice protectionem Regiam contra violentias & oppressiones potentiorum humiliter implorant.

Noverunt enim, ad Principes pertinere illud Jeremiæ Cap. 22. *Facite judicium & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris*. Ad hæc verba reflectens S. Hieronymus dicere non dubitavit: *Regum officium est proprium facere judicium & justitiam, & liberare de manu calumniatoris vi oppressos*. Apud Gratianum Caus. 23. q. 5. Can. 23.

Quapropter recte notavit sæpe citatus Franciscus Salgado *de protec. Regia Part. 1. Cap. 1. Præled. 5. Num.* 510. *quod cognitio de violentia & oppressione subditorum non competat Regibus supremis ex privilegio Romani Pontificis, sed ex juris naturalis instinctu, ratione, & principio: naturale attributum est*, ait, *propriumque Regis officium inhærens regimini, a quo avelli non potest, nisi simul ex iis causis, quibus Regimen & Regnum tolli potest, & tunc non per se tollitur; sed tanquam substantia, medulla, anima, & qualitas totius sui subjecti*. Quin hic Author in tractatu *de supplicatione ad Sanctissimum* Parte 1. Cap. 1. Num. 109. notat post Cancerium, Covarruviam, aliosque ibi citatos, quod Regalias, quæ competunt Regi, in signum supremæ jurisdictionis, ut ad ipsum appelletur, & per *Oppressos* ad eum recurratur, Princeps a se abdicare non potest, & sic sunt impræscriptibilia: additque Num. 110. ex citatis ibidem Doctoribus: *Regem non posse sibi auferre supremam Regaliam recurrendi ad eum, nisi Regiæ Sedi renuntiet*.

Hanc autem protectionem, non minus Clericis quam Laicis, contra violentias & oppressiones impertiendam esse, quis dubitet?

Certum quippe est, etiam Clericos, licet specialiter Dei & Ecclesiæ servitio vi suæ vocationis adstrictos, manere Reipublicæ membra ac partes, Principumque subditos; quapropter prædictus Salgado de protectione Regia P. 1. Cap. 1. Præled. 2. Num. 76. tamquam indubitatum asserere non dubitat: *Rex tenetur tam Clericos & Ecclesias, quam Laicos tueri, cum sint pars, membra, & cives Reipublicæ temporalis, quæ sub tutela Regis est*.

Imo, uti recte citatus Salgado ibidem reflectit Num. 72. *Defensio Regia potius convenit Ecclesiæ & Ecclesiasticis Personis quam aliis, quia arma non ferunt*. Atque ibidem ex Belluga N. 77. *Manus Regia murus est Ecclesiæ*, PAX CLERICORUM, *salus populi, vita Vasallorum, Caput subditorum, Tutor Reipublicæ, Propugnaculum & Præsidium Christianæ Religionis*.

Reflectit & ibidem Salgado Præled. 4. Num. 192. quod si violentiam Clericis ab ipsomet *Judice Ecclesiastico* inferri contigerit, tunc vel maxime necessarius sæpe erit recursus ad Regem, ut ab illa liberetur oppressus, & potentiori defensione muniatur. *Cæteris enim violentiis* (*ait*) *hæc quæ a Judice fit, major est & atrocior, cum sub securo, & superioritatis, ac jurisdictionis prætextu facilius deliberari possit, ad hujusmodi vim inferendam*.

Et nonnullis in asserti sui probationem adductis, concludit: *Igitur cum Judices tot intolerabiles violentias & oppressiones, sua majoritatis & jurisdictionis occasione, committant, justissime multo fortius poterit Rex illis resistere, & oppressis naturalem defensionem præstare, cujus proprium officium est*.

Non mirum proinde, hunc recursum ad Regia Auditoria in omnibus passim Principum supremorum ditionibus, esse receptissimum.

De quo testatur Didacus Covarruvias Pract. q.q. Cap. 35. Num. 3. qui a ducentis circiter annis scripsit; postquam enim dixit, quod in Regia & Castellana Republica hic recursus sit usitatissimus, ibidem subjungit: *Hic vero forensis usus non tantum in his Castellanis Regis Hispaniarum ditionibus & Principatibus, sed & apud Gallos, aliosque Christianæ Reipublicæ sæculares Principes est receptissimus*.

Quin & dicere non veretur Covarruvias loco citato: *Quod si quis contenderit, a Principibus sæcularibus hanc tollere potestatem, statim, non quidem fero comperiet* expe-

experimento manifestissimo, quantum calamitatis Reipublicæ invexerit.

De hoc receptissimo usu apud Belgas, ejusque necessitati testati fuere jam pridem Regii Magistratus: ubi de promulgatione Concilii Trid. agebatur. Missa enim fuerunt ad Regios Magistratus per Margaretam Belgii Gubernatricem Decreta reformationis Concilii Trid. ut ea examinarent, & si quid in iis deprehenderent Juribus Regiis aut Vasallorum, vel inveteratis moribus Provinciarum contraria, ea annotarent, & remitterent. Plura autem annotata fuisse sciuntur, quæ summatim recitat Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico Cap. 32.

Atque inter alia refert, quod ad Cap. 3. versiculum *nefas autem* sess. 25. de reform. hæc notata fuerint: *Magistratibus omnibus severe interdicitur, ne excommunicationes Ecclesiasticæ potestatis impediant, aut jam latas revocari mandent. Hic rursus plerique obloquuntur, Judices Regios hac Authoritate ab omni memoria in Belgio usos, ut censuras impedire possint, vel ad revocandum cogere Ecclesiasticos, remedio immissionis in eorum temporalia, quando excessus & abusus id postulant: alioquin tolli e medio remedia cassationis & aliarum provisionum Regiarum, veluti quæ dicuntur* PROVISIONS EN CAS D'ABUS, VOYE DE FAIT, ET AUTRES, *quæ sua consultatione aiunt Brabanti præcipua esse auxilia tuendæ Regiæ dignitatis, & jurium subditorum.*

Refert quoque Berthrandus Loth Dominicanus, & apud Duacenses Doctor Theologus in suis resolutionibus Belgicis Tract. 2. Art. 9. N. 16. quod eadem occasione ad citatum locum Concilii Tridentini annotarint in sua consultatione Arthesiani, *quod Judices Laici semper* ARRESTARINT BONA TEMPORALIA *Episcoporum, Officiariorum, & generaliter omnium Judicum, Officiariorum, & personarum Ecclesiasticarum, cujuscumque dignitatis & conditionis fuerint, ad* IMPEDIENDAS *eorum* CENSURAS, INTERDICTA, ET EXCOMMUNICATIONES, *& revocandas illas, quæ per ipsos declaratæ, & executioni mandatæ fuerunt, quando ipsi Laici Judices id expedire judicaverint.*

Indubitatum est, hoc esse unum ex punctis, circa quæ Concilium Tridentinum, hic in Belgio restrictionem quamdam in ipsa publicatione accepisse censetur, per clausulam insertam litteris Ducissæ Parmensis Belgii Gubernatricis, scriptis nomine Regis, pro executione dicti Concilii ad Regia Consilia, aliosque Magistratus; qua declaravit, mentem suæ Majestatis esse, Concilium hoc executioni mandandum, *salvis juribus suæ Majestatis, suorum Vasallorum, Statuum, aut subjectorum*, cujus clausulæ supra meminimus.

Quapropter citatus Berthrandus Loth, relatis annotationibus factis per Magistratus Arthesiæ, subjungit: *Concilium Tridentinum quoad dicta puncta non fuit receptum in Arthesia.*

Hunc recursum ad Auditoria Regia jam pridem & etiamnum hodie receptum, & usitatissimum esse apud Gallos, adeo notorium est, ut superfluum videatur, in ejus probationem authoritates adducere. Unam tamen Ludovici de Hericourt, qui de hac Galliæ praxi recenter sat accurate scripsit, hic adducendam duximus, præsertim, quia & ipsi causarum Patroni ad eum remittunt; ut cognosci posset, quomodo Citatus post hanc inflictam censuram se gerere deberet.

Hic igitur Author post capitis 22. articulum 48. per causarum Patronos citatum, exponit articulo 51. quod licet excommunicatus per suum Superiorem sit convictus, excommunicationem esse nullam vel injustam, & consequenter in foro interiori non ligare, nihilominus in foro *exteriori* se gerere debere pro excommunicato, tum quia nemo potest esse Judex in propria sua causa, tum si se in foro *exteriori* sententiæ Superiorum non submitteret, posset alios scandalizare, additque: *Les Canonistes concluënt de cette regle, que celui qui a été excommunié, suspens, ou interdit injustement, peut celebrer sans encourir l'irregularité, pourvû que ce soit en particulier, & seulement en presence des personnes qui sont convaincuës de son innocence.*

Et quod ad casum magis pertinet, infert articulo sequenti: *il s'ensuit de ces principes, que quand les Cours Souveraines ont jugé qu'il y a abus dans les procedures, sur lesquelles une excommunication a été*

été prononcée, cette excommunication, ou toute autre censure, tombe d'elle-même, & qu'on n'est point obligé de se pourvoir par devant le Superieur Ecclesiastique.

Ad quem articulum notandum esse monet: *Ce n'est pas que les Juges Laics dans ce cas pretendent absoudre de l'excommunication, n'y s'attribuer un pouvoir qui ne depend que de la jurisdiction Ecclesiastique; mais en qualité de Conservateurs de la discipline de l'Eglise, ils declarent nulle la procedure, & cette declaration emporte avec elle la nullité du jugement.*

Quod igitur opportunius remedium adversus hanc manifestam violentiam, per inflictionem hujus provisionalis censuræ Citato illatam, suggeri potuisset, quam recursus ad Cæsaream ac Regiam suam Majestatem, ejusve supremum Senatum pro tollenda hac violentia, utpote cujus proprium officium est, oppressos contra violentias potentiorum sua suprema authoritate liberare?

Nunc expendamus, utrum causarum Patroni opportunius quidpiam suggesserint, quod Citato in his circumstantiis faciendum esset, *secundum Jura & SS. Canones*.

Nihil hactenus, inquiunt, concludentes pag. 13. *definitum est adversus Citatum, adeoque res illæsa, & etiamnum provisio tolli aut confirmari potest, prout res exegerit. Nulla ipsi juris remedia denegantur: appellet, recuset, litiget, pareat; ipsius arbitrio omnia relinquuntur, servato juris ordine, & tenore.*

Itane vero nihil hactenus definitum esse adversus Citatum, adeoque rem illæsam dicere potuerunt causarum Patroni? an ergo ipsis excidit provisionalem suspensionem a Divinis adversus Citatum esse decretam? aut forsitan existimarunt per hanc suspensionem nihil definitum esse adversus Citatum, adeoque rem illæsam mansisse? nemo sane adeo in jure ignarus, qui nesciat per suspensionem a Divinis Citatum provisionaliter ab omnibus functionibus sacris esse exclusum, adeoque & possessione, seu quasi possessione suorum Beneficiorum (quæ in exercitio sacrarum functionum consistit) esse spoliatum.

Quin non tantum suorum Beneficiorum, quæ de facto obtinet, spoliatum, sed & omni spe alia obtinendi frustratum.

Nec enim vel ipsis DD. Causarum Patronis dubium esse poterat, per hanc inflictam censuram Citatum proclamari tanquam gravissimorum criminum reum. Quis enim sibi persuadeat, talem censuram infligi posse contra aliquem non auditum, nisi idem per secretas informationes convictus habeatur de talibus excessibus & scandalis, quæ nec per tantillam temporis moram paterentur Citatum sacras functiones obire, quousque ei libellus gravaminum communicatus & super eo auditus fuisset?

Infamiam auget, quod Presbyter, qui per plures annos in Ecclesia Metropolitana irreprehensibiliter functiones Pastorales obivit, tamquam indignus omni ministerio sacro traducatur; præsertim dum passim conspiciuntur varii per Diœcesim Sacerdotes, qui sacras functiones obire & sacris Altaribus quotidie adstare sinuntur, etiamsi vitam in otio agant, & quæ otium consequuntur, luxu, comessationibus, chartarum & alearum lusibus, aliisque, ne graviora commemoremus, contra SS. Canones transgressionibus: de cujusmodi Sacerdotibus, ex eorum modo agendi & ministrandi, nihil aliud populus cogitare potest, quam per Divinorum exercitium eos turpe lucrum sectari, & de celebratione Missarum *artem facere de pane lucrando*, ut loquitur Cardinalis Bellarminus.

Hæc si vel leviter attendissent causarum Patroni, indubie veriti fuissent dicere: *Nihil hactenus definitum est adversus Citatum adeoque res illæsa*: Quod addunt: *& etiamnum provisio tolli aut confirmari potest, prout res exegerit*: Quis sublationem prætensæ illius censuræ expectabit ab iis, qui omni juris ordine neglecto, adeo gravem censuram contra non auditum protulerunt? *Sed*, inquiunt, *nulla ipsi* (Citato) *juris remedia denegantur: appellet, recuset, litiget, pareat, ipsius arbitrio omnia relinquuntur, servato juris ordine & tenore*.

In primis quod hic volunt, ut Citatus in omnibus procedat *servato juris ordine & tenore*, utinam id persuadere potuissent DD. Vicariis, ut in processu adversus Citatum, servato juris ordine & tenore processissent.

Nunc

Nunc juris remedia a DD. Patronis suggesta, quibus se a censura inflicta liberare posset, expendamus.

Primum remedium indicatur per verbum *appellet*: verum quam hoc remedium frivolum & inefficax sit, mirum causarum Patronos non vidisse.

In primis an ignorare potuerunt, hanc gravissimam censuram ante omnem causæ instructionem, non nisi per sententiam provisionalem esse prolatam? a qua sententia provisionali, non habente vim definitivæ, appellationem non admitti, quis Jurisconsultus ignorat?

Ad hæc, appellationem ab inflicta censura non habere effectum suspensivum, omnibus notum est juxta Cap. 20. de sententia excom. in VI. & Cap. 53. §. 1. ✠ de Appellat. ut proinde per appellationem, licet admitteretur, nullum remedium consequetur Citatus, donec tres conformes sententias obtinuisset, idest post mortem suam.

Secundum remedium suggestum verbo: *recuset*. Mirum, hoc remedium a causarum Patronis suggeri potuisse, qui ex casus positione noverant, D. de *Visscher*, etiam post institutam a Citato recusationem, & ab eo ut sufficienter agnitam, veritum non fuisse, non tantum instructioni hujus causæ intervenire, sed & sententiæ subscribere tamquam *Officialis Mechliniensis*, uti supra notatum fuit.

Mirandum sane Patronis causarum perspectum non fuisse, hanc censuræ inflictionem adeo præcipitanter, & quasi in occulto ex solis secretis informationibus, Citato, nec monito, nec audito, nec de hac censura quidquam suspicanti provisionaliter fuisse inflictam, ut, quam prævidebant recusationem contra suas personas tamquam membra Capituli (cum quo Citatus erat in lite) instituendam, dextere prævenirent.

Nec ipsi enim ignorabant, quod, ubi inflictio censuræ prævenisset recusationem; postmodo instituta recusatio effectum censuræ tollere non posset, nec remedium Citato adferre.

Quod pro tertio remedio suggerunt, *litiget*. Num forsan DD. causarum Patroni nesciunt, si litigandum sit in Curiis Ecclesiasticis, Citatum citius visurum finem suæ vitæ, quam finem hujus causæ?

Tandem quod pro finali remedio suggerunt: *pareat*. Idest provisionali huic censuræ, *Suspensioni a Divinis*, se submittat, atque agnoscat se enormium criminum reum, ipsosque DD. Vicarios Generales, ut Jurisdictione *fori contentiosi* munitos.

Favorabile admodum responsum pro Consulente & DD. Vicariis; at non magis, quam præcedentia media, opportunum, aut efficax, ut violentia, nec non summa infamia Citato per prætensam censuram inflicta tollatur.

Itaque omnibus visis & discussis censent infrascripti, conformiter ad suam præcedentem resolutionem, modum magis opportunum, quo se Citatus defendere queat, esse, ut ad protectionem suæ Cæsareæ & Catholicæ Majestatis, sive ejus Magni Consilii recursum habeat, humiliter rogando, ut violentiam per hanc Censuram irregularem, nullo ordine juris servato factam, sua authoritate tollere dignetur, remedio *cassationis* aliove, prout visum fuerit, opportuniori.

Ita responsum Lovanii hac 27. Julii 1722.

Z. B. VAN-ESPEN, J. U. D. & SS. Can. Prof.

A. BAUWENS, J. U. D. & Antecessor Primarius.



XXXIV.

REFLEXIONES

Ad Animadversiones ad Responsum alterum Jurisconsultorum Lovaniensium, in causa D. *Leydecker* Vicepastoris Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis.

[*Nunc primum edita.*]

REFLEXIO PRIMA.

Dicunt, fol. 1. & 2. quod in *Responso altero*, admittatur, quod de *jure communi*, & ex Decreto Concilii Tridentini, Vicarius & Officialis dumtaxat penes nomina distinguantur; quodque id adscribatur moribus Italiæ.

Ulterius dicunt, nulla Principum Edicta, Decreta vel Rescripta hac in parte juri communi aut Concilio Tridentino derogasse.

Notandum quod plurima, moribus & consuetudine, pro varietate Provinciarum, serventur aliter quam jure communi aut Concilio Tridentino fuit expressum; idque *circa ea qua* nec jus commune, nec Concilium Tridentinum positive ordinat vel præcipit observari; sed dumtaxat loquitur & disponit, supposita certa Provinciarum consuetudine; uti in casu præsenti.

Non enim præcipit jus commune aut Concilium Tridentinum, ut Vicarii & Officialis officium in unam eamdemque personam concurrat; sive quod jurisdictio contentiosa & voluntaria eidem personæ committatur; sed dumtaxat præcipit, ut iis in Provinciis, in quibus ita fieri consuevit, is Vicarius, ob mandatam ipsi jurisdictionem contentiosam, debeat esse Doctor aut Licentiatus in *Decretis*, sive jure Canonico.

Cum autem in Provinciis extra Italiam consuetum esset distinctis personis jurisdictionis contentiosæ & voluntariæ exercitium committere, nihil adversus Decretum Concilii Tridentini aut juris communis se facere crediderunt, si huic consuetudini insistentes exercitium utriusque jurisdictionis distinctis personis committerent; atque conformiter ad inolitos mores diceretur *Vicarius Generalis* jurisdictioni voluntariæ præpositus; alius vero contentiosam exercens, diceretur simpliciter *Officialis*: atque in hoc dumtaxat requireretur gradus ille in *Decretis*; utpote quem in *Vicario* per Concilium Tridentinum requisitum esse sciebant ob jurisdictionem ipsi demandatam. Unde nec hodie gradus ille in Vicario Generali, per Episcopum aut Capitulum constituendo, hic requiritur.

Ad hæc Regimini Ecclesiæ indubie magis congruit, ut per Diœceses numerosas & extensas, jurisdictionis utriusque exercitium pluribus potius quam uni personæ committatur. Absit ut Patres Tridentini voluissent morem illum abolitum, & morem Italiæ, ubi ob exilitatem Diœcesium, unus utriusque jurisdictionis exercitio sufficere potest, inducere.

Imo Concilium Tridentinum aperte supponit, *Sede vacante* per Capitulum esse eligendum Vicarium in jure Canonico prædicatum, utpote etiam jurisdictioni contentiosæ præpositum; & tamen Capitula non unum sed plures Vicarios, etiam jure non Graduatos, eligunt, qui Vicariatum constituunt; & dein præter hos, unum Officialem nominant, pro exercitio jurisdictionis contentiosæ; eumque in jure Graduatum.

REFLEXIO II.

Quod dicunt pag. 1. in fine & sequentibus: *fateantur tamen nobiscum* &c. . . . . vix intelligimus quid dicere velint. Illud certum; distinctionem inter Vicarium Generalem & Officialem, æque apud Gallos quam apud Belgas, *suppositione* constare: scilicet Authores & Pragmaticos, qui hanc distinctionem asserunt; eam non secus ac

Bel-

Belgas, & notanter D. *van-Espen*, tanquam *notoriam* supponere, nulla adjecta probatione: neque ostendetur quod ab ullo Pragmatico, in hujus distinctionis probationem, ullum vel Principis aut Ecclesiæ Decretum adducatur.

Neque D. *van-Espen* ullam probationem in re adeo notoria adducere voluit; sed tandem urgentibus causarum Patronis, testes ejusdem notoriæ praxis assignavit *Zypæum* &c.

Quod asserunt, Consultos textum Zypæi abrasisse, & quidem *studio*: temerarium sane dictum. In primis DD. consulti non attulerunt textum Zypæi, sed dumtaxat ad eum remiserunt tanquam testem, qui conformiter ad notoriam praxim assereret cum D. *van-Espen*, quod *Vicarius Generalis*, qui ab Episcopo constituitur, constituitur ut *voluntariam*, & *Officialis* ut *contentiosam jurisdictionem* exerceat.

Porro per additam particulam *fere*, aut verbum *soleant*, nullatenus dicere voluit Zypæus quod *Vicarius Generalis* & *Officialis* ab Episcopo constituti, non semper, sed tantum *fere*, idest, non semper, esse ut (quoad exercitium jurisdictionis *voluntariæ* & *contentiosæ*) distincti: sed particula hæc *fere*, manifeste id unum significat in textu Zypæi, quod *fere* semper Episcopi *soleant* habere *Vicarium Generalem* qui voluntariam, & Officialem qui contentiosam jurisdictionem exerceat. Scitur quod Episcopi non semper habeant Vicarium Generalem, qui voluntariam exerceat jurisdictionem: quem habuisse D. Archiepiscopum modernum ante suum Romam discessum, nescimus. Itaque hæc particula *fere*, nihil ad præsentem quæstionem pertinebat, utpote cum quæstio non esset: utrum Episcopi semper habeant Vicarium Generalem & Officialem? sed unum hoc: utrum *Vicarius Generalis* & *Officialis* hic in Belgio distinguantur, quoad exercitium jurisdictionis? ut nimirum *Vicarius Generalis sit* ille qui voluntariam, & Officialis qui *contentiosam* jurisdictionem exerceat: quod apertissime asserit Zypæus; sed quod Vicarium Generalem habeant, aut habere debeant Episcopi nec asseruit D. *van-Espen*.

Sed Zypæum ibidem producunt quasi hoc in casu occurrente Consultus respondisset responso Canonico sub tit. *ne Sede Vacante*. In primis sciunt causarum Patroni quantum intersit inter Pragmaticos (qualiter *Zypæus*) scribentes opus aliquod per se constans, & ad instructionem publice edendum, & Consultationem alicujus privati, & ad casus incidentes datam? quamque frequenter hic se affectus favendi consulenti se immisceat; atque hinc contingat quod nulla pene sit causa, quantumvis male fundata, quæ non reperiat Patronum & sibi patrocinantem, & in ejus favorem consulentem.

Ad hæc scitur, ex simili responso & consultatione nihil solidi haberi posse, nisi casus cum omnibus circumstantiis sciatur: minima enim circumstantia potest responsum mutare.

Et quidem ipse Zypæus sic fatur: constitutionem esse & *mentem constituentis & loci consuetudinem, in discriminandis Officialem & Vicarium; ubi duo sunt, potestatem recidendam existimat*.

Porro quis nescit, constituentis mentem, & Vicarii potestatem ex litteris commissionis esse petendam; eam tamen Zypæus hic petit ex aliqua, quæ ante creationem Vicariorum facta esse dicebatur, Declaratione. Hoc indubie hujus viri affectum & animi propensionem respondendi in favorem consulentium Vicariorum non obscure indicat.

Præterea quia, ipso fatente, cum attendenda sit *loci consuetudo*, exprimendum fuisset an in hac Ecclesia consuetudo haberet ut Sede vacante constituerentur præter Officialem plures Vicarii Generales, cum potestate & authoritate fori contentiosi, contra omnium aliarum Ecclesiarum Belgii consuetudinem, quæ Sede vacante, unum dumtaxat constituunt Vicarium pro exercitio jurisdictionis contentiosæ, qui Officialis dicitur.

Hæc propius examinassent Doctores, & prout ex rite probatis reperissent, de jure respondissent.

Nescio quid pag. 2. velint, quasi ex his, quæ ibidem e Sinodo Mechliniensi adducta sunt, non probetur qualitatem Vicarii Generalis, & qualitatem Officialis tunc temporis duabus distinctis personis fuisse collatam,

tam, prout Doctores consulti dixerunt. Num credant duos viros, quorum alter ad Cathedram Cameracensem, alter ad Mechliniensem promotus fuit, coram Synodo incompetentem sibi titulum vel dignitatem voluisse adscribere?

Notandum quod ibidem fatentur, quod *lege ordinaria* constituatur Vicarius Generalis cum sola jurisdictione in voluntariis; Officialis vero cum jurisdictione contentiosa. Igitur recte proceditur dum non agnoscitur jurisdictio fori contentiosi in Vicario Generali, quousque plene probetur eam ipsi legitime collatam.

REFLEXIO III.

Quæ pag. 2. circa finem, & sequenti dicunt de recepto restrictius in Gallia quam in Belgio Concilio Tridentino, nihil vel parum ad præsentem quæstionem. Interim libenter fatemur, in Belgio non autem in Gallia esse publicatum dictum Concilium: neque id negatum est; sed dumtaxat dictum est quod utrum Decreta hujus Concilii *in Gallia restrictius quam in Belgio sint in usum recepta, nescimus an id probari possit?*

Fatendum & hactenus nos nescire. Licet enim non sint in usum recepta, in vim Concili Tridentini, pleraque tamen, præsertim spectantia reformationem Cleri, authoritate Prælatorum, & etiam Regia in usum recepta leguntur.

Cæterum, quæ de hac Concilii Tridentini ejusque Decretorum in Gallia receptione, nec non de Officialium revocabilitate in medium afferuntur, ad præsentem quæstionem & casum non pertinent. Quod de bis aliqua in responso altero dicta sint, id unice factum quia consultatio ejusque refutatio id exigere videretur.

Cum fateantur tandem hi causarum Patroni, pag. 2. circa medium, quod lege ordinaria videatur ab Episcopo constitutus alius Vicarius in *spiritualibus*, alius in *contentiosis*:

Igitur recte conclusit D. *Leydecker* non esse comparendum coram his Vicariis Generalibus, nisi plene probaverint ipsos præter legem ordinariam esse constitutos cum utraque potestate.

Præterea cum de jure & praxi Judex delegatus teneatur litteris Citatorialibus adjungere Litteras suas commissionis, nec alias ei credatur, quanto magis hi delegati, præter legem ordinariam, debuissent Litteras commissionis Citatorialibus adjunxisse; meritoque in eis hæc potestas non agnoscitur.

Ex his quoque Litteris intelligi debuisset, an in solidum & separatim singulis, an vero conjunctim pro exercitio jurisdictionis contentiosæ essent constituti? Et utrum generaliter pro omnibus, num vero pro hac unica D. *Leydecker*; de quibus plura garriunt Advocati ut aliquid dicere videantur.

Scitur quidem solere hic in Belgio authoritate Pontificia per Internuntium in causis Appellationum dari petentibus plures Judices delegatos, iisque omnibus & singulis *in solidum*: sed hoc nunquam visum vel auditum, quod dum unus eorum Judex fuit in causa, reliqui, qui Judices non fuerunt, sententiæ subscribant: idque eadem omnino formula, qua subscribit qui Judex in causa fuit: ita ut constare nequeat, ex formula subscriptionis, quis habuerit partes Judicis: prout in subscriptione hujus sententiæ contigit; eodem quippe modo subscribunt; imo si ex sola subscriptione judicandum esset, videretur præ reliquis D. de *Visscher* partes Judicis sustinuisse: quia hic se *Officialem* Mechliniensem, cui *Lege ordinaria* jurisdictio data censetur, scribit.

Dicunt pag. 5. vers. *specialem*, quod D. Archiepiscopus *nec recusatus fuerit, nec Canonice recusari potuerit*: utrum Canonice recusari non potuerit dubitari merito potest: sed eum non fuisse recusatum credimus, sed num non fuisset *summa imprudentiæ* in Judicem aut Judices causæ delegare, qui vel erat recusatus, aut sciebat plane esse suspectos & recusabiles: uti ibidem prætendunt Patroni.

Quod autem folio 6. vers. *vexatissime* in dubium vocari dicunt, utrum per *recusationem* suspendatur jurisdictio Judicis, ita ut post eam institutam acta per eum sint ipso jure nulla, nescio quis in dubium queat revocare: cum certum sit non minus per recusationem quam per appel-

pellationem suspendi jurisdictionem Judicis.

Quod ibidem in dubium vocare videntur, num recusatio D. de *Visscher* esset ex causa sufficienti, frivolum est: cum ipse eam ut sufficientem satis admisisse censeatur, causam ad Archiepiscopum remittendo. Præterea sicuti post appellationem legitime interpositam, acta ipso jure sunt nulla, licet postmodum declaretur male esse appellatum; ita quoque acta sunt nulla, licet recusatio judicaretur non fundata, uti in terminis tradit Wamesius.

[*Has Reflexiones propria Espenii manu exaratas invenimus, sed non subsignatas.*]



XXXV.

RESOLUTIO ESPENII (a)

A quibusdam aliis subscripta,

Circa Decretum Comitiorum Oratorii anni 1719. de Decennalibus.

CONstitutiones Oratorii D. J. in Belgio Cap. 2. ubi agitur de potestate & regimine Congregationis, ita habent: *Directio sive Regimen dictæ Congregationis, quoad personas, bona & domos, ad ejusdem Præpositos spectabit: cujus quidem directionis potestas primaria in ipso Corpore sive Conventu Congregationis legitime convocatæ, cui etiam Præpositus Congregationis suberit, & in quo pluralitatem suffragiorum tenebitur sequi, residere decernitur.*

Cap. vero 3. ubi agitur de convocatione Congregationis ita habetur: *Ab ipsa porro Congregatione sic convocata leges convocandi in posterum statuentur.*

Deinde in fine ejusdem Cap. 3. habentur sequentia: *Quæ vero a Congregatione sic legitime convocata decreta & determinata erunt, vim & effectum non habebunt, donec ab Illustrissimo seu Reverendissimo loci approbata ac confirmata fuerint.*

Ratione cujus confirmationis dandæ, Episcopus loci, ab aliquot annis, ipsemet Congregationi, seu Comitiis Generalibus, ut vocant, intervenit, quoties ipsi sic visum fuit: Alius siquidem titulus, quo iisdem Comitiis interveniat non reperitur.

Quando autem Episcopus loci, dictis Comitiis ipsemet non intervenit, vel iisdem ab initio usque ad finem non assistit; solet Congregatio ad illum deputare tres vel quatuor Presbyteros ex primariis, ut ei, nomine totius Corporis, rationem reddant actorum & Statutorum in Comitiis, seu ut ipsum de omnibus informent. Quibus Deputatis Episcopus mentem suam super actis Comitiorum, pandebat olim oretenus; ac ita censebantur omnia sufficienter approbata & confirmata. Sic adhuc processum est, 10. Augusti 1644. item 30. Julii 1652. & adhuc sæpius usque ad annum 1675.

Postmodum Episcopus loci etiam aliquando approbationem & confirmationem actorum scripto dare dignatus est, quo adminiculo Præpositus & Assistentes, omnibus & omni tempore facilius fidem facere poterant istius approbationis.

Anno 1719. in Comitiis Generalibus celebratis Mechliniæ, die 30. & 31. Augusti, Excellentissimus, nunc vero Eminentissimus Dominus Archiepiscopus Mechliniensis ab initio usque ad finem personaliter interfuit, qualem assiduitatem nullus ejus Antecessor unquam ante præstiterat.

In his Comitiis sess. 2. ad evitandas omnes inconvenientias classium, contra quas multo tempore factæ erant querelæ, omnium calculo (approbante & laudante, quin & dictante Excellentissimo Domino Archiepiscopo) decretus est modus convocandi in posterum ad Comitia Generalia; quo

(a) Primum edita in libro cui titulus: *Chronicon Oratorii apud Belgas*, Append. pag. 88.

quo statuitur *ut in posterum ultra illos qui de jure veniunt ad Comitia*, (idest Præpositus, Expræpositi, Assistentes, & Superiores Domorum) *possint etiam in iis comparere omnes & soli illi, qui decem annos Sacerdotii exegerunt in Congregatione Oratorii; etiamsi in eo videatur aliquid derogari circa illud punctum, Cap. III. de convocatione Congregationis.*

Denique dictante R. Patre *Wynants*: ex anterioribus actis Comitialibus, deputati sunt tres, qui Excellentissimo Domino gratias agerent pro Paterno erga Congregationem affectu, & peterent confirmationem actorum.

Qui Archiepiscopus, suggestione, nescitur quorum, in diversa mutatus in sua approbatione scripto data 4. Septembris, articulum illum non quidem reprobavit, sed tamen ipsius approbationem distulit, in verbis: *Excepta resolutione sess. 2. capta contra præscriptum Cap. 3. præfatarum Constitutionum, quam hactenus approbandam non duximus.*

Notandum quod Congregatio sit in possessione derogandi dictis Constitutionibus ex gravi causa; signanter in materia convocationis.

Interim jam tempus instat novorum Comitiorum. Præpositus vero sub prætextu quod hoc Statutum non sit hactenus sufficienter approbatum per Episcopum loci, renuit juxta illud Comitia convocare.

QUÆRITUR.

An Statutum, unde quæstio, sit sufficienter approbatum per Excellentissimum Dominum, qui Congregationi præsens interfuit, & Statuto consensum præbuit prout in casu? Et consequenter an liceat R. admodum Domino Præposito contra tenorem ejus, Comitia Generalia convocare?

RESPONSIO.

Visa per nos infra scriptos J. U. Doctores & Professores suprascripta casus positione; viso etiam quæsito inde formato; item lectis Capitibus 2. & 3. Constitutionum Oratorii de data 26. Maii 1634. censemus, Statutum scilicet, *ut in posterum ultra illos, qui de jure veniunt ad Comitia, possint in iis comparere omnes & soli illi, qui decem annos Sacerdotii exegerunt in Congregatione*, esse sufficienter approbatum, & confirmatum; ita ut plenam vim & effectum habere debeat.

In primis quia textus citatus Constitutionum Cap. 2. aperte decernit quod *directionis potestas primaria resideat in ipso Corpore sive Conventu Congregationis legitime convocatæ*; & Cap. 3. quod apud eamdem sit potestas, ut *ab ipsa leges convocandi in posterum statuantur.*

Nec obstat clausula finalis Cap. 3. *Quæ vero a Congregatione sic legitime convocata decreta & determinata erunt, vim & effectum non habebunt, donec ab Illustrissimo loci approbata & confirmata fuerint.* Nam approbavit penitus Archiepiscopus in ipso actu præsens, secundum ea quæ proponuntur in casu. Nulla enim est approbatio fortior, quam quæ in ipso actu fit, non applaudendo tantum, & adminiculando, sed & sua voce dictando. Quæ omnia non solum arguunt animum approbandi, sed nec interpretationem quidem aliam admittunt.

Cum enim non possit ibidem Archiepiscopus alia qualitate censeri, quam quæ relationem habet ad ista Comitia; nec in istis Comitiis alia qualitate quam approbatoris, aut confirmatoris possit agnosci; consequens est, ut quidquid ibi probando vel improbando, formaliter aut virtualiter, tacite vel aperte dicit aut negat, hoc ipso probatum vel improbatum debeat reputari. Et quidem omnibus modis convenit, eam Episcopi confirmationem in ipsis fieri Comitiis; & uno tempore, unoque tractu Statuta simul condi & confirmari; quia sic fit auditis hinc inde rationibus cum plenaria informatione; quæ alias dissolutis Comitiis & Patribus ad sua reversis haberi non potest.

Est autem penitus impertinens, quod Archiepiscopus in Casu, post dissoluta Comitia, dicatur mutasse consilium; *nec enim quamvis incontinenti facta pœnitentia contestatio, consensu finita rescindit*. Leg. 12. Cod. *de Contrahenda emptione*.

Ergo sola superest hæc difficultas, an confirmatio postmodum petita, nec universaliter scripto data, an, inquam, illa

duo

duo facta, retroactis præjudicent.

His commentis nihil potest dici ineptius. Nam petitionem quidem quod attinet, en tibi duplex solutio. Prima hæc est: quod ea petitio non tam ad confirmationem ipsam, quæ jam tum erat in prædictis, quam ad scripturam referenda sit: ut scilicet Archiepiscopus id quod verbis factisque firmaverat, dignaretur & scripto præstare, nempe ad fidem faciendam, de quo infra. II. Videtur ea petitio potius facta ex more & stylo, quam necessitate cogente: cum enim ante dictum annum 1719. nullus unquam Episcopus interfuisset Comitiis tam assidue ab initio usque ad finem, consequens est, tunc approbationem petendam fuisse post Comitia; saltem circa puncta, quæ absente Episcopo erant resoluta.

Inde cum in morem iverit approbationem petere post finita Comitia, etiam nunc sic petita fuit, juxta veterem formulam, quam ex vetustis actis dictavit P. *Wynants*.

Et quamvis ea cura in tali casu supervacua fuisset ante annum 1675. dum Episcopus non confirmabat scripto, sed oretenus, (quamquam etiam tunc dici potuisset *quod abundat non vitiat*,) nunc tamen otiosa dici non potest, postquam Episcopi scripturam addere dignati sunt. Nam intererat Congregationis hanc etiam in hoc casu obtinere, ad probandam omni tempore confirmationem actorum.

Cum ergo in Casu deputati sunt *a Comitiis ad petendam confirmationem actorum*, quæ tamen acta jam tum erant confirmata, in dictis circumstantiis, nihil aliud petiisse censendi sunt, quam scriptum illud probatorum confirmationis, quod etiam scriptum, optimo sensu vocatur *confirmatio*: quemadmodum scripturæ probatoriæ obligationum, cessionum, absolutionum, vulgatissime vocantur *obligatio*, *cessio* &c. quamvis in plerisque nihil ad substantiam rei, sed ad solam pertineant probationem.

Verum quidem est, scripturam aliquando pertinere ad substantiam actus, sed hoc obtinere non potest, nisi ex 2. capitibus, nimirum si aut lege statutum est actum aliter non valere quam scripto (ut V. G. in Testamentis:) vel inter partes ita fuerit conventum. Alioqui si naturam inspicimus, nihil ad substantiam actus pertinet scripturæ, quod evincitur, vel ex hoc solo, quod omne genus actuum celebrari potuit antequam scriberetur inter homines, & etiam nunc potest apud populos, qui non utuntur scripto. Quin & in toto jure conventiones, promissa & alia ejusdem generis definiuntur generatim, non cum relatione ad scripturam, sed simpliciter ad voluntatem qualitercumque declaratam.

Quibus omnibus nihil derogat accessio scripturæ, quæ ad probationem adhibetur; V. G. dum debitum solvo, peto apothecam; non ut per hanc extinguatur obligatio, quæ jam tum certo certius per solutionem sublata est; sed ut probem exceptionem pecuniæ solutæ, si deinceps ex eadem causa convenior.

Qua de re dici potest idem fere quod Cicero de verbis dixit: *quibus utique non uteremur, si voluntas tacitis nobis posset intelligi*. Sic inquam non uteremur scripto, si conventio vel alius actus æque sine scripto posset probari.

Est igitur illa naturalissima causa adhibendæ scripturæ, probatio scilicet omni tempore hoc adminiculo facienda: quæ alioquin aut nullo modo, aut certe non perpetuo posset fieri; V. G. testibus emortuis. Sed ad substantiam actus scripturam per se non pertinere jam evidens est, nisi eam vel lex, vel expressa conventio requirat.

Quamobrem qui talem necessitatem scripturæ ad cujusdam actus substantiam dicit pertinere, is probare debet ita cautum esse per legem; vel inter partes ita fuisse stipulatum.

Qualem probationem Præpositus in Casu non videtur unquam facturus, cum potius omnia contraria resultent ex iis, quæ proponuntur. Nam dum Episcopus loci abfuerat a Comitiis aut non semper præsens erat, Deputati oretenus dumtaxat rationem ei reddebant actorum & Statutorum in Comitiis, quibus Episcopus loci etiam oretenus mentem suam super actis Comitiorum pandebat, atque ita censebantur omnia sufficienter approbata & confirmata.

Usus autem, præsertim primævus, est optimus Constitutionum interpres; quia con-

continet factum illorum Episcoporum, qui dictas Constitutiones sibi oblatas primitus examinarunt, laudarunt & approbarunt; quique facto suo amplius declararunt quid per clausulam illam confirmationis & approbationis intellexerint.

Cum ergo asseratur quod in Comitiis, de quibus hic agitur, ab initio usque ad finem Exc. D. Archiepiscopus ipsemet interfuerit Decretis & Statutis nihil opposuerit; imo e contra Statuto, de quo hic quæstio, applauserit, ita ut illud etiam dictare dignatus fuerit, non apparet, quæ alia approbatio & confirmatio ex parte præfati Archiepiscopi fuerit necessaria; aut quid obstare possit quo minus Statutum illud a tota Congregatione omnium suffragiis conditum, plenam vim & effectum habeat, & habere debeat. Nam Constitutiones non requirunt approbationem in scriptis, imo nullam formam approbationis præscribunt, ita ut quæcumque demum approbatio, seu forma ejus sufficere debeat, uti prædicta praxis confirmat. Et est hoc beneficium, quod sequentes Episcopi voluerunt præstare Congregationi, ejusque Præpositis & Superioribus, dando eis instrumentum, quo de sua approbatione, semper & ubique docere possint: quod vero in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Cap. 61. Reg. juris in 6.

Itaque non videtur quod exceptio inserta confirmationis scriptæ, quæ demum prodiit post aliquod tempus a conclusis Comitiis, nocere aut alterare possit, post verbalem & realem approbationem, in ipso tempore & loco Congregationis factam, qua Statutum ipsum plenum robur & effectum obtinuit. Hoc amplius (salvo tamen superfluo) in hac exceptione præsumenda est sub & obreptio; præsertim cum nullam rationem dilatæ approbationis præfatus Archiepiscopus expresserit, nisi quod hoc Statutum esset contrarium Capiti 3. præfatarum Constitutionum: quæ ratio in Comitiis, ipso præsente & applaudente discussa fuit, & judicata talis ut ea non obstante, in hisce circumstantiis novum hoc Statutum, pro bono Congregationis condi posset & conveniret: quamvis & aliunde constet istud præscriptum Cap. 3. nequaquam posse obstare, tum ut ad oculum patebit inspicienti tenorem ejus, tum quia ipsa Congregatio est in possessione derogandi ejusmodi Statutis & Constitutionibus; signanter quoad materiam & modum convocandi Congregationem. Quæ possessio etiam in ipsis Constitutionibus, & nominatim in eod. illo Capite 3. ex verbis in casu citatis est fundata.

Itaque censent infrascripti, quod in casu proposito, R. adm. D. Præpositus non possit contra Statutum unde quæritur, utpote satis approbatum & confirmatum, Comitia indicere. Ita Responsum Lovanii hac 11. Augusti 1722.

(*& erat signatum*)

Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & Prof. L. *Hacquius*, J. U. D. & Prof. Ord. A. *Bauwens*, J. U. D. & Ant. Primarius.

(*infra habebatur*)

Infrascripti apud Supremum Consilium Brabantiæ Advocati, visa superiori casus positione, quæstione & resolutione Cl. DD. Præconsultorum, idem penitus censemus. Actum Bruxellis hac 16. Aug. 1722.

(*& erat signatum*)

A. *Descartes*. J. *de Plecker*. H. *van Hanewyk*.
A. *de la Chambre*. J. *de Swert*. R. E. *Swarts*.

JU-

XXXVI.

JURIS RESPONSUM ESPENII,

A quibusdam aliis Doctoribus subscriptum.

De titulo ad Ordinationem extraneorum Requisito, in Ecclesiis Catholicis Belgii Fœderati.

[*Nunc primo editum.*]

CASUS POSITIO.

A Tempore quo Provinciæ Confœderatæ redactæ sunt in potestatem Acatholicorum, bona Ecclesiastica earum Provinciarum sibi assumpserunt supremæ Potestates, & Ministris Catholicis erepta sunt; ita ut una cum ipsis bonis Ecclesiasticis, etiam Beneficiorum tituli, notanter simplicium Beneficiorum, pene omnes extincti ab eo tempore fuerint; eaque ratione contigit, ut nulli pene ad titulum Beneficii in Diœcesibus, in Provinciis illis consistentibus, ordinari potuerint.

Verum ab initio fere hujus mutationis, considerantes Ecclesiarum illarum Rectores, quod juxta spiritum & mentem Ecclesiæ, non tam essent ipsi tituli Beneficiorum, per quos proprie quis Ecclesiæ propriæ adscriberetur, & quasi homo Ecclesiæ alicujus efficeretur, sed potius ipsum Ministerium Ecclesiasticum, per quod se profitetur Ecclesiæ illius Ministrum velle constitui, & in Ministrum assumitur, non dubitarunt quin similis in Ministerium adscriptio sive assumptio vicem tituli Beneficialis sufficienter suppleret, ut similes adscripti, etiamsi non essent origine hujus Ecclesiæ, neque domicilium in ea antea fixissent, nihilominus tanquam huic jam Ecclesiæ incardinati sive incorporati, & quasi homines illius Ecclesiæ effecti, ordinari possent: quod & sic in hisce Ecclesiis practicatum fuit.

QUÆRITUR:

Utrum hæc praxis a sæculo continuata repugnet sacris Canonibus, aut modernæ Ecclesiasticæ disciplinæ.

RESOLUTIO.

In primis indubitatum est præcipuum atque a primis Ecclesiæ sæculis usitatum titulum Ordinationis fuisse adscriptionem alicujus personæ in Ministrum Ecclesiæ, per quam videbatur fieri homo istius Ecclesiæ.

Neque enim ante hujusmodi adscriptionem proprie dici poterat alicujus particularis Ecclesiæ homo, aut de foro Ecclesiæ existere; quemadmodum nullus dicitur esse de militia armata, etiamsi sit de territorio, & sub dominatu alicujus Principis, nisi prius fuerit militiæ armatæ adscriptus, atque hac adscriptione fuerit factus quasi Minister, & homo istius Militiæ, cui adscriptus est.

Hinc & notat Franciscus *Hallierius*, quod hodierni tituli domicilii & originis, antiquitus vix noti fuerint, eo quod priusquam vere dicerentur alicujus Ecclesiæ homines, deberent prius ut Ministri istius Ecclesiæ Matriculæ, sive Catalogo istius Ecclesiæ adscribi, & per eam adscriptionem se Ministros istius Ecclesiæ profiteri, & tanquam Ministros hujus Ecclesiæ esse susceptos.

Quapropter in pristinis Ecclesiæ Canonibus id unum cautum reperitur, ne unus Episcopus alienum Clericum sive Ministrum sibi adscisceret, & alteri Episcopo quasi eriperet.

Hisce sane judicantes Patres non videri alteri Episcopo eripi subditum, nisi hic jam esset in Ministrum alteri Ecclesiæ adscriptus, atque ita Minister & homo istius Ecclesiæ factus.

Hinc videmus quod in Concilio Carthaginensi III. anno 397. habito, cum Julia-

Julianus Episcopus in Diaconum ordinasset Clericum quemdam, origine quidem civem suum, sed tamen per alterum Episcopum Epigonium Lectorem factum, videmus quod Epigonius, in dicto Concilio Can. 54. de Juliano acriter fuerit conquestus dicens: „ Eundem Julianum ita temerarium & „ audacem extitisse, ut Eum, qui a se „ baptizatus & enutritus fuerat, & in „ Diœcesi Mappaliensi Lector esse cœpe- „ rat, imo annis fere duobus legerat, „ eum Julianum quasi proprium civem „ sui loci Vasaritani se inconsulto usur- „ passe, & Diaconum ordinasse. „ De quo facto sic judicaverunt Patres, respondente Numidio: „ si non postulata neque „ consulta tua Dignatione id videtur fe- „ cisse Julianus, judicamus omnes inique fa- „ ctum, atque indigne. „

Perspicuum est Patres querelam Epigonii justam reputasse adversus factum Juliani, eo præcipue titulo, quod Julianus, vetantibus sacris Canonibus, alienum Clericum, sive Ministrum usurpare, & Epigonio eripere tentasset.

Ulterius evidens est quod Patres reputaverint hunc baptizatum (licet origine esset ex Diœcesi Juliani, & etiamnum esset civis illius territorii) nihilominus per assumptionem ad Ministerium Ecclesiasticum, nimirum Lectoris, jam factum esse Ministrum, & quasi hominem istius Ecclesiæ, a qua divelli non potuerit per Julianum sine licentia Epigonii.

Imo nec per tonsuram Clericalem aut Minores Ordines non fuisse jam pridem Ecclesiis proprie adscriptos, ad effectum ut censerentur esse homines alicujus particularis Ecclesiæ, nisi quod juxta illius ætatis disciplinam tonsura Clericalis aut Minores non darentur, nisi una tamquam Ministri per hanc tonsuram Clericalem aut Minores Ordines censerentur constitui Ministri istius Ecclesiæ, & ad obeundum actualiter Ministerium sese addicerent, & assumerentur.

Hinc contigit quod postquam labentibus sæculis tonsura Clericalis, & Minores Ordines, cœperunt reputari & conferri tamquam quædam Sacramenta, & quasi quædam ad complementum sacrorum Ordinum prærequisita, sine respectu ad Ministerium sive functiones sacras per ordinatos obeundas, etiam cœperunt & tonsura Clericalis, & Minores Ordines reputari minime sufficientes, ut his mediantibus quis censeretur adscriptus Ecclesiæ, sive esse de foro Ecclesiastico: sed necessarium visum est ut post susceptam Tonsuram aut Minores Ordines esset adscriptus alicui Ecclesiæ, cujus se Ministrum esse aut futurum profiteretur.

Ita legimus Synodum Tridentinam renovando Constitutionem Bonifacii VIII. in Capitulo unico, *de Clericis conjugatis* in 6. qua Pontifex iste declaravit Clericos etiam conjugatos, modo bigami non essent, esse de foro Ecclesiastico, & consequenter privilegio fori gaudere, addidisse hanc cautionem sess. 23. Cap. 6. de Reform. *modo hi Clerici (conjugati) alicujus Ecclesiæ servitio vel Ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant vel ministrent, & Clericali habitu & Tonsura utantur.*

Similiter circa Clericos non conjugatos declaravit, quod *nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in Minoribus constitutus . . . fori privilegio gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum aut in aliqua Schola vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos versetur.* Non obscurum est, Synodum hic æquiparare initiatum prima Tonsura & initiatum Minoribus Ordinibus, atque in utroque requirere hic expressas conditiones, ut privilegio fori gaudere queant.

Ulterius fat manifestum, Synodum non refundere hoc privilegium fori in nudam & solam tonsuræ Clericalis aut Minorum Ordinum susceptionem, sed in hoc quod quis Ministerio Ecclesiastico sit actualiter applicatus, aut saltem se impendat ut Ecclesiæ servire queat.

Præterea textus Concilii Tridentini jam relatus manifeste indicat Synodum reputasse tamquam Ministerio Ecclesiæ alicujus addictum, ad eum effectum ut censeri debeat de foro Ecclesiastico & quasi homo istius Ecclesiæ, *qui in Seminario Clericorum,*

rum, aut in aliqua Schola vel Universitate de licentia Episcopi quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos versetur.

Huic & conformis est Declaratio Regis Christianissimi, data ad instantiam Cleri Gallicani, qua declaravit non tantum Beneficiatos sed etiam Scholares actualiter & sine fraude studentes, privilegio fori uti: verba sunt: *Les Ecoliers actuellement étudians & sans fraude, & aussi tous les Clercs beneficiers* &c.

Unde & sacram Congregationem declarasse refert Fagnanus ad Cap. 1. Extra, *de foro Comp.* Num. 22. quod Clericus incedens in habitu & tonsura Clericali, gaudeat privilegio, si alicui Ecclesiæ serviat, etiam sine *mandato* Episcopi, aut studeat *in aliquo Seminario*, vel Schola aut Universitate *citra sententiam* Episcopi; quia etiam cessante mandato aut licentia Episcopi habetur finis præcipuus Concilii.

Ex his in primis habemus quod Synodus Tridentina refuderit hoc privilegium fori, non tam in susceptam Tonsuram aut Minores Ordines quam in ipsum Ministerium, cui quis se impendit, & in Ministrum Ecclesiæ addicitur & assumitur.

Præterea in textu Concilii Tridentini, aliisque, nequaquam obscurum est illum reputari pro beneficiato, ad effectum ut reputetur de foro Ecclesiastico, qui licet nullum Beneficium in titulum possideat, tamen ut Minister Ecclesiæ sit adscriptus, & actualiter ei serviat; aut saltem in aliqua Universitate aut Seminario de licentia Episcopi ad Ministerium personaliter implendum studeat, & se capacem reddat; quin & tonsuram Clericalem aut Minores Ordines non requiri, ut quis censeatur tamquam Minister Ecclesiæ alicui adscriptus, ad effectum ut tamquam homo istius Ecclesiæ, & eidem incorporatus censeatur, evincit quotidiana & notoria praxis, qua videmus quod Matricularii, Cantores, quin & pueri Chori, tametsi nec tonsura Clericali, nec ullo Minori Ordine insigniti, hoc privilegio fori fruantur. Unde si quis incola alicujus Parochiæ, etiam hujus Parochiæ ratione domicilii incola manens, ad officium matriculatus, aut aliud simile officium assumatur, vigore hujus assumptionis & Ministerii efficitur subditus, & quasi homo istius Ecclesiæ; tametsi etiam actualiter aliam Parochiam incolat; potestque Parochus hujus Ecclesiæ Parochialis, cui ut Minister est incorporatus, ipsi tamquam proprius Parochus Sacramenta ministrare; ipseque moriens in ea Parochia sepeliendus erit, & Communionem etiam Paschalem in hac Parochia potest recipere; tametsi vetitum sit Parochis alterius Parochiæ incolis, Sacramenta administrare, vel ad sepulturam recipere, æque ac ipsis Episcopis alienos Diœcesanos Ordinare.

Signum evidens eos hac sola adscriptione in Ministros Ecclesiæ reputari de foro Ecclesiastico, & tanquam homines istius Ecclesiæ reputari; ac per consequens Episcopum in eos tanquam subditos posse exercere ea quæ jurisdictionis suæ sunt.

Itaque censent infrascripti, praxim, prout in casu, hactenus observatam esse plane conformem sacris Canonibus, & etiam modernæ disciplinæ, quæ pro titulo Ordinationis reputat Beneficia, non propter merum titulum Beneficii, sed propter Ministerium, quod huic Ecclesiæ, tanquam Ministri impendunt, & ab Ecclesia sunt assumpti; eaque assumptione vel adscriptione quasi homines proprii hujus Ecclesiæ sunt effecti, quales & reputantur; tametsi nondum actualiter hoc Ministerium Ecclesiæ impendant, sed ad illud implendum de licentia Episcopi vel Rectorum istius Ecclesiæ cui se addixerunt, in Seminariis aut Universitatibus, ut se aptiores ad Ministerium implendum reddant, versantur.

Quod in terminis confirmatur quoad Ecclesiam Batavicam, per Epistolam S. Congreg. *de prop. fide*, datam die 26. Januarii 1664. ad Joannem Episcopum Castoriensem & Vic. Apostol. in qua inter cætera hæc habentur: „ Cæterum ubi in „ aliquo quas diximus conditiones effulge- „ re perspexeris, poteris nedum Provin- „ ciarum istarum nationales, verum etiam „ exteros ad Sacros Ordines promovere, „ ac Missionum Ministerio applicare, si „ in aliquo ex Seminariis ad istas Pro- „ vincias spectantibus, earumdem redditi- „ bus ac fundationibus fuerint enutriti “: prout refertur Bat. Sac. p. 493.

Scitur quidem in Gallia, aliisque partibus, Episcopos aliqua ordinasse ad oc-

currendum abusibus, qui videbantur sensim invaluisse, ex libero recursu ad exteros Episcopos occasione triplicis tituli, nimirum Originis, Domicilii, & Beneficii; sed quæ hi Episcopi pro temporis circumstantiis & recto regimine suarum Ecclesiarum speciatim decreverunt, ad exteras Ecclesias nequaquam sunt extendenda; sed his unice incumbit ut quocumque modo & mediis sibi opportunis hisce abusibus pro temporum & Ecclesiarum suarum conditione satagant occurrere. Unde nec in Belgio unquam publicatum aut receptum scitur Decretum Innocentii XII. quod incipit: *Speculatores.* Sed Episcopi eo utuntur & in illo præscripta impendunt, prout ad occurrendum hic & nunc abusibus convenire judicant.

Ita resolutum Lovanii die 4. Febr. 1723.

(*Erat signat.*)

Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Professor.

A. *Bauwens*, J. U. D. & Antecessor Primarius.

F. *Verschuren*, Sacræ Theologiæ Doctor, Collegii Alticollensis Præses.

H. A. *Poringo*, J. U. Doctor & Professor.



APPENDIX AD RESOLUTIONEM XXXVI.

A.

Consultation de Docteurs de Sorbonne sur le même sujet.

MEMOIRE A CONSULTER.

Une Eglise étrangére, dont les biens ont été pillés par les Protestans, ne peut trouver dans son district qu'un très petit nombre de personnes qui soient en état de remplir les fonctions du Ministere Ecclesiastique, en sorte que si on ne s'aidoit du secours des étrangers, les peuples seroient en plusieurs endroits privés du service Divin, de la parole de Dieu, & des Sacremens. C'est pourquoi on est dans l'usage, depuis plus de cent ans, d'y incorporer des étrangers, soit Laics, soit Clercs; & aprés s'être assuré de leur capacité & de leur probité par de bons temoignages, de les élever aux Saints Ordres pour exercer, dans les endroits qu'on leur assigne les fonctions de leur Ministére. Personne jusqu'à present ne s'est opposé à cet usage.

On objecte plusieurs Canons de Conciles qui deffendent aux Evêques d'ordonner des Clercs étrangers; mais.

1. Le cas ou se trouve cette Eglise est un cas de necessité, & on sait que la necessité n'a point de loi.

2. La coutume ou l'on est d'en agir ainsi est raisonnablement établie, puisqu'autrement on ne pourroit subvenir aux besoins des fideles.

3. Les Laics qu'on ordonne sont des personnes de bonne volonté, qui y vont de bonne foi, dans le dessein de se fixer & de travailler dans les endroits qui leur sont assignés. Ainsi quoiqu'ils soient étrangers, il semble qu'on peut les ordonner à titre de Domicile, puisqu'ils s'y etablissent effectivement.

4. Pour ce qui est des Clercs étrangers, il semble aussi qu'on peut les ordonner à titre de Benefice, puisqu'on leur assigne des Paroisses dans lesquelles ils travaillent en qualité de Curés; & quoique ces Curés n'ayent point de revenus particuliers, néanmoins on trouve de quoi leur fournir ce qui pourroit leur être necessaire pour leur entretien.

On demand si cet usage où on est dans cette Eglise d'y aggreger des étrangers, & de les y faire Ordonner pour travailler au salut des fideles, est permis dans les circonstances qu'on vient d'exposer.

On prie Messieurs les Docteurs de Sorbonne de vouloir bien donner la dessus leur avis par ecrit.

REPONSE.

Les Docteurs soussignés qui ont lu l'exposé cy dessus sont d'avis.

Que

Que si d'un côté les Saints Canons ordonnent aux Evêques de se renfermer chacun dans les bornes de leur district, & de n' ordonner que ceux qui sont soumis à leur jurisdiction, ils prescrivent de l'autre que les Eglises qui se trouvent parmi les nations barbares, se conforment aux coutumes qui y sont anciennement établies. C'est la disposition du second Canon du premier Concile General de Constantinople.

Non invitati Episcopi ultra Diœcesim ne transeant ad Ordinationes faciendas, aut quaslibet alias administrationes Ecclesiasticas - - - quæ autem in Barbaris sunt gentibus, Dei Ecclesias administrari oportet, juxta eam quæ à Patribus obtinuit consuetudinem.

Cette disposition doit s'étendre aux Eglises qui se trouvent parmi les Protestans; & la coutume qu'on observe depuis plus de cent ans, dans celle sur laquelle on consulte, est d'autant plus legitime, qu'elle est fondée sur la necessité, puisqu'autrement les peuples, privés de Ministres Ecclesiastiques, le seroient aussi de la parole de Dieu, & de l'usage des Sacremens.

D'ailleurs cette coutume est conforme à l' esprit de l'Eglise, qui outre le titre de naissance, en vertu duquel on recoit les Ordres sacrés par les mains de son Evêque, permet encore de les recevoir à titre de Benefice, ou à titre de domicile.

1. *A l'egard du Domicile, quoique plusieurs Conciles ordonnent une habitation de dix années pour l'acquerir à cet effet, l'esprit de ces Conciles en faisant ces Régles, a été de s'assurer d'une maniere autentique que ceux qui recevroient ainsi les Saints Ordres, auroient une resolution veritable & constante de fixer à perpetuité leur Domicile dans le lieu ou ils auroient été ordonnés.*

Or l'Eglise étrangére dont-il s'agit, ne s'associe que des personnes dont elle connoit clairement la resolution sincere d'y fixer à perpetuité leur Domicile, comme il paroit par l'exposé.

Il faut entendre Navarre & d'autres Canonistes s'expliquer la dessus, par rapport aux pais, ou il n'y a pas de régle contraire qui y soit en vigueur: per quod probatur, *dit Navarre* (*a*), Contrahere quem Domicilium in loco ubi constituit habitare, animo ibi perpetuo habitandi vel manendi ibi; etiamsi parvo tempore manserit; quia per mansionem talem quæritur Domicilium, etiam momento temporis; ut post alios tradit etiam Philippus Francus, ubi loquitur de Domicilio quod sufficit per illum textum, ad effectum faciendi se subditum Episcopo ad hoc ut ordinari possit ab ipso, ratione Domicilii.

Barbosa dit (*b*), *en citant un grand nombre d'Auteurs:* illum qui non longo tempore degit in aliquo loco, dum tamen habuerit animum perpetuo illic permanendi, posse ab illius Antistite, aut illius accedente consensu ab alio ordinari . . . & quod supra diximus de decennio ad contrahendum incolatum requisito, non procedit ubi constat de voluntate; quia tunc eo ipso absque aliquo lapsu temporis acquiritur Domicilium sive incolatus.

Sicut commoratio, *dit van-Espen* (*c*), plurium etiam annorum non sufficit ut quis habere censeatur fixum firmumque Domicilium, ut ratione illius possit ab Episcopo aliquo ordinari; ita nec ea semper requiritur, ut verum Domicilium in aliquo loco figatur. Potest enim aliquis sine mora temporis ad aliquem locum vere migrare, ibique animo semper manendi, larem, rerumque ac fortunarum summam constituere, atque ita firmum fixumque Domicilium eligere.

2. *Pour ce qui est du titre de Benefice, il paroit qu'on peut s'en servir dans l' Eglise dont il s'agit pour ordonner des étrangers.*

En effet quoique les biens de cette Eglise aient été pillés par les Protestans, elle ne laisse pas d'avoir des titres; & l'on assigne certaines Paroisses ou Eglises à ceux aux quels on donne les Ordres, pour y travailler au salut des ames. Or ces sortes de titres aux quels on attache ceux qu'on ordonne, sont de vrais Benefices; & l'Ordination conferée de cette maniere est très conforme à la discipline de l'Eglise, selon laquelle autrefois, dit vanEspen, (*ibid. n. 6. & 7.*) hoc ipso quo quis in Clericum aut Ministrum

(*a*) Lib. 1. Cons. de temp. Ordin. consil. 2.
(*b*) In Cap. cum Nullus, de temp. Ordin.
(*c*) Jus Eccl. Univ. Part. 2. Sect. 1. Tit. 9. C. 2. N. 21.

strum Ecclesiæ ordinabatur, mox ei Ecclesiæ, vinculo perpetuo, nec sine voluntate Episcopi solubili, alligabatur, & in subditum Episcopi illius Ecclesiæ transibat, ut amplius nec originis nec Domicilii ratio haberetur; credebaturque Clericum nec alibi quam in sua Ecclesia, cui servire tenebatur, Domicilium habere. Imo, uti advertit & multis exemplis probat HALLIERIUS, loco citato §. 4. (de S. Elect. P. 2.) olim in Ordinatione vix DOMICILII aut ORIGINIS ratio habebatur.

On voit par le 6. Canon du Conc. General de Calcedoine qu'il étoit defendu d'ordonner quelq'un sans l'attacher à une Eglise: ce qui fait voir que dans les tems même ou les biens de l'Eglise n'étoient pas partagés comm'ils le sont, ni fixement attachés à divers Benefices, on ordonnoit neanmoins sous ce titre ceux qu'on attachoit à certaines Eglises pour exercer les fonctions de leurs Ordres.

Dans le cas dont il s'agit on assigne aussi certaines Eglises aux étrangers qu'on ordonne, pour y travailler au salut des fideles. C'est pourquoi on peut les ordonner à titre de Benefice. La coutume de l'Eglise étrangére sur laquelle on consulte, est fondée sur ces titres: Elle est justement établie, legitimement prescrite, & l'on est autorisé par les Conciles Generaux à s'y conformer dans la pratique. Deliberé en Sorbonne ce 24. Janv. 1723.

(*signés*)

De *Beyne*. F. H. *Delan*. *Boursier*.
De *Bellois de Franciere*. *Paul. Edmont*. *Bellot*. *Touvenot*.



XXXVII.

JURIS RESPONSUM,

Circa Prærogativas Facultatis Artium Lovaniensis,

Ab Espenio aliisque Doctoribus subscriptum.

[*Nunc primo editum.*]

J*Uris & facti Deductio seu Prærogativa privilegii Nominationum ad Beneficia Diœcesis Leodiensis concessi* FACULTATI ARTIUM STUDII GENERALIS OPPIDI LOVANIENSIS, *ante* PRIMARIAS PRECES, *ex Romanorum Pontificum Bullis, Augustiss. Imperatorum concessionibus, & constanti usu deprompta; ab objectionibus quibus illam evertere moliuntur nonnulli* PRECISTÆ CÆSAREI *vindicata, ac præstantissimorum Jurisperitorum suffragiis roborata.*

Quamvis privilegia, quibus Facultas Artium studii generalis Oppidi Lovaniensis decorata est; justissimis ex causis fuerint concessa, multisque confirmatoriis & Civilis potestatis Decretis asserta & roborata, tamen Adversariorum livorem & invidiam non sic potuerunt effugere, quin novis subinde impetantur assultibus, quos inter is sane non postremo loco habendus, quem Illustre Capitulum Beatæ Mariæ Thorensis Diœcesis Leod. nec non Rev. Dominus Jacobus *Delrée Primariis*; ut ait, *Precibus* munitus, occasione Canonicatus & Præbendæ mense Novembris 1721. in præfata Ecclesia Thorensi vacantium instaurant. Nempe illi posthabitis privilegiis, quibus indultum est Decano Facultatis Artium jus conferendi Beneficia, quæ singulis annis mense Novembri & alternis annis mense etiam Januario vacare contingit, in Civitate, Patria, & Diœcesi etiam non Patria Leodiensi, nihil non moliuntur ut præfatis Canonicatu & Præbenda provisum Academicum spoliare valeant, eorumque collationem a Decano Facultatis Artium factam, *primariarum precum* obtentu reddant inanem; sed hunc inconsultum conatum nec potest

nec

nec ferre debet Facultas Artium; cujus utique jura ac prærogativæ adeo luculentis Summorum Pontificum largitionibus, & Augustissimorum Imperatorum concessionibus ac confirmationibus nituntur; ut si aliquod illis præjudicium inferri æquo animo sustineret merito vereatur, ne in utriusque Potestatis contemptum consensisse, & paternæ hæreditatis jura videretur turpi ignavia reliquisse indefensa. Accedit publica studiorum utilitas, quæ sicut ad concedenda hujusmodi privilegia Summ. Pontificum & Augustissimorum Imperatorum animos excitavit; ita prorsus exigit ut eadem pro rationis æquitate sarta tectaque serventur, & contra irruentes Adversariorum molitiones vindicentur.

Eam ob rem adornata est hæc juris & facti deductio, in qua breviter demonstratur:

I. Per Leonem XI. Adrianum VI., Clementem VII. &c. Rom. Pontifices constitutum fuisse & ordinatum, ut nominati a Decano Facultatis Artium perpetuis futuris temporibus præferrentur & præferri deberent quibuscumque aliis, etiam habentibus *Primarias Preces* Regales & Imperiales.

II. Hanc Constitutionem & ordinationem petitam fuisse per Augustissimos Imperatores Maximilianum I. & Carolum V. qui Pontificia Diplomata suis quoque placetis confirmarunt.

III. Prætactam prærogativam Nominatorum Academicorum ante eos qui *Primariis Precibus* nituntur constanti fuisse usu receptam, & novissimis annis in Ecclesia Cathedrali Leodiensi, ac in aliis ejusdem Diœcesis Collegiatis Ecclesiis; sciente & non contradicente Augustissimo ac Clementissimo Cæsare Carolo VI. fuisse observatam; quin imo ubi anno 1647. contradictorio judicio actum fuit, eandem supremi Senatus Mechliniensis sententia meruisse corroborari.

IV. Objectiones contrarias adeo non esse ullius ponderis; ut potius Imperiali dignitati & supremæ authoritati non satis videantur congruere. Cæterum tanta est Augustissimi & Clementissimi Imperatoris & Regis Catholici pietas, benignitas, & æquitas; ut quæ olim publicæ utilitatis intuitu concessa & statuta sunt perpetua firmitatis munimine roborata velit permanere, sibique gloriæ ducat Clementissimi Imp. Caroli VI. zelum erga Academias æmulari. Quantus autem fuerit Piissimi Cæsaris zelus, & quam ardens in asserendis Universitatis Lovaniensis privilegiis studium ex fragmento Epistolæ ejusdem Imperatoris datæ ad Eminentissimos DD. Cardinales liquido constabit.

LITTERÆ AUGUSTISSIMI AC INVICTISSIMI IMPERATORIS CAROLI QUINTI.

Scripta Cardinalibus S. Eusebii, SS. Quatuor *& de* Medicis *commissis à Sanctissimo, ad Examinationem Privilegiorum Universitatis Lovaniensis 20. Novembris 1520.*

Carolus &c. Reverendissimis in Christo Patribus, Sancti Eusebii, Sanctorum *Quatuor*, & de *Medicis* Cardinalibus Amicis nostris charissimis salutem. Libertatem & privilegia UNIVERSITATI NOSTRÆ LOVANIENSI in Ducatu Brabantiæ sitæ, olim a Sede Apostolica concessa & a plerisque Romanis Pontificibus; nuper etiam a SS. Domino nostro confirmata, evertere, ut audimus, & revocari facere laborat Hieronymus Alexander Episcopi Leodiensis Cancellarius, & ob idipsum dictorum privilegiorum examinationem RR. VESTRIS PATERNITATIBUS a SS. D. NOSTRO fuisse commissam: quæ & si nullo examine indigere putemus, utpote quæ summa deliberatione ac maturitate concessa: si insuper post ista cujusquam aut recognitionis aut emendationis eguissent, in eorum confirmatione potuisset; quia tamen in accusatorem tam importunum nulla non potest esse justa defensio, nec ipsi permitti debet ut tanta audacia, quin imo licentia molestus immeritus existat, non possumus dissimulare, aut pati, tam inconsultam ejus aut Domini sui confidentiam, qui tot Pontificum acta rescindere & Sacrosancti Collegii sententiam tam recentem se immutaturos sperant: Quibus satis esse deberet, quod se liberos putarent, non qui in aliorum Libertatem nihil ad se attinentem inquirerent.

rent. Sunt profecto NOSTRÆ UNIVERSITATIS PRIVILEGIA maximis sumptibus impetrata, rectissimo usu perpetuata, multis confirmationibus armata, justissimis ex causis concessa. Et nisi consideremus REVERENDISSIMAS PATERNITATES vestras ista omnia vice nostra præ oculis habituras, diligentius de singulis ad ipsas scriberemus. Si tamen scrupulus aliquis occurrat, R. P. WILHELMO ENCKEVOIRT Consiliario & Oratori commisimus, ut rem totam sedulo declaret: sperantes nihil favoris hac in re UNIVERSITATI NOSTRÆ defuturum quod in rebus nostris propriis effetis præstituri. Gratum vero nobis futurum est quidquid in ipsam NOSTRAM UNIVERSITATEM contuleritis: cum pro ejus erectione *non mediocria de jure nostro proprio remiserimus*, & omnia ejus emolumenta, commoda, & incrementa perpetuo tamquam *nostra* & *plusquam nostra* defensuri simus. D. O. M. Præside qui &c.

PRÆROGATIVA.

Privilegii nominationum ad beneficia Diœcesis Leodiensis concessi Facultati Artium studii generalis Lovaniensis ante Primarias Preces *ex Rom. Pontificum Bullis, Augustissimorum Imperatorum concessionibus & constanti usu deprompta; ab objectionibus, quibus illam evertere moliuntur nonnulli* Precistæ Cæsarei *vindicata, ac præstantissimorum Jurisperitorum suffragiis roborata.*

1. Noverat Maximilianus hujus nominis primus Imperator, & Augustissimæ Domus Austriacæ illustre ornamentum: Noverat, inquam, ibi præcipue scientiarum studia vigere, ubi magna noscuntur esse proposita præmia, & tanto amplius juventutis animos sapientiæ & doctrinæ amore inflammari, quanto frequentius illi qui in studiorum palæstris feliciter versati sunt, seu Ecclesiasticis, seu Civilibus muniis sublimari, ac præteritorum laborum fructibus recreari conspiciuntur.

2. Noverat præterea e publicis scientiarum Scholis maximum tum *Catholicæ Religioni* tum *Reipublicæ* emolumentum accedere; & nominatim ex *Lovaniensi Palæstra* ingentem in Belgicas Provincias utilitatem redundare.

3. Hinc Princeps Benignissimus æque ac Sapientissimus ubi Belgicarum Provinciarum nactus fuit Dominium nihil habuit antiquius quam certissimis protectionis ac benevolentiæ suæ monumentis *Lovaniensem Academiam* decorare, & alterum se illius Fundatorem munificum exhibere, ea præstando præmia ac subsidia, quæ indigentium servirent necessitatibus & aliis conciliarent splendorem.

4. Constitutis itaque, in eorum qui scientias superiores profitebantur subsidium, nonnullis solatiis quæ insuper intercessionis merito a Sixto IV. P. M. impetravit privilegium, quo idem Sixtus ob publicam utilitatem de Apostolicæ potestatis plenitudine indulgebat, statuebat, & ordinabat,

5. Ut in Academia Lovaniensi Rector unum Clericum ex studentibus & Graduatis dictæ Universitatis posset nominare ad beneficia in terris temporalis Dominii ejusdem *Maximiliani & Philippi Primogeniti* consistentia. Bulla desuper confecta est anno 1483. 4. Cal. Maii, & extat parte 3. Edict. Brab. Lib. 1. Tit. V. Cap. 18.

6. Dein idem *Maximilianus* post susceptum Imperiale Diadema, *in Facultatem Artium studii generalis Lovaniensis*, quam & numerosam aliarumque Facultatum Seminarium & præ reliquis egestate gravatam conspiciebat, animum convertit, eamque Suæ benignitatis muneribus studuit sublevare.

7. Ideo tam suo quam *Caroli Archiducis* Austriæ ac Burgundiæ & Brabantiæ Ducis, & in Imperiali dignitate successoris nomine a Leone X. P. M. petiit prædictæ *Facultati Artium* seu illius *Decano*, concedi privilegium perpetuo duraturum, nominandi unum ex Magistris in Artibus. Verba sunt:

8. „ Singulis decem annis, quibuscumque „ Collegiis, Capitulis & Conventibus semel; Prælatis vero Collatoribus, Collatricibus & aliis singularibus personis habentibus dispositionem etiam qualemcumque Beneficiorum, vel Officiorum Ecclesiasticorum in terris temporalis Dominii „ Maximiliani, & Caroli Ducis . . . . .

9. „ Nec

9. „ Nec non in Civitate & Patria „ Leodiensi ac Comitatu Lossensi, & Ducatu Bullonensi, & etiam in Civitate „ Cameracensi & Comitatu Cameracesii „ prædictis, ac Tornacensi, Morinensi & „ Attrebatensi Civitatibus & Diœcesibus; „ & in Civitate Trajectensi consistentium; „ bis seu duabus distinctis vicibus, vita „ & prælatura ac administratione eorum „ durante.

10. „ Ipseque, ut præfertur, nominatus „ quodcumque beneficium vel officium Ecclesiasticum, cum cura vel sine cura in „ dictis litteris expressum, dispositioni Apostolicæ reservatione generali in corpore „ Juris clausa non reservatum... quovis „ etiam Mense Apostolico, vel ordinario „ nuncupato acceptare valeret.

11. Vel „ ut alias idem Leo in præmissis „ opportune providere de benignitate Apo„stolica dignaretur" ut patet ex Constitutione *Admonet nos*, edita anno 1513. 13. Calendas Octob. cujus compendium refertur inter Edicta Brab. parte 3. Lib. I. Tit. V. Cap. 18.

12. *Piis Maximiliani Imperatoris & Caroli* tunc *Archiducis* postulatis annuit Summus Pontifex, & pro suo in bonas Artes studio, ac erga Augustissimum Cæsarem affectu, petitum privilegium gratiose concessit; concessumque amplissimis prærogativis & antelationibus munitum esse voluit. Verba prætactæ concessionis sunt.

13. „ Nos igitur eumdem *Maximilianum* nominibus quibus supra, a qui„busvis excommunicationis, suspensionis, „ & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sen„tentiis . . . harum serie absolventes „ & absolutum fore censentes .... au„thoritate Apostolica & ex certa scien„tia, tenore præsentium perpetuo statui„mus & ordinamus:

14. „ Quod *Decanus* vel *Vicedecanus* pro „ tempore dictæ Facultatis... possit sin„gulis decem annis, a data earumdem præ„sentium computandis, quibuscumque Col„legiis, Capitulis & Conventibus semel; „ ... Prælatis vero, Collatoribus, Collatri„cibus & aliis singularibus personis haben„tibus dispositionem etiam qualemcumque „ Beneficiorum, vel Officiorum Ecclesiasti„corum in dictis terris temporalis Domi„nii Maximiliani & Caroli Ducis... nec „ non in Civitate & Patria Leodiensi, ac „ Comitatu Lossensi, & Ducatu Bullonensi; „ & etiam in Civitate Cameracensi, & „ Comitatu Cameracesii, ac Tornacensi, „ Morinensi, & Attrebatensi Civitatibus „ & Diœcesibus, & in Civitate Trajectensi „ prædictis consistentium. Etiamsi aliqui „ eorum extra terras & loca prædicta se„dem & residentiam habeant, & quacum„que præfulgeant Dignitate, bis seu dua„bus distinctis vicibus, vita, & præla„tura, ac administratione eorum durante, „ unum ex prædictis Magistris in Arti„bus ... perpetuis futuris temporibus no„minare, ipseque Nominatus, quodcumque „ Beneficium seu Officium Ecclesiasticum „ cum cura vel sine cura in dictis litteris „ (scilicet in Sixtina Bulla) expressum, „ eidem dispositioni Apostolicæ reservatio„ne generali in Corpore Juris clausa non „ reservatum . . . quovis etiam mense „ Apostolico vel ordinario nuncupato ac„ceptare valeat".

15. Infra subdit Pontifex: „ omnesque „ sic pro tempore *Nominati* præferantur „ & præferri debeant quibuscumque aliis „ etiam habentibus *Primarias Preces Regales & Imperiales*, seu alias nominatio„nes, etiam vigore quorumvis privilegio„rum & Indultorum Apostolicorum, qui„buscumque aliis studiis generalibus, etiam „ *Parisiensi*, nunc & pro tempore, etiam „ motu, authoritate, & potestate simili„bus concessorum, cum Decreto irritanti, „ si secus scienter vel ignoranter fuerit „ ab aliquo attentatum".

16. Ne autem de hujus Indulti valore posset umquam ambigi, aut de illius revocatione, suspensione, modificatione disputari, statuit & ordinavit ut sequitur:

„ Quod præsentibus litteris derogari non „ possit, nec derogatum censeatur per „ quascumque litteras Apostolicas quibus„vis personis, cujuscumque Dignitatis, „ Status, Gradus, Ordinis, & Condi„tionis existentibus, etiam familiaribus, „ continuis, commensalibus, etiam anti„quis & descriptis nostris, vel Romani „ Pontificis pro tempore existentis aut „ Episcopali seu majori Dignitate etiam „ Cardinalatus honore fulgentibus, con„cessas

„ cessas & pro tempore concedendas, etiam „ facientes plenam & expressam, ac de „ verbo ad verbum de præsentibus litteris „ mentionem etiam in se continentes quascumque clausulas, quantumcumque prægnantes, etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores, efficaciores, & insolitissimas, nisi ad minus tres fiant derogationes tribus distinctis litteris, & distinctis tribus temporum intervallis, intra quorum quodlibet ad minus quatuor „ menses existant, quas etiam tales derogationes ipsi perpetrantes toties, quoties intimare dictæ Facultati teneantur „ decernimus & declaramus . . .

17. Quin imo idem Leo aliis suis litteris anno 1516. editis, voluit & decrevit privilegium *Facultati Artium* ut præmittitur, concessum „ minime revocari, suspendi, aut modificari posse; nisi dum „ & quoties in hujusmodi revocationibus, „ suspensionibus & modificationibus de aliis „ *Sixti* ac prioribus, & posterioribus suis „ Litteris & diebus datæ earumdem *nomineque* & *dignitate* ipsius *Maximiliani in* „ *Imperatorem electi*, tam quamdiu in humanis ageret, quam eo vita functo specialis, specifica & individua, non „ autem per clausulas generales idem importantes, mentio facta foret".

18. Hocce privilegium a *Leone* X. ad instantiam Augustissimi Imperatoris *Maximiliani* concessum, cum ei adjunctis clausulis, prærogativis & antelationibus etiam specifice ante *Primarias Preces Regales* & Imperiales confirmarunt, deinceps Summi Pontifices Adrianus VI. Clemens VII. Gregorius XIII. eique perpetuæ firmitatis robur adjecerunt. Ut patet ex illorum concessionibus, relatis inter Edicta Brab. parte 3. Lib. 1. Tit. V. Cap. 18. in Bulla Pauli V.

19. Ac eo quidem privilegio jam diu gavisa fuerat Facultas Artium studii generalis Lovaniensis, dum subortis variis litibus nominatos a prædicta Facultate inter, & provisos vel a Sede Apostolica vel ab Ordinariis in Diœcesi Leodiensi, ad obviandum exorientibus inde scandalis & firmandam Academiæ tranquillitatem finem provide imposuit *Paulus* V. P.M.

20. Nimirum optimus *Pontifex* post varias de iis controversiis consultationes inter plures S.R.E. *Cardinales*, una cum *Datario* ad id negotii deputatos & Serenissimi *Alberti Archiducis* Illustrissimorum *Ordinum Brabantiæ & Academiæ Lovaniensis* Oratores, audita eorum relatione, omnibusque mature perpensis, ut exorta dissidia componeret, & præcaveret futura.

21. Indultum nominandi ad beneficia in Diœcesi Leodiensi existentia, eaque acceptandi quovis mense *Apostolico* vel *Ordinario* nuncupata, cum *Facultatis Artium* consensu mutavit & restrinxit ad ipsum jus conferendi beneficia quæcumque, quæ singulis annis mense Novembri & alternis annis mense etiam Januario vacare contingeret.

22. Sic enim statuit Pontifex anno 1616. „ Et loco ejusdem juris seu Facultatis nominandi, concedimus Decano seu Vicedecano prædictæ Facultatis Artium, „ ut perpetuis futuris temporibus ipse Decanus vel Vicedecanus . . . beneficia cum „ cura & sine cura sæcularia, in titulum „ Clericis sæcularibus conferri & per Clericos sæculares regi & gubernari solita, „ in *Civitate*, *Patria & Diœcesi* etiam „ *non Patria Leodiensi*, pro tempore per „ obitum dumtaxat vacantia, etiamsi sint „ Canonicatus & Præbendæ, Personatus, „ Administrationes, & Dignitates cujuscumque qualitatis & valoris, non tamen „ major post Pontificalem, in Ecclesia „ Leodiensi, nec principalis dignitas in „ qualibet ex Collegiatis, Civitatis, Patriæ, & totius Diœcesis, etiam non „ Patriæ Leodiensis. Illa tamen illos & illas, quæ in Civitate, Patria & Diœcesi etiam non Patria Leodiensi, per „ obitum tantum vacare contigerit in mense „ *Januarii* & *Novembris* anni proxime venturi millesimi sexcentesimi decimi septimi, & unico mense scilicet mense *Novembri* anni immediate sequentis millesimi sexcentesimi decimi octavi; & sic „ deinceps perpetuis futuris temporibus; „ conferre valeat Magistris in Artibus ibidem Graduatis & residentibus. „

23. Deinde prærogativam *Academicorum Lovaniensium* prænominatis vigore *Primariarum Precum* fartam tectamque esse & remanere voluit & statuit ut sequitur.

24. „ Quia vero antea durante facul-

„ tate

„ tate nominandi in *Civitate*, *Patria* & „ *Diœcesi* etiam non *Patria Leodiensi* nominati præferebantur juxta prædicta Indulta *Leonis X. Adriani* VI. & *Gregorii* XIII. prædecessorum, hujusmodi nominatis vigore *Primariarum Precum*, „ etiam Regalium & Imperialium, aliorumque Indultorum Apostolicorum; hinc „ nos, quod beneficia in prædictis mensibus *Decano* vel *Vicedecano* Facultatis „ Artium assignatis per obitum vacantia, „ non comprehendantur in prædictis *Primariis Precibus*, aliisque Indultis Apostolicis, nec ad illa possint fieri illorum „ vigore aliquæ nominationes, nec acceptationes declaramus & decernimus. „ Bulla refertur inter Edicta Brab. P. 3. L. 1. Tit. V. C. 18.

25. Privilegium Facultati Artium Lovaniensis, ut præmittitur concessum, a *Leone* X.: confirmatum & amplificatum ab *Adriano* VI. & *Clemente* VII. & *Maximiliani* Imperatoris precibus impetratum, cum suis prærogativis, antelationibus, derogationibus, suo placito, tum alias sæpe munivit Carolus V. Imperator, tum maxime & specialissime anno 1531.

26. Subortis siquidem nominatos, vi præfati privilegii, inter & Collatores ordinarios, qui se nimium gravari querebantur, gravissimis diffidiis, Diploma edidit Gandavi anno 1531. mensis Maii 12. & relatum inter Edicta Brab. parte 3. Lib. 1. Tit. 5. Cap. 13.

27. In quo quidem Diplomate per modum concordati, adjectis circa privilegii usum aliquot modificationibus, etiam cum Facultatis Artium consensu, declaravit & statuit ut sequitur: verba Diplomatis latine reddita sunt.

28. „ *Carolus Divina favente clementia* „ *Romanorum Imperator semper Augustus ac* „ *Germaniæ*, *Castellæ*, *Aragoniæ* &c. *Rex*, „ notum facimus quod nos *Facultatis Artium* (quæ filiæ nostræ Universitatis „ Lovaniensis insigne membrum existere dignoscitur) supplicationibus ac precibus „ benigne annuentes, & uberioris illius „ *Facultatis* commodi & profectus intuitu „ .... postquam a *Sanctiori nostro Consilio* specialiter & mature præfati articuli fuerunt discussi & examinati, nec „ non dilectorum Præsidis & aliorum magnum nostrum Consilium Mechliniæ constituentium præhabito judicio, ex certa „ nostra scientia, & plenitudine nostræ potestatis, laudaverimus, indulserimus, & „ ratihabuerimus, ac tenore præsentium „ omnes & singulos articulos præmemoratos laudemus, indulgeamus & ratihabeamus, distincte præcipientes ut perpetuo, integre & inviolabiliter observentur.

29. „ Et hujusmodi restrictionum, modificationum, ac concessionum, manente „ dispositione dederimus & indulserimus, „ demus & indulgeamus *Facultati Artium*, „ ut privilegiis a Sanctissimis quondam „ *Leone* & *Adriano* Romanis Pontificibus, „ nec non a Clemente concessis, *plene integre* & *libere* (antedictis semper salvis) gaudere, frui & uti valeat. „

30. Porro inter modificationes & restrictiones eodem insertas Diplomate, nullam reperire est, quæ *Leonini privilegii* prærogativam & antelationem ante *Primarias Preces* Imperiales & Regales vel afficiat vel minuat.

31. Porro huic prærogativæ suum consensum præbuisse censendus est Carolus V. Imperator, eamque suæ authoritatis pondere munivisse.

32. Nam qui unum excipit, aliud videtur concedere *Cap. Nonne*, *de præsump.* & exceptio aliquorum casuum firmat regulam in contrarium, quoad casus non exceptos. *Aut si*, *de non alien. Cap.* 2. *ut autem in l.* 1. *Num.* 21. & 27. *ff. de R. J.* ALEXANDER III. *Conf.* 35. *Num.* 10. *Lib.* 4. COVARRUVIAS, *Lib.* 2. *variarum resol. Num.* 6. *Cap.* 5.

33. Maxime ubi casus non excepti claris & formalibus terminis in Pontificia Constitutione expressi comperiuntur.

34. Hactenus compendiose exhibita sunt fundamenta, quibus innititur *Pontificium Cæsareum* privilegium, seu jus nominandi quo gaudet Facultas Artium, cum prærogativa nominatorum ante *Primarias Preces* quoad beneficia per nominationem affecta.

35. Et quod tanto firmius certiusque esse oportet quod iteratis *Pontificum Romanorum* concessionibus & approbationibus, nec

non Augustissimorum Cæsarum Maximiliani I. & Caroli V. assensu, & Placito, ut dictum fuit, munitum reperiatur.

36. Quid enim summa Sacerdotali & Imperiali Authoritate majus sanctiusque est? Vel quis tantæ superbiæ fastigio tumidus est, ut Regalem sensum contemnat? Cod. Lib. 1. Tit. 16. L. 22.

37. His accedit continuus usus, & consuetudo, seu possessio pacifica, quibus prædictum nominandi privilegium, & ei conjuncta ante *Primarias Preces Imperiales & Regales* prærogativa confirmatur.

38. Quem quidem longævum usum & antiquam consuetudinem modo infringi æquitas non patitur.

39. Cum inveteratam consuetudinem pro lege custodiendam jura præscribant ff. de Leg. L. 32.

40. Maxime, ubi illa consuetudo, contradictorio judicio aliquando firmata est Lib. 3. ff. eod. Tit.

41. Adeo autem præfata consuetudo & possessio, qua Nominati Lovanienses gaudent, notoria est; ut in Inferioris Germaniæ partibus nemo credatur futurus, qui eam serio negare audeat.

42. Nempe tota Leodiensis Civitas testis est ocularis, eos qui vel a bonæ Memoriæ Josepho I. Imperatore, vel ab Augustissimo & Invictissimo Carolo VI. Imperatore (cui Deus longævam vitam tribuat & perpetuam felicitatem) *Primarias Preces* ad beneficia Ecclesiarum Civitatis & Diœcesis Leodiensis obtinuerant, Nominatis Lovaniensibus hactenus fuisse postpositos.

43. Ita ut vigore precum nominationem de se factam ad beneficia, quæ deinceps vacare contigit, dirigere sibi consultum duxerint.

44. Ex plurimis exemplis, quæ adduci possent, pauca recentissima, eaque notissima proferre visum fuit.

45. In Cathedrali S. Lamberti Leodii perillustris Dominus *de Mean* vigore *Primariarum Precum* Nominatus, alteri a Facultate Artium Lovaniensi nominato, quoad Canonicatum & Præbendam in præfata Cathedrali vacantem, cessit.

46. In Collegiata Ecclesia St. *Pauli*, *Leodii D. N. du Mesnil*, similiter *Primariis* munitus *Precibus*, iteratis vicibus, vacantes Præbendas in mensibus *Facultati Artium* assignatis, coactus fuit relinquere, & earum pacificam possessionem Nominatis Academicis cedere.

47. Idem observatum fuit in Collegiata Ecclesia *St. Martini Leodii*. Item *S. Crucis* ibidem. Nec non in Collegiatis Ecclesiis *Tongrensi*, *Huensi*, *Cinacensi*, in quibus Nominati *Academici* pacificam Canonicatuum possessionem apprehenderunt, quamvis plures *Primariis Precibus* muniti existerent, quibus eosdem Canonicatus acceptandi adfuisset animus; ni tali acceptationi jura & privilegia Lovaniensia obstare advertissent.

48. Huic quidem juri & prærogativæ, quibus gaudent Lovanienses *Academici* vim inferre & pacificam eorum possessionem turbare tentavit D. *Castellan*, qui *Primariis Precibus* nixus Canonicatum in Ecclesia *Thorensi* Diœcesis Leodiensis, & mensi Facultati Artium assignato vacantem acceptare præsumsit, ejusque possessionem velut armata manu apprehendit.

49. Verum nec juri nec possessioni *Lovaniensium* ullum inde potest emergere præjudicium, duas ob rationes, easque gravissimas.

50. Prima est quod præfati Canonicatus Thorensis acceptatio facta per D. Castellan & prætensa possessio, notorie executioni mandata fuerit via facti, & nullo juris ordine servato; quin imo præter sacræ Cæsareæ suæ Majestatis intentionem. (a)

51. Dico *præter intentionem*, quia dum eo super negotio suscitata controversia *ad sacræ suæ Majestatis* cognitionem delata foret, præfata *Majestas* colloquium verbale Deputatos a Supremo *Consilio Aulico* inter, & Deputatos a *Consilio Regio Hispanico* desuper fieri mandavit; ut debitus controversiæ finis imponeretur.

52. Sed tantum abest ut hujusce colloquii exitum expectaverit præfatus *Castellan*, ut potius, quo minus dictum colloquium haberetur, allaboraverit, ut quamvis sufficienti destitutus authoritate existeret, Præbendam *Thorensem* causa pendente & indecisa posset occupare.

53. Quæ

(a) Nota D. Castellan fuisse per varias sententias exclusum a dicta Præbenda.

53. Quæ quidem occupatio & apprehensio, utpote omni ex parte vitiosa, & *Suæ Sacræ Cæsareæ Majestatis* intentioni contraria, possessioni qua multis retro temporibus gavisi fuere *Academici Lovanienses*, nequit præjudicare.

54. Accedit & alia ratio: nempe *Illustrissimus Dominus Ruremundensium Episcopus*, in quem *Facultatis Artium* seu *Nominati Lovanienses* jus ad Canonicatum, de quo translatum fuerat prædicto jure uti neglexit, nec illud prætensioni Domini *Castellan*, ut decebat, opposuit; sed aliud prorsus disparatum in provisione quadam Romana fundatum, ut ex transmissis scriptis ad Aulam Cæsaream videre est.

55. Hæc autem *Illustrissimi Domini* negligentia in allegando jure *Facultatis Artium* seu *Nominati Academici*: uti & oppositio contraria Domini *Castellan*, contra Academiæ jura minime possunt retorqueri; cum equidem res sit inter alios acta; præsertim eorum uno jus in se transfusum non allegante.

56. Eo etiam attento quod Gregorius XIII. tales cessiones, & non prosecutiones, juri Facultatis adversas, nullas, nulliusque roboris esse voluerit, & statuerit in verbis: „ insuper prohibemus expresse, ut quicumque nominationes prædictas nunc, & quandocumque habentes aut prosequentes earum juri aut prosecutioni sive simpliciter, sive alias in cujusvis favorem nullatenus cedere possint: quod si fecerint cessiones hujusmodi nullæ sint. „

57. Est & aliud exemplum, quo habens *Preces Primarias Imperiales*, Nominato Lovaniensi voluit præferri, sed illud idem Lovaniensium jus & juris possessionem confirmat.

58. Nempe cum *Theobaldus Motmans*, post impetratas a *Ferdinando* III. preces Imperiales primarias, ad *Archiepiscopum & Capitulum Cathedrale Cameracense*, ac legitime intimatas, vigore earumdem *Precum* acceptasset Canonicatum & Præbendam, quam vi Nominationis ex parte *Facultatis Artium* acceptarat *Petrus Stokmans*, & lis in possessorio coram Magno Consilio *Mechliniensi* desuper fuisset agitata, demum 7. Junii 1647. prodiit sententia, qua *Nominato Lovaniensi* plena, ut ajunt, illius Canonicatus & Præbendæ possessio fuit adjudicata.

59. Adeo scilicet notoria erat præferentia & præferentiæ possessio *Nominatorum Lovaniensium*, ante eos qui *Precibus Primariis* gaudebant, ut illis tamquam jure evidenti nitentibus præferentiam ante Precistas adjudicare non dubitaverit Supremus Senatus.

60. Nunc ad objectiones, quibus prærogativam *Facultatis Artium* evertere conantur *Precistæ*, veniendum est.

61. Primæ objectionis loco obtendunt *Precistæ*, Augustissimos Imperatores *Maximilianum & Carolum* V. postulasse & obtinuisse a *Leone* X. privilegium, quo *Facultati Artium* Academiæ Lovaniensis potestas fieret nominandi Magisterii gradu insignitos ad beneficia &c. sed eos non postulasse ut nominati, vigore dicti privilegii, præferrentur quibuscumque *Preces Primarias Imperiales* habentibus.

62. Unde inferunt per ejusmodi concessionem a *Leone* X. factam, nullum juri *Primariarum Precum* inferri potuisse præjudicium, cum, ut illi ajunt, plus fuerit concessum quam petitum.

63. Sed perperam negant *Precistæ* petitum fuisse ut nominati præferrentur *Preces Primarias* habentibus.

64. Deinde ea suppositione facta, nullum equidem inde *Facultati Artium Lovaniensi* præjudicium emergeret, ut interius ostendetur.

65. Primo, prærogativam ante *Preces Primarias* a *Maximiliano* Imperatore & *Carolo* Archiduce non fuisse petitam frustra negant Precistæ; etenim qui gratiam largitur, præcipue notabilem, perpetuis futuris temporibus duraturam, qua ipsius etiam concedentis libertas restringitur, non præsumitur Rescripto suo plus concessisse, quam continebat facta supplicatio.

66. Cum igitur Leo X. Pontifex M. clarissimis ac expressissimis verbis Nominatos Lovanienses præferri voluerit *Preces Imperiales* obtinentibus: etiam pro perpetuis futuris temporibus; consequens est quod hujusmodi prærogativam in *Nominatorum Academicorum* favorem petiverint Maximilianus I. Imperator, & *Carolus* Archidux.

67. Se-

67. Secundo: Refert Leo X. in Bullæ fuæ parte narrativa pro parte Maximiliani Imperatoris, & Caroli ſupplicatum fuiſſe, „ ut Nominatus quodcumque Beneficium „ vel Officium Eccleſiaſticum, cum Cura „ vel ſine Cura, diſpoſitioni Apoſtolicæ, „ reſervatione generali in Corpore Juris „ clauſa non reſervatum. . . . quovis etiam „ menſe *Apoſtolico* vel *Ordinario* nuncupato, „ poſſet acceptare, vel alias in præmiſſis „ opportune providere de benignitate Apo- „ ſtolica dignaretur. Ut dictum fuit Num. „ 10. & 11.

68. Si petierit Maximilianus Imperator ut Nominatis liceret acceptare quodcumque Beneficium, quod reſervatione generali in Corpore Juris clauſa non exiſteret reſervatum: qua quidem reſervatione non afficiuntur Beneficia, ad quæ *Primariæ Preces* diriguntur.

69. Si etiam petierit, ut prædicti Nominati acceptare valerent Beneficium, quod in quovis menſe, ſive *Apoſtolico*, ſive *Ordinario* vacare contingeret.

70. Conſequens eſt, quod petiverit derogari quibuſvis juribus, Statutis, Concordatis &c. quæ quovis modo privilegii Nominationum effectum poſſent impedire: qualia ſunt *Concordata Germaniæ*, *Primariæ Preces*, *Indulta Apoſtolica*, *Regulæ Cancellariæ* &c.

71. Inſuper aliæ particulæ: *vel alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaretur*, quæ ſunt ampliativæ, denotant ab Imperatore petitum fuiſſe, ut derogaretur quibuſcumque aliis privilegiis ſeu juribus ſpecialem notam merentibus; quæ præfati privilegii libero & pleno uſui poſſent obeſſe;

72. Unde, quamvis *Primariæ Preces* ſpeciali nota dignæ habeantur, cenſendus eſt Imperator petiiſſe, ut Nominati, iis non obſtantibus; in perpetuum *Preciſtis* præferrentur.

73. At huic objectioni confutandæ diutius inhærere ſupervacaneum eſt, cum Maximiliani & Caroli V. conſenſu præfata prærogativa *Nominatorum Lovanienſium* firmata reperiatur; fruſtra de petitione ambigitur, dum approbantium voluntas in aperto eſt.

74. Porro approbantium voluntas ex duplici capite demonſtratur. Prius eſt quod Maximilianus & Carolus conceſſum a Leone X. privilegium Nominandi acceptaverint, nec unquam de inferta prærogativa Nominatorum ante *Preces Primarias* fuerint conqueſti; quin potius præfato privilegio abſque contradictione plene & libere Lovanienſes Nominatos gaudere voluerint & ordinaverint.

75. Salvo eo, quod privilegium nequaquam extendi cenſeretur ad Beneficia Patronatus Laici ſui, aut Vaſallorum.

76. Quæ exceptio firmat Regulam & privilegium in iis, quæ excepta non reperiuntur.

77. Præterea Imperatoris voluntas abundantius inde manifeſtatur: nempe exortis multiplicibus querelis adverſus *Facultatem Artium*, hæc ea, qua decebat, ſubmiſſione, ab Auguſtiſſimo Carolo V. poſt ſuſceptum Bononiæ Imperiale Diadema humillime rogavit quatenus motarum difficultatum tempeſtatem ſedare & compeſcere dignaretur.

78. Cui petitioni annuens Benigniſſimus Imperator, Concordatum ſeu Diploma edi curavit 12. Maii 1531. in Civitate Gandenſi. Ut ſupra ad Num. 28. & 29.

79. In quo quidem Concordato ſeu Diplomate, ſtatutis aliquot circa uſum privilegii modificationibus ſic loquitur.

80. „ Et hujuſmodi reſtrictionum, mo- „ dificationum ac conceſſionum manente „ diſpoſitione, dederimus & indulſerimus: „ demus & indulgeamus *Facultati Artium*, „ ut privilegiis a Sanctiſſimis quondam „ Leone & Adriano Romanis Pontificibus, „ nec non a Clemente conceſſis, *plene*, „ *integre & libere* (ante dictis ſemper „ ſalvis) gaudere frui & uti valeat. „

81. Inter quas reſtrictiones & modificationes ibidem declaratas, nullam reperire eſt, quæ prærogativam privilegii Nominationum ante *Primarias Preces* vel afficiat vel minuat.

82. Ita ut perſpicuum evadat, prærogativam privilegii Nominationum ante *Primarias Preces* non poſſe in controverſiam adduci; cum de porrectis a Clementiſſimo Cæſare Maximiliano I. & Carolo V. precibus, & Pontificiæ conceſſioni ab eis præſtito aſſenſu conſtet.

83. Qui

83. Qui quidem Caroli V. Imperatoris assensus firmissimus fuit, & efficacissimus: cum non nisi matura habita deliberatione nec non Sanctioris Consilii & Supremi apud Mechlinienses Senatus præhabito judicio prodierit; & talibus demum verbis usus fuerit Imperator in suo Diplomate, quæ certissimam ipsius voluntatem & potestatis plenitudinem significabant.

84. Prima objectione sat superque confutata, aliud succedit repagulum, quo se se tueri conantur Precistæ; sed prorsus infirmum.

85. Quamvis, inquiunt, Privilegium Nominandi cum prærogativa Nominatorum ante *Preces Primarias* obtinuerint, & placitis suis firmaverint Maximilianus I. & Carolus V. id equidem non egerunt qua *Imperatores*, sed dumtaxat qua *Belgii Supremi Principes*; ac per consequens extra terras temporalis eorum Dominii facta concessio, nullius potuit esse roboris.

86. Siccine vero ab Imperiali Majestate profectas concessiones aut videre licet, aut convellere impune?

87. Sane privilegia a suprema potestate emanantia astute interpretari vetitum est sub pœna infamiæ. L. 1. Cod. *de leg.* quid ergo censendum erit, dum quæ apertissima sunt negantur, & ipsi sapientissimi Principes in crassæ ignorantiæ suspicionem adducuntur?

88. Ut pateat quantum ejusmodi objectio aberret a vero, *Leonem* Pontificem in Bulla loquentem audire sufficiet: „ *Nos igitur*, „ inquit, *eumdem Maximilianum nominibus* „ *quibus supra* (de eodem autem ut Im„ peratore actum fuerat) a quibusvis „ excommunicationis, suspensionis, & in„ terdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, „ censuris, & pœnis a jure, vel ab homi„ ne, quavis ratione vel causa latis, si „ quibus quomodolibet innodatus existit ad „ effectum dumtaxat præsentium conse„ quendum, harum serie absolventes, & „ absolutum fore censentes, hujusmodi sup„ plicationibus inclinati.

89. Id ipsum clarius expressum videre est in Bulla Adriani VI. & Clementis VII. in qua a *Leone* decretum fuisse recitatur privilegium *Facultati Artium* Lovaniensi concessum revocari, suspendi, aut modificari non posse „ nisi dum & quo„ ties in hujusmodi futuris revocationibus, „ suspensionibus, modificationibus, de aliis „ Sixti ac prioribus & posterioribus *Leo*„ *nis* prædecessoris litteris ejusmodi, & „ diebus datæ earumdem, nomineque & „ dignitate ipsius *Maximiliani in Impera*„ *torem electi*, tam quamdiu in humanis „ ageret, quam eo vita functo specialis, „ specifica & individua, non autem per „ clausulas generales idem importantes men„ tio facta foret &c. „ ut supra dictum fuit N. 17.

90. Specialis itaque dignitatis ac virtutum, quibus splendebat *Maximilianus*, intuitu, fuit inserta clausula, ne prædictorum privilegiorum derogatio, revocatio, aut modificatio existeret valida aut talis censeretur; nisi specialis, individua, & specifica fieret mentio de nomine, dignitate (nota bene) *Maximiliani in Imperatorem electi*.

91. Igitur privilegium nominandi cum omnibus ei insertis clausulis, non tantum qua Belgii Princeps rogavit & impetravit Maximilianus (ut fingunt nonnulli Precistæ) sed maxime *Imperialis* sublimitatis & dignitatis nomine.

92. Cæterum quamvis id in Pontificum Bullis specialiter expressum non reperiretur peremptorium equidem argumentum, ex subjecta materia depromere liceret, quo probetur privilegium nominandi petitum & impetratum fuisse a *Maximiliano* I. qua Imperatore.

93. Supplicatum siquidem invenitur ut nominandi privilegium, beneficia non solum qua in terris temporalis Dominii *Maximiliani* I. & *Caroli* V. quovis mense vacarent, afficeret, sed etiam beneficia vacantia in *Leodiensi* & *Cameracensi* Diœcesibus, quæ sub temporali Dominio *Maximiliani* qua Belgii Principis minime comprehenduntur; sed soli *Imperatori* & suis respective *Episcopis* parebant.

94. Quis autem non videat non aliud a Sapientissimo & Augustissimo Imperatore desideratum fuisse quam quod & Summus Pontifex poterat concedere, & ipse *Maximilianus* valebat sua authoritate firmare.

95. Tritum enim, & legibus consentaneum

neum est, Principem dum plura fieri vel mandat vel procurat, præsumi eam assumere authoritatem, quæ illis pluribus convenit; ne aliquid frustra, aut potuisse aut mandasse videatur.

96. Non minus quoque notum est quod Concordatorum Germanicorum, & competentium Collatoribus ordinariis jurium derogationi per Summum Pontificem factæ, valide consentire non potuerit *Maximilianus*, præsertim quoad Diœcesim *Leodiensem*, *Civitatem Cameracensem*, *& Comitatum Cameracesii* nisi *qua Imperator*.

97. Ergo cum certissime constat præfatum *Imperatorem* postulasse & consensisse ut *Nominatus Academicus* quodvis beneficium quovis mense *Apostolico* vel *Ordinario* nuncupato in Patria & Diœcesi *Leodiensi*; item in Civitate *Cameracensi* & Comitatu *Cameracesii* posset acceptare, id impetravit ac impetrationi consensit *Maximilianus*, non tantum qua *Belgii Princeps*; sed etiam qua *Imperator*. Idem circa prærogativam, de qua agitur, esto judicium.

98. Idem quoque de consensu ab August. *Cæsare Carolo* V. præstito censendum est. Nempe nec ille *Concordatorum Germaniæ* derogationi aut modificationi (cui tamen eum consensisse constat) poterat efficaciter consentire, nisi quatenus *Imperiali dignitate* præfulgebat.

99. Tertio loco objicere memorantur Precistæ quod quantumvis *Maximilianus* I. qua Imperator Nominatos Lovanienses aliis *Preces Primarias* habentibus præferri voluerit, juri quidem suo potuerit renunciare, quatenus id ipsi competiit; idest pro tempore sui regiminis Imperialis, non item in præjudicium suorum successorum; cum *Primariarum Precum* jus cujusvis Imperatoris respectu personale sit & habeatur. Pariformiter de consensu a *Carolo* V. præstito ratiocinantur.

100. Mirum sane id potuisse objici ab illis, qui jurium *Cæsareorum* amant videri propugnatores, & *Imperialis* culminis præcones eximii; ea siquidem admissa sententia, necesse est, ut omnia prorsus ab Imperiali benignitate profecta beneficia & privilegia corruant, vel intra unius dumtaxat regiminis angustias contineantur.

101. Et iisdem agentibus panditur via, qua Civitates, Collegia, & Academiæ, quæ ab Imperiali quondam benignitate & largitate libertates, privilegia &c. nactæ sunt, suis omnibus prærogativis destituantur; cum, si eis fides, ultra concedentis regimen extendi haud potuerint; nec *Cæsarum* ullus in præjudicium suorum successorum juri suo potuerit renunciare.

102. Quantum autem id a vero alienum sit, ita in propatulo positum videtur, ut longa refutatione minime egeat.

103. Sufficiat ergo hic referre *Cap. decet* 16. *de Reg. jur. in* 6. cujus hæc sunt verba: *Decet concessum a Principe privilegium esse permansurum*.

104. Id quod intelligitur non de beneficio mere personali, quod extinguitur morte personæ privilegiatæ, sed de privilegio quod censetur *reale*, quodque proinde *perpetuum* est, ut inquit Gloss. ibi.

105. Unde scripsit *Erasmus de Chokier* Jurisconsult. Leod. in suo Tractatu Jurisdict. Ordinar. in Exempt. Tom. 2. Part. 2. Quæst. 24. N. 2. *gratiam factam & perfecte concessam, etiam re integra mortuo concedente non expirare*.

106. Scripsit etiam *Regnet. Sixtin* in suo Tractatu Regal. Lib. 1. Cap. 6. N. 27. *quod privilegium de Regalibus concessum successori non liceat revocare, sive per electionem sive jure hæreditario successerit*, citans *Part.*, *M. de Afflict. Brun.*, *Sigism.*, *Loffred.*, *Roland.*, *Avalle.*, *Menoch.*, *Modestin.*, *Pistor.*, *Bursat*, & addens *hanc sententiam esse communiter a Doctoribus approbatam*.

107. Et certe indubitatum manet, morte Principis, qui privilegium concessit illud non extingui sive *reale* fuerit sive *personale*; sive *absolute* datum, sive ita, *ut ad libitum concedentis foret revocabile*.

108. Quamvis enim hoc ad libitum concedentis revocabile, in universum a Principis voluntate dependeat, ac vulgo obtinuerit, quæ ab alicujus voluntate libera nutuque pendent, morte ejus evanescere; cum ultra vitæ finem, voluntas humana se non extendat. *L. locatio* 4. *ff. locat.* & gratiosa concessio ad beneplacitum dantis indulta, morte ejus dicatur expirare, quasi cessante tunc beneplacito *Cap. si gratiose* 5. *de rescript. in* 6.

109. Con-

109. Considerandum tamen est Principem qua talem numquam *civiliter* deficere numquam mori, sed in successoribus superesse.

110. Unde quemadmodum morte naturali ejus, qui Principatum gerit, aut aliud officium non extinguuntur ea, quæ Principi qua tali, vel alii ut dignitatem gerenti, relicta sunt (licet alias ejus sint naturæ ut morte extinguantur) sed ad successores in Principatu aut officio transmittuntur, quasi non tam personæ quam Principatui & dignitati data. *Si quod Principi* 56. *de Legat.* 2. *L. annua* 20. §. 1. *ff. de an. Legat.*

111. Ita & ex rationis similitudine fas est, rebus humanis exempto Principe, qui ut Majestate præditus, & qua Princeps beneficia ad beneplacitum revocanda largitus fuerat, eo ipso jure non interire.

112. Ut tamen ad exemplum ejus qui sic privilegium concesserat successor Imperii quovis tempore eorum revocandorum sit habiturus potestatem.

113. Hac in nostra hypothesi non agitur de privilegio ita concesso: ut ad libitum concedentis sit revocabile; neque etiam de privilegio *personali* ad vitam privilegiati duraturo; sed revera agitur *de privilegio reali & absolute dato*.

114. Adeoque dicendum prorsus venit privilegium illud a tot Piissimis, Augustissimis *Pontificibus & Imperatoribus* concessum ac sæpius renovatum morte concedentium non expirasse.

115. Prout nec obitu personarum privilegiatarum extinctum fuisse, quoniam *Academia Lovaniensis* obiisse dici nequit, ast eadem usque huc permansit, quamvis mutatæ fuerint personæ illam componentes, uti habetur in *L. proponebatur* 76. *ff. de Judic.*

116. Et hoc tanto magis quod propter bonum publicum & per modum contractus concessum sit præfatum privilegium, ac velut ob causam onerosam; nimirum ut excitarentur viri Docti, non modo ad formandam; verum etiam ad sustinendam illam Academiam, dandasque lectiones, & docendam juventutem.

117. Cum itaque causa illa in perpetuum sit destinata, debet & privilegium *per modum remunerationis* concessum quoque durare in perpetuum.

118. Princeps enim nequit revocare privilegium subditis concessum ex *causa onerosa*: quia est concessum per modum contractus, quem naturalis justitia cum subdito initum vult servari, ut inquit *Henric. Zoes ad ff. Lib.* 1. *Tit.* 3. *N.* 37.

119. Idem dicendum est de privilegio dato *in remunerationem*; nam & hoc reducitur ad illud, quod est *per modum contractus* concessum Zoes. d. loc.

120. Exempli gratia, privilegium *immunitatis accisiarum* concessum a Principe *Scholaribus* seu venientibus ad habitandum, non potest in eorum præjudicium revocari, ut post *Castrens.* & alios in *L. digna vox Cod. de Legibus &* ARCHOR. *Cons.* 306. tradit *Petrus Peckius. Cap. decet Concessum* 16. *N.* 1. *ad fin. de Reg. Jur. in* 6.

121. Ubi hanc adfert rationem: nempe quia transivit *in contractum* & Princeps tenetur etiam subdito servare privilegium, quod transivit in contractum.

122. Aliunde; quamvis silentio præteriremus Libertates & privilegia plurima, quibus decoratæ noscuntur *Germanicæ Academiæ*, *Civitates & Collegia*: ex ipsis solummodo concessionibus *Diœcesi Leodiensi* ab Augustissimis *Imperatoribus* factis & hodiedum vigentibus peremptorium argumentum sumitur.

123. Nimirum *Joannes Chockier* in suis in *Primarias Preces Imperiales* Scholiis, pag. 41. tradit electivas dignitates *Primariis Precibus* ex peculiari Privilegio non comprehendi, sic enim ait: „ Verum in „ hac *Civitate & Diœcesi Leodiensi* Pre„ ces non afficiunt Beneficia & dignitates „ electivas ob Constitutionem Pii II. de „ data 1458. *Sixti* IV. de anno 1479. quæ „ confirmant aliam Constitutionem Eugenii „ IV. de data 1432. quoad liberam ele„ ctionem *dignitatum & Beneficiorum* in „ *Civitate & Diœcesi Leodiensi* existen„ tium. Ut & *Julii* III. de anno 1544. „ quibus accedunt Privilegia & Indulta „ *Maximiliani Imperatoris* de anno 1518. „ & *Caroli* V. de data anni 1554. successi„ ve edita & promulgata confirmantia di„ ctas *Pii*, *Eugenii* & *Sixti* Constitu„ tiones. „

124. Ex his videre est *Civitatem & Diœcesim Leodiensem* per Pontificiam concessio-

ceſſionem, *Maximiliani* I. & *Caroli* V. Imperatorum conſenſu firmatam, eo gaudere privilegio, ut *dignitates electivæ* penes liberam eligentium diſpoſitionem maneant, ac Primariis Precibus minime ſubjaceant.

125. Illud autem privilegium etiamnum viget, nec ullus invenitur qui vel ullam dignitatem electivam vi *Precum Primariarum* in Diœceſi Leodienſi auſus ſit acceptare, vel præfatum Privilegium tentaverit inde oppugnare, quod reſpectu cujuslibet Imperatoris jus *Primariarum Precum* ſit *perſonale*, aut quod *Maximilianus* I. & *Carolus* V. in ſuorum ſucceſſorum præjudicium, hanc prærogativam Leodienſibus non potuerint concedere.

126. Si memoratum privilegium Leodienſium admittatur, prout reipſa admitti debet, nonne evidens eſt admittendum quoque eſſe Privilegium Lovanienſium, cum annexa prærogativa: *ante Primarias Preces Imperiales & Regales?* cum in hoc, ſicut in iſto, ſumma *Sacerdotalis & Imperialis* poteſtas concurrerit. Item in hoc a *Primariis Precibus* eximuntur Beneficia nominatione Academica affecta, ſicut in iſto ab iisdem Precibus eximuntur dignitates electivæ.

127. Præterea quid Imperiali Diademati conjunctius eſſe poteſt jurisdictione? Nemo tamen ambigit, quin Imperator aliquos a ſua & ſuorum ſucceſſorum ordinaria jurisdictione: Ex. Gratia, Univerſitates ſtudiorum, aliave ſimilia Corpora, valide & cum effectu valeant eximere: ergo quantumvis jus *Primariarum Precum* Coronæ Imperiali annexum ſupponatur, equidem conceſſionem ab Auguſtiſſimis Imperatoribus *Maximiliano* I. & *Carolo* V. nequit infringere, nec tollere.

128. Quod ut amplius pateat, conſiderandum venit *Maximilianum* I. & *Carolum* V. Imperatores Auguſtiſſimos, non abdicaſſe vel a ſe, vel a ſuis ſucceſſoribus jus *Primariatum Precum*; ſed talem dumtaxat ſtatuiſſe modificationem, qua Facultati Artium Lovanienſi conſuleretur, ſine *Preciſtarum* diſpendio.

129. Nempe publicæ utilitatis intuitu, & ſtudiorum promovendorum gratia voluerunt, ut reſervata Facultati Artium Beneficia, ſub Primariis Precibus non comprehenderentur.

130. Reſervata autem Facultatis Artium diſpoſitioni Beneficia, juxta Bullam *Pauli* V. anno 1616. reſtrictivam, intelliguntur ea quæ ſingulis annis Novembri, & alternis annis etiam Januario menſibus per obitum dumtaxat in Patria & Diœceſi, item in Diœceſi non Patria Leodienſi, vacare contingit. Ut patet ex allatis Num. 22.

131. Ita ut biennii ſpatio, tres dumtaxat menſes, ac in iis per obitum vacantia Beneficia in dicta Diœceſi Leodienſi, ut præmittitur, ſub reſervatione Facultati Artium attributa comprehendantur.

132. Cæteri autem viginti & unus menſes liberi remaneant, ut circa Beneficia *Primariæ Preces* effectum ſuum abſque contradictione conſequantur.

133. Talem autem modificationem, ſeu Facultati Artium pro perpetuis futuris temporibus datam exemptionem, extra poteſtatis Imperialis plenitudinem fuiſſe poſitam, quis credat, aut ſuſtinere audeat? Quandoquidem de poteſtate Principis diſputare ſit inſtar ſacrilegii. L. *Diſputare* 3. Cod. *de Crim. ſacrileg. Gail.* L. 1. obſ. 14. n. 6.

134. Et præciſis in terminis ſcripſit *Regner. Sixtin*, dict. Tract. *de Regal.* L. 1. Cap. 2. N. 26. ad majorum Regalium claſſem referendum eſſe jus erigendi & privilegiis muniendi ejuſmodi Scholam, quæ hodie Univerſitas vel Academia appellatur.

135. Et id etiam uſus paſſim, & maxime in Germania abunde teſtatur. ibid.

136. Quin & extra caſum Academiarum & Studiorum, privilegia ab Auguſtiſſimis Imperatoribus ſæpius Clementiſſime conceſſa fuiſſe, non modo experti ſunt incolæ Civitatis & Patriæ Leodienſis; ſed & ipſi Brabantini Ducatus ſubditi, qui beneficio *Bullæ Aureæ* ab invictiſſimo Cæſare *Carolo* V. ſibi donatæ potiuntur.

137. Sane Summi Pontifices Academiæ Lovanienſi, quæ in totius Germaniæ inferioris, ipſiuſque Diœceſis Leodienſis commodum fundata & erecta dignoſcitur, publicæ utilitatis intuitu de ſuiſmet juribus pro ſe & ſuis ſucceſſoribus aliquid impertiri potuerunt. Quidni etiam *Imperatoribus*

bus competiit potestas, qua menses *Academiæ* destinatos, in perpetuum a *Primariis Precibus* valerent eximere?

138. Præsertim cum Augustissimos *Imperatores* non in proprium commodum, sed ad publicam suorum subditorum, & Provinciarum imperio subjectarum utilitatem, concessiones, & exemptiones hujusmodi largitos fuisse sit exploratissimum.

139. Id quidem tanto magis admittendum videtur; quod jus *Primariarum Precum*, si non plene, & integre, saltem pro parte a *Summorum Pontificum* concessione procedere non pauci existiment.

140. Ipsi quoque Augustissimi Imperatores ducentorum & amplius annorum continua serie, illud videantur agnovisse, dum supplicare soliti sunt apud Summos Pontifices ad Preces ejusmodi habendas.

141. Sic *Fredericus* III. supplicavit *Nicolao* V. ut patet ex formula Indulti: ubi inter cætera habentur: *Hinc est quod Nos tuis supplicationibus inclinati eidem Celsitudini Tuæ dicta Authoritate præsentium serie concedimus & indulgemus.*

142. Idem colligitur ex Indulto quod *Innocentius* VIII. concessit *Maximiliano* I.; quod *Leo* X. *Carolo* V.; quod *Clemens* VII. *Ferdinando* I.; quod *Pius* IV. *Maximiliano* II.; quod *Gregorius* XIII. *Rodulpho* II.; quod *Paulus* V. *Matthiæ* & *Ferdinando* II.; quod *Urbanus* VIII. *Ferdinando* III.; & *Clemens* XI. *Carolo* VI. modo feliciter regnanti.

143. Patet etiam ex forma concessionis *Precum Primariarum*, quas ipsi *Imperatores* Augustissimi porrigunt Collatoribus, in quibus quidem formulis sic loquuntur: *Quare cum nobis, ad prædecessorum nostrorum imitationem, ex inveterata consuetudine &* APOSTOLICA AUTHORITATE *per Sanctissimum in Christo Patrem DD. N. Sanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ Pontificem Maximum roborata, jus competat* PRECES PRIMARIAS . . . . *porrigendi, dandi &c.* Et infra: *Quo vero hæ Preces nostræ certiorem consequantur effectum, nominamus & deputamus* AUTHORITATE APOSTOLICA *nobis in hac parte concessa tenore præsentium* &c.

144. Idem amplius evincitur ex eo quod Summi Pontifices varia in suis Indultis beneficia soleant excipere, ut ex Indultorum formulis apud *Chokier* videre est. Exceptio autem fieri non posset si *Primariarum Precum* jus integre ab *Augustissimo Imperatore* penderet, nullaque in ea pars *Summo Pontifici* competeret.

145. Cum itaque notissimum sit, Beneficia in Indultis *Primariarum Precum* excepta a Precistis vi Precum non acceptari, nec acceptari posse: pari ratione nec ab iis valent acceptari Beneficia, quæ in *Diœcesi Leodiensi* pro perpetuis futuris temporibus Facultati Artium noscuntur reservata per Summos Pontifices, consentientibus *Maximiliano* I. & *Carolo* V. *Imperatoribus Augustissimis*.

146. Accedit communis & recepta Jurisconsultorum sententia, qui *Primariarum Precum* jus, saltem partim a summis Pontificibus pendere agnoscunt.

147. *Joannes Chokier* Leodiensis Cathedralis Canonicus, qui *Primarias Preces* Scholiis primus tentavit illustrare, pluribus operis sui partibus *Primariarum Precum* jus ex Summi Pontificis largitate procedere agnovit, signanter pag. 1. & 2. item pag. 54. ubi sic loquitur: *prima est quod jus illud nominandi seu* PRECES PRIMARIAS *concedendi Cæsar habet ex* PRIVILEGIO PONTIFICIO, *contra juris communis dispositionem &c.*

148. Idem in Scholiis ad sect. 4. pag. 61. & 62. *Facultatis Artium Lovaniensis* Nominationes *Precibus Imperialibus* præferendas esse, expressis verbis docet, idque vi privilegii Pontificii.

149. *Precum* etiam *Primariarum* efficaciam a Summo Pontifice pendere agnoscit *Reiffenstuel.* T. 3. Can. §. 20. *N.* 576. item *Henricus Piring. Tom.* 3. *Tit.* 5. *Sectione IX.* §. 6. *Num.* 367. *&* 371. *Engel. eod. Tit. Num.* 71. *Lotherius de re Benef.* 1. *q.* 6. *N.* 47. *& seqq.* & alii innumeri.

150. Celeberrimus Practicus *Gail. lib.* 2. *observ. practicarum obs.* 155. circa finem sic habet: *Hinc apparet valere* CÆSAREAS PRECES PRIMARIAS, *super Beneficiis primo vacaturis, quas* PONTIFICIS INDULTO *&* PRIVILEGIO *bene meritis, vel aliis personis idoneis conferre consuevit.*

151. Et ipse *Vitriarius* quamvis *Acatholicus Lib.* 3. *Tit.* 2. *Num.* 9. *de Inst.*

juris publici Rom. Germ. fatetur Imperatores hoc jus hodie ut Beneficium a Pontifice agnoscere ; idque clarissime patere ait ex formula qua *Paulus* V. Papa *Ferdinando* II. hoc jus indulsit . Item ex concessione similis juris quæ facta est *Ferdinando* III.

152. Hæc de *Primariarum Precum* juribus non eo animo referuntur, ut *dignitati Imperiali* quidquam detractum , aut utramque potestatem pro suis respective juribus certare velimus; sed ut illi , qui *Primariis Precibus* donati sunt , tandem intelligant caducum esse fundamentum,quo nititur argumentum , quod , ad evertendam *Facultatis Artium* Lovaniensis , *Pontificio-Cæsaream* prærogativam, tertio loco adduxerunt.

153. Cujus quidem infirmitatem & levitatem tanto clarius licet perspicere ; quod etiam illius supposita veritate nihil adversus *Nominatorum Lovaniensium* prærogativam possit concludi.

154. Sit enim *Primariarum Precum* jus *Imperiali Diademati* connexum : ita ut nulli *Cæsari* fas sit illud irrevocabiliter a se abdicare , aut ei certos præfigere terminos in gratiam alicujus *Academiæ*, quæ nominandi privilegio decorata est (quod nullus admittet).

155. Esto *Maximiliani* I. & *Caroli* V. Clementissimorum & Invictissimorum *Cæsarum* placita & concessiones , quibus prærogativam Nominatorum Academicorum ante *Primarias Preces* indulserunt , revocari possint per Augustissimos in *Imperiali dignitate* Successores.

156. Equidem certum , fixumque est , & esse debet talem prærogativam morte concedentis non interire , & velut natura sua expirare ut ostensum est , Num. 104. & seqq.

157. Sed eam tamdiu perseverare, quamdiu nova successoris voluntate non fuerit revocata ; & ea demum non fuerit adhibita revocationis solemnitas , per quam pateat eum non latuisse prædecessorum voluntatem.

158. Verum tantùm abest ut *Clementissimus Cæsar* modo feliciter regnans ejusmodi revocationem fecerit , & *Facultati Artium* prærogativam , quam Gloriosissimi ac Potentissimi Prædecessores magnis utique sumptibus & curis obtinuerunt & concesserunt, imminutam voluerit.

159. Ut potius , ex adductis Num. 45. & seqq. manifestum evadat , quod eandem integram & illam esse & manere consenserit.

160. Permisit siquidem ut Capitula *Civitatis* , *Patriæ* , & *Diœcesis Leodiensis* , *provisos Academicos* in possessionem Canonicatuum & Præbendarum admitterent , non admissis iis qui *Precibus Primariis* gaudebant.

161. Præterea dubium esse nequit, quin *Piissimus Imperator Preces Primarias* juxta Indultum Pontificium felicis recordationis *Clementis* XI. desuper anno 1714. emanatum porrexerit.

162. Atque adeo; quin *Invictissimi Cæsaris* mens fuerit, ut ea dumtaxat Beneficia acceptarentur *vi Precum* quæ *Summus Pontifex* concesserat per suum Indultum.

163. Beneficia autem *Facultati Artium*, ut præmittitur , reservata nequaquam per suum Indultum *Precibus Primariis* subjecit *Piissimus Pontifex* ; siquidem privilegiis Lovaniensium nominatim non derogavit, prout cautum fuerat per *Leonem* X. aliosque Summos Pontifices. Num. 16. 17. & 89.

164. Quin imo in Indulto *Precum Primariarum* 3. Martii anni 1714. *Romæ* dato a SS. D. *Clemente* XI. , cujus hæc erat inscriptio : *Dilectis Filiis Capitulis & Canonicis quarumcumque Cathedralium etiam Metropolitanarum & Collegiatarum Ecclesiarum per* S. R. Imperium *ubilibet existentium* , nulla vel minima derogationis species apparet.

165. Et ad majorem evidentiam, agente *Illust. Domino* ad Tractum Rheni *Nuntio Apostolico*, significatum fuit universo Clero Leodiensi , Suæ Sanctitatis intentionem fuisse , & esse ; ut *Nominati* Lovanienses, *Precistis Imperialibus* præferrentur : & collaudata fuerunt Capitula, signanter S. *Pauli* Leodii, quod *Academicos*, *neglectis Precistis*, in realem & actualem possessionem Beneficiorum admisissent.

166. Ex quibus proinde consequitur , nec per *Augustissimum Cæsarem* , *Preces* suas *Primarias* concedentem, *Privilegiis Lovaniensibus* fuisse derogatum ; sed ea , ut ante fuerant, integra & illæsa permansisse.

167. Cum

167. Cum aliunde etiam notorium sit quod ille, qui concessione aut rescripto utitur, juxta concedentis intentionem uti præsumatur.

168. Hæc ad tertiæ objectionis refutationem fusius dicta sint, cum alias ad plenam Precistarum convictionem abunde sufficeret, si serio attenderent.

169. Augustissimum & Clementissimum Imperatorem & Regem Carolum VI. modo feliciter regnantem, non minus virtutum quibus Augustissimi Antecessores *Maximilianus* I. & *Carolus* V. resplenduerunt, quam Regnorum successorem existere & hæredem; ita ut Religioni ducat & jura & privilegia subditorum servare intemerata; & Academiis, quas Imperialis Prædecessorum benignitas dotavit & evexit, suæ Cæsareæ ac Regiæ protectionis beneficium impertiri.

170. Novit enim Augustissimus Cæsar, sicut *Imperatorum Regumque sublimitas & magnitudo nullo expressius officio Dei Optimi Maximi similitudinem referre potest quam si pluribus benefecerit*, (ut Primariarum Precum textus habet,) ita nullo amplius pacto Imperatoriam Majestatem magnificam effici & gloriosam, quam dum concessorum a suis Prædecessoribus privilegiorum & Gratiarum Cæsar se præbet vindicem Religiosissimum.

Q U Æ R I T U R.

An per argumenta, in hac juris & facti deductione proposita, & responsa ad contrarias *Precistarum* objectiones, sufficienter stabilita sit prærogativa *Nominatorum* a Facultate Artium Lovaniensis, ad beneficia Civitatis, Patriæ, & Diœcesis, etiam non Patriæ Leodiensis, ante eos, qui Primariis Precibus Imperialibus nituntur?

R E S O L U T I O N E S

Clarissimorum Dominorum Juris utriusque Doctorum & Professorum Academiæ Lovaniensis.

Viso & examinato scripto, cui titulus: *Prærogativa privilegii Nominationum* &c. censet infrascriptus non tantum rationes & objectiones, quibus nonnulli *Precistæ Cæsarei* nituntur, in eo solide esse confutatas, sed plura insuper adduci argumenta, quibus nervose demonstratur prærogativam, de qua quæstio, Nominatis Academicis competere.

His præterea addi potest, quod *Preces Primarias* obtinens, vigore Rescripti Imperialis, acceptare nequeat vel prætendere ullum Beneficium aut dignitatem Ecclesiasticam, nisi quod vel quæ spectat ad collationem, præsentationem, aut quamcumque aliam provisionem Collatoris vel Collatricis, cui Imperiale Rescriptum inscribitur; ita ut si ad *Principissam Thorensem*, vel ad *Capitulum Thorense* (ut in casu præsenti) directum fuerit Augustissimi Cæsaris Rescriptum, nequeat aliud Beneficium acceptari, vel prætendi, vigore dicti Rescripti, nisi quod ad collationem præfatæ Principissæ, aut præfati Capituli (sublata in favorem Precistarum Apostolica reservatione) pertinet.

Additur: *sublata Apostolica Reservatione*; dum enim Summus Pontifex *Preces Cæsareas* admittit, simul intelligitur pro ea vice reservationem mensium suspendere; ita ut Collator ordinarius, velut suo jure conferat Beneficium mense etiam Apostolico vacans, si illud a *Precista Cæsareo* fuerit acceptatum.

Id autem non obtinet circa Beneficia, quæ mense Novembri singulis annis, & alternis annis mense etiam Januario, in Civitate, Patria & Diœcesi etiam non Patria Leodiensi, vacare contingit; cum illa pleno jure ad collationem & omnimodam provisionem Decani vel Vicedecani Facultatis Artium spectare dignoscantur; unde quantumvis Reservationes Apostolicas Mensium suspenderet vel tolleret Summus Pontifex, nihilominus Beneficia in præcitatis mensibus vacantia, omnimodæ dispositioni Decani seu Vicedecani Facultatis Artium subjacerent: prædictus siquidem Decanus Beneficiorum ut supra vacantium effectus est Collator ordinarius: ut patet ex Bulla *Pauli* V. edita anno 1616., in qua habentur sequentia: *Idem Decanus vel Vicedecanus Facultatis Artium habeat plenum jus & facultatem conferendi & immittendi suos, ut præfertur, provisos in possessionem prædictorum Beneficiorum; prout cæteri Collatores*

tores ordinarii ejusdem Patriæ Leodiensis ; & in prædictis Beneficiis & vacationibus tantum gaudeat Concordatis inter Sedem Apostolicam & Nationem Germanicam antea initis, aliisque juribus, quibus gaudent cæteri Collatores ejusdem Patriæ Leodiensis. Ex quibus liquet plenum jus providendi, suosque provisos immittendi in possessionem, competere Decano, quoad Beneficia Facultati Artium assignata ; ita ut illorum respectu prædictus Decanus sit Collator ordinarius, iisdemque prærogativis gaudeat, quæ cæteris Collatoribus ordinariis tribuuntur.

Proinde nullus est vel apparens titulus, quo Cæsareus Precista possit acceptare aut prætendere Beneficium, ad dispositionem Decani, ut præfertur, pertinens ; quandoquidem Imperiale Rescriptum non fuerit directum ad Decanum Facultatis Artium, & solum possit illas personas afficere, quibus inscribitur, & ad illa tantum beneficia se extendat, quæ ad ejusmodi personarum provisionem seu collationem spectant : ut formula *Precum Primariarum* abunde probat, & Exspectativarum, quales hodiedum sunt Preces Cæsareæ, usus confirmat. Ita resolutum Lovanii septima Maii 1722.

(*& erat signatum*)

Z. B. *Van-Espen*, J. U.D. & SS. Can. Prof.

L. *Hacquius*, J. U. D. & Prof. Ord.

J. A. *Brenart*, J. U. D. & Antecessor Primarius.

Infrascriptus idem censet cum Clarissimo D. Præconsulto. A. *Bauwens*, J. U. D. & Antecessor Primarius. L. *Wirix*, J. U. D. & Prof. Ord.

Infrascriptus idem censet cum Clarissimis D. præconsultis J. P. *Hony*, J. U. D. & Professor Ordin. H. A. *Poringo*, J. U. D. & Professor Regius.

Resolutiones Advocatorum Bruxellensium.

Visa & examinata præfata Deductione, & ponderatis argumentis & responsis in ea contentis, ac refutationibus objectionum, censent infrascripti, Supremæ Brabantiæ Curiæ Advocati, satis evidenter demonstratam esse prærogativam, qua nominati a Facultate Artium Lovaniensi sint præferendi ad Beneficia civitatis, Patriæ Diœcesis etiam non Patriæ Leodiensis, iis qui *Primariis Precibus* Imperialibus aut Regalibus nituntur. Resolutum Bruxellis 28. Dec. 1722. A. *des Cartes*. J. B. *de Wilde*. J. *Lion*.

Resolutiones Advocatorum Leodiensium.

Hanc expositionem & facti veritati, & juris communis dispositioni prorsus conformem reperio; ideo illi lubenter subscribo, salvo saniori. J. F. *de Jaer*, Senior Advocatus Leodiensis.

Hoc scriptum juris communis dispositioni omnino consentaneum esse, etiam arbitror, ac proinde eidem quoque non invitus subscribo. Salvo saniori. F. *de Gomzé*, Advocatus Leodiensis. Eidem pariter scripto, uti exemplorum quoad *Primarias Preces* relatorum, ac in Academicorum Lovaniensium favorem vel decisorum vel observatorum veritati, nec non juris tam Civilis quam Canonici dispositioni conformi, absque vel minima hæsitatione subscribo, salvo saniori. D. F. *Jenicot*, Advocatus Leodiensis.

Demonstrativam hanc juris Deductionem, (in qua solidissime firmatur provisos in vim Indulti Facultatis Artium Universitatis Lovaniensis, nominatis vigore *Primariarum Precum* esse præferendos, funditusque diluuntur objectiones, quibus nonnulli Precistæ indubitatam hanc Indulti Academici prærogativam convellere nituntur, & solent) praxi nostræ Beneficiariæ conformem esse, & juxta illam constanter judicari & observari testor : salvo saniori. H. *de Heeswyck*, Advocatus Leodiensis.

Præsentem tum facti tum juris expositionem verissimam & solidissimam censeo. A. *de Gaverelle*, Advocatus Leodiensis.

Hanc facti jurisque expositionem verissimam ac solidissimam pariter censeo. Salvo &c. *de Vaulx*.

Ego infrascriptus Publicus Cæsareus, ac in Camera Imperiali immatriculatus Notarius fidem facio, hic supra esse proprias

Advo-

Advocatorum subsignantium manus, quorum qualitatem & manum hisce recognosco & atteſtor. Leodii hac tertia mensis Novembris 1722. * F. F. *de Jace*, Publicus Cæsareus ac in Camera Imperiali immatriculatus Notarius in fidem manu & sigillo propriis.

* Fortaſſe 1723. cum enim superiores subsignationes datæ sint mensis Maii vel Decembri 1722. nequeunt ut veræ recognosci mense Novembri 1722.



APPENDIX AD RESOLUTIONEM XXXVII.

EXTRACTUM EX SENTENTIA. (a)

Lata *in magno Concilio Mechliniensi, in materia manutenentiæ Beneficialis inter Magiſtrum* N. Stockmans, *S. T. L. proviſum a Vener. Facultate Artium Lovanienſi de Canonicatu & Præbenda in Metropolitana Eccleſia Cameracenſi impetrantem, & Magiſtrum Theobaldum* Motmans, *proviſum de iisdem Canonicatu & Præbenda vi* Precum Imperialium, *citatum & opponentem; inqua inter cætera habentur ſequentia*.

„ Quod in omnem eventum D. *Motmans* in hoc concursu cum impetrante „ tanquam Nominato Lovanienſi, cedere „ deberet juxta hanc præferentiæ clausulam „ in privilegiis Facultatis Artium Lovaniensis contentam: *omnesque sic pro tempore nominati præferantur & præferri debeant quibuſcumque aliis etiam habentibus Primarias Preces Regales & Imperiales*, „ suivant la Bulle du Pape *Leon* X. circa „ finem, & *Clementis* VII.

Nous à meure deliberation faisant droit & rejettant la dite Requête validée pour civile du dit *Motmans*, & piece jointe, avons maintenu, & par cette notre sentence definitive & arrêt maintenons le dit impetrant en la possession & jouissance de la Chanoinie & Prebende en l'Eglise Metropolitaine de Cambray en question, ensemble des droits & revenus en dependans: condamnants le dit *Motmans* en l'amende de la dite Requête validée pour civile, presentée après acte dispositif; & les adjournés ès depends du procès, pour autant que chacun d'eux touche au taux de notre Grand Conseil. En temoin de ce avons fait mettre notre Seel a ces presentes. Donné en notre ville de Maline le 17. de Juin l'an de grace 1647. & de nos Regnes le 27. en bas depend le Seel de S. M. & est ecrit *Collair*, soussigné comme s'ensuit: *par le Roi à la relation du Conseil*; (*& étoit ſigné*) *Sanguessa*. Et plus bas. *Collation faite à l'original ſentence étendue ſur parchemin, cette copie eſt trouvée par moi Notaire accordée de mot à autres, que j'atteſte*. (Et étoit signé) D. *le Noir*, Not.

(a) De hac sententia agitur supra N. 59.

XXXVIII.

JURIS RESPONSUM ESPENII,

An Superioribus Domorum Oratorii interdici possit audire Confessiones, respectu Clericorum Congregationis, Fratrum, & perpetuorum Commensalium quibus præsunt?

[*Nunc primo editum* .]

CASUS POSITIO.

SI Superiori Domus N. Congregationis Oratorii Gallicani interdiceretur indiscriminatim ab Ordinario suo audire Confessiones & prædicare verbum Dei.

Quæritur 1. Utrum ille teneretur subjacere hujusmodi Interdicto, respectu Clericorum Congregationis suæ, & perpetuorum Commensalium, quibus præest.

Rationes occurrunt dubitandi, eæque, ut videtur, non contemnendæ; quæ tamen prudentum judicio, eorum vel comprobandæ calculo, vel censura refellendæ, subjiciuntur.

Primo enim cum in confesso sit apud omnes ita invaluisse usum hodiernum, ut hominum sub certis legibus, de utraque, tam Ecclesiastica quam politica authoritate, in religiosa Congregatione viventium, qui inter eos Præpositi, sive alio quovis nomine appellantur, Prælatorum sive Parochorum vices respectu subditorum, quodammodo gerant, adeoque illis singula Sacramenta, nemine reclamante, tam vivis quam morientibus administrent, videntur consequenter & ipsi Superiores Congregationis Oratorii agere posse in re hujusmodi pro jure suo, nec deterioris censeri debere conditionis.

Sic sentiunt Summistæ omnes.

Nec est quod reponatur ab ipsis fieri mentionem de solis Superioribus *Regularium*, quibuscum nihil est viris status Ecclesiastici mere sæcularis omnino commune. Nam ut ait Barbosa Jur. Ecclesf. L. 1. Cap. 43. N. 16. nomen hoc *Religiosus* aut *Regularis*, nomen est generale, omnes omnino comprehendens, qui sub Regula aliqua communiter perpetuo vivunt: quod quidem competit fere totum & Patribus Oratorii; unde etiam ab erudito viro D. *van-Espen* dicuntur *quasi Regulares*.

Unus sit instar omnium vel ipse quem modo laudavi virum, utpote qui ut Juris Canonici Consultorum peritissimus, ita & juris ejusdem peritorum consultissimus dici potest. Sic ille, Part. 2. Tit. 6. Cap. VI. N. 111. (a) „ Cum præcepto „ Divino mandatum sit omnibus, quibus „ cura animarum commissa est, oves suas „ agnoscere, atque *Sacramentorum administratione pascere*, ut loquitur Trident. „ Sess. 23. Cap. 1. de Reform. *Etiam jure* „ *Divino quodammodo mandatum* censetur „ Sacerdotibus, quibus cura animarum com„ missa est, Fidelibus hoc Sacramentum „ [Pœnitentiæ] administrare . . . . Et „ licet Synodus loquatur dumtaxat de „ habentibus beneficium Parochiale; *idem* „ *nihilominus eadem ratione ac fundamento* „ *locum obtinet in quocumque beneficio sive* „ *dignitate sæculari vel Regulari*, cui vera „ & interna cura animarum incumbit; ut „ hi qui ejusmodi beneficia & dignitates „ obtinent, & curam animarum iis an„ nexam acceperunt, *censeantur una accepisse facultatem audiendi Confessiones* „ *eorum*, *ad quos eorum cura se extendit*; „ atque eatenus *ordinarios* hujus Sacramen„ ti Ministros reputari, *nec speciali approbatione ad Confessiones excipiendas* (sub„ ditorum suorum,) indigere quod noto„ ria praxis in Decanis Canonicorum, nec „ non Abbatibus, Prioribus Conventuali„ bus, *aliisque similibus* ostendit ".

Non potuit apertius rem ipsam dicere; nam si Abbas, Prior &c. audiunt pro jure suo,

(a) In Edit. anni 1753. ibidem, Cap. VIII. N. 111. V.

suo, & sine speciali approbatione Confessiones subditorum suorum, quidni & Superior Domus Oratorianæ? Et undenam illis cura animarum magis incumberet in suos quam isti?

2. Cum ex Canone: *Omnis utriusque sexus* unicuique tam Clerico quam Laico agnoscere, semel saltem in anno, necesse sit proprium Sacerdotem cui rite confiteatur peccata sua; & proprium Sacerdotem illum intelligi declaret Synodus Audomarensis cujus curæ quisque proprie subjectus est. Quæro cujusnam curæ magis intime & immediate subjaceant Clerici Congregationis Oratorianæ? Superioris Domus quam incolunt, an Parochi cujus intra fines Parochiæ continentur, præsertim cum eadem Synodus videatur eos disertis verbis eximere, saltem quantum ad hoc, a Parochi jurisdictione, dicendo: „ Parochus „ proprius Sacerdos est Parochianorum suo„ rum, tam Sacerdotum ac Clericorum „ Parochiæ subservientium, aut in Paro„ chia habitantium, *nec ad certam Eccle„ siam pertinentium*, quam Laicorum“. Cum enim Oratorianos constet *ad certam Ecclesiam* pertinere, alium a Parocho habere dicendi sunt proprium Sacerdotem, ac proinde Domus Superiorem, nisi forte, quod absit, inter Acephalos reputentur.

3. Præterea eodem Canone, *omnis utriusque* &c. tam jubetur unicuique accipere sacram Eucharistiam a proprio Sacerdote, quam confiteri semel in anno; atqui Communionem Paschalem a suis Præpositis Clerici Oratoriani, vel ab ipsa Congregationis origine, semper accepere, a Parocho nusquam; imo nec Paschalem solummodo, sed etiam in mortis articulo, sacrum Viaticum & Ecclesiasticam sepulturam, cæteraque Pastorum erga oves munia, nusquam gentium alii præter Superiores Oratorii erga suos exercuerunt; ergo a pari censendi sunt proprii suorum Sacerdotes, adeoque speciali approbatione non indigere respectu Sacramenti Pœnitentiæ: cum non solum nullum videatur cum fundamento assignari posse discrimen cur jure haberentur proprii suorum Sacerdotes respectu sacræ Eucharistiæ, minime autem circa Pœnitentiæ administrationem; sed etiam talis intercedat, juxta hodiernam Ecclesiæ praxim, inter utrumque Sacramentum necessitudo, ut qui se habet vice Parochi in administrando sacro Viatico & Communione Paschali, huic jus ad Sacramentum reconciliationis saltem vice præparationis, & quasi per præambulum, esse videatur; quo jure excipiendi suorum Confessiones, citra Ordinarii facultatem, Superior supradictus, sin minus hactenus usum se esse fateatur, inde dumtaxat factum esse declarat, quod cum adventanti sibi ad Regendam Domum N. in Diœcesim N. ultro statim concessæ sint ab Ordinario facultates solitæ tam excipiendi Confessiones Fidelium, quam verbi Dei prædicandi; & similiter evenire soleat Collegis suis ad eadem munia destinatis; hoc sive jus proprium quasi suorum Pastores, sive privilegium quasi jam ab Ordinariis approbati indiscriminatim utentes confuderunt, & (ut in re odiosa solet) secernere distulerunt.

Et ne quis suspicetur jura illa quasi Pastoralia intra domorum limites exerceri solita ortum duxisse a principio aut ab aliquibus cum Parochis locorum pactis conventis, aut ab Ordinariorum facultate; observandum nec ullum ullibi hujusmodi Parochorum pactionis & consentionis extare vestigium, imo infelicis ipsorum dissensionis & causæ interventionis in Gallia nostra superesse nonnullum; nec ab ipsorum etiam Ordinariorum authoritate descendere, cum nullam expressis verbis hujusmodi facultatum mentionem faciant, sed tantum ubi Oratorii Sacerdotes in Diœcesibus suis sedem figere aut jubent aut sinunt, ibi *commorari & juxta eorum mores, Statuta, Institutionem, propositum vivere permittant*.

At, inquies, numquid moris est Congregationis Oratorianæ & peculiaris instituti omnimodam ab Ordinariis dependentiam circa obeunda munia quævis Ecclesiastica, & in primis Sacramenta, non profiteri solum, sed & religiosissime observare? Omnimodam profecto respectu Christianæ plebis, & quantum ad functiones omnino omnes etiam leviusculas, quæ exercentur *ad extra*; non item circa eas quæ, ut ita dicam, *ad intra*, inter privatos parietes, & erga ejusdem sodalitii viros, a Præposito Domus, obeun-

tur. Cum enim eos jubet Bulla *Sacrosanctæ*, nullas nisi de licentia Ordinariorum exercere, manifeste eas intendit, quæ a Regularibus nonnullis, in Galliis tunc temporis, etiam invitis & reluctantibus Episcopis, ex vi privilegiorum suorum exerceri erga Fideles posse putabantur; non item in eas, quæ scientibus & volentibus locorum Ordinariis, a sæculis bene multis in universo Christiano orbe, per Præpositos quorumcumque, sive Congregationum, sive Ordinum, quasi per proprios Sacerdotes exercentur erga suos.

Qua distinctione ne quis paratum effugium putet, sed petitam esse intelligat ab imis visceribus causæ; & a primigenia instituendi Oratorii ratione, ejusque propria & peculiari forma, audiatur pro re sua ipsius Oratorii Institutor & Fundator, quo non alius, circa istud negotii, testis luculentus magis. Is spiritu plenus Hierarchico, dum Romæ cuderetur Bulla Pontificia *Sacrosanctæ* &c. sedulo curavit eas leges Congregationi suæ præfigi, quibus corpus vere & undequaque Hierarchicum coalesceret; idest Sanctæ Sedi simul, & locorum Ordinariis tenaciter adhærescens, sed diversa via; Episcopis quidem per indeclinabilem & omnimodam ab ipsis solis, in opere Ministerii erga Fideles, dependentiam; Sanctæ vero Sedi, per ejus solius agnoscendam authoritatem in iis omnibus, quæ ad mores, leges, ritus, disciplinam, Congregationis suæ instituendæ, conservandæ, amplificandæ, reformandæ, & ad universam demum & optimam corporis habitudinem, qua corpus est, pertinere viderentur: Quod quidem quasi fundamentum duplex quo Congregationem stare totam voluit, tam impense cordi fuit ut Procuratori suo in Curia Romana, nec ab alterutro, latum quidem unguem, in Pontificio Diplomate discederetur, scriptitare non ante destiterit quam fuerit impetratum.

Atqui delusus fuisse videretur spe sua sapiens Institutor in re non levi, nisi Domorum suarum Præpositi animas ipsorum curæ concreditas, quas jam pascunt Sacramento Corporis Christi, & pabulo verbi Dei, eas itidem de jure possent & sine speciali approbatione, Sacramento reconciliationis fovere, excitare, & ad meliorem frugem revocare; nam quod tam proprium Pastoris munus quam sanare morbidas oves, quas nutrit & regit sanas? Et numquid ex illo in pejus necesse sit ruere ædificium totum domesticæ disciplinæ, & retro sublapsum referri, si virorum mere Ecclesiasticorum mores & studia, alieno Sacerdoti, etiam Religiosissimo viro, utputa Franciscano, semoto proprio, pro solo Ordinarii nutu, dirigendi & reformandi demandentur? quod videtur esse contra mentem & consilium Sanctæ Sedis, quæ dum Institutum Congregationis Oratorianæ, ut Ecclesiæ apprime utile comprobavit, non ab aliis profecto quam ab ejusdem Patribus, in alumnis suis promoveri & conservari voluit primævum pietatis & nativum spiritum. Unde etiam Paulus V. in Bulla Institutionis, amuens votis pii Fundatoris eamdem instituit *cum plena & omnimoda facultate exequendi alia omnia & singula a similium Congregationum, nec non quorumcumque Ordinum approbatorum Institutoribus, aut aliis Superioribus etiam Generalibus, de jure vel consuetudine sive ex privilegio aut alias quomodocumque fieri & exequi solita:* quæ facultas ne diceretur ad solum Berullium & ad Domum Parisiensem, quæ sola tunc extabat pertinere, additur a Pontifice: *omnes alias canonice deinceps erigendas Domos ad instar supradictæ, eisdem & authoritate & tenore perpetuo a se approbari & confirmari.* Unde cum constet Superiores omnes Congregationum sive Ordinum quorumcumque de jure vel consuetudine, Confessiones audire subditorum, eadem videtur esse concessa facultas Præpositis Congregationis Oratorianæ; quibus est, clausula licet generali, similis & omnimoda demandata.

Sic mentem Pontificis intelligebat & ipse Berullius. Cum enim Romæ versaretur, ibique de Sancta Sede optime meritus voluisset aliquandiu hanc facultatem ab Urbano VIII. petere, quasi dubius de jam concessa a Paulo V., fidem faciunt quæ extant adhuc ipsius Epistolæ ipsum postmodum introspecta penitius Bulla Pontificia mox laudata, mutatoque consilio abstinuisse ab obtinendo vivæ vocis Oraculo, & sive privilegio sive jure, quod sibi jam Litteris Apo-

Apostolicis consignatum & impetratum esse in Bulla legebat.

Unde videtur inferri posse Superiori Domus N. Oratorii jus esse audire suorum Confessiones, utpote nixum 1. Consuetudine Priorum, Abbatum, Præpositorum, Decanorum omnium. 2. Officio & titulo proprii Sacerdotis, quo respectu suorum, gaudere videtur ex Canone *Omnis utriusque sexus &c.* 3. Praxi perpetua administrandi suis Sacramenta cætera, & ea ipsa quibuscum habet Sacramentum Pœnitentiæ, ex usu hodierno, aliquatenus relationem; qualis Eucharistia in Paschate & in articulo mortis. 4. Authoritate Sanctæ Sedis, cujus est ea, quæ spectant ad generalem Ecclesiæ disciplinam, ut est regimen quorumcumque Ordinum, cognoscere & ordinare; quæ momenta sicubi leviora videantur quam ut in praxi sequenda sint.

Quæritur 2. Num ne, habita ratione regiminis & status supra memorati, hujus Congregationis ad Sanctam potius Sedem quam ad Episcopos recurri deceat, ut illius authoritate jus hujusmodi roboretur?

Enixe supplicatur ut ad utrumque quæsitum, secundum leges Canonicas, sine personarum acceptione, & pro sola veritate respondeatur.

R E S O L U T I O.

Viso & examinato casu proposito una cum deductione, censet infrascriptus interdictum Episcopi sive Ordinarii factum Superiori Domus Oratorii D. N. J. C. non esse extendendum ad Clericos aut Fratres sive perpetuos commensales, qui eam incolunt, & quorum ipse tanquam Superior curam habet.

Certum est enim, juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, nullos extare Fideles, sive sæculares, sive Regulares, sive in Communitate, sive extra Communitatem viventes, quibus non sit proprius Sacerdos, qui eorum tanquam immediatus Pastor & Curatus curam spiritualem gerat.

Quod satis indicat Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. C. 13. volens enim collapsam disciplinam restaurare, mandat Episcopis, ut „ in iis quoque civitatibus ac locis, ubi Parochiales Ecclesiæ „ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, „ sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, mandat, inquam, S. Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis „ commissarum salute, ut distincto populo „ in certas propriasque Parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere „ valeat, & *a quo licite Sacramenta suscipiant*; aut alio utiliori modo, prout „ loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullæ „ sunt Parochiales, quam primum fieri „ curent: non obstantibus quibuscumque „ privilegiis & consuetudinibus, etiam „ immemorialibus".

Nihil evidentius quam Synodum Tridentinum voluisse ut juxta Ecclesiæ laudabilem disciplinam Fideles haberent proprium ac perpetuum suum Parochum, qui immediatam eorum curam gereret, & *a quo solo* ipsi licite Sacramenta susciperent.

Cum igitur ex casus positione ac deductione habeatur, Clericos & Fratres seu perpetuos commensales Domus Oratorianæ N. Sacramenta accipere, non a Parocho Ecclesiæ Parochialis, sub qua Domus sita est, sed a suo Superiore: evidens est, quod illum Parochum ut suum proprium Sacerdotem seu Curatum non recognoscant; alioquin indubitate Parochi illius dici deberent Parochiani; & consequenter, uti loquitur Concilium Trid. *ab ipso solo* licite possent Sacramenta suscipere; cum tamen ea, ut jam dictum est, nec ab ipso nec ab alio de ejus commissione aut speciali licentia, quotidie suscipiant; atque etiam, ut in casu asseritur, Sacrum Viaticum & Extremam Unctionem, quorum administratio specialiter præ reliquis Parocho competit, aliis omnibus etiam Regularibus privilegiatis exclusis.

Præterea si Clerici & Fratres præfatæ Domus haberent Parochum pro suo proprio Sacerdote, certe Ecclesiam, cui ipse præest, pro Parochiali sua recognoscere deberent; ac proinde ad eam, uti reliqui Parochiani confluere, signanter in Paschate, ut ab ipso Parocho aut alio Sacerdote de ejus licentia, S. Communionem acciperent, juxta Capitulum *omnis utriusque sexus*, quod

quod in praxi observatissimum est: nemo enim ab hoc præcepto, nisi qui aliam Ecclesiam tanquam sibi propriam seu Parochialem habere noscatur, eximitur.

Quapropter cum in casu habeatur, omnes tum Clericos tum perpetuos commensales a tempore immemoriali in Ecclesia domestica, etiam tempore Paschali, absque Parochi commissione aut licentia Sacram Communionem semper suscepisse & hactenus suscipere, negari non potest quin hanc ipsam Ecclesiam tanquam Parochialem suam semper recognoverint & hactenus recognoscant; nec non Episcopi ac Parochi eam ut talem recognoverint, quandoquidem prædictos Oratorios nunquam monuerint nedum puniverint tanquam præcepto Ecclesiæ de Communione annua in Parochiali Ecclesia non satisfacientes.

Cumque insuper indubitatum sit, Parochianos de jure in Ecclesia Parochiali & a proprio Parocho sepeliendos esse, consequitur dictos Oratorios nequaquam censeri posse Parochianos Ecclesiæ Parochialis, quandoquidem sine Parochi licentia & absque electione facta, sepeliantur in domestica Ecclesia, & a Superiore ipsius Domus, uti refert casus.

Denique Superior Domus Oratorianæ eligitur, atque a Præposito Congregationis confirmatur & instituitur, ut curam suorum non tantum in temporalibus, sed & præcipue in spiritualibus habeat, *eoque collimet ut spiritum vitæ Jesu Christi D. N. Sacerdotis in æternum in ipsis excitet; atque intendat maxime animarum profectui & perfectioni, occurrendo omnibus impedimentis, ac succurrendo infirmitati & necessitatibus singulorum; firma denique in illis solidæ pietatis fundamenta jaciat & stabiliat;* uti habent Statuta Congregationis Berullianæ in Belgio, eodem quo in Galliis Fundatore institutæ.

Porro hæc evidenter satis supponunt Superioribus Domorum laudatæ Congregationis veram curam animarum, sive suos spiritualiter pascendi, committi; præsertim cum in eorum institutione nulla adjiciatur clausula, quæ Parochis (in quorum Parochiis sitæ sunt Domus) sua in illos jura conservet, prout talis clausula adjicitur dum certis Communitatibus Presbyter non tanquam proprius eorum Sacerdos seu Curatus, sed ut subsidiarius assignatur. Ita constat, jam pridem seu viris, seu mulieribus in communi viventibus subsidiarium Presbyterum assignatum fuisse, & hodiedum assignari, qui ipsis Sacramenta administret, & verbum Dei annunciet, sed cum hac clausula, *salvo jure Parochi*. Quod observatum fuisse, videmus in Beguinis, quæ licet in communi viventes Presbyterum forte haberent, a quo Sacramenta susciperent; tamen sub Parocho Parochiæ sub qua Beghinagium earum situm erat, tamdiu remanserunt, donec proprium ac peculiarem Curatum acceperint. Uti infrascriptus latius deduxit in jure Eccles. Part. 1. Tit. 33. Cap. 3.

Ex his manifeste patet Congregationem D. N. J. C. institutam esse ad instar aliarum sive secularium sive Regularium Congregationum, ut scilicet in singulis Domibus viventes suis respective Superioribus tanquam propriis & immediatis Pastoribus seu Curatis subjiciantur; nullamque præter domesticam Ecclesiam Parochialem agnoscant.

Quod quidem non obscure indicavit Paulus V. in Bulla, quæ incipit *Sacrosanctæ Rom. Eccles.* in qua P. Berullium Presbyterum designat Congregationis Oratorianæ Præpositum generalem, *cum plena & omnimoda facultate, potestate, & authoritate* eam erigendi, Statuta, Ordinationes, vitæque normam præscribendi; *aliaque omnia & singula a similium Congregationum, nec non quorumcumque Ordinum approbatorum Constitutoribus aut aliis Superioribus etiam generalibus fieri solita, faciendi* &c.

Ambiguum igitur esse non potest, quin P. Berullius conformiter ad prælaudatam Bullam, Congregationem Oratorianam ita instituerit, ut quemadmodum in aliis Ordinibus approbatis fit, singulæ Domus haberent suum peculiarem Superiorem, cum cura spirituali suorum, quæ cura eis vigore suæ Superioritatis competeret, & essentialiter seu independenter ab approbatione Episcopi annexum haberet jus & facultatem excipiendi Confessiones & prædicandi verbum Dei, iis ad quos cura ista animarum se se extendit.

Pro-

Proinde facultas excipiendi Confessiones & prædicandi verbum Dei, quam Superiores Oratorii habent, vi suæ Superioritatis, non est precaria vel delegata, ad nutum Episcopi revocabilis, sed ordinaria & quamdiu Superioritas subsistit irrevocabilis.

Concludendum igitur est, Decretum Episcopi, quo simpliciter revocat Facultatem excipiendi Confessiones & annunciandi verbum Dei, unice spectare eam facultatem, quæ est respectu Fidelium ad extra, quæque sola precaria est & ad nutum Episcopi revocabilis, non vero illam, quæ Superioribus Oratorii competit jure suæ Superioritatis sive officii sui Curati.

Quod non solum conforme est juri communi, sed & Edicto Regis Christianissimi anni 1695. in Parlamento Parisiensi probato, (*) in quo postquam Art. XI. declaraverat licentiam excipiendi Confessiones, & annunciandi verbum Dei Presbyterorum sive secularium sive Regularium ad nutum Episcopi esse revocabilem, articulo immediate sequenti declarat „ sub Articulis præcedentibus non comprehendi „ Curatos, sive seculares sive Regulares, „ qui concionari & Sacramentum pœnitentiæ in suis Parochiis administrare po„ terunt ".

Ad 2. Certum est quod si super Bulla dubium oriatur, pro interpretatione illius recurrendum esse ad Sedem Apostolicam, a qua Bulla emanavit. Ita Responsum Lovanii, hac 24. Aprilis 1724.

Z. B. *van-Espen*, J.U.D. & SS. Can. Prof.

Adhæsio Doctorum Parisiensium.

Nos infrascripti Doctores Sorbonici, censemus pariter interdictum Episcopi sive Ordinarii factum Superiori Domus Oratorii D. N. J. C. non esse extendendum ad Clericos aut Fratres seu perpetuos commensales dictæ Domus, quorum ipse tanquam Superior curam habet, & quibus Sacramenta Eucharistiæ & Extremæ Unctionis tum ex jure primævæ institutionis, tum ex consuetudine administrat. Datum Parisiis die undecima Junii anni 1724.

Goy. Boursier. Damoreau.
N. Petitpied. De Belloy de Francière. J. Chassepoux.
De Bordeaux. Touvenot. P. Boidot.
Paul. Edmont Bellot.



XXXIX.

C A S U S   R E S O L U T I O,

Circa validitatem Litterarum Resignationis sub & obreptitie obtentarum, in creditorum præjudicium, ab Espenio aliisque subscripta.

[*Nunc primum edita.*]

MEMOIRE a CONSULTER.

LE Sieur J. A. van K. *Chanoine de la Cathedrale de Tournay, étant chargé de dix mille Ecus de dettes, dont il conste par provision de 12000. florins par les sentences des Juges aux causes de la ditte Cathedrale ici vuës, il a été mis en Curatelle, raport a l'acte decerné par les dites Juges, ici pareillemens vû; ensuite il s'est avisé de resigner son Canonicat en Cour de Rome, purement & simplement, & sans y donner à connoître la portance des ses grosses redevances, pas même des liquides & adjugées, ajant au contraire exposé, contre la verité, qu'il avoit de quoi vivre commodement, sans son Canonicat. Il est qu'à present le Sieur J. T. a obtenu les Bulles de la Collation dudit Canonicat, & qu'il fait devoir de les faire placetter par S. M. J. C.*

QUÆ-

QUÆRITUR.

Si lesdites Lettres Patentes de Placet *doivent s'admettre & être mises en execution au prejudice des creanciers du Sieur* J. A. van K.

, Visis Instrumentis hic annexis & Casus positione, infrascripti Juris Utriusque Doctores censent, justissima de causa recusari posse litteras Placeti Regii, non ob id solum quod Dominus J. A. van K. Canonicus Tornacensis, pure & simpliciter Canonicatum suum resignaverit, prout colligitur ex Litteris seu Bullis Summi Pontificis, in quibus dicitur: *In Manibus nostris in sequelam infrascriptæ concordiæ sponte factam & a nobis admissam* &c. nulla facta mentione reservatæ pensionis aut alterius obtenti Beneficii, sed e contra expositum fuit per obreptionem, quod dictus D. J. A., *aliunde commode vivere valeat*; quod huc usque nullatenus apparet, ac ita dictæ litteræ Pontificis de nullitate argui possent: „ Cum juxta Constitu„ tionem Pii V. quæ incipit, *Quanta*, „ 58. in Bullario Romano, quæ inter „ alia habet: (*sed nec horum ullus sacro* „ *Ordine mancipatus nisi Religionem in-* „ *gressurus, valeat ullo modo Beneficium* „ *vel Officium Ecclesiasticum resignare nisi* „ *aliunde sit quo in vita commode possit* „ *sustentari*:) Beneficium resignare nemo „ valeat in sui vel alterius præjudicium". Quæ Constitutio cum optima nitatur ratione, ne Clerici in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogantur, in omni resignatione etiam coram Pontifice facta observari debet. Ideo hanc clausulam *si aliunde sit quo in vita commode sustentari possit*, de substantia gratiæ esse dicit Flamineus, Lib. 8. Quæst. *6.*

Ob eamdem enim rationem requisierunt Canones ut nemo admitteretur ad Sacrum Ordinem nisi eidem provisum foret vel in beneficialibus, vel saltem in patrimonialibus, unde honeste sustentari valeat; quodque eundem titulum sive patrimonii sive beneficii alienare non possit, sub pœna nullitatis. *Can. neminem* & sequenti. *Distinct.* 70. & *Cap.* 16. ꝟ *de Preb.* Syno: Prov. Mech. *Tit.* 9. *Cap.* 8. & confirmatione ad eamdem secuta *Art.* 11. & 18. Serenis: Princip. Alberti & Isabellæ.

Quare si Canones tam sollicite & sancte decreverint, ne quis per resignationem sui beneficii vel Officii ad inopiam redigatur, quantum magis hoc locum habere debet quoties simul & ad inopiam redigitur, & jam ante infinitis debitis obæratus, suos fraudat creditores; cum hac resignatione omnes omnino creditores, qui bona fide ei crediderunt, scientes sibi posse satisfieri ex fructibus beneficii jam obtenti & possessi, credito suo contra omnem æquitatem & justitiam frustrentur: quod minus adhuc tolerari debet in casu posito, cum dictus D. J. A. van K., fuerit positus per Capitulum Cathedrale Tornacenie in Curatela; positis vero in Curatela omnis alienatio bonorum est interdicta *L. 6. ff. de V. O.* (quia tamquam prodigi tales considerantur) maxime eo casu quo creditores fraudantur; quia omnis alienatio in fraudem creditorum facta, aut ipso jure nulla est, vel saltem revocanda: toto titulo: *ff. & Cod. quæ in fraudem creditorum facta sunt ut restituantur.*

Ob has & plures similes rationes ex Instrumentis annexis deducendas, denegari posset executio Litterarum Apostolicarum, unde quæstio.

Sed præcipue ob hanc solam Litteræ Placeti denegari possunt (salvo meliori judicio) quod usus istarum Litterarum ab antiquissimo jure hic introductus observatus ac confirmatus sit, ne damnum aliquod Regi, Reipublicæ, Vasallis aut subditis inferatur, per Litteras aut Bullas Pontificis, cujuscumque generis, quæ per sub vel obreptionem sæpe obtinentur: ac magis ob importunitatem petentium quam ex libera voluntate conceduntur, pro ut ipsemet Pontifex conqueritur in *Cap.* 10. ꝟ *de Rescriptis*. *Cap.* 20. ꝟ *de Preb. Cap.* 2. *de Concess. Preb. in Sexto*, & aliis locis.

In casu vero posito verosimiliter dictæ Litteræ sub & obreptitie acceptæ sunt; nec sine manifesto detrimento Reipublicæ & subditorum similes Litteræ executioni mandari possunt, ne sic via aperiatur obæratis Clericis Beneficiatis, Beneficia sua in fraudem creditorum suorum resignandi, ac ita clan-

clanculo eosdem eludendi; quod Ecclesia numquam toleravit nec tollerari potest, prout constat ex Tit. *de obligatis ad ratiocinia non ordinandis*.

Hic enim finis manifestissime colligitur ex Pragmatica Sanctione Philippi II. de anno 1574. cujus verba refert Amp. D. *Stockmans* in *Jure Belgarum Cap.* 2. *N.* 1. in fine hoc tenore: *desirant que les affaires Ecclesiastiques soient conduites maintenues & reglées selon les anciennes Constitutions, Canons & Conciles de la S. Eglise, a l'honneur de Dieu & salut de nos ames, avons par avis & deliberation de nos principaux Consaux Souverains & Provinciaux de par deça, ordonné, statué, & declaré par forme d'Edict perpetuel, comme ordonnons &c. que nulles Bulles, provisions ni autres depeches ou impetrations de Rome, ni des Legats ou Nonces Apostoliques, ou revocations d'aucunes graces, Indults, privileges, tant generaux que particuliers, ni aussi aucune sentence ou executoriales rendues, ou decretés hors nos dits pais de par deça;* TENDANT DIRECTEMENT OU INDIRECTEMENT AU PREJUDICE DE CETTE REPUBLIQUE OU D'AUCUNS TIERS PARTICULIER, *se puissent admettre, sortir effect en jugement ou dehors ni être mise en execution &c.*

Consequenter cum Litteræ Placeti petitæ tendant manifestissime in ruinam Reipublicæ, & præjudicium creditorum, hæ justissime recusari possunt.

Ita Resolutum, salvo meliori judicio, Lovanii 4. Maii 1724.

(*erat signatum*)

Z. B. *van-Espen*, J. U. D. & Prof.
A. *Bauwens*, J. U. D. & Antecessor Primarius.
H. A. *Poringo*, J. U. D. & Professor.

Infrascripti Advocati Supremi Concilii Brabantiæ propter rationes præmissas idem sentiunt, nimirum quod justissima de causa recusari possint Litteræ Placeti Regii, addito quod maximæ sint præsumptiones, imo & ex Bulla resultantes, quod intervenerint conventiones occultæ, contra Ecclesiæ Canones, quandoquidem non sit verosimile quod Dominus Resignans nihil habens extra proventus sui Canonicatus unde sustentetur, voluerit illum pure resignare; cum nemo præsumatur velle redigi voluntarie ad egestatem. Datum Bruxellis die 6. Maii 1724.

(*erat signatum*)

James. M. *de Witte*, & H. *Samin*.

JURIS

XL.

JURIS RESPONSUM

De effectu recusationis.

[*Nunc primo editum.*]

CASUS POSITIO.

Sive rationes juris, quibus demonstratur Petrum Jaille, *Pastorem in* Oesselghem (*Diœcesis Gandensis*) *jure meritissimo appellasse a Decretis latis ad onus suum, per R. Adm, ac Amplissimum Dominum Officialem Gandavensem* (*a*).

NOtissimum est, Judicum Recusationes ad defensionem esse comparatas.

Atque ut defensio juri naturæ adscribitur, ita & hoc Recusationis remedium.

Quod suspecti & inimici Judices esse non debeant, inquit Canon, *& ipsa Ratio dictat, & pluribus probatur exemplis.*

Nam quodammodo naturale est, suspectorum Judicum insidias declinare, & inimicorum judicium semper velle refugere: Can. 15. Caus. 3. q. 5.

Sic etiam Celeberrimus *Covarruvias*, Episcopus Segoviensis, *Pract. QQ.* Cap. 26. „ etiamsi nulla humana lex, hac de re „ fuisset in specie statuta, ipsa Ratio facillime ostenderet, eorum judicia nobis „ fugienda, *omnibusque modis* avertenda „ fore, quos propter odium, inimicitiam, „ aliamve causam suspectos habemus; aut „ juste opinamur maxime amicos esse, „ & propensos, hisce qui nobiscum litigaturi sunt".

Quare merito advertunt, *Vulteius*, de Judic. Lib. 2. Cap. 7. N. 190. & *Mynsing*, Cent. 3. Observ. 63. *nihil alicui accidere posse gravius aut luctuosius, quam sub Judice suspecto litigare.*

Ex qua etiam ratione tenet Clarissimus *Hameda*, J. U. D. & in Academia Lovaniensi Ant. Primarius, *Judicum Recusationes esse favorabiles non odiosas; ita ut extensionem mereantur juxta regulam juris Canonici in 6.* FAVORES CONVENIT AMPLIARI, fol. 218. & seqq. *de Recus. Jud.*

Hinc indubitatum, notorium & certissimum est quemcumque Judicem, in quacumque causa posse recusari.

Adeo ut ipse Eminentiss. *Cajetanus*, S. E. R. Cardinalis asseveranter tradat, quod *quis personam Papæ possit suspectam rationabiliter habere, & propterea ejus immediatum judicium recusare.*

Pro ratione allegat: *namque... potest persona Papæ tyrannice gubernare, & tanto facilius quanto potentior est, & neminem in terris timet ultorem.* 1. 2. q. 39. a. 1. ad 2.

Potuit itaque R. D. Petrus *Jaille*, Pastor in *Oesselghem*, recusare, prout fecit, Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Episcopum Gandavensem, nec non Amplissimum ejus Officialem.

Expeditum autem est ipsum Judicem recusatum non posse de causa Recusationis cognoscere; ne in causa propria, contra omne jus, jus dicat; fitque simul & inimicus & Judex dicto Can. 15. Caus. 3. q. 5.

Sed ex dispositione Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in Cap. 61. ú. *de Appell. & Recus.* eligi debent Arbitri, qui de causa Recusationis sive suspicionis cognoscant.

Statuit enim Concilium, ut *ipse* (recusans) *cum adversario, vel si forte adversarium non habeat, cum Judice*, ARBITROS *communiter* ELIGAT: *aut si communiter convenire non possint, absque malitia ipse unum & ille alium eligat, qui de suspicionis causa cognoscant: & si nequiverint in unam concordare sententiam, advocent tertium,* ut

(*a*) Vide Lucubrationem cui titulus: *Memoires Historiques des Pais bas Autrichiens*, 1755. T. II. P. 268. & sequentib.

ut quod duo ex ipsis decreverint, robur obtineat firmitatis.

Idem advertit ad hoc Caput nominatissimus *Altessera: jure Canonico*, inquit, *causa recusationis proponenda est coram Judice, qui recusatur, & probanda coram Arbitris, quos partes communi consensu eligere debent; & si non conveniant, quisque eliget suum; & si hi dissentiant, advocent tertium, ita ut stetur sententiæ duorum ex tribus.*

Nec minus expeditum est quod proposita recusatione nullatenus Judex possit ulterius progredi, cum per Recusationem ejus suspendatur jurisdictio; saltem quousque de causis recusationum secundum dispositionem juris Canonici fuerit judicatum: *Appellatio & Recusatio eodem jure reguntur, quoniam utraque est provocationis auxilium, quod eo juvat ut declinetur* EXAMEN JUDICIS. *Unde hic titulus est de Appell. & Recus.* Hæc nominatissimus *Altessera*, ad dictum titulum.

Sicut per appellationem, ita & per recusationem Judicis (inquit *Andreas Vallensis*, in Paratitlis Decretalium ad eumdem titulum, §. 18. N. 1.) *suspenditur ejus jurisdictio, ne possit in causa, in qua recusatur, ad aliquem actum procedere; & si processerit, processus sit* NULLUS. Et §. 19. N. 5. *Judex recusatus, non assimilatur ei, a cujus interlocutione duntaxat est appellatum, sed ei cui post appellationem ab interlocutione per Judicem provocatum facta est* INHIBITIO *alterius prosecutionis; quasi ubi ibi* HOMINIS, *ita hic inhibitio sit* JURIS. *Constat autem omnia acta post inhibitionem esse ipso jure nulla*: Cap. non solum de Appell. in 6. Idem tradit *Wamesius* ad Caput *Cum speciali 61.* ꝟ. de Appell.

Et Petrus *Rebuffe*, in suo tractatu *de Recusationibus* Art. 6. ait, *hodie indubitatum esse, quod Judex post recusationem propositam non possit* de *principali cognoscere; & si cognoverit, Processum esse nullum*: quia recusatus *omni jurisdictione privatus censetur: ideo quidquid postea facit, censetur facere tamquam privatus, non habens jurisdictionem*. Idipsum latius prosequitur Hieronymus *de Cevallos*, Tract. *de cognitione per viam violentiæ*, Quæst. 14. notans, Num. 28. Rotam sic sæpius judicasse; adeo ut hæc sententia sit communis & inviolabili praxi firmata.

Ex quibus manifeste liquet certissima justitia & æquitas Appellationis per D. Petrum *Jaille* Pastorem in *Oesselghem* interjectæ, a Decretis ad onus suum latis, per Ampliss. Officialem Gandavensem.

Cum enim post iteratam recusationem debite propositam, etiam post electionem *Arbitri*, nec non post interjectam appellationem, dictus Ampliss. Officialis ulterius processerit in causa principali, & ipsemet dictam Recusationem rejecerit tamquam prætense frivolam & non fundatam; excluserit præterea dictum Pastorem a comparendo, & admiserit Promotorem ad probandum Pastore desuper citato;

Quis non videat ex causa justissima præfatum Pastorem ab hoc Processu appellasse? Læsio etenim est enormis & evidens. Hic enim Processus in primis ipso jure nullus est, utpote post Recusationem per dictum Officialem tamquam privatum non habentem jurisdictionem attentatus; ut ex supra dictis satis liquet.

Deinde cum Pastor non admittatur ad deducendas & probandas causas dictæ suæ Recusationis coram Arbitris, eripitur ipsi remedium Recusationis, quod omne jus, tam Divinum quam humanum, ei concedit; directe contra dispositionem Concilii Lateranensis, cujus præfatus Officialis notorius extitit in hoc casu violator.

Atque ita præfatus Pastor, contra omnem æquitatem, ipsa naturali defensione erepta, se causamque suam, in re etiam maxime ardua, cogebatur concredere Judici notorie suspecto & inimico: quod juxta omnes Juris-peritos improbissimum, periculosissimum & a ratione alienissimum est.

A gravamine itaque plane irreparabili, & a sententia in effectu definitiva, (a quibus de jure certo licet appellare) appellavit dictus Pastor d'Oesselghem.

Male autem prætendit dictus Ampliss. Officialis quod recusatio foret prætense frivola & non fundata, id enim non ad ipsum pertinebat judicare, ut supra notatum; sed privative ad Arbitros juris, (ad quorum electionem jam Pastor ex sua parte modo præcesserat,) coram quibus causa Recusationis probanda est & ab eisdem decidenda.

Præterea nullum est dubium, quin dictus Pastor

Paſtor legitimam & ſufficientem habuerit cauſam recuſandi ; modo ea , quæ contra perſonam Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Gandavenſis, ejuſque Ampliſſimi Officialis, in libellis recuſationis allegaverit , poſſit probare eſſe vera.

Cauſæ etenim hæ ſunt . 1. Quod dictus Illuſtriſſimus, publice in plena congregatione Paſtorum, recuſaverit cum dicto Paſtore cibum ſumere ; in tantum ut declaraverit ſe ſtatim diſceſſurum , caſu quo Paſtor ad menſam accederet.

2. Quod etiam iterato negaverit viſitare Parochiam dicti Paſtoris , cum tamen jam publice fuiſſet indicta viſitatio.

3. Quod inde fama Paſtoris apud gregem multum fuerit læſa , ac ejus authoritati grave vulnus inflictum.

4. Quod dictus Illuſtriſſimus violente ſpoliaverit Paſtorem omni functione Paſtorali.

5. Quod dictus Paſtor ſuper eo ſit in actuali lite cum dicto Illuſtriſſimo , tam coram Conſilio Flandriæ, quam coram magno Conſilio Mechliniæ .

6. Quod Ampliſſimus ejus Officialis , per apertam colluſionem cum dicto Illuſtriſſimo , ſubtraxerit Paſtori in ipſis Citatorialibus qualitatem ſuam : *Paſtoris d'Oeſſelghem*.

7. Quod dictus Paſtor , ſit etiam in actuali lite cum dicto Officiali coram Conſilio Flandriæ.

8. Quod dictus Officialis , non obſtante iterata recuſatione , proceſſerit ad ulteriora; etiam poſt electionem Arbitri ; ac ita manifeſtæ ſuæ præventionis nova & indubitata dederit indicia.

Ex his aliiſque cauſis in dictis libellis recuſatoriis contentis recuſationem Judici propoſuit dictus Paſtor , contenditque eam probare coram Arbitris ad ſufficientiam juris.

Nec duæ primæ cauſæ ſeu rationes enervari poſſunt ; ex eo quod Paſtor prætenſe non ſe ſubmitteret Sanctæ Sedi : id enim expreſſe negatur; nec ut talis unquam per ſententiam judicatus eſt ; eſtque manifeſta calumnia .

Si interim Dominus Ampliſſimus Officialis, ex eo prætenderet cauſas recuſationis reddere frivolas, id agat coram arbitris , coram quibus hæ cauſæ probandæ & dijudicandæ ſunt.

RESPONSUM.

Infraſcriptus, Viſis & examinatis rationibus juris ſupra poſitis ex parte R. D. Petri *Jaille* , Paſtoris in Oeſſelghem , cenſet :

1. Rationes Recuſationis ab ipſo propoſitas contra Ampliſſimum D. Officialem Gandavenſem eſſe ſufficientes ad recuſandum ipſum pro Judice , ſi facta quæ allegantur ſint vera.

2. Probationem horum factorum non eſſe deducendam coram ipſo Domino Officiali recuſato , ſed coram ſolis Arbitris juris.

3. D. Officialem non poſſe declarare quod dictæ rationes ſint inſufficientes & frivolæ; neque declarare quod facta allegata non nitantur veritate; ſed hæc omnia eſſe deducenda coram ſolis Arbitris juris, & per ipſos declaranda, ut cauſa inſtructa negotium decidatur.

4. Certum eſſe, quod omnia , poſt legitime inſtitutam recuſationem, acta judicibilia per D. Officialem recuſatum , prorſus ſint nulla ; atque jure merito a ſic actis poſt interpoſitam recuſationem, medio Appellationis , peti poſſe a Judice ſuperiore omnium iſtorum caſſationem.

5. Quin imo , ſi hoc remedio Appellationis, non ſufficienter contra hæc attentata provideri queat, R. D. Paſtorem recuſantem procul dubio poſſe ac debere ad authoritatem Regiam recurrere , ut Sua Majeſtas eidem tamquam ſubdito ſuo oppreſſo, ab hac manifeſta oppreſſione adverſus Judicis recuſati violentiam , protectionem promptam & efficacem impertiatur.

Reſponſum Lovanii, hac 10. Maii 1724.

(*ſignatum erat*)

Z. B. *van-Eſpen* , J. U. D. & Profeſſ.

APPENDIX.

Notandum quod D. *Jaille* , Paſtor in Oeſſelghem obtinuit in hac cauſa duplex Decretum, a Conſilio Status Bruxellenſis : unum prima die Aprilis 1724. quo ſtatuitur*: que la recuſation demeurera entiere contre le dit Official* (de Gand) . Alterum poſt ſententiam ſuſpenſionis *a Divinis* latam

tam a D. Officiali Gandensi contra dictum D. P. *Jaille* die 13. Maii 1724. in verbis: *Vue l'avis de l'Evêque de Gand, & les Representations ulterieures du Suppliant, S. M. J. & C. inherant dans son Décret du 1. Avril 1724. declare que le dit Suppliant ayant été laissé en entier dans sa recusation contre l'Official du dit Evêché, il ne lui a été permis de porter aucun Décret, sentence ou appointement, au prejudice de la dite recusation de sa personne, dans la cause du Suppliant contre le Promoteur; ordonne au dit Promoteur de denommer pareillement de son coté un Arbitre, pour proceder au jugement de la dite recusation. Au moyen de quoi vient à cesser tout ce què a été fait par le dit Official depuis le 1. Avril 1724. jusqu'à present: fait à Bruxelles le 7. Nov. 1725.*



XLI.

CASUUM RESOLUTIONES,

Ab *Espenio* datæ, & ab aliis duobus Doctoribus subsignatæ de restitutione depositi, insciis hæredibus, relicti, & bonorum Ecclesiasticorum cujusdam Beneficiati, qui seculariter vivendo, nullum servitium Ecclesiæ præstitit, nullaque officia Beneficiis annexa adimplevit.

[*Nunc primum editæ.*]

PREMIER MEMOIRE à CONSULTER.

Titius *ayant possedé plusieurs gros benefices pendant sa vie, sans faire aucune fonction Ecclesiastique, sans dire le Breviaire, & même sans s'appliquer à autre chose qu'à des negoces purement seculiers, dans lesquels il a gagné considerablement du bien, est mort sans avoir fait de testament.*

Marius, *parent, mais non heritier de* Titius, *a demeuré vingt ans au service de* Titius, *prenant soin de ses affaires temporelles; & il y a perdu, tous le temps de sa jeunesse & de ses études, sans en recevoir d'autre recompense que celle de la nourriture & de l'habit.*

Titius *avoit de l'amitié pour* Marius; *& il lui avoit offert plusieurs fois des établissemens, que* Marius *n'a refusés que parcequ'ils lui ont paru d'une nature contraire aux regles de sa conscience.* Titius *devant faire un long voyage, & ayant une confiance entiere en* Marius, *il lui confia avant son depart une somme de 300000. livres qu'il voulut être portée dans la maison particuliere de* Marius, *& dont il ne tira ni billet ni reconnoissance contre sa coutume.* Titius *étant mort dans son voyage,* Marius *s'est trouvé dépositaire de cette somme.*

Il a semblé à plusieurs que Titius *n'avoit mis ce dépôt entre les mains de* Marius, *dont il connoissoit la probité & la delicatesse de conscience, que pour le mettre en état de faire des aumones, & des œuvres pies, à la decharge de* Titius, *en cas de mort; & cette présomption n'étoit pas sans fondement, parceque* Titius *avoit beaucoup d'esprit; & il arrive souvent que tel qui n'a pas assez de vertu pour faire le bien par lui même de son vivant, est bien aise que d'autres le fassent pour eux quand ils sont morts. Cependant les heritiers de* Titius *étant venus pour recueillir sa succession,* Marius *apprehendant de contrevenir aux loix civiles du Royaume, & ne se croyant pas assez autorisé pour disposer de ce dépôt, sans le consentement des heritiers, leur en a fait sa declaration; en y ajoutant beaucoup d'exhortations pour les exciter à faire des aumones & œuvres pies de cet argent. Les heritiers qui n'étoient pas riches auparavant, & qui le sont devenus par la succession de* Titius, *independament du dépôt que* Marius *leur a declaré; n'en ont paru que plus avides de partager entr'eux cet argent, & n'ont*

pas été touchés de Remontrances de Marius.

Cependant Marius *a trouvé des Ecrits secrets de la propre main de* Titius *& signés de lui, par lesquels il declare uettement sa volonté sur certaines œuvres pies d'obligation & de justice, pour l'execution des quelles il faut ou il faudra employer environ le tiers du dépôt; & la chose dont il s'agit est telle, que par une suite de la confiance que* Titius *avoit en* Marius, *& pour d'autres raisons de bienseauce,* Marius *a cru ue devoir pas laisser counoitre aux heritiers de quoi il s'agit; & est neaumoins disposé à réveler ce que c'est à l'oreille du Juge, si les heritiers l'y forçoient. Ainsi* Marius *ue s'est pas encore désaisi du dépôt, qu'autant qu'il a été besoin pour satisfaire aux obligations marquées dans les Ecrits secrets de* Titius: *Mais il a promis aux heritiers de leur rendre le reste du dépôt, d'abord qu'il aura pû achever de satisfaire aux intentions de* Titius *exprimées dans ces Ecrits.*

Sur tout cela ou demande.

1. *Si* Marius *connoissaut parfaitement que* Titius *n'avoit pû legitimement retenir ni faire siens ces fruits de ses benefices, puisque de sa vie il n'avoit rempli aucune des conditions que les Canons & les regles de l'Eglise demandent pour les gagner, étoit en droit & pouvoit de sa propre autorité disposer du dépôt de 300000. livres & les employer en aumones & œuvres pies, à l'insçu des heritiers, qui semblent n'avoir aucun droit sur cette somme, par ce qu'elle n'excede pas, & même elle ne remplit pas le montant des revenus que* Titius *a perçus de ses benefices pendant sa vie?*

2. *Si* Marius *est coupable d'avoir fait sa declaration aux heritiers, eu sorte que l'apprehensiou qu'il a eu de contrevenir aux loix civiles du Royaume, lui soit imputée à peché? & si on trouve du peché, quel est le moyen de le reparer?*

3. *Si* Marius *doit tenir bon coutre la curiosité que pourroient avoir les heritiers de savoir ce que c'est que les œuvres marqués par les Ecrits secrets de* Titius; *& s'il dois se laisser plustôt traduire devant les Juges que de déclarer une chose qui doit être secrete, & dont la revelation causeroit du scandale?*

4. *Quoique* Marius *ne soit pas en necessité, & qu'il ait honnêtement de quoi vivre, les 20. années de services & d'assiduités qu'il a rendus à* Titius, *au depends de ses études & de sa jeunesse, ne sont elles pas appreciables, & ne doit-il pas en demander la recompense aux heritiers; ainsi que des travaux fatiguaus aux quels les dits heritiers out engagé* Marius *pour les affaires de la succession? Et l'honoraire qu'il obtiendroit ne lui appartiendroit-il pas legitimement, quoiqu'il n'ait jamais formé de demande sur cela à* Titius *quand il vivoit?*

5. Marius *étant dans le dessein de faire des aumones & œuvres pies de toute la recompeuse que les heritiers de* Titius *lui arbitrairont, afin de coutribuer, autaut qu'il est eu lui, au bon emploi d'un argent provenant des benefices, ne se reudroit il pas coupable devant Dieu si par une generosité mal placée il cessoit de demander sa recompense à certains des heritiers, qui n'ont pas de gout pour lui en faire.*

6. *La succession de* Titius *est composée de deux sortes de biens; savoir de revenus de Benefices, & de profits faits par des negoces seculiers; quelles precautions doivent prendre ceux des heritiers qui desireut se sauver, & qui ue veulent pas avoir leur conscience chargée par la possessiou d'un bien appartenant aux pauvres? il y a des Casuistes qui estiment que les heritiers doivent faire un compte exact du moutant de tous les reveuus des beuefices; perçus par* Titius *pendant toute sa vie; & un autre compte du moutant de tous les autres reveuus seculiers: que les heritiers peuvent s'approprier sans scrupule le montant de tous les revenus seculiers; mais qu'ils doivent distribuer en aumones & œuvres pies tous le montant des revenus Ecclesiastiques, sans en deduire même la depense annuelle que faisoit* Titius *saut pour lui que pour sa maison; parceque, selon ces Casuistes,* Titius *ne servant pas l'Eglise, ne devoit pas vivre aux depends de l'autel, mais seulement aux depends de ses autres bieus.*

7. *S'il y a eu un temps pendant lequel* Titius *n'avoit aucuu bien séculier, mais seulement des revenus de beuefices, les heritiers*

tiers ne peuvent il pas sans scrupule defalquer sur le montant des revenus des benefices toute la depense qu'il a faite pendant le temps qu'il n'avoit pas d'autres biens ; & quoique Titius *n'ait jamais servi l'autel, ne peut on pas croire qu'il pouvoit vivre de l'autel durant tout le temps qu'il ne pouvoit vivre d'ailleurs ? si cela n'étoit pas permis, les heritiers seroient donc obligés de prendre sur le montant des biens séculiers de quoi restituer tout ce que* Titius *aura mangé ou dépensé, pendant un nombre considerable d'années qu'il n'avoit aucun bien seculier. Cela feroit un grand mécompte aux heritiers, & les meilleurs d'entr'eux auront bien de la peine à gouter cette morale.*

8. *Les heritiers de* Titius *sont ils obligés d'examiner scrupuleusement les dépenses annuelles de* Titius, *pendant le temps qu'il n'avoit d'autre bien que le revenu de ses benefices ; en sorte que si* Titius *a dépensé* 20000. *livres par an, pouvant vivre honnêtement pour* 10000., *l'excedent des* 10000. *livres doive être reputé dissipation & vol du bien des pauvres ; & que les heritiers de* Titius *soient obligés de restituer tout le montant de cette dissipation aux dépends des biens seculiers dont ils heritent ? Cette question suppose que* Titius *a pû vivre aux dépends des benefices, pendant le temps qu'il n'avoit pas d'autres biens, & elle est faite pour savoir si les heritiers sont absolument obligés d'entrer dans une grande discussion & revision d'anciens comptes, comm'il seroit necessaire pour éclaircir le fait des receptes & des dépenses annuelles de* Titius.

R E S O L U T I O.

Viso & examinato casu supra posito, respondent infrascripti.

Ad I. Ex circumstantiis in casu enarratis, vix dubium est quin *Titius* summam trecentarum millium librarum a reliquis suis proventibus speciatim separaverit, ea intentione ut a cæteris bonis hæreditariis illam secerneret, ne una cum sua hæreditate ad hæredes perveniret. Cum vero *Marius* per viginti annos in gerendis negotiis & proventibus expendendis sat fideliter *Titio* astitisset, præsumendum omnino est quod præfatam summam pecuniæ, jam a reliquis proventibus separatam, eidem *Mario* confidere voluerit, ut juxta suam intentionem, quam non dubitabat ipsi potius quam hæredibus notam, impenderet; maxime si *Titius* jam iter aggressurus senserit valetudinem suam non esse omnino firmam.

Ex quibus consequi videtur quod *Marius* dictam summam insciis hæredibus in pios usus, præsertim quos in schedulis per *Titium* scriptis & signatis reperit expressos, impendere potuerit; attento maxime quod illas pecunias, etiam insciis hæredibus, nec ulla apocha a *Mario* recepta, ipsi plene confidisset; atque ita non simplicem depositarium, sed quasi cum plenaria potestate dispensatorem constituisset.

Ad II. Certum est quod juxta leges & consuetudines Regni Galliæ, bona Ecclesiasticorum, tam mobilia quam immobilia, devolvantur ab intestato ad proximos eorum consanguineos, sive hæredes. Proinde cum non omnino constaret an summa pecunia, de qua quæstio, fuerit per *Titium* inter manus *Marii* consignata sive deposita, ea intentione ut per *Marium* quasi propria, aut saltem cum libera potestate dispensaretur, an vero tamquam simplex depositum, non videtur quod *Marius* eam proximis consanguineis & hæredibus revelando dici possit ullum coram Deo incurrisse reatum; neque aliud ipsi incumbere quam ut ipsos hæredes de obligatione præfatam summam in pios usus convertendi serio admoneat; ostendatque ex omnibus circumstantiis illam fuisse defuncti *Titii* intentionem.

Ad III. Quandoquidem in casus positione habeatur, quod *Titius* confiderit *Mario*, non tantum directionem suorum negotiorum, sed & specialiter tam notabilem pecuniæ summam, idque hæredibus insciis, nullaque petita aut accepta, contra consuetudinem suam, apocha, quis dubitet quin secretas illas litteras, quibus annotabat voluntatem suam circa quædam opera tum pietatis tum justitiæ, etiam voluerit soli *Mario* esse notas? proinde nec dubium apparet quin hæredes directe agant contra intentionem *Titii* urgendo *Marium* ad exhibendum dictas litteras; maxime cum di-
catur

catur earum contenta revelari non posse sine aliquo scandalo, quod forte redundaret in infamiam defuncti, aut eorum quibus per dictas litteras aliquid impendi voluit.

Quod si tamen adeo inhumani & irrationabiles sint hæredes *Titii*, ut non obstantibus his circumstantiis, quæ sat manifeste voluntatem defuncti ostendunt, equidem *Marium* vexare nimium pergant, posset *Marius* illis offerre ut litteræ hæ communi consensu exhibeantur alicui personæ, in superioritate & dignitate constitutæ, puta Episcopo loci, qui visis & examinatis præfatis litteris & aliis circumstantiis judicare poterit num expediat illas litteras hæredibus communicare, an vero debeant solius *Marii* notitiæ & fidei reservari.

Ad IV. In primis evidens est quod opera, quam *Marius* per viginti annos juventutis suæ consumpsit & impendit gerendo negotia *Titii*, omnino sit pretio æstimabilis, neque ullatenus præsumendum esse voluisse *Titium*, ut *Marius* ipsi consanguinitate conjunctus, annos suos juveniles in ejus obsequio sine ulla mercede consumeret, præcipue cum *Titius* omni tempore ostenderit quod ipsi esset specialiter affectus, atque in eo singularem fiduciam haberet.

Quod vero *Marius* Titium pro mercede obtinenda non interpellaverit, non dubium quin id ex quadam erga *Titium* reverentia provenire potuerit; nec non continuo & singulari ipsius erga se affectu & benevolentia; adeo ut non dubitaverit quin suo tempore, sive inter vivos sive mortis causa, ab illo ampliorem quam merebatur compensationem esset accepturus imo & admodum verisimile est quod *Titius* *Marium* inter hæredes, vel saltem legatarios in suo Testamento nominasset, nisi morte inopinata præventus sine Testamento obiisset.

Quidquid sit de stricta obligatione hæredum ad condignam compensationem *Mario* faciendam, hoc equidem negari nequit, quin summæ esset ingratitudinis hæredum eam *Mario* etiam ultro non offerre; præsertim cum & ipsi hæredes magna ex parte debeant fideli administrationi *Marii*, quod tam notabilis hæreditas ad ipsos pervenerit. Quid enim facilius fuisset *Mario*, quam magnam illam pecuniæ summam sibi a Titio concreditam in compensationem sui laboris retinere, cum nec ipsis hæredibus nota esset illius summæ inter manus *Marii* consignatio, nec ulla petita fuisset apocha, aut scriptura, vel quidquam aliud, quo posset præfata consignatio in judicio probari.

Ad hæc quis non videat quantum potuisset *Marius* ex tam ampla proventuum administratione fidei suæ concredita, sensim sibi appropriare, nisi in omnibus se fidelem dispensatorem & œconomum exhibere voluisset.

Cum vero in casu afferatur quod hæredes *Marium* impenderint in colligendis bonis & proventibus hæreditariis *Titii*, indubitanter ad compensationem operæ hac occasione impensæ, etiam ex justitia tenentur. Sic enim *Marium* suum quasi Mandatarium seu œconomum constituerunt; adeo ut etiam ex hoc capite actio mandati *Mario* contra hæredes competere possit.

Ad V. Si *Marius* prævideat eam esse alicujus ex hæredibus *Titii* ingratitudinem, ut petitam & debitam compensationem laborum pertinaciter negaturus sit, timeatque ne non exiguæ inde orirentur difficultates; ipsaque familia, ea occasione parum turbaretur; non apparet cur *Marius* coram Deo reus esset, si pacis causa, & ad sopiendas illas difficultates, & mala inde obventura præcavenda, illi hæredi præfatam compensationem, vel in totum, vel saltem pro parte remitteret; cum & illud quod datur procurandæ pacis, & malorum avertendorum causa, etiam vicem eleemosynæ & pii operis supplere queat.

Ad VI. In primis adeo evidenter, tam ex ratione naturali, quam in scriptura sacra & sacris Canonibus expressum est, neminem posse proventibus beneficiorum Ecclesiasticorum gaudere, vel eos sibi appropriare, nisi & officium illis annexum, & propter quod datur beneficium, persolvat, ut propterea apud omnes tum Theologos tum Canonistas indubitatum sit nullum beneficiatum coram Deo fructus suos facere, qui officium Beneficio annexum non adimplet; eoque titulo neminem ex proventibus beneficii vivere posse, nisi qui operam suam, juxta exigentiam beneficii,

ficii, Ecclesiæ impendit; juxta illud Christi: *Dignus est operarius mercede sua*; sive ut alius Evangelista habet *cibo suo*.

Proinde licet moderna disciplina, præsertim Ecclesiæ Gallicanæ, bona tam mobilia quam immobilia Ecclesiasticorum, etiam eorum, qui nulla bona patrimonialia in vita sua possederunt, ad proximos eorum consanguineos seu hæredes deferat, id tamen indubitanter in foro conscientiæ & coram Deo intelligendum est de proventibus Ecclesiasticis, quos ipsi Beneficiati, ut minus in foro fori, suos fecerunt, ob præstitum officium. Cum vero in casu proposito dicatur, quod *Titius* nullum servitium Ecclesiæ præstiterit, nec per consequens officia beneficiis annexa adimpleverit, manifestum est eum coram Deo proventus Beneficiorum suorum sibi non potuisse appropriare, nec consequenter illos tamquam sibi appropriatos ad hæredes transmittere.

Ex quibus evidenter consequitur in casu proposito, hæredes *Titii* teneri coram Deo omnia, quæ *Titius* ex beneficiis vel ad ipsos transmisit, vel consumpsisse quocumque modo scitur, in pios usus, & juxta mentem Ecclesiæ convertere; quemadmodum ipse *Titius* fecisse debuerat.

Ad VII. Hujus quæstionis resolutio, quasi sua sponte profluit ex resolutione præcedentis. Cum enim dicatur in casu *Titium* nullum prorsus officium Ecclesiæ præstitisse, consequens est quod nec ex proventibus beneficiorum, (qui unico propter officia Beneficiis annexa *Titio* cedere poterant, eique tamquam operario præbebant jus ad sustentationem honestam & congruam ex illis desumendam) vivere potuerit, etiam tunc dum nulla alia bona ipsi suppetebant; quia cum non vellet esse operarius in Ecclesia, non debebat nec poterat ab Ecclesia tamquam operarius, sustentationem accipere. Proinde omnes proventus beneficiorum, quos recepit *Titius*, & quoquomodo consumpsit, etiam dum nulla alia bona possidebat, ab hæredibus etiam cum notabili bonorum sæcularium diminutione, in pios usus, juxta ante dicta, convertendi sunt.

Et sane post adeptos tam amplos proventus ex negotiationibus sæcularibus, debuisset *Titius* ex iis Ecclesiæ restituere, quæ sine ullo titulo ex proventibus Ecclesiasticis ob defectum exhibiti officii quocumque modo consumpserat; quæ obligatio restituendi procul dubio transivit ad hæredes, ad quos tam opulenta *Titii* hæreditas est delata. Neque id adeo grave & durum videri debet præfatis hæredibus, qui etiam seposita hac obligatione, merito attendere deberent ad illud Christi Domini: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*.

Ad VIII. Ex responsione ad VI. & VII. patet in hoc quæsito supponi falsum; quandoquidem jam ostensum sit *Titium* non potuisse, etiam dum alia bona non suppetebant, honestam & congruentem sustentationem ex suis beneficiis accipere. Non opus est scrupulose examinare quid annue *Titius* expenderit, sed moraliter & juxta prudentiam Christianam expendendum est, quid tota vita ex beneficiis Ecclesiasticis perceperit. Id enim totum, utpote sine titulo a *Titio* perceptum, secundum ante dicta ab ejus hæredibus restitui debet. Ita responsum Lovanii hac 27. Septembris 1724. Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & Can. Prof. G. *Renardi*, Fac. Th. Doct. & Prof. Regens, ac Regius Catecheseos. L. *Hacquius*, J. U. D. & Professor Ordinarius.

SECOND MEMOIRE à CONSULTER,

Sur les demandes du quel on prie MM. les Docteurs de donner des reponses separées de celles qui sont dans le grand Memoire.

1. *Quoique* Marius *ne puisse pas se flater que les heritiers feront du reste du dépôt l'usage convenable; & qu'il y ait tout lieu de croire qu'ils se l'approprieront, comm'ils ont fait du reste de la succession*, Marius *ne voit pas de moyen de se dispenser de le remettre entre leurs mains; après la declaration qu'il leur en a faite. Il y seroit contraint par la justice, selon la jurisprudence de France.*

2. *Si les heritiers ne faisoient pas de récompense à* Marius, *ou s'ils ne la faisoient pas suffisante*, Marius *pourroit il se payer par ses mains, s'il en trouvoit l'occasion; sur tout dans la supposition que* Marius *ne deman-*

demande cette récompense que pour en faire des aumones, & œuvres pies; & qu'il n'en demanderoit pas, si les heritiers étoient disposés à faire par eux mêmes les pieux usages que Marius *les a vainement exhortés de faire.*

3. *Les heritiers de* Titius, *qui sont au nombre de quatre, avoient fait & signé une promesse de récompense à* Marius. *L'un d'eux s'en est repenti; & a beaucoup tracassé & dechiré la réputation de* Marius. Marius *pour marquer du desinteressement, & qu'il n'avoit pas de ressentiment de toutes les injures de cet heritier, a effacé son nom de la promesse qu'il avoit signée avec les autres; &* Marius *en effaçant le nom de cet heritier en sa presence; a dit qu'il ne vouloit pas le tenir par force, mais qu'il vouloit s'en rapporter à sa discretion, & lui laisser faire comm'il voudroit. Cette action de* Marius *n'a pas picqué d'honneur cet heritier, qui au contraire paroit fort content d'être delivré de l'obligation qu'il avoit contractée par sa signature.* Marius *sent qu'il en est la dupe; & il se repent aujourdhui de sa generosité mal placée, qui diminuera d'autant la part des pauvres. C'est pourquoi il demande, si en cas qu'il trouve le moyen de retenir quelque chose de ce qui pourroit revenir à cet heritier, il peut en retenir au* prorata *de la recompense que les autres heritiers pourront faire à* Marius; *& si cela se peut à l'insçu de cet heritier de mauvaise volonté. La chose ne paroitroit gueres selon la droiture, si* Marius *vouloit faire son profit de la somme qu'il retiendroit à ce 4e. heritier. Mais peu-têtre, dans les circonstances allegués, cette action qui a, en apparence, quelque chose de mauvais, seroit bonne par l'effet qu'elle produiroit, à l'avantage même de ce 4e. heritier, quoique malgré lui.*

4. Marius, *qui en general est disposé à employer en aumones & œuvres pies toute la recompense qu'il poura tirer des heritiers de* Titius, *est il neanmoins si strictement obligé à en faire cet usage, qu'il ne puisse en employer quelque partie a se procurer des livres d'étude & de pieté, des tableaux de dévotion, & quelques meubles utiles, comme une pendule à répétition, & autres semblables; à condition que tout cela soit vendu au profit des pauvres après sa mort; ainsi qu'il sera ordonné par son testament. Et ne peut-on pas croire que les peines & les fatigues extrêmes de* Marius, *qui lui auront acquis cette recompense, meritent bien qu'il ait l'usage de ces livres & meubles, dont la proprieté seroit aux pauvres par la teneur du testament de* Marius?

RESOLUTIO.

Ad I. Quandoquidem *Marius* jam declaraverit hæredibus præfatam summam trecentarum millium librarum apud se esse depositam, & juxta leges Galliæ etiam bona Ecclesiasticorum ad hæredes devolvantur, non videtur qua ratione *Marius* possit illius summæ restitutionem hæredibus eam urgentibus negare; præsertim si juridice illa exigatur. Aliud igitur non videtur incumbere *Mario*, quam ut serio hæredes adhortetur, ut obligationi præfata bona in usus pios exequendi satisfaciant, prout in resolutione præcedentis casus dictum est.

Ad II. & III. Nullatenus convenit ut *Marius* sibi occulte in compensationem sui laboris aliqua ex hæreditate sibi retineat seu approprïet, etiam sub prætextu illa in pios usus expendendi. Id enim sapit occultas compensationes, quæ odiosæ sunt & mali exempli; & propterea per leges reprobatæ. Nec Deo gratum est, si ejusmodi odiosa media adhibeantur, ut pauperibus subveniatur, vel ut bona Ecclesiastica in legitimos usus impendantur. Potest enim Deus aliter providere; & eos a quibus bona illa dispensanda sunt excitare, ut ea legitime dispensent.

Ad IV. Cum *Marius* ob suos labores honestam compensationem meruerit, indubie eam suis necessariis & convenientibus usibus potest impendere; quales omnino sunt qui in casu exprimuntur, præsertim cum iis tantum vita sua durante uti intendat, per testamentum ea pauperibus relicturus. Ita responsum Lovanii hac 27. Septembris 1724.

Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Professor.

G. *Renardi*, Facult. Theol. Doctor & Professor Regens, ac Regius Catecheseos.

L. *Hacquius*, J. U. Doct. & Prof. Ordinarius.

JU-



XLII.

JURIS RESPONSUM,

Ab Espenio, aliisque subscriptum,

Utrum Licentia Ordinarii cuicumque Presbytero extraneo necessaria sit ad celebrationem Missæ, aliasque functiones Presbyterales exercendas.

[*Nunc primo editum.*]

CASUS POSITIO.

Titius Sacerdos (*a*) accepit Litteras Testimoniales a suo Episcopo (*b*), in quibus Episcopus attestatur *Titium* esse Presbyterum Diœcesis suæ, bonorum nominis & famæ, a vitæ ac morum honestate commendabilem, nullumque ipsi Canonicum obstare impedimentum, quominus ad SS. Missæ Sacrificium ubique faciendum admitti possit, & una eidem concedit Licentiam transeundi ad aliam Diœcesim.

His Testimonialibus instructus *Titius*, transiit ad vicinam Diœcesim (*c*), ubi a Prælato Monasterii N. (*d*) constitutus est Lector S. Theologiæ, conformiter ad dispositionem Concilii Tridentini, Sess. 5. de Reform. Cap. 1. nec non ejusdem Monasterii Constitutiones Capitulares. Insuper iisdem Testimonialibus in Aula Episcopali exhibitis, ab Ordinario Diœceseos ad quam *Titius* transivit, concessa illi fuit facultas prædicandi verbum Dei, & Fidelium Confessiones excipiendi toto tempore commorationis ejus in dicto Monasterio.

Titius in prædicto Monasterio per 15. annos continuos tradidit Lectiones Theologicas; ac toto illo tempore Fidelium Confessiones excepit, & verbum Dei prædicavit rogatus; itemque celebravit, & alias functiones Ecclesiasticas, quas sacer Presbyteratus Ordo exigebat, publice exercuit, absque eo quod unquam ullius defectus aut excessus legitime accusatus fuerit, vel super ullo delicto aut erratu ab Episcopo vel alio Superiore quocumque unquam monitus fuerit.

Dum has functiones omnes exercet *Titius* insinuatur ipsi Decretum sub nomine dicti Episcopi *, quo ipsi inaudito & indefenso inhibetur in præfata Diœcesi (in qua jam per annos 15. commoratus est, uti dictum est) celebrare, ac ullam functionem Ecclesiasticam exercere aut peragere, sub pœna suspensionis a Divinis incurrendæ ipso facto: idque hoc solo prætextu quod in dicta Diœcesi sufficiens sit Ministrorum Altaris numerus, & *Titius* extraneus sit.

Hujus Decreti habita insinuatione, *Titius* coram Notario protestatus fuit de absoluta nullitate dicti Decreti; & una, in quantum opus aut utile, appellavit nominatim a dicta inhibitione de non celebrando, ac ullam functionem Ecclesiasticam exercendo aut peragendo in dicta Diœcesi; itemque a præfatis comminationibus suspensionis a Divinis incurrendæ ipso facto; curavitque hujus Protestationis & Appellationis Actam debite insinuari prædicto Episcopo.

QUÆRITUR.

1. An illud Decretum non sit absolute nullum, & ita quidem ut *Titius* pergere possit in celebrando sicut prius.

2. An Appellatio *Titii* habeat utrumque effectum devolutivum & suspensivum.

RESOLUTIO.

Viso & examinato casu proposito censent infrascripti, Decretum, de quo ibidem

(*a*) D. Germeau. (*b*) Leodiensi.
(*c*) Namurcensem. (*d*) Oignies.

* Decretum Episcopi Namurcensis ex 27. Octobris 1724.

dem sit mentio, esse plane nullum, non solum ob defectum formæ, sed vel præcipue ob defectum causæ.

Nam disciplina & praxis per Ecclesiam constanter recepta, & ab immemoriali tempore observata obtinet vim Legis; neque ab ea sine causa rationabili recedendum est.

Porro nihil notius quam a sæculis non solum in hisce Belgicis Ecclesiis, sed ubique passim receptum esse, ut Presbyteri ex una Diœcesi transeuntes in aliam, atque in ea negotiorum vel peregrinationis causa commorantes sine ulla speciali ab Ordinario Loci obtenta licentia ad celebrandum admittantur, modo saltem non sint *vagi & ignoti*.

In qua re Synodus Tridentina studens omnimodo, quantum conditio temporis patiebatur, SS. Missæ Sacrificio debitam reverentiam conciliare; & quidquid eam lædere posset avertere, inter cætera hoc unum circa peregrinos Sacerdotes statuit, in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ, ut Episcopi in suis Diœcesibus interdicant ne cui *vago & ignoto* Sacerdoti Missas celebrare liceat.

Cui Decreto insistentes Synodi Belgicæ conformiter statuerunt, atque id unum præcaverunt, ne Parochi, sive Rectores Ecclesiarum, sive Secularium sive Regularium, ad Missæ celebrationem in suis Ecclesiis ullos admittant *vagos & ignotos* Presbyteros, sine Ordinarii licentia: neque, Episcopi licentiam illam Sacerdotibus vagis atque ignotis concedant, nisi visis Litteris Commendatitiis & Testimonialibus Episcopi vel Vicarii ultimæ residentiæ eorum.

Neque creditur unquam visum fuisse Decretum quo Presbytero inhibitum fuerit celebrare in aliqua Diœcesi, postquam non tantum Litteras Testimoniales & Commendatitias exhibuerit, & ab Episcopo Diœcesis ad quam transivit functiones Ecclesiasticas obeundas admissus fuerit; easque per annos plures publice exercuerit; quo, inquam, ipsi inhibitum fuerit celebrare, hoc solo titulo quod foret extraneus.

Ex casus positione autem habetur, quod Episcopus Diœceseos propriæ ipsius *Titii* expresse consenserit per Litteras Testimoniales, Commendatitias ac Dimissorias, quas vocant *Exeat*, ut *Titius* se se transferre posset ad aliam Diœcesim, & in ea functiones Ecclesiasticas exercere.

Ulterius supponitur *Titium* vigore dictarum Dimissorialium ad vicinam Diœcesim transivisse, ut ibidem moraretur, & functiones Ecclesiasticas obiret.

Ad hæc habetur *Titium* cum hisce Litteris Dimissoriis ac Testimonialibus se se præsentasse Episcopo vicinæ Diœceseos ad quam transivit; atque ab eo admissum, non tantum ut in illa Diœcesi, ad instar aliorum extraneorum Presbyterorum qui ignoti ac vagi non sunt, obire posset functiones Ecclesiasticas omnibus Presbyteris communes, puta SS. Missæ Sacrificium offerre; sed insuper cum facultate ibidem prædicandi verbum Dei, & Fidelium Confessiones excipiendi.

Denique in casu habetur *Titium* in Monasterio ejusdem Diœceseos a Superiore in S. Theologiæ Lectorem assumptum fuisse, & jam per 15. annos in eo docuisse.

Ex quibus indubitanter sequitur tam procul abesse quod *Titius* haberi & tractari possit tamquam Presbyter ignotus ac vagus, ut potius reputandus sit tamquam illius loci incola ac civis, etiam juxta leges civiles: nam ut scribunt Imperatores in L. *Civis*, Cod. *de incolis in eod. loco*, singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque ac Fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum profectus est peregrinari videtur; quo si redit peregrinari destitit.

Perspicuum enim est *Titium* in illo Monasterio ac Diœcesi, ubi per tot annos taliter commoratus est, uti in casu, toto eo tempore constituisse rerum suarum summam ac larem; ita ut dum ab eo abesset peregrinari diceretur, ut quo dum rediret a peregrinando desistere æstimaretur.

Concludendum igitur Decretum, de quo in casu, continere errorem notorium & intolerabilem, quo Episcopus *Titio*, prætextu quod sit extraneus, inhibet, ne amplius in Diœcesi sua celebret, aut ullam functionem Ecclesiasticam exerceat: cum juxta constantem disciplinam & praxim ubique receptam, hujusmodi inhibitio facienda non sit nisi Presbyteris ignotis ac vagis,

qui

qui Litteras Testimoniales non adferant, & licentiam ab Ordinario loci, in quo celebrare vellent, non obtinuerint.

Ulterius consequens est idem Decretum tamquam disciplinæ & praxi in omnibus Ecclesiis jam receptæ & probatæ contrarium, non solum reputandum esse tamquam irritum & invalidum, sed insuper tamquam *Titio* graviter injuriosum & infamans.

Quis enim existimabit *Titium* cum talibus circumstantiis, de quibus in casu, per Decretum inhibitionis impediri a celebratione Missæ, ob solam causam in Decreto expressam, *quod sit extraneus*; quandoquidem sciatur centenos Presbyteros in Diœcesibus passim ad celebrandum admitti, Episcopis nihilo contradicentibus; etiam si nec exhibuerint hujusmodi Litteras Commendatitias & Dimissorias, prout exhibuit *Titius*; nec ad functiones Ecclesiasticas per Episcopum fuerint nominatim admissi, prout admissus fuit *Titius*; nec denique per tantum tempus eas publice exercuerint, prout exercuit *Titius*: Quis inquam, credet ea sola ratione permoveri potuisse Episcopum, ut simile Decretum adversus *Titium* emitteret; neque subesse graviorem aliquam causam ob quam *Titius*, celebrare haud permittatur.

Titio igitur perquam injuriosum est hujusmodi Decretum; prout simile Decretum graviter injuriosum foret Sacerdoti Academico, cui celebratio Missæ inhiberetur, hoc solo prætextu quod esset extraneus, & ad Academiam in Diœcesi sitam transiisset studiorum causa, vel in ea moraretur ob Professoratum, V. G. in Philosophia: ubi tot aliis Sacerdotibus Academicis, aliisque etiam extraneis celebrare permissum esset; nullatenus contradicente, imo nec prohibere volente Episcopo Diœceseos.

Quin immo si attendatur gravissima pœna comminatæ suspensionis *a Divinis*, de qua in Decreto Casus propositi, necesse est ut is qui ad eam attenderit, judicet subesse causam gravissimam ut *Titius* sub comminatione illius pœnæ a Sacrificio Missæ peragendo prohibeatur; ad quod si admittatur, grave scandalum in populo oriretur, aut summa Sacrificio irreverentia inferretur.

Et quis hujusmodi Sacerdotem ex alia Diœcesi, ubi per 15. annos, non solum publice celebravit, sed & de scitu & approbatione Episcopi verbum Dei prædicavit, & animas Fidelium in Tribunali Pœnitentiæ direxit, dein ab eodem illo Episcopo sub comminatione gravissimæ pœnæ a celebrando prohibitum, & sua quodammodo Diœcesi expulsum, ad Divina officia alibi peragenda admittet? ita ut Episcopus de quo in casu, *Titium* inauditum, nec legitime monitum, nec citatum, non solum publica afficiat infamia, sed & quodammodo omni functione Sacerdotali ubivis locorum peragenda spoliet, ac quasi cum summo dedecore a Divinis suspensum e sua Diœcesi dimittat.

Itaque censent infrascripti hoc Decretum pluribus ex capitibus nullum esse, & invalidum: in primis quod contineat notorium ac intolerabilem errorem inhibendo *Titio* celebrationem Missæ, quasi foret Presbyter ignotus ac vagus, qui sine ostensione Testimonialium ex parte Ordinarii ultimæ suæ residentiæ, & absque licentia Episcopi Diæceseos ad quam transivit, celebrare attentaret; cum tamen Episcopus de quo in casu, nullatenus ignorare possit *Titium* e priori sua Diœcesi cum debitis Testimonialibus de vitæ ac morum honestate sibi exhibitis ad suam Diœcesim transiisse; & a semetipso, etiam ad præcellentiores functiones Ecclesiasticas, in sua Diœcesi exercendas olim admissum; ibidemque domicilium fixisse; ac ne per speciem quidem Presbyteris ignotis ac vagis annumerari posse.

Deinde cum hoc Decretum latum sit contra *Titium*, nec monitum nec citatum, nec auditum, etiam ex hoc capite manifesta laborat nullitate; quandoquidem, uti jam demonstratum est, secum adferat summam infamiam; imo quodammodo suspensionem quamdam a Divinis.

Quandoquidem autem nullitas hujus Decreti, ex ipso ejus tenore, per se sit notoria, etiam consequens est, quod non obstante hoc Decreto *Titius* in celebratione Missæ pergere possit, quasi illud non emanasset.

Scitur quidem non raro sententiis & Decretis, quantumvis injustis & invalidis

in foro exteriori esse parendum propter scandalum quod ex contraventione oriri posset: sed & illud scitur, tunc similibus sententiis seu Decretis nullatenus obsequendum esse, etiam in foro externo, quando ob notorietatem nullitatis scandalum non est timendum, prout indubitanter obtinet dum ipsa sententia seu Decretum continet errorem intolerabilem, uti traditur in Cap. *Per tuas* ⁜ *de sent. Excomm.* & ibidem notant Doctores; atque inter cæteros etiam Jansenius Gandensis in Concord. Evang. Cap. 78.

Præsertim in hoc casu propter Appellationem quam *Titius* post suam Protestationem de nullitate Decreti interposuit, in quantum opus aut utile. Quæ Appellatio indubitanter habet effectum suspensivum; quandoquidem hoc Decretum sit absolutum, & vim habeat sententiæ definitivæ.

Ad 2. Resp. in primis ex Decreto prout in Casu expressum est, habetur, quod suspensio in eo comminata, non habeat rationem Censuræ Ecclesiasticæ, sed rationem meræ pœnæ: Censura enim mere infligitur, ut quis contumax in suo reatu, seu excessu, per eam a sua contumacia retrahatur: in præsenti autem casu tantum comminata est in pœnam delicti quod *Titius* committeret per contraventionem adversus hoc Decretum.

Igitur tametsi dicatur Appellationem a pronunciata Censura habere quidem effectum devolutivum, sed non suspensivum, illud tamen non potest applicari huic casui, quandoquidem hic non agatur de proprie dicta Censura, sed de Decreto mere pœnali, a quo Appellatio interjecta utrumque operatur effectum, Devolutivum & Suspensivum.

Præterea etiamsi hoc Decretum contineret comminationem Censuræ Ecclesiasticæ, in hoc omnes conveniunt quod Appellatio interjecta a comminata Censura, sive ab illa quæ nondum inflicta, pronunciata & publicata est, utrumque habeat effectum Devolutivum & Suspensivum, uti expresse probat Textus, in Cap. 40. ⁜ *de Appell.* & ibid. Doctores, ac nominatim *Wamesius*.

Igitur cum in hoc Decreto nulla infligatur Censura, sed tantum fiat comminatio Censuræ incurrendæ sub conditione, sive in casum quo *Titius* contraveniret Decreto, evidens est Appellationem ab eo interjectam, utrumque effectum sortiri. Ita responsum Lovanii, hac 15. Dec. 1724.

(*signatum erat.*)

Z. B. *Van-Espen*, J. U. D. & SS. Can. Prof.

Arn. V. *Buggenhout*, J. U. D. & Prof. Ordin.

JURIS

XLIII.

JURIS RESPONSUM,

Ab Espenio aliisque Doctoribus subscriptum.

Utrum Episcopus possit, in Monasterio etiam non exempto, prætermisso Monasterii Superiore, Lectiones Theologicas Legenti inhibere, Religiosisque ut eis intersint prohibere, sub pœna suspensionis a Divinis.

[*Nunc primo editum.*]

CASUS POSITIO.

IN Monasterio N. (*a*) Canonicorum Regularium ab Episcopi jurisdictione non exempto, Prælatus sive Prior legitime constituit S. Theologiæ Lectorem *Titium* (*b*) conformiter ad dispositionem Concilii Trid. Sess. 5. de Reform. Cap. 1. nec non Constitutionum Capitularium ejusdem Monasterii. *Titius*, de scitu Episcopi loci, per multos annos ibidem laudabiliter & pacifice Lectiones Theologicas tradidit.

Postea idem Episcopus fert Decretum (*c*) contra *Titium* inauditum & indefensum, quo eidem inhibet, *ne Lectiones Theologicas aut quascumque alias tradat* in dicto Monasterio, atque *ejusdem Monasterii Religiosis, ne ejusdem Lectionibus intersint, sub pœna suspensionis a Divinis incurrende ipso facto*, hoc solo prætextu quod *Titius* sit *extraneus* Presbyter.

Et ut hoc mandatum ad notitiam præfatorum Titii Presbyteri extranei ac Religiosorum perveniat, injungit idem Episcopus in supradicto Decreto eidem *Priori, & eo deficiente, Subpriori, ut illud in Capitulo, præsentibus Religiosis, ad id per pulsum campanæ specialiter convocatis & Capitulariter congregatis, voce intelligibili legatur infra duas horas a receptione ejus, sub pœna quoque suspensionis a Divinis incurrendæ ipso facto.*

Prior legitime protestatus est de nullitate dicti Decreti.

Notandum quod dictus Episcopus nunquam ullum excessum aut errorem Priori, aut etiam ipsi *Titio* indicaverit, quem *Titius* commisisset.

QUÆRITUR.

1. An dictus Episcopus potuerit valide, prætermisso Monasterii Priore, directe & immediate *Titio* Lectori inhibere, ne Lectiones Theologicas tradat in eodem Monasterio.

2. An idem Episcopus similiter potuerit directe & immediate Religiosis dicti Monasteri inhibere, ne prædictis Lectionibus intersint; ita quidem ut ab iis frequentandis abstinere debeant metu incurrendæ suspensionis a Divinis *ipso facto*.

RESOLUTIO.

Viso & examinato casu supra posito, censent infrascripti Priorem, de quo in casu, male ab Episcopo prætermissum & neglectum fuisse.

Certum enim est curam, institutionem, ac regimen Monachorum sive Regularium, totiusque Monasterii ac Domesticorum de jure & ex instituto Monachorum, primario & immediate spectare ad singulorum Monasteriorum Prælatos.

Quin imo & ipsam correctionem ac coercitionem similiter primario ad eosdem Prælatos pertinere; uti evidenter exprimitur in Cap. 7. *Quanto* ✠ *de officio Judicis Ordin.* & ibidem observant Doctores, ac inter

(*a*) Oignies, Diœcesis Namurcensis.
(*b*) D. Germeau, Presbyterum Leodiensem.
(*c*) Decretum Episcopi Namurcensis de die 27. Octobris 1724.

inter alios, pluribus citatis, Prosper Fagnanus. *Nota*, inquit, *correctionem & coercitionem Monachorum primo loco ad Abbatem pertinere;*

Cum igitur Monachis & notanter Canonicis Regularibus, qui passim ad curam animarum destinantur, nihil magis necessarium sit quam ut S. Scripturæ &. S. S. Patrum scientia ad curam illam requisita, rite imbuantur, indubitanter etiam eorum Monasteriorum Prælatis incumbit providere, ut hæc instructio per idoneum Lectorem seu Professorem fiat.

Ut proinde & indubitatum sit ad Prælatum sive Priorem Monasterii pertinere Lectorem, qui instructionem illam habeat, constituere.

Id ipsum quoque evidenter supposuit Conc. Trid. Sess. 5. de Reform. Cap. 1. decernens *ut in Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, lectio S. Scripturæ habeatur; addens: qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum eos ad id opportunis remediis compellant.*

Evidenter hic supponit S. Synodus Abbatibus seu Prælatis incumbere, S. Scripturæ Lectores in suis respective Monasteriis, ubi commode fieri queat, constituere; & in casu negligentiæ ex parte Prælatorum, injungit Episcopis, ut Prælatos negligentes ad id præstandum compellant.

Igitur non ad Episcopum, sed ad Prælatos Monasteriorum pertinet constituere Lectorem S. Scripturæ: ad Episcopos vero dumtaxat Prælatos negligentes ad id opportunis remediis compellere.

Quemadmodum vero ad Prælatos pertinet hæc institutio Lectoris, eo quod cura Monachorum ad ipsos primario pertineat; ita quoque ad eosdem Prælatos primo loco spectat, invigilare, num Lector rite instruat Religiosos; & an Religiosi lectionibus cum fructu intersint; itemque an Lectorem conveniat a munere suo amoveri, atque Religiosos ne ejusdem lectionibus aut instructionibus intersint prohiberi; quandoquidem, uti supra dictum est, totius Monasterii cura ac regimen, nec non suorum correctio & coercitio ad Prælatum spectat, ut proinde & ad ipsum Prælatum pertineat inhibitio facienda Lectori quominus lectiones tradat; Religiosis vero ne illis intersint; ac denique ad eumdem Prælatum pertineat Lectorem dimittere, & alium in ejus locum assumere, Religiosos autem si adversus inhibitionem sibi factam egerint, corrigere & coercere.

Ex his luculenter concluditur, quod Episcopus ad dimissionem Lectoris, atque ad inhibitionem faciendam Religiosis ne ejusdem lectionibus intersint, præcipue adjiciendo pœnam, procedere nequeat, nisi ad summum subsidiarie sive supplendo negligentiam Prælati; idque juxta formam præscriptam in Concilio Lateranensi, sub Innoc. III. in Cap. 13. *Irrefragabili* ✠ de officio Judicis ordinarii: ubi statuitur, quod si Capitulares fuerint negligentes in corrigendis excessibus Canonicorum, Episcopus possit ipsis constituere terminum, intra quem excessus illos corrigant; & si correctionem negligant, ipse, elapso termino, id supplere queat & Canonicos corrigere.

Itaque in casu proposito, si forte Episcopo innotuissent quidam excessus aut errores Lectoris, propter quos judicasset eum a lectionibus prohibendum vel dimittendum, debuisset illos Prælato sive Priori significare, eique injungere ut intra præfixum terminum circa excessus illos debitam correctionem faceret; & in casu, quo necessaria correctio a Priore neglecta fuisset, poterat tunc Episcopus negligentiam illam, congrua remedia adhibendo, supplere, atque dictos excessus corrigere; idque per modum correctionis.

Ex his concluditur in casu proposito irregulariter processisse Episcopum.

Io primis quod Episcopus emiserit Decretum contra Lectorem *Titium*, in quo non solum *Titio* inhibet, ne lectiones ullas habeat in memorato Monasterio; verum etiam Religiosis, ne iisdem intersint, sub pœna suspensionis a Divinis incurrendæ *ipso facto*, antequam Prior inventus fuerit negligens in corrigendo excessus suorum; quæ negligentia certe adesse non potest, cum Prior, ut in casu supponitur, nunquam fuerit monitus super ullo excessu aut errore sui Lectoris, circa quem inhibitionem vel correctionem faceret.

Et quidem quod Lector *Titius* nullius ex-

excessus vel erroris reus sit, vel haberi debeat ex ipsomet Decreto Episcopi clare videtur colligi, quandoquidem in eo ne in generali quidem ullus excessus vel error commemoretur, sed hic unicus prætextus assignetur, quod *Titius* sit Presbyter *Extraneus*.

Deinde irregulariter processit Episcopus quod hoc suum Decretum miserit ad Priorem, non mandans ipsi ut Lectorem dimittat, & Religiosos suos impediat, ne ejusdem lectionibus quibuscumque intersint, sed directe inhibens non solum Lectori, ne lectiones habeat, verum etiam ipsis Religiosis, ne iis intersint, idque sub pœna suspensionis a Divinis incurrendæ *ipso facto*, cum tamen & cura Monasterii & correctio præsertim Religiosorum primario pertineat ad Priorem.

Ad hæc (quod notandum) evidens est ex ipso tenore Decreti, & ex pœna suspensionis a Divinis comminata adversus Lectorem & Religiosos, hoc Decretum nequaquam dici posse correctionale, utpote continens pœnam ordinariam eamque gravissimam, quæ in correctionalibus locum non habet.

Ulterius Decretum hoc in quantum præcipit Priori, ut Capitulariter ad pulsum campanæ Religiosos suos congreget, eisque idem Decretum voce intelligibili infra duas horas a receptione ejus prælegi curet, etiam sub pœna suspensionis a Divinis incurrendæ *ipso facto*, summam injuriam atque infamiam Priori inurit, quasi ipse adeo fuisset negligens in curanda disciplina sui Monasterii & recta institutione suorum Religiosorum, ut eos permitteret sive prava doctrina, sive excessibus *Titii* Lectoris corrumpi; & necessarium foret, ut hoc idem mandatum seu Decretum instantissime Religiosis prælegeretur, ipsisque sub gravissima pœna inhiberetur, ne ulterius lectionibus a *Titio* habendis intersint.

Denique, quod gravissimum est & hactenus inauditum, ipse Prior sive Superior Monasterii idem illud Decretum sibi adeo injuriosum & diffamatorium jubetur per ipsum tenorem Decreti, per seipsum Religiosis suis Capitulariter congregatis intimare; & adeo quodammodo seipsum coram propriis Religiosis etiam sub gravissima pœna infamare.

Ut proinde merito Prior contra illud Decretum, seu de nullitate illius protestatus fuerit.

Ex his habetur etiam responsum ad secundum: quod Religiosi, de quibus in casu, hactenus abstinere non debeant, vigore illius Decreti, a frequentandis lectionibus sui Lectoris *Titii*; quia Religiosis notum est quod correctio circa disciplinam Monasticam & Claustralem pertineat ad ipsum prælatum; cui obedientiam promiserunt in sua professione, & ad Episcopum, non nisi neligente ipso Prælato, & de negligentia legitime convicto; de qua negligentia his Religiosis hactenus legitime non constat.

Deinde ex præmissis habetur, hoc Decretum & quantum ad Priorem & quantum ad Religiosos esse plane nullum ac notorie irritum, atque ex ipso tenore nullitatem sufficienter patere, ut per consequens possit merito ut tale etiam in foro externo tanquam non emanatum negligi, utpote ex quo neglectu nullum verum scandalum timendum sit, prout probatum est in resolutione, *data* 15. *hujus mensis* super eodem Decreto, de quo in casu. Ita responsum Lovanii hac 23. *Decembris* 1724.

(*signatum erat*)

Z. B. *Van-Espen*, J.U. D. & SS. Can. Prof.

L. *Hacquius*, J. U. D. & Antecessor Primarius.

Arm. V. *Buggenhout*, J.U. D. & Prof. Ordin. Idem censeo cum D. D. Præconsultis H. A. *Poringo*, J. U. Doct. & Professor Ordin.

AP-

APPENDIX AD RESOLUTIONES XLII. & XLII.

Decretum Concilii Status Bruxellensis.

Vû cette, avec les autres Requêtes, & les pieces produites de la part des Supplians, les Avis & Répréfentations faites fur ce fujet de la part de l'Evêque de Namur; comme auſſi l'avis reſſervi par le Conſeil de Brabant, & finalement celui des Conſeillers du Grand Conſeil van Velden, Courtois *& de* L'Aſſault, *le tout mûrement conſideré S. M. J. & C. déclare que la cauſe y mentionnée, concernant la matiere Eccleſiaſtique & Dogmatique doit être intentée & pourſuivie devant l'Official du Dioceſe de Namur, par devant lequel ledit Evêque fera agir ſon Promoteur & y prendra contre lesdits Suppliants ou quelqu'un d'entr'eux, telle concluſion qu'il ſe trouvera convenir; en conſequence de ce Sa Majeſté ordonne au dit Evêque de faire conſigner ſous le dit Official toutes les lettres & papiers qu'il a enlevés ou fait enlever hors de la chambre du Prêtre Antoine Germeau Liſeur d'Oignies*: enjoignant Sa Majeſté au ſusdit Evêque de faire ceſſer les interdictions par lui données par Decret du 27. Octobre 1724. *après que par lettres du Gouvernement écrites au dit Evêque le* 25. *auparavant, lui avoit été ordonné de tenir le tout in* ſtatu quo: *au moyen de quoi l'action intentée au Conſeil de Brabant par le dit Prêtre Germeau, & cette intentée par le Prieur du dit Monaſtere Bernard* Denis, *viennent à ceſſer: ordonnant Sa Majeſté à tous ceux à qui peut toucher, de ſe regler & conformer ſelon ce. Et ſeront écrites lettres à l'Evêque de Namur, & au Conſeil de Brabant ſelon la minute Fait à Bruxelles le* 13. *d'Août* 1725. (paraphé) *Elis^m. V^t.* (& ſigné) *J. J. A. Snellinox; & y a appoſé le cachet de Sa Maj. J. & Cath. en hoſtie rouge.*



SUP-

SUPPLEMENTUM

Ad varias Collectiones Scriptorum

Z. B. VAN-ESPEN

J. U. D. & SS. Can. Prof. in Acad. Lovaniensi.

PARS SECUNDA.

CONTINENS VARIA OPUSCULA EJUSDEM DOCTORIS.

I.

TRACTATUS

De veneratione Sanctorum, Reliquiis eorum & Sacris Imaginibus. (a)

[*Nunc primo editus.*]

PRÆFATIO AUTHORIS.

In qua breviter refertur quid in hac materia fide tenendum proponat Ecclesia, & quis sit scopus hujus Tractatus.



Rofessio fidei Catholicæ de invocatione & veneratione Sanctorum sic habet: *Constanter teneo Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos*. Idem proponit Concilium Tridentinum (b); præcipiens omnibus, qui docendi munus sustinent ut Fideles doceant, *Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo, per Filium ejus J. C. qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere* .... Deinde contrarium sentientes anathemate percellit. Hæc circa invocationem Sanctorum. De Reliquiis vero eorum, professio fidei Catholicæ subjungit: *Constanter teneo Sanctorum Reliquias esse venerandas*. Idem declarat Concilium Tridentinum (c) affirmans per eas *multa beneficia hominibus a Deo præstari; ita ut affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra* monu-

(a) Hic Tractatus dictatus fuit, Lovanii, in Scholis Publicis, a Z. B. *Van-Espen*, anno 1690.
(b) Sess. 25. Decreto de SS. Reliq. & SS. Imaginum cultu & invoc. (c) Ibidem.

monumenta a Fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa, Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia. Hoc de SS. Reliquiis. De Sanctis autem Imaginibus ita loquitur fidei professio: *Constanter teneo imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis nec non aliorum Sanctorum habendas ac retinendas esse, atque debitum eis honorem ac venerationem impertiendam*. Iisdem verbis idem proponit Conc. Tridentinum. Ibidem.

Hæc sunt, quæ Ecclesia Catholica de SS. Invocatione, eorum Reliquiis, & Sacris Imaginibus fide Divina credenda Fidelibus proponit.

Hanc Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, adversus modernos hæreticos e Scriptura sacra vel Patrum Traditione hic stabilire animus non est. Id enim Theologi, qui contra hæreticos ex professo scripserunt, atque præ cæteris, Illustrissimi Fratres *Wallenburgenses*, qui in materia controversiarum contra hæreticos excellunt, abunde præstiterunt. Similiter nec illa, quæ a Theologis communiter recepta sunt, vel inter ipsos disputantur, hic examinare non institui; sed solum proponere, quæ juxta Sanctos Canones seu Regulas Ecclesiæ observanda aut cavenda sunt: ne vel superstitio, impietas, aut turpis quæstus in hunc cultum sub specie religionis irrepat: aut populus, ejus occasione, in superstitionem, impietatem, aut etiam in speciem quamdam idololatriæ labatur.



CAPUT PRIMUM

De veneratione & Invocatione Sanctorum.

§. I.

Quinam ut Sancti venerandi & invocandi sunt.

NE forte ex indiscreto populi zelo reprobi pro Sanctis, & vitia sub specie virtutum publice colantur, pervetustum constat in Ecclesia fuisse morem, ut nullus, nec Martyr quidem, absque prævia discussione & approbatione inter Sanctos publico religionis cultu colendus recenseretur (*a*). Luculentum istius rei testimonium habetur apud (Optatum) Milevitanum, libro 1. adversus Parmenianum, ubi de Lucilla potenti & factiosa fœmina, Donatistarum patrona hæc scribit: *Cum correptionem Archidiaconi Ceciliani ferre non posset, quæ ante spiritualem cibum & potum, os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur, & si Martyris, sed necdum vindicati, correpta cum confusione irata recessit*.

Hinc patet Lucillam correptam fuisse quod ossa alicujus defuncti ut Reliquias Martyris, publice coleret, necdum vindicati; id est declarati sive recepti pro Martyre. Porro in hac vindicatione sive relatione in numerum aut fastum Sanctorum, præcipuas habuisse partes suas Episcopos constat ex Canone 14. Concilii Carthaginensis quinti (anni 398.). Quin & sæculo octavo ex Concilio Francofordiensi, Can. 42. Unde de Engrano al. Eugenio Cameracensi Episcopo, Adulphum Prædecessorem suum miraculis coruscantem in numerum Sanctorum referente, scribit in ejusdem Ecclesiæ Chronico Baldericus Tornacensis Episcopus, L. 1. Cap. 35. *Episcopus lætus verbo facto ad populum Beati Adulphi solemnia in numero SS. notificavit*. Et Sigebertus Gemblacensis ad annum 1117. refert S. Hubertum fundatorem Gemblacensis Monasterii assensu Generalis Synodi ab Episcopo Legensi seu Leodiensi elevatum cum mirabili concursu & gaudio populi.

Quin & circa idem tempus statuit in sua Synodo S. Anselmus Cantuariensis Episcopus: *ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum, (quod contigisse cognovimus) sine Episcopali authoritate reverentiam Sanctitatis exhibeat*. Porro hæc Episcopalis authoritas valebat quidem, ut in particulari Ecclesia defunctus, tamquam Sanctus cole-

(*a*) Conf. Attr. Can. 30.

coleretur. Sed ut per universalem Ecclesiam pro tali haberetur, authoritas illa minime sufficiebat; sed universalis Ecclesiæ consensus quodammodo necessarius credebatur: unde cuidam Abbati prædecessorem suum fastis Sanctorum adscribi postulanti, id de facili concedi non posse respondit Urbanus II. addens rationem: *non enim Sanctorum numero debet quisquam Canonibus admisceri, nisi testes adsint, qui ejus miracula visa suis oculis attestentur & plenariæ Synodi firmentur assensu* (a): Item Ulricus Constantiensis Episcopus S. Conrardum Prædecessorem suum canonizari supplicans, ad crebras suas litteras hoc immutabilis sententiæ responsum accepit a Romana Ecclesia: *Vitam ejus in Concilio recitandam & comprobandam fore Generali: &c.* Extat in Chronico Constantiensis Ecclesiæ. Et Alexander III. in Diplomate, quo S. Eduardum ad preces Henrici Secundi Angliæ Regis, in Sanctorum numerum retulit, scribit: *Negotium tam arduum & sublime, non frequenter solet nisi in solemnibus Conciliis de more concedi*. Habetur in Bullario Romano editionis anni 1655. tom. 1. pag. 67. Dicit *non frequenter*, quia Eugenius III. scilicet Canonicis Lambergensis Ecclesiæ postulantibus Canonizationem Henrici Imperatoris sui fundatoris, respondisset, hujusmodi petitio nisi in Generalibus Conciliis admitti non solet: illum tamen solus in suo Consistorio canonizabat, usus hoc fundamento, quod Romanæ Ecclesiæ authoritas sit omnium Conciliorum firmamentum. Habetur Tomo 1. Bullarii Romani, pag. 61. Et certe ait P. Lupus, tomo tertio scholiorum pag. 569. ipse Eugenius III. legitur primus ita canonizasse, quem in S. Eduardo & S. Thoma Cantuariensi Alexander III. & in aliis Sanctis canonizandis alii Pontifices sunt deinceps imitati. Quin imo cum jam Pontifices sua authoritate Sanctorum Canonizationem peragere incepissent, cœperunt quoque eam sibi privative attribuere. Etenim Alexander III. (b) rescripsit, quempiam non esse pro Sancto colendum addita ratione; *cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque authoritate Ecclesiæ Romanæ venerari*, quod refertur in Capite primo Extrav. *de Reliquiis & veneratione Sanctorum*. Quin & fertur idem Pontifex edixisse, ut nullus novus Sanctus in veneratione haberetur, nisi ex authoritate Apostolica; & nisi sit canonizatus a Papa. (Lupus dicto loco pag. 567.) Et quamvis, ut etiam notat idem Lupus, illud Decretum non statim ubique fuerit receptum, tamen ab eo tempore hæc authoritas canonizandi ad Sedem Apostolicam sensim transivit: præsertim postquam prædictum Alexandri III. Rescriptum in Decretales Gregorii IX. relatum fuit & a Canonistis pro communi jure receptum; adeo ut tandem juxta modernam disciplinam nullus novus Sanctus publico ritu coli possit nisi authoritate Romani Pontificis pro tali declaratus fuerit.

Dixi *publico ritu*, quia, ut recte notant Canonistæ post Glossam, in Cap. Unico, *de Rel. & veneratione SS.* in 6. *cuilibet licet in secreto alicui defuncto, quem Sanctum credit, preces porrigere, ut pro ipso ad Deum intercedat: licet solemnes preces publice emittere, vel solemne officium publice dicere nequeat*.

Distinctionis illius inter publicum & privatum cultum notabile exemplum occurrit apud Molanum ad 5. Januarii, agens de B. Gerlaco Eremita in territorio Falchenburgensi: *Commemoratio ejus in vigilia Epiphaniæ Domini: sed quia non est Canonizatus*, Missæ sacrificium peragatur de æterna sapientia; & dum Litaniæ canuntur, submissa voce inseritur: *Sancte Gerlace, ora pro nobis*.

§. II.

An relatio alicujus in numerum Sanctorum sit infallibilis Sanctitatis Argumentum? Et utrum Dubium de Sanctitate alicujus in numerum Sanctorum relati, debeat remorari ejus cultum & invocationem. (c)

Certum in primis est quod relatio alicujus in Martyrologium etiam Romanum, F f 2 non

(a) Habetur Epistola Pontificis Tomo 4. Galliæ Christ.

(b) Decr. Greg. L. III. Tit. 40. Cap. I.

(c) Vide jus Eccles. univ. Edit. 1755. Part. I. Tit. XXII. Cap X. Excerptum ex Supplemen To. 1. hujus Editionis Neapolitanæ pag. 401. & *seqq*.

non sit infallibile sanctitatis argumentum. *Errari hic posse*, ait P. Lupus, *docet nupera Martyrologii Romani purgatio*, *quæ plures Donatistarum ac aliorum hæreticorum falsos Martyres merito expunxit*. *Deinde Martyrologio etiam olim Canonizati inseruntur*; ait rursum P. Lupus, *quæ in re falli potest & Pontifex*; *& errorem habere pro veritate. Eadem est ratio de insertione in Romanum Breviarium*. Hæc ille, Tom. 3. Schol. pag. 573. & sequentibus.

2. Apud omnes certum est non esse infallibile sanctitatis argumentum, quod quispiam a populi acclamatione jam pridem in numerum Sanctorum receptus sit; & ut talis jam publice colatur.

3. Constat quod nec infallibile sanctitatis sit argumentum, ea relatio in album Sanctorum, quam hodie beatificationem dicimus, uni duntaxat Ecclesiæ, Ordini aut Regno impertiens colendi defuncti facultatem; eo quod Pontifex tunc non proponat toti Ecclesiæ adeoque nec ex Cathedra, ut aiunt, loquatur.

Sola proinde superest quæstio de relatione alicujus in numerum Sanctorum, quæ hodie Canonizatio dicitur: qua nimirum prævio solemni ritu, (qui integer refertur Tom. 13. Conciliorum, ultimæ editionis, pag. 1470. & sequentib.) a Romano Pontifice quisquam in numerum Sanctorum refertur; & ut talis, toti Ecclesiæ colendus proponitur: utrum nimirum sit infallibile sanctitatis argumentum?

Constat in primis de fide non esse, Papam, imo & Concilium Generale in hujusmodi Canonizatione errare non posse. Id inter Catholicos Doctores disputari, & aliquos constanter affirmare fatetur ipse P. Lupus loco supra citato; & plures inter Canonistas, secuti Glossam; ad Caput Unicum, *de Reliquiis & veneratione SS.* in 6. Ecclesiam in Canonizatione sustinent errare posse idemque affirmat Franciscus Veronius in sua Regula fidei, quam ut utilissimam pro convertendis hæreticis probarunt & adoptarunt Illustrissimi Walemburgenses. Rationem vero quare ex canonizatione alicujus Sancti haberi nequeat infallibile sanctitatis argumentum, hanc allegat Veronius: *Canonizantur enim maxime ex miraculis factis post tempora Apostolorum, quorum miraculorum plenæ sunt vitæ Sanctorum, tum in vita, tum post mortem ab eisdem editorum. At nullum talium miraculorum est revelatum in verbo Dei: Proinde nullum est de fide Divina. Quomodo ergo Canonizatio ex illis facta, seu judicium Ecclesiæ quod sint Sancti, esset fide Divina credendum? Nullæ ergo Bullæ Canonizationum, quæ fere omnes sunt Romanorum Pontificum, & continent quæstionem seu doctrinam facti, scilicet hunc vel illum esse Sanctum, facient rem de fide*: Hæc Veronius. Denique solebant jam pridem Pontifices prævie ad pronuntiationem Canonizationis protestari his verbis: *Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publice apud vos omnes hic præsentes, quod per hunc actum canonizationis non intendamus aliquid facere quod sit contra fidem aut Catholicam Ecclesiam, seu honorem Dei. Quæ protestatio*, ait Lupus loco citato, *palam supponit errandi possibilitatem*. Esse tamen gravissimam authoritatem ex hac Canonizatione pro sanctitate Canonizati, temerariumque futurum, qui de ea dubitaret, recte idem Veronius notat.

Ad hæc licet de sanctitate alicujus in numerum Sanctorum relati, & qui ut talis publice colendus proponitur, absolute possit esse dubium, imo & subesse falsum, id tamen non impedit quin cultus illi impensus Deo sit gratus; & preces ad eum fusæ sint fructuosæ; quia ut ajunt Canonistæ post Glossam supra citatam: *Per fidem Christi omnia purgantur; & esto quod veritas Canonizationis deficiat, non deficit fides*; id est, cum ille qui colit & invocat prudenter credat hunc esse Sanctum, atque ex illa fide impendat illi honorem, quem Deus Sanctis suis impendi vult, fides illa errorem purgat, sive facit ut Deo gratus sit; licet qui colitur revera Sanctus non sit: Deo nimirum fidem seu pium animi affectum pensante & remunerante; quemadmodum contingeret, si quis adoraret Hostiam consecratam ab aliquo qui publice & ab omnibus haberetur Sacerdos, & tamen re ipsa non esset.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Qua ratione præcavendum ne detur Hæreticis materia calumniose imputandi Ecclesiæ, quod aliquid Deo aut Christo proprium tribuat Sanctis, vel ne detur occasio rudibus Catholicis in errorem illum prolabendi.

§. I.

Frequenter populo proponendus verus sensus Ecclesiæ, circa cultum Sanctorum.

NE rudiores Catholici in prædictum errorem prolabantur, utque omnis calumniandi materia hæreticis subtrahatur, mandavit Tridentina Synodus (a) omnibus docendi munus sustinentibus, ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum de Sanctorum invocatione & intercessione Fideles instruant, docentes eos: *Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre: Bonum atque utile esse eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus J. C. D. N. qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.*

Hæc si frequentius proponantur, facile intelligerent tum hæretici tum vulgares, omnia a Deo tanquam omnium largitore & authore omnis boni expectari; idque per merita Filii ejus J. C. quando Sanctorum preces postulantur; atque hinc ulterius intelligerent, alium esse cultum, quo Sanctos venerari pie debemus, alium vero, quo Deus ac Mediator Dei & hominum homo Jesus Christus colitur. De quo edoceri populum mandat Synodus Cameracensis anni 1565. titulo de Sanctis Cap. 2. Præterea ex dictis intelligerent *quamvis Divos recte colamus, vocemusque advocatos & intercessores non eo tamen ordine atque loco quo Christus Homo Advocetus, Mediatorque esse dicitur, cujus rei*, ait citata Synodus, *populares a Pastoribus admoneri debebunt, ut retundatur hæreticorum contumelia, qui dicunt Ecclesiam Catholicam Divos æquare Pontifici & Mediatori nostro Christo.*

Præcipit quoque eadem Synodus, ut *admoneantur populares minus docti, ut cum Sanctorum memorias visitant, & eorum auxilium implorant, ac Christiana consuetudine orationem Dominicam recitant, intelligant se eam non ad Sanctos, sed ad Deum dirigere, adjunctis sibi comprecatoribus Sanctis.* Hæc atque similia, quæ verum Ecclesiæ sensum circa cultum & venerationem Sanctorum simpliciter & dilucide exprimunt, si frequenter populo proponantur, facile ab errore illo præservabitur, & hæreticis calumniandi materia subtrahetur.

§. II.

Cavendum coram populo a verbis quæ secundum obvium sensum errorem prædictum exprimunt.

Quandoquidem quibus instructio populi incumbit, ita debeant sua proponere, ut populus in sana doctrina instituatur, & ab omni præservetur errore, evidenter consequitur, cavendum esse a talibus expressionibus, quæ populo erroris occasionem præbere possent. Exempli gratia; ab his similibusque: *facilius quis salutem adipiscetur invocata Maria quam invocato (nomine) Jesu;* quia cum Deus habeat justitiam & misericordiam, *sibi in hoc mundo exercendam retinuit justitiam, & misericordiam matri concessit; & ideo si quis se sentiat gravatum, a foro justitiæ Dei appellet ad forum misericordiæ matris ejus.* Sive ut alius dicit: *altera regni parte, hoc est judicio & severitate vel sibi retenta vel translata in Filium, ut si quis forte a Patre terreatur, quia severus, aut a Filio quia Judex est; matrem ejus intueatur, & ad eam fugiat, quia medicina est & misericors.*

Denique quod nonnulli dicere haud erubuerunt, nimirum quod *quinque virgines fatuæ*

(a) Sess. de invocatione SS.

fatuæ a loco nuptiarum exclusæ fuerunt, eo *quod Christum inclamaverint dicentes* Domine, Domine, aperi nobis: *admissæ vero fuissent si Divam Virginem invocassent & dixissent* Domina, Domina, aperi nobis. Quis enim ambigit, quin hæc & similia alia sic expressa nata sint imprimere popularibus ideam, quasi misericordia Divæ Virgini, magis quam Deo & Christo competat; aut saltem quod Diva Virgo misericordiam subinde exhibeat alicui, cui Deus misericordiam exhibere non intendebat; quæ non tantum falsa, sed & blasphema esse nemo negarit. Nec refert quod forsan qui ea scripsere aut dixere, aliter illa intellexerint; quia dum populus his instruitur, non tam attendendum quomodo verba illa doctiores intelligere aut interpretari queant, sed quam ideam illa populo imprimant. Natum enim est contingere quod vulgus ea accipiat non prout doctiores forte illa intellexerunt, sed prout verba præ se ferunt.

§. III.

An coram populo conveniat indifferenter ea dicere de Sanctis, quæ nonnulli viri Sancti dixerunt, aut in Officio interdum occurrunt.

Occurrunt nonnulla piorum ac eruditorum, quin & Sanctorum dicta in hac materia, quæ si per se considerentur, attribuere videntur Sanctis ac præsertim Divæ Virgini ea, quæ soli Deo ac Christo competunt; aut eam supra Christum quodammodo extollere, aut saltem æquare videntur. Verbi Gratia; hæc Petri Damiani ad B. Virginem Serm. I. de Nativ. B. M. V. *accedis enim ad illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans; Domina non ancilla*, & a S. Brigitta L. I. Revelationum Capite I. hæc dicta leguntur: *Dolor Christi erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum: sicuti enim Adam & Eva vendiderunt mundum pro uno pomo; sic Filius meus & ego redemimus mundum quasi uno corde*. His annumerari possunt hi vulgatissimi versiculi.

Hinc lactor ab ubere: hinc pascor a vulnere:

Positus in medio (Nimirum inter vulnera Christi & ubera matris) *quo me vertam nescio.*

In hoc dulci dubio, dulcis est collatio.

Hæc & similia, quæ apud nonnullos Sanctos occurrunt, si juxta obvium verborum sensum accipiantur, omnino insinuant Divam Virginem non tantum supplicare Christo, sed ut Dominam imperare. Item ipsam Virginem una cum Christo mundum redemisse; & consequenter Christum non esse solum Redemptorem mundi, pretiumque reconciliationis Patri obtulisse; aut denique dubios nos hærere posse, utrum potius ad lac matris an ad sanguinem Filii confugere debeamus.

Cum igitur, ut supra dictum est, natum sit contingere ut vulgus verba illa accipiat, juxta obvium illorum sensum; sequitur quod prudentia requirat ut ea vel nunquam vel rarissime coram populo usurpentur, nec tunc quidem sine convenienti interpretatione, quæ ostendat illa esse intelligenda in sensu Catholico, atque in eo sensu a Sanctis usurpari potuisse, ut ostendit Castoriensis Tract. 3. *De cultu Sanctorum* §. 63. & 65. & Theophilus Raynaldus, in Disticis Marianis, Parte 3. puncto 10. Num. 15. qui ibidem relatis nonnullis similibus dictis, monet Num. 16. *non sunt tamen ista vel passim proponenda, vel absque convenienti interpretatione.*

Occurrunt in Officio Divino etiam quædam de Diva Virgine, V. G. *quod sit vita & spes nostra; advocata & mediatrix nostra*; & similia, quæ licet quodam sensu vere & Catholice ipsi applicari possint, quia tamen in sensu proprio & primario & obvio videntur exprimere ea, quæ soli Christo competunt, utpote qui proprie est spes nostra & vita, & Advocatus & Mediator noster apud Patrem; hinc similibusque epithetis prudenter apud vulgus utendum est; ne si illa frequenter Divæ Virgini sine congrua explicatione applicari intelligat, credat illa Divæ Virgini applicari in eo sensu, quo soli Christo applicari possunt. Unde ut periculum illud caveatur, prudenter aget populi instructor, si id quod Ecclesia per similia epitheta de Diva Virgine asserere intendit, verbis apertioribus & clarioribus exponat; V. G. si populo

pulo inculcare velit, quod Diva Virgo sit vita nostra; dicet quod ipsa sit quæ vitam, scilicet Jesum Christum, nobis protulit; quod sit advocata nostra, quia intercedit pro nobis apud Patrem & Deum, ut per merita Christi unici & principalis nostri Advocati, gratiam impetret. Ex his facile intelliges quomodo & qualem aliis his similibus de Diva Virgine locutionibus sensum & explicationem dare debeat instructor populi.

CAPUT TERTIUM.

De errore quem calumniose Ecclesiæ affingunt Hæretici; & in quem populares subinde prolabuntur, nimirum quod promittatur securitas salutis iis, qui aliquem e Sanctis coluerunt.

§. I.

Ostenditur quod non sine atroci calumnia ejusmodi error Ecclesiæ Catholicæ adscribi possit.

HÆretici nostri temporis ut doctrinam Ecclesiæ de cultu & veneratione Sanctorum reddant odiosam, ipsi non verentur adscribere, quasi omnem solidam devotionem, in quibusdam externis devotionis exercitiis erga Sanctos, ac præcipue D. Virginem, constituat; addicatque certam salutem illis, qui aliquibus ejusmodi externis pietatis exercitiis aliquem e Divis coluerit.

Et quidem recenter unus illorum famosissimus Minister Jurieu, in libro Gallico cui titulus: *Prejudigés legitimes contre le Papisme*, parte 1. Cap. 33. ostendere contendit Ecclesiam Romanam reprobatam esse hoc titulo; quod omnis ab ea exulet solida pietas; totus in hoc versans, ut indicia conquirat & conglomeret, quidquid de ejusmodi pietatis externis exercitiis nonnulli particulares scribant aut dicant, vel etiam populo persuadeant, impudentissime toti Ecclesiæ illorum particularium facta dictave affingens; quasi ex particularibus aliquorum factis aut dictis, & non potius ex fidei formulis, atque Conciliorum Decretis, quibus sensum suum Ecclesia proponit, ejus doctrina haurienda esset. Hos fontes si consulerent Hæretici, compertum ipsis foret, non sine calumnia Ecclesiæ Romanæ ejusmodi doctrinam posse adscribi; imo facile intelligerent similia scripta aut dicta, quæ falsam illam de externis illis pietatis exercitiis ideam in populo fovent, non tantum ab Ecclesia non probari, sed etiam positive improbari & damnari.

Quem in finem hic sufficiat bina e Belgii nostri Conciliis Decreta afferre, quæ omnem istam hæreticorum calumniam confundunt. Primum Concilii Cameracensis anni 1565. quo præcipitur ut *doceatur populus abominandam esse eorum vanitatem ac superstitionem, qui certe pollicentur non ex hac vita migraturos sine pœnitentia & Sacramentis eos qui hunc illumve ex Divis coluerunt; qui securitatem in rebus gerendis, fortunæ certum ac optatum eventum eisdem committant.*

Alterum Concilii Mechliniensis anni 1570. titulo de indulgentiis, quo monet pios suos filios, *ne circumforaneis quibusdam, aut etiam cum privilegio impressis libellis temere fidem adhibeant, qui ex levibus aut superstitiosis causis, incertisque revelationibus, immodicas & plus æquo exorbitantes pollicentur indulgentias, potissimum si promissiones continent certorum effectuum, periculorum scilicet evitationem, a gladiis, a tormentis, ab aquis, a peste, aut liberationem certam a Purgatorio; quemadmodum & Missis quibusdam & precibus certo numero recitandis affixas alicubi videre licet.*

Doctrina binis hisce Decretis contenta si frequentius populo exponatur, & hæreticis calumniandi materia, & popularibus ne in detestabilem illam fiduciam aut superstitionem prolabantur, occasio subtrahetur.

An

§. II.

An Confraternitates inferant prædictum errorem.

Præcitatus Minifter Hæreticus, volens Ecclefiæ Romanæ affingere jam dictum errorem, in fubfidium adducit confraternitates; quafi ipfa in earum externis exercitiis folidam integramque pietatem conftitueret; cum tamen ipfemet Minifter in initio fui libri fateatur neminem effe boni fenfus in Ecclefia Romana, qui non fateatur ejufmodi fraternitates non effe utiles, nifi ad fummum ad fovendam & nutriendam devotionem Fidelium & fimplicium: quibus verbis, vel ipfo fatente, convincitur quod in Ecclefia Romana nequaquam credamus in Confraternitatum exercitiis effentiam confiftere folidæ pietatis; fed quod ad fummum illam habeamus ut media quibus fimplicium pietas juvatur & fuftinetur. Verum quidem eft in ejufmodi pietatis exercitia, uti in alia quæcumque etiam fanctiffima inftituta poffe interdum abufus irrepere; fed propter eorum abufus, legitimus eorum ufus culpandus non eft; prout jam advertit Ægidius *Carlerius* Decanus Cameracenfis, in oratione habita in Concilio Bafileenfi, ubi agens de Confraternitatibus, ait: *Revera non eft dubium quin multa mala fub hac fpecie pietatis, parentur: puta, quæftus illiciti, deordinati favores, audacia peccandi; & multa fimilia. Verum non funt de fe illicitæ confraternitates ipfæ; imo titulum habent honeftatis & parere poffunt fructum. Nam frater, qui juvatur a fratre, eft quafi civitas firma, Proverb. 18. Licet enim fuffragia Ecclefiæ profint omnibus in unitate ejus exiftentibus ex parte charitatis, quæ non quærit quæ fua funt, fed facit omnia communia, ut dicit Apoftolus; tantum ex parte intentionis his, quibus applicantur, profunt magis quam aliis. Et per hoc inftitutæ, conceffæ vel permiffæ funt fraternitates ipfæ.* Hæc ille Tom. 12. Concil. p. 1213.

Legitimus proinde Confraternitatum ufus eft, ut Fideles in unum confœderati mutuis precibus juventur, & mutuis exemplis ad opera pietatis, & præcipue ad faciendas virtutes illius Sancti, quem in fpecialem fuæ Sodalitatis Patronum elegerunt, provocentur.

§. III.

Quid Clemens VIII. circa Confraternitates obfervandum decreverit.

Clemens VIII. in Bulla quæ incipit *Quæcumque* & habetur Tom. 3. Bullarii Rom. pag. 160. pro recta Confraternitatum adminiftratione ftatuit fequentia 1. Unam tantum in fingulis locis ejufdem nominis vel inftituti erigi poffe, accedente femper Ordinarii confenfu; a quo etiam fraternitatis Statuta examinanda & approbanda funt, quæ deinceps ejufdem Epifcopi Decretis; & moderationi & correctioni in omnibus femper fubjecta maneant.

2. Non poffe promulgari Privilegia, Indulta, Gratias aut Indulgentias nifi prius ab Ordinariis recognofcantur, qui adhibitis duobus de fuo Capitulo illa juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta, promulganda decernat.

3. Eleemofynas a Confraternitatibus colligendas juxta formam ab Ordinario præfcribendam; ficque collectas expendendas effe in ornatum Ecclefiarum, aut alios pios ufus, arbitrio Ordinarii loci; ut omnes intelligant Cæleftes Ecclefiæ Thefauros non quæftus aut alicujus lucri gratia, fed pietatis & charitatis excitandæ caufa, & Apoftolicæ Sedis benignitate, Chrifti Fidelibus aperiri.

4. Confeffarios etiam regulares, a Confratribus eligendos indigere prævia approbatione Ordinarii loci.

5. Confeffariis Confraternitatum non competere facultatem abfolvendi Confratres a refervatis Sedi Apoftolicæ aut Ordinariis loci; prætextu privilegiorum.

Ex his conftat quod Epifcopis fpecialiter incumbat Confraternitatibus invigilare atque providere, ne quid in legibus aut Statutis Confraternitatis religionis Catholicæ folidæque pietati adverfum occurrat; nihilque populo proponatur, quod illi pernicioſi erroris occafionem dare poffet. Cumque Parochi fint Epifcoporum in regimine animarum coadjutores, indubie & hi invigilare debent, ne occafione Confraternitatum populus fibi concreditus in falutem, in errorem prolabatur.

CA-



CAPUT QUARTUM.

De quibusdam dictis, quæ errori, de quo Capite superiori, occasionem dare possent.

§ I.

De iis quæ de S. Barbara referuntur, & dicto errori favere videntur.

DE S. Barbara legitur, ait Colvenerius Doctor Theologus in Academia Duacensi, in notis ad librum secundum Cantipratani de apibus C. XXV. N. 25. „ quod quicumque eam coluerit, Sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ particeps efficietur; antequam ex hac vita demigret. Hinc est quod in Francia & locis adjacentibus, S. Barbaram matrem Confessionis appellent; adjiciantque laici pene omnes, in Confessione generali, quæ præmittitur Sacramentali, hæc verba: *Et Dominæ Sanctæ Barbaræ, matri Confessionis*". Hactenus ille: quibus additur a Dorcando L. 4. Chronici Carthusianorum Cap. 3. quod huic S. Virgini suus sponsus dederit in munere ut eam colentibus nunquam extrema & lacrymosa Confessio defutura sit. Insuper in libellis idiomate vulgari conscriptis, & in laicorum manibus passim versantibus scribitur: *Cum esset martyrium consummatura, postulasse a Deo ut succurrere posset existentibus in extremo vitæ discrimine; ac responsum accepisse, Deum facturum quodcumque cultores ejus essent rogaturi;* inter quæ hæc duo specialiter referuntur. 1. Quod liberet a subitanea morte, necessariam peccatorum remissionem impetrans. 2. Quod suos cultores non sinat migrare ex hac vita sine Sacramentis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis. Hæc & similia, quæ in hujusmodi libellis leguntur, eam indubie nata sunt imprimere ideam populo, quod quicumque coluerit D. Barbaram V. G. jejunando in ejus profesto, audiendo Missam, quæ ad ejus honorem celebrari consuevit, aut certas preces in ejus honorem recitando, (qualia pietatis exercitia in dictis libellis notantur) securus sit quod sine Sacramentis ex hac vita non sit discessurus; iisque receptis salvabitur: atque hinc nulla de conversione atque seria pœnitentiæ cura; sed perniciosa ac periculosa emendandæ vitæ procrastinatio. Ut igitur populus a simili errore eximatur, 1. Ostendetur quomodo ejusmodi persuasio repugnet Sacræ Scripturæ atque Sanctorum Patrum unanimi doctrinæ; quæ nihil adeo inclamant, quam incertam fore peccatorum conversionem; nulli eam deberi, aut addictam esse: fiduciamque externis quibusdam pietatis exercitiis innixam esse inanem & vacuam. Ad hæc ostendetur, revelationes, quibus hæc fiducia initirur, omni plane fundamento destitutas esse; nulloque apparenti argumento probari: quod de revelatione, quæ huic Virgini facta dicitur, facile erit evincere. Dicitur enim S. Barbara martyrium passa sub Maximino anno 300. Ut igitur quid certi de revelatione ipsi facta haberetur, id ad minus constare deberet ex aliquo Authore ipsi coævo, qui, ut minus, testaretur a S. Barbara dictum fuisse eam sibi revelationem factam esse. Tantum vero abest ut veterum aliquis meminerit similis revelationis, ut nec ipsius Virginis ullus mentionem fecerit; adeo ut de ipsa dicere non vereatur R. P. Papenbrochius Societatis Jesu, in Præfatione ad Tom. 2. SS. mensis Maii pag. 54. *Si hæc Martyr quæ apud Græcos Latinosque ævi superioris est celebris, tam fuit ignota antiquioribus, æque ac S. Catharina, quæ cum hac etiam commune habet quod acta valde incertæ fidei sint.* Hæc ille. Et forsan primus, qui hujus Sanctæ meminit, fuit *Joannes Damascenus*, qui quatuor facile sæculis post illius obitum floruit; ex quo acta aliqua concinnavit *Surius*; in quibus tamen nec ullum illius revelationis vestigium occurrit. Miracula, quæ in hujus revelationis confirmationem facta esse referuntur, perinde atque ipsa revelatio, incerta sunt; nec etiam ullum legitime exami-

examinatum & authentice probatum præfertur; sed ex privatis duntaxat Authoribus aut obscuris quibusdam manuscriptis proferuntur, quibus quam exigua fides adhibenda sit in hac materia, ex infra dicendis patebit. Recte proinde monebit Parochus pios fideles juxta Synodum Mecliniensem supra citatam, *ne similibus libellis etiam cum privilegio impressis, temere fidem adhibeant, utpote qui certas promissiones contineant certoeum effectuum, ex incertis plane revelationibus nullo verisimili argumento probatis.*

§. II.

Referuntur aliqua Dicta de Scapulari B. M. V. De Monte Carmelo, quæ prædicto errori favere videntur.

Duo sunt, quæ Confratribus Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo tanquam singularia privilegia promittuntur. Primum quod a B. Virgine revelatum fuisse dicitur B. Simoni *Stock*, his verbis: *Dilectissime mi; recipe hoc tui Ordinis Scapulare meum Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens æternum non patietur incendium. Ecce signum salutis; salus in periculis; fœdus pacis & pacti sempiterni.*

Alterum a D. Virgine revelatum esse dicitur Joanni XXII. & ab eodem, ut volunt, expressum, in Bulla quæ vulgo *Sabbatina* dicitur: Illud hoc tenore referri & proponi solet: *quod, qui in Sancta perseverabit obedientia, paupertata, & castitate, vel qui Sanctum intrabit Ordinem, salvabitur: & si alii devotionis causa in Sanctam ingrediantur Religionem sacri habitus signum gerentes, appellantes se Confratres & Consorores mei Ordinis prænominati, liberentur & absolvantur tertia eorum parte peccatorum, a die quo præfatum Ordinem intrabunt, castitatem, qua vidua est, promittendo; virginitati, qua viego est, fidem præstando: si conjugata, inviolate observationem mateimonii adhibendo, ut sancta mater imperat Ecclesia. Featres professi dicti Ordinis supplicio solvantur & culpa; & die quo ipsi sæculo recedunt, ac properato gradu accelerant Purgatorium, ego mater gratiosa descendam Sabbato post eorum obitum, & quos inveniam in Purgatorio, liberabo; & eos in montem Sanctum vitæ æternæ reducam. Verum quod ipsi Confratres & Consorores teneantur horas dicere canonicas ut opus fuerit secundum regulam datam ab Alberto: illi qui ignari sunt, debeant vitam ducere jejunam iis diebus quibus sacra jubet Ecclesia; (nisi necessitatis causa aliqui essent traditi in impedimento) Mercurio & Sabbato debeant a carnibus abstinere; præterquam in mei filii nativitate.*

Dum hæc eo modo populo proponuntur, quis non videt, illa esse nata eam imprimere ideam, quod qui præfatum gesserit Scapulare, Confraternitatique adscriptus externa illa pietatis exercitia præstiterit, securus sit quod æternum non patietur incendium, ac Sabbato post obitum e pœnis Purgatorii, per D. Virginem sit liberandus. Neque refert quod peritiores forsan aliter verba illa accipienda esse sciant, imo & dicant; quia populus verba illa audiens & legens, non solet attendere ad sensum improprium, quem vel ipsi peritiores difficulter exprimere possunt, sed ad sensum proprium ac obvium. Nemo vero ambigere potest quin juxta obvium sensum verba illa præfatam ideam imprimant. Ulterius, cum prædicta verba eum sensum præferant, facile exinde hæretici arripient materiam calumniandi Ecclesiam, quasi errorem præcedenti capite expressum populo proponeret; ut novissime supra nominatus Minister hæreticus facere non est veritus. Verum similes expressiones incertis duntaxat ac numquam ab Ecclesia probatis revelationibus inniti, & calumniose Ecclesiæ Romanæ affingi, nec difficile, nec operosum est probare.

§. III.

Quinam sint Primi Visionis Stockianæ Testes. (a)

Si consulamus omnes, qui a centum & amplius annis visionem Simonis *Stock*, libris

(a) Vide Censuram Ill. D. Guidonis de Seve de Rochechouart Episcopi Atrebatensis in septem propositiones a quodam Prædicatore defensas 21. Julii 1697. præcipue Propos. 2.

bris suis indiderunt, quin & omni studio & diligentia firmarunt, usque ad annum 1642. hujus sæculi, testem hujus visionis nullum antiquiorem productum reperimus Joanne *Paleyonydoro*, Carmelita Batavo, qui L. 3. antiq. Ordinis sui, Cap. 7. hanc visionem sic adornat. *B. Simon Prior Generalis, non multitudine divitiarum, sed gratiarum, non ornamento vestimentorum sed virtutum incumbens sedulo, Mariam deprecabatur, quatenus Ordinem ejus titulo insignitum, aliquo singulari privilegio munitum ad sui laudem & multorum ædificationem Fidelium decoraret: frequenter sic orando: Flos Carmeli, florigera vitis, splendor cæli; Virgo puerpera singularis, Mater mitis sed viri nescia, Carmelitis da privilegia, stella maris. Nec defuit fervido zelatori suo subliberalis Virgo Dei Mater, sed Angelicis comitata catervis, lumine amicta eidem apparuit, dicens: Dilectissime mi* &c. ut diximus §. præcedenti.

Scripsit autem Paleyonydorus anno 1495. visio autem contigisse dicitur Simoni *Stock* 1251. adeoque inter Paleyonydorum & visionem Simonis *Stock* intercurrunt ad minus 244. anni; & consequenter si hic primus haberi deberet visionis illius testis, nullus non videre potest quam incerto testimonio visio illa niteretur; nimirum illius, qui testatur de facto aliquo, quod 200. & amplius annis ante ipsum contigisset; & cujus hactenus nemo meminerit. Hujus argumenti evidentiam contra visionem Stockianam, advertens Joannes *Cheronius*, Carmelita Burdigalensis, qui anno 1642. hujus sæculi privilegiati Scapularis & visionis Stockianæ vindicias divulgavit, omnem impendit industriam & curam, ut testem antiquiorem Paleyonydoro hujus visionis reproduceret: ac tandem se invenisse gloriatur unum non tantum antiquiorem, sed etiam ipsi Simoni *Stock* coævum; ejusque individuum socium Petrum *Swaintonum* Anglum Carmelitam, quem affirmat exarasse vitam Simonis *Stock*, eamque manuscriptam in tablino Burdigalensis Monasterii servari, ex qua pag. 165. suarum vindiciarum hanc lasciniam visionis Stockianæ narrationem continentem publici juris fecit. „ Beatus „ Simon *Stock* grandæva senectute gra„ vatus, & rigorosa pœnitentia fractus, „ omnium fratrum dolores in corde suo su„ stinendo, assidue pernoctabat in oratione „ usque ad auroram. Dum autem sic ora„ ret, venit ei consolatio de cælo, quam „ nobis etiam insimul congregatis sic nar„ rabat: Fratres charissimi, benedictus „ Deus, qui non dereliquit sperantes in se: „ & non sprevit preces servorum suorum. „ Benedicta in id ipsum Mater Domini „ nostri Jesu Christi, quæ memor die„ rum antiquorum, & tribulationum, quæ „ multos nostrorum invenerunt nimis; non „ attendentes quod omnes, qui pie volunt „ vivere in Christo Jesu, persecutiones „ patientur, mittit vobis verbum, quod „ suscipietis cum gaudio Spiritus Sancti. „ Ipse me regat ut manifestem illud: ita „ ut oportet me loqui: Cum effunderem „ animam meam in conspectu Domini, „ quamvis sim pulvis & cinis & in omni „ fiducia Dominam meam Virginem Ma„ riam deprecarer, quod sicuti volebat nos „ appellari fratres suos, monstraret se ma„ trem eripiendo nos de casu tentationum, „ & aliquo signo suæ gratiæ nos recommen„ dando, erga ipsos, qui nos persequuntur; „ dicendo illi cum suspiriis: *Flos Carmeli,* „ *vitis florigera, splendor cæli, Virgo Puer*„ *pera singularis, Mater mitis: sed viri* „ *nescia da Carmelitis privilegia, stella ma*„ *ris*; apparuit mihi cum grandi comita„ tu, & tenendo habitum Ordinis dixit: „ *Hoc erit tibi & cunctis Carmelitis privi*„ *legium: in hoc moriens, non patietur æter*„ *num incendium*: & quia sua gloriosa „ præsentia me lætificabat ultra captum, „ nec ego miser majestatem ejus sustinere „ poteram, disparendo dixit, quod mitte„ rem ad Dominum Innocentium benedicti „ Filii sui Vicarium, qui de gravami„ nibus remedium præstaret. Fratres con„ servando verbum istud in cordibus ve„ stris, satagite electionem vestram cer„ tam facere per bona opera, & num„ quam deficere: vigilate in gratiarum „ actione pro tanta misericordia, orantes „ sine intermissione ut sermo mihi factus „ clarificetur ad laudem SS. Trinitatis, „ Patris, Jesu Christi, & Spiritus Sancti; „ & Virginis Mariæ semper benedictæ. „ Idem verbum mittebat fratribus, qui erant „ in aliis locis valde tristes, per consolato-

 riam,

„ riam „ quam ego immeritus, homine „ Dei dictante, scribebam, ut similiter „ gratias agerent, orando & perseverando. „ Cantabrigiæ, in crastinum divisionis „ Apostolorum anno 1251. „

Adducitur ulterius a Cheronio in testem visionis Stockianæ Joannes *Grossus* in secunda viridarii sui classe, Paleyonydoro sæculo integro senior. Verum an illa, quæ de visione Stockiana adducuntur ex Joanne *Grosso*, revera ab ipso scripta sint, non sine fundamento ambigitur. Nam in manuscripto Francofurtensi, ex quo vitam Stockii actis suis inseruit *Papenbrochius*, ad 16. Maii, nulla visionis fit mentio; quod tamen manuscriptum est magis integrum, quam vetus editum. Grossi viridarium, etiam laudavit P. Daniel a Virgine Maria, Author noni sæculi Carmelitici, ut testatur Papenbrochius in præfatione ad Tom. 3. §. 5. Maii pag. 48. ibidem similiter ostendens Joannem Grossum non fuisse accuratum Historicum. Deinde & si Grossus præcessit sæculo integro Paleyonydorum, fuit tamen Simone Stockio sæculo & dimidio posterior; vel exinde testimonium ejus de factis Stockianis plane sit infirmum. Denique a Cheronio adducitur Paleyonydoro antiquior testis visionis Stockianæ Author quidam anonymus, quem e manuscriptis Vaticanæ Bibliothecæ operi suo de vita PP. occidentalium nuper inseruit Benedictus Cononius, Ordinis Cælestinorum. Verum quis Author hic fuerit, aut quæ ipsius in actis referendis sinceritas, aut quo præcise tempore scripserit, hactenus non constat: hoc duntaxat scitur quod saltem ante annum 1307. adeoque 50. & amplius annis post Stockium, scripsisse non potuerit; quia meminit Eduardi secundi Regis Angliæ, qui illo demum anno patri in regnum successit. Ad hæc hactenus nulla habetur probatio de sinceritate illius manuscripti; utrum nimirum ab aliquo recentiore non fuerit suppositum. Quod enim in Bibliotheca servetur Vaticana, nullum est sinceritatis argumentum: notum est quippe illud Cardinalis Baronii ad annum 604. Vaticanam Bibliothecam, ut cæteras omnes referre similitudinem sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congregantis, bonos & malos continentem; item libros probatos & improbatos, utiles & inanes, simul amplectentem; illos, ut sequatur, rejiciat illos. Unicus deinde restat P. *Swaintonus* solus Simoni coævus, qui cum aliqua verosimilitudine in testem visionis Stockianæ adduci potest.

§. IV.

Licet supponatur Petrum Swaintonum narrasse visionem Stockianam, nihilominus hactenus infirmum inde ducitur argumentum.

Si vitam Simonis Stock conscripserit Swaintonus, a 400. & amplius annis, ut nunc primus prodiit Cheronius, totamque visionis Stockianæ narrationem, prout eam exhibet Cheronius, inseruerit; id unum sequitur Swaintonum testari, sibi & fratribus in unum congregatis a Simone revelatum fuisse, sibi eam visionem contigisse. Sed quis nobis hactenus sufficienter adstruxit Swaintonum non esse de numero illorum Scriptorum, qui vitas Sanctorum scribentes, *vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque tam multa confingunt, ut eorum me non solum pudeat*, ait Melchior Canus, de Locis Theologicis, Lib. II. Cap. 6. *sed etiam tædeat*. Nisi ergo fides & sinceritas Swaintoni aliunde adstruatur, infirmum erit quidquid ejus fidei, & quidem singulari, superinstruitur: præsertim cum si ejus foret sufficienter probata fides, atque in describendis rebus Stockianis sinceritas ac eruditio, vix esset credibile quod hæc ejus elucubratio, quatuor sæculorum curriculo sub Bibliothecæ Burdigalensis pulveribus mansisset, sepulta adeo ut nec ullus ante Cheronium ipsius meminerit. Quin etiam postquam ex illa lasciniam detraxit, ac publici juris fecit Cheronius, nullo aut admodum exiguo pretio apud suos fuisse argumento est, quod nec dignam existimaverint illam vitæ illius descriptionem, ut in novissima ac amplissima speculi Carmelitici editione monumentis tota Europa conquisitis aucta, locum haberet; cui tamen inserere non dubitaverunt vitæ Stockianæ Scriptores Swaintono multo posteriores. Imo quod amplius est, scribenti acta Sanctorum Papenbrochio oblata fuit vita

vita Stockiana, scripta a Rolando anno 1513. idest 3. circiter sæculis post obitum Stockii, ut eam actis Sanctorum insereret, delitescente interim sub pulveribus Bibliothecæ Burdigalensis elucubratione Swaintoni Scriptoris coævi, & individui ipsius Stockii socii: quæ tamen quantam præ Rolandi scriptione in revelatione factorum Stockii fidem mereretur, nec Carmelitæ dubitare possunt.

Ex quibus sumitur conjectura non improbabilis, etiam ipsis Carmelitis non undequaque perspectam esse Swaintoni in referendis actis Stockianis sinceritatem.

§. V.

Supposita fidelitate Swaintoni in relatione factorum, nihilominus incerta manet visio Stockiana.

Si ea scripserit Swaintonus, quæ ex eo refert Cheronius, fueritque in sua scriptione fidelis ac sincerus, jam constabit Simonem Stock Swaintono, ac aliis fratribus simul congregatis narrasse, sibi oranti apparuisse D. Virginem cum grandi comitatu, & tenendo habitum Ordinis dixisse: *hoc erit tibi* &c. Sed an vera fuerit quam credidit sibi factam visionem & fratribus narravit Stockius, an vero non fuerit imaginatio aliqua aut illusio, unde probatur? Swaintonus enim simpliciter ac nude asserit Stockium retulisse eam sibi visionem contigisse; sed illam a sapientioribus, atque in discernendis veris revelationibus a falsis exercitatis hominibus, examinatam probatamque fuisse non asserit Swaintonus. Supposita proinde Swaintoni in narrandis factis fidelitate, aliud confici non potest quam Stockium credidisse eam sibi factam fuisse visionem, illamque fratribus retulisse. Verum si de omnibus passim revelationibus aut visionibus verum sit parum iis esse deferendum, nisi serio prudenti & accurato undequaque examine fuerint examinatæ atque probatæ; id non uno ex capite de hac Stockii visione præcipue affirmandum erit.

Si enim Stockii personam consideremus, erat eo tempore, quo visio contigisse dicitur, grandæva senectute gravatus, annum agens circiter centesimum, adeoque in ea ætate, qua ingenium ad discernendum vera a falsis deficere, & illusionibus amplius solet esse subjectum. Erat insuper rigorosa pœnitentia fractus, ait Swaintonus; assidueque pernoctans in oratione usque ad auroram. *Compertum autem est ex longa inedia crebrisque jejuniis ac immoderatis vigiliis exsiccato cerebro; dissipatisque spiritibus, inania phantasmata repræsentari, quibus illusa mens, tanquam Divinis revelationibus pertinaciter adhæret.* Hæc Cardinalis Bona de Discretione spirituum, Cap. 2. Num. 3.

A persona ad rem revelatam si transeamus, apparebit quod si de nulla visione verum sit, sine diligenti examine illi esse deferendum, id majori ratione de hac esse dicendum. Quo enim majora atque inusitatiora revelata esse dicuntur, eo sine dubio diligentiori ac accuratiori opus est examine. Quid vero majus atque in Ecclesia hactenus inusitatius, imo incredibilius, quam D. Virginem e cælo descendisse, tenendoque habitum Ordinis dixisse: *hoc erit tibi* &c. Num forsan quid majus aut inusitatius auditum unquam, quam nudæ ac simplici gestationi externi alicujus habitus, divinitus annecti privilegium, ut in hoc moriens æternum non patiatur incendium? Id tamen revelavit D. Virgo, si vera sit, quæ a Swaintono exprimitur & refertur, Stockio facta revelatio. Denique admodum suspecta est revelatio, si res revelata potius dissentiat quam consentiat cum Scriptura aut PP. Traditione. Quis vero consensus hujus revelati privilegii cum Scriptura Sacra, & SS. Patribus? qui ubique insinuant securitatem salutis unice in operibus bonis, præsertim quæ concupiscentiæ pravisque inclinationibus contrariantur, nequaquam vero in externa alicujus habitus gestatione, esse collocandam; juxta illud S. Petri: *Satagite ut per bona opera vocationem vestram & electionem certam faciatis.*

Verum dices: D. Virgo ultra gestationem habitus Ordinis amplius aliquid requirit, ut quis in eo moriens, æternum non patiatur incendium: nimirum mandatorum Dei observantiam. Verum si ultra gestationem habitus, D. Virgo exegerit obser-

van-

vantiam mandatorum Dei, ergo tenendo Ordinis habitum dicens, *Hoc tibi erit &c.* nullum dedit Carmelitis privilegium, quandoquidem certum sit quod observantia mandatorum Dei, etiam sine illius habitus gestatione sufficiat, ut quis moriens æternum non patiatur incendium.

Sed replicabitur forsan ulterius: Licet ultra gestationem habitus necessaria sit mandatorum Dei observatio, multum tamen confert Scapularis gestatio. *Est enim illa* (inquit Theophilus Reynaldus Societatis Jesu, in Scapulari defenso part. 2. q. 7.) *tessera & pignus uberis gratiæ auxiliatricis a Deipara sodalibus suis exoratæ; cujus interventu servabunt mandata, & vitam sancto fine concludent*. Et hæc est vis specialis juxta Deiparæ sponsionem, vel ut Joannes Lezana in Maria Patrona Cap. 1. N. 12. exponit, ideo in prædicta visione salutem animæ & liberari ab inferorum pœnis tribui sancti Scapularis induitioni, quod illud pie gestantes, quantum est ex parte B. Mariæ Virginis, ipsiusque pro ipsis intercessione, nisi per ipsos steterit, salutem consequentur æternam.

Sed nonne admissa priore illorum verborum expositione, res ipsa revelata nihilominus dissentiet potius quam consentiet Scripturæ Sacræ & PP. Traditioni? Quandoquidem rei plane de se ad bonum vel ad malum indifferenti, nimirum externæ habitus gestationi, divinitus dicatur annexum, ut sit *tessera & pignus* uberis gratiæ &c. quod nec Sacramenti ullius susceptioni, nec incruenti Sacrificii oblationi reperitur concessum.

Quod posteriorum verborum illorum expositionem spectat, si hæc verba, *nisi per ipsos steterit*, accipiantur in eo sensu, quod si gestantes Scapulare nihil ex sua parte omiserint de observantia mandatorum Dei, morientes in Scapulari, æternum non sint passuri incendium; ridicula plane redditur revelatio: cum etiam gestantes suam chlamydem, si nihil de sua parte omittant de observantia mandatorum Dei, morientes æternum non sint passuri incendium. Si vero præfata verba, *nisi per ipsos steterit* ita accipiantur quasi gestantibus Scapulare promissum sit quod certo sint accepturi eam gratiam, qua fiat ut sint observaturi mandata Dei, aut saltem in fine vitæ talem acturi pœnitentiam, quæ ad evadendum æternum incendium sufficiat, tunc rursus hac admissa explicatione, major virtus attribuitur gestationi Scapularis, quam ullius Sacramenti susceptioni.

Non obstante igitur simili expositione, verum est rem revelatam vel ridiculam esse, vel inanem, vel esse aliquid hactenus in Ecclesia inauditum; & Scripturæ, Patrum Traditioni, qui rebus indifferentibus & externis nunquam tantam tribuere virtutem, dissonum potius quam consonum; & consequenter sine accuratissimo, diligentissimoque examine neutiquam esse recipiendum; ac proinde cum hoc examen intervenisse non constet ex Swaintono, pro incerta haberi debet visio quam sibi factam credit Stockius, quousque saltem de examine illo constet.

Ulterius cum revelatio, juxta obvium verborum sensum, etiam fatentibus defensoribus ejus strenuissimis, recipi nequeat, sed verba sensu aliquo quem præ se non ferunt, & in quo nec ipsius expositores conveniunt, accipienda sint; sequitur quod & hoc titulo incerta sit hæc revelatio. Dum enim verba revelationis in sensu proprio & obvio accipi nequeunt, nihil certi haberi potest, nisi alia habeatur æqualis auctoritatis revelatio, quæ sensum improprium indicaret: qua non habita, nihil certi ex priori revelatione statui potest.

§. VI.

Supposita veritate eorum, quæ ex Swaintono aliisque de visione Stockiana referuntur, sequitur quod a quatuor sæculis celebris & nota fuerit.

Swaintonus relata visione Stockiana narrat quod esset circa Wintoniam in Anglia „ quidam Waltherus homo inverecundus, „ adausus, improbus, rixosus, & magicis „ sacrilegiis deditus, Sacramentorum con„ temptor, & vicinorum fatigator, qui „ rixando cum alio nobili fuerat lethali„ ter vulneratus ab illo, & videndo se ci„ tari ad Divinum Judicium, Diabolo „ commissa crimina ante oculos ponente „ nolebat audire loqui de Deo nec de Sacra„ men-

„ mentis; sed blasphemando quamdiu potuit loqui, vociferabat; *sum damnatus: Diabole vindica me de interfectore meo*. Post hæc subjungit Swaintonus quod Stockius ipso præsente veniens ad domum dicti Waltheri, invenerit illum stridentem dentibus, & rotantem oculos tanquam canem rabidum, cumque videretur mori, nec haberet usum sensuum corporis sui, B. P. Simon Stock facto signo crucis, & injecto habitu super languentem, elevatis oculis petiit indicia a Deo, ut pretium Christi non esset præda Diaboli; quo facto, subjungit Swaintonus, ægrotus receptis viribus cœpit mitere ejulari, & publice agnoscere quoniam iniquitates ejus crevissent super numerum arenæ maris; dixitque, *Pater adjuva me; volo confiteri*. Post Confessionem, ut ait Swaintonus, renuntiavit Waltherus ille publice Diabolicis pactis, & recepit Sacramenta Ecclesiæ, edendo signa magnæ pietatis, & pœnitentiæ; & circa horam octavam noctis, pacifice exhalavit animam, quæ fratri suo hæsitanti de salute ejus apparuit, significando secum bene agi, & quod per potentissimam Reginam Angelorum, per habitum beati viri, tanquam per clypeum evaserit insidias Dæmonum. Fama illius facti volavit per totam urbem. „ Hoc miraculo relato narrat Swaintonus quod Petrus de Linthonia frater dicti Waltheri miraculum illud retulerit Episcopo Wintoniensi, qui interrogato B. Simone de virtute habitus, cuncta jussit scribi sub sigillo authentico; & prædictus Petrus, ait Swaintonus „ propter miraculum sibi per gloriosissimam Virginem Mariam in fratre suo ostensum, fratres Wintoniæ fundavit, dando eis locum ad ædificandum Monasterium nostræ Religioni valde commodum & amplum. Sermone vero per totam Angliam & extra currente, civitates multæ offerebant nobis loca ad inhabitanda & multi proceres petebant associari huic sanctæ Religioni, pro participio gratiarum desiderantes mori in habitu sancto Ordinis, ut per merita Gloriosæ Virginis Mariæ haberent exitum vitæ bonum; atque ita paulatim religio B. M. V. de Monte Carmelo cœpit, præstante D. N. J. C. & Maria Matre ejus, in partibus occidentalibus multiplicari, in multas Provincias; Provinciæque in domus, domus in personas sufficientes & idoneas, quæ multum fructum adferunt ad augmentum fidei Catholicæ. „

Joannes Grossus descripta visione Simonis Stock, (si tamen illa descriptio sit Grossi, cum etiam fatente Authore novissimi speculi Carmelitici, Tom. 1. Parte 2. pag. 231. vetusta exemplaria, quæ hinc inde exstant, & Venetiis editum anno 1507. inter se non conveniant) subjungit: „ Ratione ergo illius magni privilegii, diversi proceres Regni Angliæ ut Eduardus Rex Angliæ II. post conquestum, fratres prædictos fundavit Oxoniis; dans ipsis proprium palatium pro conventu: similiter D. Henricus Dux Lancastriæ (qui miraculis multis dicitur claruisse) & etiam multi alii nobiles illius regni prædicti Scapulare Ordinis clam portaverunt, in quo postea obierunt. Paleyonydorus relata visione Stockiana, subjicit „: Emergit fama facti: rumor de Anglia ad exteras spargitur nationes; fit res celebris populo Dei. Ratione itaque tanti & singularis signi salutis & privilegii pacis sempiternæ, complures magnorum statuum viri & fœminæ arma illa Reginæ Cælorum & scutum apprehendentes, se Religioni Carmeli offerebant: vel uti Ludovicus Rex Franciæ, Eduardus Anglorum Rex, D. Henricus Lancastriæ Dux miraculis clarus; Comes Northumbriæ Henricus; Angela filia Regis Bohemiæ; Joanna & Anna Tholozana; sacrum Ordinis Scapulare die noctuque portarunt, aliique plures diversarum Provinciarum. Plures insuper iisdem temporibus eumdem habitum suscipientes, a diversis sunt curati languoribus. „ Si igitur vera sint quæ ab his Authoribus referuntur, dubitari nequit visum Stockii apud Anglos cæterasque natones a quatuor sæculis non tantum notum, sed & celebre fuerit; quandoquidem ratione tanti tamque singularis signi salutis & privilegii pacis sempiternæ, complures Reges & Principes Scapulare suscipientes se Religioni Carmeli obtulerint; ma-

magnoque ob illud privilegium & per sacrum habitum perpetrata miracula affectu Ordinem fuisse amplexos & variis beneficiis cumulasse.

§. VII.

Visionis Stockianæ celebritas jam descripta non consistit cum silentio illorum, qui scripserunt de Ordine Carmelitico, sub initium & medium sæculi XIV.

Si adeo celebris, tantoque populi applausu circa medium sæculi decimi tertii recepta fuerit visio Stockiana, atque ipsius Scapularis a B. Virgine revelatum privilegium, ut §. præcedenti relatum est, impossibile est ut famosissimis illius Ordinis Scriptoribus, sub initium ac medium 14. sæculi incognita fuerit; & tamen si eorum scripta modusque scribendi attendantur, clarissime patebit dictam visionem ipsis incognitam fuisse. Joannes Bacho Carmelita Anglus, Theologorum sui temporis princeps, ait Sixtus Senensis, & sui Ordinis quondam Provincialis circa annum 1329. edidit compendium Historiarum & Jurium pro defensione institutionis, confirmationis & institutionis Ordinis B. M. de Monte Carmelo; *peculiariter scriptum*, ait Author novissimi speculi Carmelitici Tom. 1. Parte 2. p. 713. *contra eos qui Ordinem* (hunc) *non esse confirmatum*, *calumniabantur*.

Porro in toto hoc tractatu nulla visionis Stockianæ mentio occurrit, cum tamen nihil fuisset argumento quod tractabatur opportunius; præsertim, quia Author ex professo, particula *6.* tractat de habitu Ordinis Carmelitarum; atque in commendationem candidi habitus Carmelitici dicit: *Illum ante ortum Ecclesiæ esse prognosticatum; Legitur enim*, inquit, *in historiis ad 4. Regum 2. quod* SABACHA *pater Eliæ nondum nati, viderit in somniis viros candidatos se salutantes*. Qui hanc visionem in commendationem sui habitus attulit, an Stockianam omisisset? Si jam tam nota & communiter recepta fuisset. Ulterius particula 7. sui operis conatur ostendere Ordinem suum confirmatum (esse) jure Divino. Poterat ne aliquid opportunius aut efficacius Stockiana visione in probationem hujus argumenti adduci?

Denique idem Author edidit tractatum de institutione Ordinis Carmelitici ad venerationem B. V. M. & capite 3. conatur evincere quod recte Romani Pontifices hunc titulum, fratres Ordinis de Monte Carmelo in suis Bullis expresserint. Si visio Stockiana cognita fuisset, incredibile est quod eam in probationem hujus argumenti non allegasset.

Alter ejusdem Ordinis Scriptor famosissimus Joannes Hildesemensis natione Teutonicus, edidit defensionem Ordinis circa annum 1370. dum Ordinis antiqua institutio, intitulatio, & confirmatio vehementer impeterentur, præsertim in Anglia. Sane non potuisset Author hic visionem Stockianam omittere, cum nullum argumentum in Ordinis sui defensionem opportunius aut efficacius adducere potuisset; præsertim cum alias similes visiones in Ordinis sui commendationem adducere non dubitaverit V. G. Cap. 5. qualiter B. Petro Thomæ Patriarchæ Constantinopolitano ex Ordine Carmelitarum desideranti a B. M. V. Religionis suæ patrocinium, & conservationem, in somnis ipsi responderit B. V. *Petre ne timeas, quia durabit in finem Carmeli Religio nostra: Nam & pro ea etiam supplicavit Filio meo primus Ordinis Patronus Elias in transfiguratione, & impetravit*. Et Capite 12. alteram non minus mirandam refert, quæ contigisse dicitur occasione particulæ crucis Dominicæ, quæ cum aliis nonnullis Reliquiis ex quodam pinnaculo, cui fuerat inclusa, ceciderat, & dum eam Canonici tollere vellent saltavit procul, & levari noluit; cumque sequerentur, saltavit iterum similiter, & sæpius fecit. Tentaverunt hoc alii Clerici Religiosique diversorum Ordinum qui tollere non potuerunt. *Habebant*, pergit Author, *pro tunc nostri Fratres locum novum ibidem, & erant penitus in re pauperes; sed in bona vita locupletes. Erat autem inter eos quidam frater excellentis devotionis, qui reliquis fratribus dixit, vadamus & nos pro ligno D. N. J. C. nam & in hac nocte B. V. mihi per visionem locuta est:* VOLO QUOD FRATRES MEI SOLI TOLLANT CRUCEM FILII MEI. *Processerunt igitur*

igitur humili corde & humili habitu ; nec S. Lignum, ut antea, saltavit, sed se quasi sponte capi permisit. Hæc ille.

Qui similes visiones opposuit detractori Ordinis, potuisset ne omittere adeo notam ac celebrem, tantoque applausu receptam visionem Stockianam, qua in Ordinis sui commendationem nihil proferri poterat illustrius? Et tamen visionis Stockianæ, in toto tractatu, nec verbum occurrit.

Sub idem tempus Philippus *Ribotus*, sui Ordinis Provincialis de institutione & (peculiaribus) gestis Carmelitarum composuit 10. libros, in quorum sexto agit de titulis, quibus Professores hujus Religionis decorantur; specialiter, cur fratres B. V. M. appellentur. Liber septimus totus est de habitu Religiosorum hujus Ordinis; & de ejus significatione, qualiterque fuerit in aliquibus variatus. Libro nono tractat de Ordinis multiplicatione, facta novissimis diebus in Syria; & qualiter Religio illa consequenter in Europam transplantata sit; & quidem capite 6. quomodo eam S. Ludovicus Galliæ Rex in Franciam adduxerit. Hæc sola librorum argumenta si quis attendat, apparebit, non esse verisimile quod nota fuerint quæ refert Petrus Swaintonus, & tamen nil de illis referat hic Author; quandoquidem nulla potuissent esse opportuniora & convenientiora argumento, quod tractabat.

Bernardus *Olerius* Ordinis Carmelitici Generalis, anno 1376., librum scripsit pro defensione Ordinis, Pontifici offerendum; distinctum in tres articulos, quorum secundus est *de intitulatione Ordinis a SS. Virgine Maria*, qui totus in hoc versatur, ut ostendat quod Deipara recte dicatur Ordinis Patrona; quis vero in animum inducat, quod si Olerio visio Stockiana cognita fuisset, eam prætermisisset, quandoquidem vel illa sola (abunde) suffecisset, quod merito Deipara Virgo Maria Ordinis Patrona appelletur?

Thomas Waldensis famosissimus ac doctissimus Ordinis Carmelitarum Theologus, sub initium sæculi 15. edidit opus Sacramentalium, quod obtulit Martino V. Pontifici; in quo opere Tit. 10. Cap. 92. ex professo disserit de Religiosorum vestibus; & Cap. 93. de meritorum & suffragiorum participatione; ibidem referens formulam, qua utuntur Carmelitæ, dum aliis Ordinis sui merita communicant. *Hac item forma*, inquit præfatus, *Carmelitarum, omnium nostrum quæ per fratres nostros operari dignabitur, clementia Salvatoris vobis participationem perpetuam concedimus*. Hæc licet Waldensis ex professo per plures paginas tractet; nullam tamen de visione Stockiana aut privilegio habitus mentionem facit. Quis vero credat, quod Thomas Waldensis Anglus, & tam famosus Ordinis sui Theologus tam opportunum in rem illam, quam tractabat, argumentum omisisset, si ei nota fuisset visio Stockiana?

Denique Petrus Bruno Gandavensis Prior edidit tabulam fratrum Ordinis Deiparæ Virginis de Monte Carmelo anno 1474. Alosti impressum, in quo puncto 6. agens de habitus assignatione, scribit: *Indui Scapularibus conspicimus Carmelitas, qui sancto tradente Simone Stock, Virgineis manibus tentum Scapulare (quando suæ devotionis in Virginem Mariam veluti cujusdam præmii præludio, Mariam etiam aspexerat) mirum in modum alacres susceperunt*. Est ne credibile quod hic Author, qui illa de Simone Stock, & forsan primus in commendationem sui habitus tradidit, privilegium illud maximum ipsi Simoni in eadem visione manifestatum omisisset, si jam a duobus sæculis in Ordine celebre atque receptum, quin & miraculis comprobatum fuisset? Omnium illorum silentium Scriptorum, una cum circumstantiis expressis, si attentius expendatur, patebit nullatenus esse verisimilia, quæ ex Swaintono aliisque de celebritate & fama visionis Stockianæ supra sunt relata. Nec obstat quod argumentum a negativis sit: quia etiam argumentum negativum in ejusmodi circumstantiis vestitum evidenter concludit, ut infra ostendetur; ubi ostensum fuerit simili argumento quod nequaquam vera sit ac sincera Joannis XXII. Bulla Sabbathina.

§. VIII.

An Paleyonydorus ex Swaintono aut alio antiquiore Scriptore Historiam visionis Stockianæ hauserit.

P. Daniel a Virgine Maria Author novissimi speculi Carmelitici Tom. 1. Parte 2. N. 2086. volens texere Authores aliquos atque vetusta monumenta, in quibus historia visionis Stockianæ traditur, aut exponitur, per ætates, scilicet a tempore Simonis Stockii usque in præsens, procedendo in 1. Sæculo, id est anno 1265. quo Stockium obiisse dicit, usque ad 1300. allegat Swaintonum, a quo, inquit, cæteri hauserunt, utpote B. Simoni coævo, & auriculari teste. Sed unde habetur quod cæteri ex Swaintono historiam illam hauserint? Num forsan Paleyonydorus aut alii post eum in hujus historiæ relatione authoritatem aut testimonium Swaintoni adduxerunt? Nequaquam. Nullus enim hujus Historiæ Scriptor ante Cheronium in illius probationem Swaintoni meminit; cum tamen nequaquam ignorare possent quam opportunum, imo quam necessarium esset, ut ad adstruendam fidem alicujus facti, quod jam a sæculis aliquot debuerat contigisse, vel unus saltem testis coævus adduceretur.

At hæc si Paleyonydorus ex Swaintono suo hauserit, qui factum ut plane diversimode, & apparitio & verba Divæ Virginis ab utroque referantur? Apud Swaintonum enim hæc dicit Stockius: „ Apparuit mihi cum grandi comitatu, & „ tenendo habitum Ordinis dixit: *hoc erit* „ *tibi & cunctis Carmelitis privilegium. In* „ *hoc moriens, æternum non patietur incendium*". Apud Paleyonydorum vero hæc leguntur. „ Nec defuit fervido (suo) „ zelatori " &c. ut supra §. 3.

Hæc quam disparia sint inter se conferenti facile constabit; & tamen si apud Swaintonum historiam legisset Paleyonydorus, quis dubitet quin fidelissime de verbo ad verbum, præsertim dicta B. Virginis ad Simonem Paleyonydorus retulisset? Ulterius si sua ex Swaintono hauserit Paleyonydorus, qua ratione fieri potuit ut omiserit, quod in confirmationem visionis Stockianæ adjungit Swaintonus, perpetratum miraculum? An adeo negligens credendus Paleyonydorus, ut illud, quod visioni illi summum pondus addere poterat, maximumque ad ipsius visionis veritatem comprobandam suppeditabat argumentum, eumque in finem a Swaintono additum esse, sciebat, una cum visionis historia referre prætermisisset? Omni proinde destituitur verisimilitudine, quod Paleyonydorus aliique, qui ante Cheronium scripserunt ex Swaintono visionis historiam hauserint, tum quod nullus in enarratione istius historiæ, Swaintoni meminerit; tum vel maxime quod nemo illorum miraculorum a Swaintono ad probandam visionis veritatem adductum retulerit.

Hinc rursus novum sumitur argumentum, Swaintonum nequaquam scripsisse visionis Stockianæ historiam, quia incredibile est, ut tot Scriptores, qui hujus historiæ jam a centum annis meminerunt, testem coævum, qui solus hac in re fidem merebatur, adducere omisissent; non hausisse quoque Paleyonydorum visionis historiam e Joanne Grosso exinde colligitur, quod in hujus historiæ testem illum non adducat; cum tamen immediate post relatam visionem ejus utatur testimonio in re, quæ facile poterat innotescere; nec testem adeo necessarium requirere videbatur; nimirum ut probaret Simonem Stock 50. annis Ordinem laudabiliter rexisse.

Denique quam diversimode visio Stockiana a Grosso & Paleyonydoro referatur, facile patebit, si formulæ ex utroque §. 3. relatæ inter se conferantur. Alterum hinc rursus argumentum Joannem Grossum visionis Stockianæ historiam nequaquam scripsisse; sed quibusdam operis ipsius manuscriptis per aliquem recentiorem fuisse adjectam; cum nequaquam sit verisimile, quod Paleyonydorus aliique post eum visionis Stockianæ relatores, testimonium Grossi integro sæculo Paleyonydoro senioris, & consequenter ad adstruendam visionis Stockianæ veritatem tanto aptioris neglexissent; præsertim cum hi, qui post Paleyonydorum de visione illa scripserunt, ipsius Paleyonydori authoritatem adducere non neglexerint; argumentum quod gravius testimonium, si eisdem innotuisset,

non

non neglexissent. Nullatenus perinde verisimile est, aliquem Paleyonydoro antiquiorem visionem Stockianam retulisse, quod & ante Cheronium ab omnibus, qui de hac visione scripsere, creditum fuisse constat.

§. IX.

Refertur Bulla, cui secundum Scapularis Privilegium innititur.

Confratribus Scapularis B. V. M. de Monte Carmelo duo promitti privilegia §. 2. diximus; unum quod visioni Stockianæ innititur; alterum similiter innixum cuidam visioni, sive revelationi, quæ facta dicitur Joanni XXII. quam ipse fertur expressisse in quadam Bulla, quæ ob annexum diei privilegium vulgo dicitur *Sabbathina*. De hac visione ac Bulla eam visionem repræsentante, ut commodius inquiri possit an germana, an spuria seu suppositítia sit, convenit eam prius integram referre. Verum cum certum sit originale istius Bullæ hactenus non esse repertum, ipsaque quæ exstant apud diversos, Bullæ exemplaria, multum inter se variare; (cum tamen omnes passim asserant se illam ex authentico exemplari de verbo ad verbum referre) nescitur ex quo sincerius ea repræsentanda sit. Quia tamen Bullæ illius vindices mordicus sustinent eam ex originali per Alexandrum V. ad perpetuam rei memoriam fuisse transcriptam, & Bullæ suæ insertam; convenientius credidi eam iisdem verbis, quibus in dicta Bulla Alexandri V. expressa est, hic repræsentare:

„ Joannes Episcopus Servus servorum Dei, „ universis & singulis Christi Fidelibus &c. „ (ut prædictum est). Sacratissimo uti culmine Paradisi Angelorum tam dulcis & „ suavis reperitur melodia modulamine visionis; dum paterno Jesus numini conspicitur, atque humanitus dicendo: *Domine, Ego & Pater unum sumus*, & *qui videt me, meum videt & Patrem;* & „ Angelorum non desinit chorus dicere; „ *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; ita Synodus „ non cessat laudes effundere celsæ Virgini dicendo: *Virgo, Virgo, Virgo, sis speculum nostrum pariter & exemplum* (quoniam munere munitur gratiarum, sicut „ sancta canit Ecclesia, Maria gratia plena „ & mater misericordiæ) sit iste ille mons „ reputatus de Carmelo Ordine cantibus „ extollendo, hanc gratiarum Genitricem „ commendando & dicendo, salve Regina mater misericordiæ, & spes nostra; „ sic mihi flexis genibus Supplicanti, Virgo visa fuit Carmelitano *habitu*; sequentem affata sermonem: o Joannes, o „ Joannes, Vicarie mei dilecti Filii, veluti a tuo te eripiam adversario; te Papam facio, solemni dono Vicarium meis „ coadjuvantibus supplicantibus a dulcissimo „ Filio meo petitis, quod gratiose obtinui: ita gratam & amplam meo sancto „ ac devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeat, præcondere, per Eliam „ & Elisеum in monte Carmelo inchoato: quod unusquisque professionem ac „ regulam a meo servo Alberto Patriarcha „ ordinatam observabit, inviolatam tenebit, & per meum dilectum filium Innocentium approbatam veri mei Filii Vicarium, debeat in terris assentire quod „ in cælis meus statuit semel, & ordinavit Filius; quod qui in sancta perseveraverit obedientia, paupertate, & castitate, vel qui sanctum fratrum intrabit „ Ordinem, salvabitur. Et si alii devotionis causa in sanctam ingrediantur Religionem, sacri habitus signum gerentes, „ appellantes se confratres & consorores „ mei Ordinis prænominati, liberentur „ & absolvantur tertia eorum parte peccatorum; a die quo præfatum Ordinem „ intrabunt, castitatem, quæ vidua est, „ promittendo; virginitati, quæ virgo est, „ fidem præstando: si conjugata, inviolate observationem matrimonii adhibendo, ut sancta mater imperat Ecclesia. „ Fratres Professi dicti Ordinis supplicio „ solvantur, & culpa; & die quo ipsi „ sæculo recedunt, ac properato gradu „ accelerant Purgatorium; Ego mater „ gratiosa descendam Sabbatho post eorum „ obitum: & quos inveniam in Purgatorio liberabo, & eos in montem sanctum vitæ æternæ reducam; verum quod „ ipsi confratres & consorores teneantur horas dicere Canonicales, ut opus fuerit, „ secundum regulam datam ab Alberto, „ illi

„ illi, qui ignari sunt, debeant vitam ducere jejunam iis diebus, quibus sancta jubet Ecclesia, (nisi necessitatis causa, aliqui essent traditi in impedimento) Mercurio & Sabbatho debeant a carnibus abstinere, præterquam in mei Filii nativitate; & hoc dicto evanuit sancta visio. Istam ergo sanctam indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, sicut propter merita Virginis Matris gratiose Jesus Christus concessit in cælis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ indulgentiæ seu statuti & ordinationis irritare, vel ei ausu temerario contrariare; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum ".

Datum Avenione 3. die Martii. Pontificatus nostri anno sexto. Hactenus Bulla, cui innititur privilegium Scapularis de liberatione Confratrum ex Purgatorio primo post obitum Sabbatho. Bullam hanc ipsamque in hac relatam visionem spuriam seu suppostitiam esse quatuor diversi generis argumentis ostendam. 1. Argumentis ex verbis Bullæ deductis. 2. Ex ipsa persona Joannis XXII. deductis. 3. Ex ipsa re revelata. 4. Ex silentio Authorum de hac Bulla, tum qui gesta & privilegia Ordinis Carmelitici, tum qui vitam & acta Joannis XXII. scripserunt.

§. X.

Proponuntur argumenta contra Bullam Sabbathinam ex ipsis verbis Bullæ desumpta.

Primum suppositionis argumentum suppeditat ipsa verborum obscuritas & perplexitas. Quis enim intelligit, quid verba hæc initialia velint: *Sacratissimo uti culmine Paradisi*, tum quæ sequuntur: *Angelorum tam suavis melodia* &c. quæ item connexio verborum, quæ subjunguntur cum antecedentibus; aut quis eorum sensus, dicendo: *Domine Ego & Pater unum sumus* &c. Ulterius quis præter Christum hæc dicere potuit? nemo, nisi demens, sive de terra, sive de cælo, usurpabit sibi illam unigeniti vocem: *ego & Pater unum sumus:* inquit S. Bernardus, (Serm. 71. in Cant.) Num igitur & Christus in hac visione locutus? Ita omnia confusa, ut nesciatur quis loquatur. Quæ deinde sequuntur, adeo absona, adeo inconcinne posita, tantaque obscuritate & perplexitate involuta, ut potius hominis alicujus sensus expertis quam Pontificis esse videantur. Et tamen omnia illa usque ad hæc, *sic mihi flexis genibus*, si Authori novissimi speculi Carmelitici Tom. 2. parte 2. N. 2185. credimus, *sunt proœmium quoddam ad movendum lectori attentionem rei narrandæ insolito & sublimi subjecto congruentem*. An igitur conveniens judicetur ad conciliandam attentionem rei narrandæ, uti proœmio adeo obscuro & inconcinno ut ad ejus intelligentiam non tantum opus foret prolixo commentario, sed & divina revelatione, quæ arcana verba detegeret & explicaret? Quis unquam, in Bullis Pontificis, ac signanter ipsius Joannis XXII. hujusmodi ostendit obscuritatem, similemque loquendi modum? *Est quidem Bullæ hujus stilus nonnihil diversus a formulis cæterarum*, ait dictus Author: *Sed verisimiliter hæc ab ipsomet Pontifice Joanne, cui soli nota erat illa visio, composita fuit*. Mera & nullatenus fundata conjectura, quæ tamen ut vera esset argumentum ab obscuritate verborum petitum confirmaret potius quam infirmaret. Si enim ab ipso Pontifice Bulla foret composita, nonne potius præsumendum esset, quod relicta Notariorum aut Scribarum ordinaria formula, quæ solet esse nonnihil obscurior, clariore ac concinniore stilo usus fuisset? præsertim cum argumentum esset insolitum, & sublime, ideoque indigens stilo clariore, ut intelligeretur, & reciperetur.

Secundum suppositionis argumentum sumitur ex verbis, *Veluti a tuo te eripiam adversario*; *te Papam facio* &c. quæ supponunt evidenter visionem illi contigisse ante Pontificatum. Quod si verum sit, qua ratione B. Virgo eum sic affata in hæc verba: *o Joannes*, *o Joannes*, *Vicarie mei dilecti Filii*; quandoquidem ante Pontificatum non vocaretur Joannes, sed Jacobus. Quam naturale sit hoc suppositionis

nis argumentum, facile intelligit qui expenderit confectorem hujus Bullæ attendisse ad nomen Pontificis, quo tunc vocabatur, neque ipsi inciderit ipsum alio nomine ante Pontificatum fuisse appellatum. Ita enim contingere solet ut dum aliqui monumentum aliquod antiquitati supponere volunt, solummodo sint intenti qua ratione sua verba componant ad intelligentiam præsentium; & non attendant satis quis fuerit modus loquendi eo tempore, ad quod monumentum suum extendere volunt; atque ita evidens suæ suppositionis argumentum relinquunt.

Tertium argumentum suppeditat totus ille verborum contextus, quo significatur B. Virginem Pontificatum addixisse Joanni ea conditione: ut confirmationem amplam & privilegium Sabbathinum Ordini Carmelitico concederet, seu potius confirmaret. Quid enim magis ridiculum quam inducere B. Virginem eo modo cum homine contrahentem; aut quodammodo mercantem? Deinde quis dubitat si Joannes edita Bulla dixisset se per Divinam revelationem ad Pontificatum vocatum, idque ea causa ut Carmelitarum Ordini confirmationem concederet, & privilegium in cælis concessum, in terris firmaret, quis, inquam dubitet, quin ipsius adversarii, qui ejus vitam actaque omnia tam anxie criticabant, illud aliquando objecissent, ut risui ac ludibrio vulgi exponeretur; ipsumque tanquam hominem phantasticum, qui ejusmodi visionibus fidem præberet, explosissent.

Quartum suppositionis argumentum suppeditant hæc verba: *Datum Avenione 3. die Martii Pontificatus nostri anno sexto*. Quæ si vera sint, data est Bulla Pontificatus Joannis XXII. anno sexto, cum tamen Gregorius Nazianzenus a S. Basilio, aliique referant eam datam esse anno 1. Pontificatus, idque ex authentico, ut ajunt, exemplari.

Sed dicet quis: hæc varietas ex Librariorum seu Scriptorum oscitantia irrepsit. Id quidem gratis asseritur; sed non probatur. Deinde numerus annorum non exprimitur per cifram, sed per litteras, adeoque haud facile illis per oscitantiam errari potest.

Alii ut hoc manifestum suppositionis argumentum evadant, dicere seu potius sine ullo fundamento fingere non verentur; Joannem XXII. bis seu duas Bullas de apparitione B. Virginis sibi facta ac de privilegio Sabbathino dedisse; priorem Pontificatus anno 1. alteram 6. anno: nec enim binæ a Joanne de sua visione emissæ Bullæ exstat vestigium. Sane dum ad vindicandam alicujus monumenti sinceritatem, de quo dubitatur an genuinum sit an supposititium, in medium adduci seu potius fingi debet aliquid cujus nullum potest proferri plausibile argumentum; tum ipsa monumenti suppositio sufficienter detecta censeri debet. Hæc itaque ex verbis Bullæ deprompta argumenta abunde evincunt ipsius suppositionem, ut nihil dicamus de consignatione Bullæ, quæ facta dicitur *die tertia Martii*, contra stilum communem Bullarum Joannis XXII. quæ plurimæ exstant tum in Corpore Juris, inter Extravagantes; tum in Bullario Romano; tum tom. 4. historiæ Universitatis Parisiensis, quæ omnes Kalendis, Idibus, vel Nonis perpetuo consignantur, ad quem stilum Bullæ hujus fabricator non reflexit, atque ita hoc suppositionis reliquit argumentum.

§. XI.

Argumentum suppositionis Bullæ Sabbathinæ ex persona Joannis vigesimi secundi.

Argumentum suppositionis dictæ Bullæ suppeditat opinio Joannis XXII. de tarda animarum visione beatifica, scilicet quod ad extremum judicii diem, quantumvis igne Purgatorii expiatæ visuræ non essent Deum; & quidem tam firmiter huic suæ opinioni inhæsit, ut publicata hac sententia multorum, novitatem istam detestantium, in se converteret indignationem, non tamen prædictam opinionem tueri & dispergere destiterit, quin & duos e suis concionatoribus unum Dominicanum, Franciscanum alterum, misit Lutetiam Parisiorum, qui sententiam illam ut veram & orthodoxam, prædicarent.

Hæc sententia Joannis XXII. si conferatur cum his verbis, quæ in Bulla B. Virgini tribuuntur; *eos a pœnis Purgatorii libera-*

berat:os in montem sanctum vitæ æternæ gratiose reducam, non obscurum suppositionis suppeditat argumentum. Nec enim verisimile est quod si sibi Joannes a B. Virgine verba illa dicta fuisse credidisset, tanta pertinacia tantaque acritate in prædicta hæsisset sententia; quod ex ipsis B. Virginis verbis intellexisset animas a pœnis Purgatorii primo post obitum Sabbatho in montem sanctum vitæ æternæ reducendas; quod aliud sonare non videtur; quam ducendas in cælum æterna fruituras beatitudine.

Deinde ut primum ejusmodi dogma Parisiis auditum est, inquit Historia Universitatis Parisiensis, Tom. 4. pag. 225. *plurimi Doctores doctrina ab omnibus recepta tenaces, novitatem istam ferre non potuerunt, & qui secus docerent & crederent, in concionibus & scriptis tanquam hæreticos condemnarunt: nec Pontificis reverentia prohibuit, quominus veritati insisterent. Hinc ergo vehemens exurgit æstus animorum; & in sacris suggestibus utrinque fiunt acres disputationes, declamationes* &c. Et tamen in omni hac acerrima contentione nulla hujus Bullæ fit mentio: maximum sane suppositionis argumentum. Quis enim in animum inducat quod adversariorum nemo ex Bulla illa, quæ ad minus jam decem annis edita fuisse debebat, contra sententiam Joannis argumentum formasset, ut ajunt ad hominem; & tamen nihil simile in tota illa historia occurrit. Hæc rursus Bullæ hujus fabricator vel ignoravit, vel non attendit; atque ita manifestum reliquit suæ suppositionis indicium.

§. XII.

Argumenta suppositionis Bullæ Sabbathinæ deprompta ex ipsa materia Bullæ vel re revelata.

Duo in Bulla Sabbathina promittuntur, 1. quod *qui in sancta perseveraverit obedientia, paupertate & castitate, vel qui S. intrabit Ordinem, salvabitur*. Hæc verba si juxta obvium ac naturalem sensum suum accipiantur, significant quod solus Religionis ingressus certitudinem præstet salutis: quod a fide Catholica alienum esse nemo negaverit: ut ipse *Lezana* fatetur, in Maria Patrona Cap. 5. N. 25.

Hoc primum suppositionis argumentum. Neque enim verisimile est verba, quæ similem perniciosum sensum præferunt, sine ulla prorsus expositione a Pontifice publice fuisse proposita: si dicatur verba illa esse intelligenda eo sensu, quo similia in visione Stockiana occurrentia, supra §. 5. exposita fuerunt, apparebit quoque ex dictis ibidem, per similem expositionem, vel promissionem verbis illis contentam reddi inanem ac inutilem & ridiculam, vel non obstante ea interpretatione, promissionem illam S. Scripturæ ac PP. Traditioni manere contrariam; & consequenter argumentum suppositionis firmum consistere.

2. Promittitur in dicta Bulla iis, qui devotionis causa in Sanctum ingrediuntur Ordinem, sacri habitus signum ferentibus, & castitatem pro sui status conditione servantibus, *quod Sabbatho post eorum obitum a B. Virgine e Purgatorio liberabuntur, & in montem sanctum vitæ æternæ reducentur*, modo vel horas canonicales secundum regulam dictatam a S. Alberto, quotidie recitaverint; vel qui ignari sunt, præter præscripta Ecclesiæ jejunia, insuper die Mercurii & Sabbatho a carnibus abstinuerint: hæc verba si rursus in sensu suo obvio ac naturali sumantur, fidei Catholicæ haud consentanea erunt; utpote quæ nemini ob certas preces aut modicam hebdomadariam abstinentiam, certam e Purgatorio liberationem statuto die addicit. Et sane si Synodus Mechliniensis anno 1570. tit. *de indulgentiis* deploret, *quod promissiones certorum effectuum, aut liberationem certam a Purgatorio Missis quibusdam & precibus certo numero recitandis, affixas alicubi videre liceat*; nonne eadem ratione deplorasset quod certis precibus recitandis, aut modicæ per hebdomadam abstinentiæ certam e Purgatorio liberationem primo post obitum Sabbatho annexam circumferri audisset? Si vero urgeatur, eamdem quæ priorum verborum data est interpretatio, hic quoque esse adhibendam, respondebimus, vel per similem verborum expositionem, nullam ac inanem reddi quæ a Dei-

Deipara Virgine, Confratribus Scapularis his verbis facta est promissio; aut non obstante illa expositione, externæ gestationi Scapularis, una cum modica abstinentia, plus virtutis tribui, quam susceptioni Eucharistiæ, aut Sacrificii oblationi, ut in simili supra §. 5. ostensum fuit.

Quomodocumque igitur revelatio ista accipiatur, & verba illa exponantur, indigna omnino est cui a Pontifice fides adhibita, & quod amplius quæ per Bullam a Pontifice publicata dicatur. Præsertim quia revelatio ista sic publice proposita nata esset vulgus inducere in perniciosissimum errorem; nimirum quod soli externi habitus gestationi cum exigua abstinentia, vel precum aliquarum recitatione, adeo festina ac prompta e Purgatorio liberatio esset addicta. Nam ut §. 2. fuit observatum, vulgus non solet accipere verba in sensu improprio, de quo frequenter nec inter peritiores convenit; sed obvio ac naturali. Ipsa igitur materia Bullæ abunde evincit, illam non esse Joannis XXII. genuinum sed supposititium fœtum.

§. XIII.

Argumenta suppositionis Bullæ Sabbathinæ deprompta ex silentio Authorum de hac Bulla.

Summi ponderis argumentum pro suppositione hujus Bullæ desumptum ex silentio Authorum Carmelitarum, qui §. VII. relati sunt, evidens erit, si tantummodo attendatur scriptionis argumentum pene præcipuum fuisse ostendere Ordinem Carmeliticum debite fuisse *confirmatum*, quodque eum in finem summo studio collegerint omnes Pontificum Bullas, quibus Ordinis sui *confirmatio*, vel per indirectum vel obliquum adstrui possit; imo plures eorum & signanter Baccho & Bernardus Olerius ad probandam Ordinis sui confirmationem adducunt Bullam exemptionis hujus Ordinis ab ipso Joanne XXII. (cui Bulla Sabbathina adscribitur) datam, eo quod in dicta Bulla Joannes dixisset: *Dictum Ordinem in statu firmo, solido ac stabili decernimus & volumus permanere.* Hæc aliaque §. VII. dicta, si rite expendantur, ab omni plane verisimilitudine apparebit alienum, quod Authores illi Bullam Sabbathinam proferre omisissent; præsertim cum omnes post tempus illud quo Bulla Sabbathina edita fuisse fertur, scripserint, & nulli incognita fuisse potuerit; neque ulla inter omnes, quas attulere Bullas, argumento quod tractabant, adeo fuisset opportuna; utpote in qua profitebatur Joannes XXII. se per intercessionem Sanctæ Virginis ad Pontificatum esse assumptum, ea conditione, *ut amplam sancto ac devoto Carmelitarum Ordini deberet præcondere confirmationem per Eliam & Eliseum in monte Carmelo inchoato.*

Hoc igitur Authorum silentium de Bulla Sabbathina si attentius expendamus, secure concludemus eo tempore Bullam Sabbathinam nondum fuisse confectam & evulgatam, præsertim si una reflectatur, quod prædicti Authores fere omnes, ex professo tractent de habitu Ordinis, ejusque significatione & excellentia; studeantque ostendere Professores Ordinis Carmelitarum merito appellari *fratres B. M. de Monte Carmelo*, ipsamque Deiparam *specialem Ordinis Patronam recte dici*, quibus probandis ac stabiliendis nihil poterat Bulla Sabbathina esse opportunius aut efficacius.

Ulterius si Deiparæ revelationem veram credidisset, eamque edita Bullæ publicasset Joannes XXII. ambigine potest quin ipse & qui partes ejus scripto sustinuerunt, eamdem produxissent contra Ludovicum Bavarum, contra Antipapam & omnes, qui illorum causas scriptis & armis propugnabant? Efficacius profecto pro Joanne afferri nihil potuisset, aut validius, quam quod Ludovicus Bavarus vel Antipapa judicatus fuisset a Deipara Virgine Joannis adversarius; item quod D. V. allocuta fuisset Joannem ut legitimum Christi Vicarium; item quod eadem ipsamet Virgo eumdem fecisset Papam &c. & tamen nihil istorum in scriptis illorum occurrit; nec ullum Bullæ Sabbathinæ habetur vestigium; atque hinc secundum habetur suppositionis argumentum.

Tertium argumentum petitur ex silentio eorum, qui vel vitas Pontificum Avenionensium, e quorum numero fuit Joannes XXII. ex professo vitas scripserunt; quorum tamen nec unus meminit illius reve-

revelationis aut Bullæ Sabbathinæ.

Verum quidem eſt Authorum illorum ſcopum non fuiſſe omnia a Joanne XXII. conceſſa privilegia, aut ſingulas illius Bullas in commentaria ſua referre: omnibus tamen propoſitum eſſe debuit, cum de Joannis ad Pontificatum aſſumptione loquerentur, meminiſſe rei, quæ ad hanc rem quam maxime pertinebat: cujuſmodi indubie eſſet Bullæ Sabbathinæ Privilegium vel recenſita in ea Virginis apparitio, qua oſtenderetur eum divinitus ac per ſpecialem B. Virginis interceſſionem ad Pontificatum fuiſſe aſſumptum; incredibile ſane eſt ut qui aſſumptionem Joannis ad Pontificatum deſcribunt, eamque ſecundum omnes ſuas circumſtantias delineant, ſaltem vel verbo non meminiſſet revelationem aliquam de re adeo extraordinaria & Divina ad Pontificatum aſſumptione circumferri, eamque ab ipſo Pontifice eſſe publicatam. Nullus id ſane credet qui attenderit, quod minutiora plurima & huic revelationi nullatenus comparanda a Scriptoribus illis annotentur. Secure proinde concluditur antiquiores Scriptores Bullam illam ignoraſſe; recentiores vero, ut Bzovium, Spondanum, Cononium, alioſque non quidem ignoraſſe Bullam iſtam; & in ea contentum Sabbathinum privilegium; a Carmelitis circumferri, ſed illam tanquam fabuloſam ſpreviſſe, indignamque cujus meminiſſent reputaſſe.

§. XIV.

Adſtruitur efficacia argumenti a ſilentio Authorum petiti ad evincendam alicujus facti falſitatem.

Argumentum ab authoritate negativa ſive a ſilentio Scriptorum in quibuſdam circumſtantiis efficaciſſimum eſſe ad evincendam facti alicujus falſitatem aut libri ſuppoſitionem, nemo inficiatur: ſi enim V. G. Authores alicujus notæ, de certa materia ſcribentes, factum aliquod inſtituto quod tractabant opportuniſſimum, quodque ignorare haudquaquam potuiſſent, ſilentio obvolvant, præſertim ſi appareat ex eorum modo ſcribendi, quod omnia quæ inſtituto ſuo congruere poſſint, ſummo ſtudio ac labore collegerint; quia argumentum ab ejuſmodi ſilentio Authorum deſumptum, præſumptionem faciat fortiſſimam, pro facti illius falſitate, nemo negaverit. Ut quidem ſimili argumento ſcripta plurima ut ſuppoſititia ab omnibus paſſim reiici variis exemplis oſtendi poſſet. Unicum hic ſufficiet, Epiſtolarum Decretalium, quæ primis Romanis Pontificibus ante Siricium Papam adſcribuntur, ſuppoſitionem abunde eſſe detectam, nemo vel parum criticus hodie non agnoſcit; ſed quo argumento? nonne potiſſimum argumento negativo, nimirum a ſilentio Dionyſii Exigui hoc modo efformato: Dionyſius Exiguus vir eruditus ſæculo 6. codicem Canonum edidit, in quem non Conciliorum duntaxat Canones, ſed & præteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, quæ qua valuit diligentia, ſe collegiſſe ſcribit, retulit; nec tamen ullas ex prædictis Decretalibus Epiſtolis codici ſuo inſeruit; cum perſpicuum ſit quod hæ ſummorum Pontificum Decretales huic Dionyſiano codici multum ſplendoris & authoritatis fuiſſent allaturæ; nec eas ſi extitiſſent Dionyſius ignorare potuiſſet; ex ſilentio Dionyſii concluditur, Decretales Epiſtolas a Dionyſio omiſſas, a recentiore Pontificibus illis fuiſſe ſuppoſitas. Hoc argumentum ex Dionyſii ſilentio formatum, ſi conferatur cum argumento ex ſilentio Authorum pro ſuppoſitione viſionis Stockianæ & Bullæ Sabbathinæ ſuperius allegato, apparebit hoc poſterius priore multo validius; quia non tantum unius Dionyſii, ſed plurimorum ſilentio, eiſdem, quin & fortioribus circumſtantiis vallato innititur: quod quiſque facillime intelliget, ſi vel leviter expendat circumſtantias, quas ad ſingulos Authores a quorum ſilentio argumenta formavimus, ſuis locis annotavimus.

§. XV.

Expenduntur tria argumenta, quæ in defenſionem Viſionis Stockianæ & Bullæ Sabbathinæ adduci ſolent.

Viſionis Stockianæ & Bullæ Sabbathinæ vindices argumentis pro ſuppoſitione utriuſque adductis, tria potiſſimum opponere ſolent;

lent: 1. quod verosimile non appareat quod visio Stockiana & privilegium Sabbathinum ita potuisset invalescere, si visio Stockiana esset fabulosa, & Bulla Sabbathina supposititia: 2. quod revelationes contentæ in Bulla Sabbathina, & visio Stockiana diversis Bullis Pontificum fuerint insertæ: 3. quod Ordini Carmelitarum indultum sit celebrare festum Simonis Stockii, & in lectione sexta illius officii a Congregatione Rituum approbati, visio Stockiana recitetur; & in officio commemorationis solemnis B. M. V. de Monte Carmelo per Clementem X. ad omnes ditiones Regis Catholici extenso, manifeste privilegii Sabbathini mentio fiat.

Ut ad argumenta illa ordine, quo proposita sunt respondeatur. Primi infirmitas patebit si solum attendatur quanta facilitate ac velocitate fabulæ, semel confictæ incrementum & authoritatem accipere soleant, præsertim si faveant authoritati & excellentiæ alicujus Instituti, a quo strenuos propugnatores ac promotores habere possint. Illud infinitis pene exemplis facile demonstrari potest. Unum hic sufficiet. Famosa illa fabula de Joanna Papissa a Mariano Scoto primum tenuiter ac leviter efformata, nonne paulatim successu temporis adeo reformata & exornata fuit, ut non heterodoxos duntaxat, sed etiam quam plurimos non exigui nominis e Catholicis, fautores & patronos fuerit adepta: si hujusmodi fabella ipsi etiam Romanæ Ecclesiæ prima fronte non parum injuriosa, ac præjudiciosa, ut quæ filum successionis Pontificum in Cathedra S. Petri interrumpere videbatur, ac propterea tanto applausu ab hæreticis arrepta, tantoque studio propugnata, si, inquam, similis fabella ita invalescere & a quibusdam Authoribus pro vera historia recipi potuerit, quid mirum si hæc, de qua quæstio, inter ordinis illius Religiosos, & communem populum invalescere, & a quibusdam Authoribus pro vera historia recipi potuerit? Quandoquidem nullatenus obsistat hominum cupiditati, sed potius faveat; nullique in particulari appareat injuriosa; & insuper Religionis & Confraternitatis, quæ defensores & fautores habet plurimos, incremento plurimum conducere videatur.

Secundum quod a Bullis Pontificiis petitur argumentum non minus infirmum est. Ut enim nihil dicam de incertitudine Bullarum, quæ in eum finem allegari solent, cum præter unam Clementis VII. nulla in Bullario Romano reperiatur, quis ignorat quam frequenter ejusmodi Bullæ per *sub & obreptionem* obtineantur? Deinde cum plerumque Bullæ illæ impetrentur ad petitionem partis seu supplicantis, illæ solummodo expediuntur *supposita veritate narratorum*: unde si privilegia aliaque Pontifici exponantur tanquam jam pridem concessa, Pontifex illa non confirmat nisi *supposita narratorum veritate*; ut propterea quoque jam pridem declaraverunt in litteris ac Bullis suis subintelligi hanc particulam; *si preces veritate nitantur* ✠. Cap. 12. de *Rescriptis*. Nihil igitur Bullæ istæ authoritatis addunt, pro adstruenda veritate narratorum, sed illam aliunde supponunt.

Tertium denique argumentum ab authoritate Breviarii desumptum, parum firmum est. Quis enim unquam dicere præsumpsit eam esse Breviarii, præsertim alicujus particularis Ordinis, authoritatem, ut omnes in illo relatæ historiæ reputandæ sint authenticæ, nec ullæ in illud irrepere potuerint fabulæ? Ipsa iterata per Pontifices instituta Breviarii Romani correctio & emendatio abunde ostendit, quod nec illud esse credatur Breviarii Romani privilegium, ut nihil falsum aut fabulosum in ipsum irrepere possit. Et sane quis hodie Epistolas Decretales veterum Pontificum, de quibus §. præcedenti, non reputat pro Isidori Mercatoris putridis mercibus, licet ex illis tanquam sinceris vetustatis monumentis lectiones plurimæ etiam hodie in Romano Breviario extant? Numquid Breviarii Romani authoritas impedit quo minus lapsus Marcellini tanquam fabulosus a plurimis rejiciatur; & a Christiano Lupo de illo dictum sit: *calumniosum esse Donatistarum figmentum*. Tom. 5. scholiorum pag. 228.? Si ergo relatio in Breviarium Romanum non inferat historiarum aut factorum sinceritatem, quanto minus illam inferet relatio in Breviarium particulare alicujus Ordinis?

Quod vero spectat illa, quæ hodie Breviaria-

Van-Espen Supplem. Tom. I. Ii

viario Romano saltem pro Ditionibus Regis Catholici inserta sunt, illud in primis scitur, lectiones secundi Nocturni illius officii parum placuisse Auberto van den Leden, Antuerpiensium Episcopo, ut testatur ejus Epistola scripta ad Congregationem Cardinalium, quam actis suis ad primum Maii in Commentario prævio ad vitam S. Aloysii Rabatha inseruit P. Papenbrokius. Deinde inter illa, quæ Breviario inseruntur, & privilegium Sabbathinum, prout in Bulla refertur, non parum interesse, vel ex iis verbis *Pie creditur*, intelligi potest; quæ etiam privilegii illius incertitudinem indicare videntur. Denique licet privilegium Sabbathinum, prout in Bulla refertur, Breviario Romano esset insertum, non magis tamen propterea certius redderetur, & a nota suppositionis immune, quam illa quæ ex falsis Decretalibus referuntur; aut ipsius Marcellini prolapsus &c.

§. XVI:

Ostenditur quod Bulla Alexandri V. quæ in probationem Bullæ Sabbathinæ adfertur, multos præferat suppositionis characteres.

Defensores Bullæ Sabbathinæ ut probent originale illius aliquando extitisse, allegant Bullam Alexandri V. qua profitetur originale Bullæ Sabbathinæ a se visum fuisse, & diligenter inspectum; atque ex illo originali verba illius Bullæ *ad perpetuam rei memoriam* suæ Bullæ esse inserta: verba illius sunt.

„ Alexander Servus servorum Dei, universis & singulis præsentes litteras inspecturis, salutem & benedictionem Apostolicam: Tenore cujusdam privilegii a felicis recordationis Joanne XXII. prædecessore nostro, dilectis Filiis Priori Generali, & fratribus, dilectis in Christo, filiabus & sororibus, Confratribus & confratriæ fratrum dicti Ordinis Carmelitarum concessi, per nos visi & diligenter inspecti, *de dicto originali sumpto; ut de ipso in posterum certitudo plenior habeatur*, præsentem fecimus annotari; quæ talis est: *Joannes Episcopus*" &c. (hic inserta erat Bulla Sabbathina prout supra relata est; ac demum concluditur his verbis:)

„ Datum Romæ 7. Decembris apud „ S. Mariam Majorem Pontificatus nostri „ anno 1."

Verum est si constaret sufficienter Bullam hanc esse genuinam & revera ab Alexandro V. editam, eam non parum valituram ad ostendendum Bullæ Sabbathinæ originale aliquando extitisse. Sed cum non pauciora aut minora suppositionis hujus Bullæ extent argumenta, quam ipsiusmet Sabbathinæ, nihil quoque ex illa pro veritate hujus adstruenda, adduci potest.

Primum illudque evidentissimum suppositionis argumentum educitur ex his finalibus verbis: *datum Romæ apud S. Mariam Majorem*, 7. *Decembris*. Constat enim Alexandrum V. electum esse in Concilio Pisano anno 1409. die 9. Julii, eumque diem extremum clausisse Bononiæ 3. Maii sequentis anni; & consequenter decem duntaxat mensibus in Pontificatu vixisse. Porro toto illo tempore nunquam ipsum Romæ fuisse constat ex omnibus Scriptoribus, qui acta & vitam Alexandri V. scripserunt; qui omnes referentes, quo loco hoc illove tempore moratus sit, aut quo profectus fuerit, nullibi tamen Romæ meminerunt. Imo expresse scribit Bzovius ad annum 1410. „ hærebat id temporis Bononiæ Alexander: ad eum circa mensem „ Februarium Paulus Ursinus, una cum „ Magistratu recens creato & Proceribus „ Populoque Romano Sedi Apostolicæ devoto Oratores destinavit, unum de Conservatoribus, duos ex Præfectis Regionariis, decem Episcopos & nonnullos „ alios ex præcipua nobilitate; a Clero Romano unus; ex Minoritis Aracælanis vir „ insigni facundia & authoritate missus „ ivit. Omnes una voce Alexandro fausta „ precati, orabant: *Romam quantocius veniret*, & urbem a Ladislaonis cæde laceratam præsentia sua recrearet. Optavit „ quidem, cupiitque; at non potuit Alexander votis Romanorum satisfacere, gravissimis Reipublicæ Christianæ negotiis „ & Ladislai ipsius territamentis impeditus; „ mox fatis ereptus est". Ex quibus constat Alexandrum quidem desiderasse Romam per-

pergere; & in hoc votis Romanorum satisfacere, sed ob rationes allegatas vota sua implere non potuisse. Ulterius Wadingus Tomo 4. Annalium Minoritarum ex Registro Alexandri V. refert Bullam ab eo editam Pistorii, (quod 50. circiter milliaribus Belgicis distat Roma) 14. Decembris. Estne autem verosimile Pontificem magna ætate gravatum, nimirum 71. annis, spatio 6. aut 7. dierum, tantum iter confecisse: idque hyemali tempore? Aut certe si confecerit, qui fieri potuit, ut nullus Historicus tam celeris & extraordinarii itineris meminerit, illiusve rationem insinuaverit? Denique si Romæ fuerit Pontifex, quomodo possibile est, ut nullus vitæ ejus Scriptor vel verbo indicaverit, quid Romæ egerit, aut qualiter a Romanis & præsertim a Ladislajanis fuerit exceptus? Hæc evidenter evincunt Alexandrum V. nunquam Romæ fuisse; & consequenter suppositiam esse Bullam, quæ ab ipso dicitur data Romæ ad S. Mariam Majorem.

Alterum suppositionis argumentum sumitur ex eo quod Bulla dicatur signata 7. *mensis Decembris*; quia Alexander V. Bullas suas, (e quibus plurimas refert dictus Wadingus) consignat Kalendis, Nonis, Idibus. Nulla autem apparet ratio cur in confectione hujus Bullæ a consueta sua forma recessisset: ad hæc cum fateantur Bullæ Sabbathinæ propugnatores hujus Bullæ genuinum seu originale exemplar periisse, fateantur quoque necesse est non exstare in Registro Epistolarum Alexandri V. quod in duos distributum libros exstat in Bibliotheca Vaticana. Sed in hoc Registro ubi tot aliæ Bullæ præsertim pro fratribus Minoribus, (de quorum Ordine fuerat Alexander V.) asservantur, hanc Bullam non exstare; vehemens rursus suppeditat suppositionis indicium. Quis enim persuadebit Bullam, quæ singularem Virginis apparitionem, ac Divinum proprie privilegium contineret, non fuisse in Registro Papæ relatam, vel ex eo postea sublatam? Et *sane* in Romana Curia falsitatis indicium vix datur certius, quam dum in Pontificis alicujus Registro Diploma aut privilegium, quod perquiritur, non invenitur.

Tertium denique argumentum suppositionis petitur ex silentio Thomæ Waldensis, qui paucis ab obitu Alexandri V. annis, opus suum edidit de Sacramentalibus; cui hanc Bullam, si extitisset, non inferere scriptionis ejus institutum haud patiebatur; ut ex dictis §. VII. intelligi potest. Argumentum confirmat silentium Joannis Baptistæ Mantuani, Ordinis Carmelitici, quondam Generalis; viri in Italia *celeberrima opinione*, ut ait Tritemius, *ubique nominati*. Hinc anno 1400. scripsit apologiam sui Ordinis. Occasio scribendi fuit, ait Author novissimi speculi Carmelitici Tom. 1. Parte 2. N. 845. molestatio æmulorum quorumdam Ordinem hunc calumniantium tanquam non approbatum, nec regulam approbatam habentem, *nec titulo B. V. M. Dei genetricis insignitum*. Quis credet quod vir ille Italus & Ordinis sui Generalis hanc Bullam si extitisset, & genuinam credidisset, tantopere suo instituto opportunam & convenientem, non allegasset? His accedit silentium Authoris, qui anno 1507. Venetiis edidit compendium historiæ & jurium pro defensione Institutionis & confirmationis Ordinis Carmelitici; cui insertæ sunt 95. Bullæ, quæ ut volunt, a variis Pontificibus ad illud usque tempus Ordini Carmelitico concessæ fuerunt; & tamen inter illas desideratur hæc Alexandri V. quæ tamen si extitisset & pro genuina a collectore habita fuisset, sine dubio præcipuum locum meruisset. Ex his concludendum est hanc Alexandri Bullam pari cum Bulla Sabbathina suppositionis evidentia laborare.

§. XVII.

Ostenditur quod Decretum Sacræ Congregationis editum sub Paulo V. potius infirmet quam confirmet Bullam Sabbathinam.

In Lusitania Lisbonæ anno 1609. authoritate Inquisitoris Generalis suspensa fuit publicatio Bullæ Sabbathinæ; & prohibiti Concionatores de ejus privilegio tractare. Negotium hoc instantibus Carmelitis ad Romanam Curiam delatum fuit; & ibidem ex mandato Pauli V. ad S. Con-

gregationem Cardinalium Generalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem remissum fuit. Duo in hoc negotio tangebantur adversus Carmelitas. Primum Sabbathinam Bullam suppostitiam esse: alterum meram fabulam esse reputandam quod Christi Mater in Purgatorium ad liberandas animas suorum fratrum descensura esset. Cum negotium hoc tribus & amplius annis, habitis variis Congregationibus, durasset, tandem instantibus Carmelitis 11. Febr. 1613. a S. Congregatione editum fuit hoc Decretum „ Fratribus Ordinis Carmelitici permittitur „ prædicare quod populus Christianus possit „ pie credere de adjutorio animarum fratrum & confratrum B. M. V. de monte „ Carmelo, videlicet B. V. M. animas fratrum & confratrum in charitate discedentium, qui in vita habitum gestaverint, „ & castitatem pro suo statu coluerint; „ officiumque parvum recitarint; vel si „ recitare nesciant, Ecclesiæ jejunia observarint, & feria quarta & Sabbatho „ a carnibus abstinuerint; nisi ubi in istis „ diebus nativitas Domini inciderit, suis „ intercessionibus continuis, piis suffragiis „ ac meritis, & speciali protectione post „ eorum transitum, præcipue in die Sabbathi, quæ dies ab Ecclesia eidem B. V. „ M. dedicata est, adjuturam. Itaque „ imagines, quæ a devotis hac de re solent „ fieri ac depingi cum descensione B. M. „ V. ad animas in Purgatorio liberandas, „ *minime fiant*; sed per intercessionem „ ejusdem Virginis a tanto periculo per „ manus Angelorum in cælo collocati". Ut intelligatur quid per hoc Decretum ordinatum sit circa privilegium Bullæ Sabbathinæ, in memoriam revocandus est status controversiæ coram Tribunali Inquisitionis Romanæ; qui erat: utrum Inquisitio Lusitaniæ recte suspendisset Bullam Sabbathinam, prohibuissetque legitime Concionatoribus *de ejus* privilegio tractare. Ab hac sententia suspensionis, dictoque Decreto prohibitivo ad Tribunal. Romanæ Inquisitionis provocabant Carmelitæ, contendentes Ordini suo vere fuisse a Joanne XXII. datam Bullam Sabbathinam; eamque a tribus Pontificibus fuisse confirmatam; & licet originale Bullæ Joannis reproduci non posset, sufficienter tamen de illa per posteriores Bullas docerentur. Ita enim coram S. Inquisitione mentem suam exposuerunt Commissarii. „ Jam ad rem „ nostram, inquiunt, Joannes XXII. Pont. „ O. Max. anno 1322. dedit nobis Bullam „ Sabbathinam: hanc postmodum confirmavit Alexander V. & ambas iterum „ Clemens VII. Hæc Clementis fuit rursus confirmata a Gregorio XIII. Hæ „ ergo ultimæ probant primam, quæ in „ illis æquivalenter subsistit; & hæc veritas est Petra illa, supra quam per tria „ integerrima sæcula fundata fuit eximia „ illa tot Religiosorum pietas, populorum per universum orbem credulitas, & „ Mariana devotio". Hæc in speculo novissimo Carm. Tom. 1. p. 2. N. 222. His positis non difficulter patebit, nullatenus ex hoc Decreto Bullam Sabbathinam fuisse confirmatam, aut ut genuinam Joannis XXII. Bullam esse agnitam.

Constat in primis in dicto Decreto nullam expressam fieri revocationem suspensionis Bullæ Sabbathinæ factæ per Inquisitionem Lusitaniæ; aut ejusdem Decreti, ne Concionatores de ejus privilegio tractarent; nec fuisse injunctum dicto Inquisitori prædictam suam suspensionem tollere, mandatumque suum revocare.

Hinc concluditur sententiam Judicis non fuisse revocatam vel emendatam; hinc consequens est Inquisitioni Romanæ sinceritatem Bullæ Sabbathinæ non fuisse sufficienter probatam. Si enim probata fuisset, justitia exegisset ut per Decretum fuisset declaratum Carmelitas recte appellasse a sententia suspensionis Inquisitionis Lusitaniæ, Inquisitores vero Bullam Sabbathinam perperam tanquam suppositiam suspendisse; atque injuste dedisse Decretum ne de ejus privilegio tractarent Concionatores.

Sed dicetur forsan: Decretum sufficienter sustulit suspensionem Bullæ Sabbathinæ decretam ab Inquisitore Lusitaniæ, & ejusdem Decretum prohibens Concionatoribus de privilegio B. Sabbathinæ tractare; ipsamque Bullam Sabbathinam abunde confirmavit, dum permittit Carmelitis prædicare quæ in Decreto exprimuntur; quandoquidem illa ipsa sint privilegium Sabbathinum, & Bullæ Sabbathinæ contentum.

Sed

Sed Respondeo, verba Decreti Pauli V. nullatenus quoad substantiam privilegium Sabbathinum exprimere; atque illa, quæ in hoc Decreto Carmelitis prædicare permittuntur, plurimum differre ab iis, quæ in Bulla Sabbathina ejusque privilegio referuntur: imo ex verbis hujus Decreti sat aperte intelligitur Paulum V. nullum habuisse ad Bullam Sabbathinam respectum, sed potius eam reprobasse tanquam supposititiam. In Decreto Paulus V. nullam de apparitione Virginis, quæ Joanni XXII. facta fuisset, nullam de fœdere, quod Beata Virgo cum Joanne pepigerit, nullam de hac promissione quod *qui in S. perseveraverit obedientia, paupertate & castitate, vel qui S. intrabit Ordinem salvabitur; nullam denique de hoc privilegio: quod si alii devotionis causa in S. ingrediantur Religionem S. habitus signum ferentes, liberentur & absolvantur a tertia eorum peccatorum parte a die qua præfatum Ordinem intrabunt*: De his, inquam, nullam mentionem facit; aliquam sine dubio facturus, si hæc omnia, prout in Bulla Joannis XXII. narrantur, & quam genuinam esse Carmelitæ sustinebant, evenisse credidisset; in iis enim notabilis privilegii pars continetur. Ulterius in Bulla Sabbathina refertur B. Virginem dixisse Joanni XXII. de die quo ipsi sæculo recedunt, ac properato gradu accelerant Purgatorium: ego Mater gratiose descendam Sabbatho post eorum obitum „ & quos inveniam in Purgatorio liberabo „ & eos in montem S. vitæ æternæ redu„ cam“. Quæ verba medullam privilegii Sabbathini continentia, rursus in Decreto Pauli V. nec quoad expressionem, nec quoad substantiam reperiuntur; sed alia etiam quoad sensum plane diversa; scilicet: *quod populus Christianus possit pie credere de adjutorio animarum* &c. quæ quantum differant a verbis Bullæ Sabbathinæ, cæcus sit oportet qui non videat. Ut enim hæc verba Pauli V. verificentur, nullo opus est speciali privilegio, nulla B. Virginis revelatione, aut Pontificis Bulla: Quin imo quod Paulus dixit *pie posse credi, de Confratribus Scapularis*, non dubium quin pie credi de alio possit quolibet Christiano, qui licet Carmelitarum habitum non gestaverit, cætera tamen quæ observanda præscripsit Pontifex, servaverit. Quis enim dubitat quin *pie credi possit*, quod ille, qui in spiritu mortificationis & pœnitentiæ ad honorem B. M. V. feria 4. & Sabbatho a carnibus abstinuerit, aut officium parvum devote recitaverit, pie confidere possit de singulari adjutorio B. Virginis præ aliis, qui nihil in B. Virginis honorem contulerunt? quin & idem credi queat de exercentibus alia pietatis opera, ad B. Virginis honorem; idque eo majori cum fiducia quo plura & majora pietatis opera exercuerint, nullus Catholicus ambigere potest.

Additur, *præcipue, in die Sabbathi*, qui Dies est ab Ecclesia eidem B. M. V. dicatus. Quæ rursus innuunt authores hujus Decreti nequaquam privilegium Bullæ Sabbathinæ, aut prætensam Divæ Virginis revelationem respexisse; sed illud præ oculis habuisse, quod omnibus B. Virginis piis cultoribus commune esse potest. Omnes enim hi pie credere possunt, quod B. Virgo ipsos sit specialiter adjutura, *præcipue in die Sabbathi, qui ab Ecclesia B. M. V. dicatus est*.

Denique finalibus his verbis Decreti, *itaque imagines, quæ a devotis* &c. Bulla Sabbathina sat reprobatur aperte: Nec enim ratio ulla apparet cur Pontifex vetaret de cætero efformari imagines, (quales jam plures efformatæ fuerant, & publice expositæ) quibus B. Virgo repræsentetur in Purgatorium descendens, & inde Confratrum animas reducens in cælum; si pro vera habuisset Bullam Sabbathinam; quia Imagines illæ, quæ sunt Idiotarum libri, nihil aliud repræsentassent, quam quod in Sabbathina B. Virgo se facturam promiserat.

Ex his concludere possumus 1. per Decretum S. Congregationis non fuisse sublatam suspensionem Bullæ Sabbathinæ factam ab Inquisitione Lusitaniæ, nec improbatum ejus Decretum, quo injunxerat Concionatoribus ne de privilegio Sabbathino tractarent. 2. Per hoc Decretum aliud non fuisse permissum fratribus Ordinis Carmelitarum prædicare, quam quod citra ullum privilegium aut specialem revelationem vel Bullam Pontificiam, pie credi & affirmari potest de quolibet, qui B. Virginem piis operibus specialiter prosequitur.

3. Car-

3. Carmelitas excedere limites & tenorem Decreti, dum prædicant aut evulgant promissum esse a B. Virgine *quod ipsa gratiose descendet Sabbatho post obitum primo; & quos inveniet in Purgatorio ex fratribus, liberabit, & eos in montem Sanctum vitæ æternæ reducet*, aut quod præfert visio Stockiana, dictum esse a B. Virgine de Scapulari: *Dilectissime mi recipe hoc Ordinis tui Scapulare* &c. Hæc enim plane diversa esse ab iis, quæ in Decreto permittuntur prædicari, ex dictis constat; illaque insuper pessimam populo ingerere ideam ex dictis §. 2. colligitur; ut mirum non sit quod Sacra & Generalis Inquisitio Romana, illa in suo Decreto Carmelitis prædicare non permiserit.

§. XVIII.

Referuntur quædam occurrentia in Confraternitate SS. Trinitatis sub titulo B. M. V. de REDEMPTIONE CAPTIVORUM, *quæ perniciosi erroris occasionem dare possunt.*

In Confraternitate SS. Trinitatis sub titulo B. M. V. de Mercede, seu redemptione captivorum sub potestate Turcarum & Paganorum (quæ circa annum 1644. mirum in modum in Belgio & Provinciis vicinis propagata fuit) tria potissimum occurrunt, quæ dicto errori favere videntur, ac populo occasionem in illum incidendi, & hæreticis materiam calumniandi, & illum Ecclesiæ adscribendi dare possunt.

Primum communicatio bonorum operum Confratribus hujus Confraternitatis quibusdam diebus fieri solita sub hac formula verborum: *Communicamus vobis, fratres, orationes, jejunia, Missas, peregrinationes & labores pro redimendis captivis susceptos, cæteraque opera bona, quæ per Dei gratiam in nostra Congregatione & Ordine fiunt in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.*

Hinc enim facile apprehendent Fideles vulgares, quod ex hoc solum quod huic Confraternitati sint inscripti, Scapulare Confraternitatis gestantes, singulis diebus quinies Pater & *quinies Ave Maria*, pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, Hæresum extirpatione, & Principum concordia recitantes: addito uno *Pater Noster* & *Ave Maria* cum versu *Gloria Patri*, &c. pro bona intentione Summi Pontificis; atque exiguam eleemosynam V. G. 3. assium cum primum Confraternitati inscribuntur; & medium assem singulis annis, pro redemptione Captivorum offerentes (ut regulæ Confraternitatis præscribunt) participes efficiantur omnium istorum bonorum operum: atque hinc ulterius continget facile ut segniores reddantur ad similia pietatis ac mortificationis opera exercenda; credentes hæc sibi, vi Confraternitatis, abunde communicari, eorumque fructum applicari.

Secundum quod in hac Confraternitate occurrit, & natum est occasionem erroris præbere, est formula absolutionis plenariæ, quam recipere possunt confratres & consorores in articulo mortis his verbis exprimi solita: *misereatur tui* &c. Deinde post prolatam absolutionem ordinariam dicit Confessarius: „ Item remitto per plenariam „ Indulgentiam omnem pœnam in Purga„ torio tibi debitam, pro præmissis, & „ restituo te illi innocentiæ & puritati, „ quam in Baptismo recepisti; ita quod „ tibi discedenti ab hoc sæculo clausæ „ sint portæ pœnarum, & apertæ januæ „ deliciarum Paradisi, & si hac vice non „ moriaris, salva sit tibi ista gratia, quan„ do fueris in articulo mortis, in nomine „ Patris &c.“ Nemo non videt quod hæc absolutionis formula populo nata sit imprimere ideam, quod vi Confraternitatis, si exigua pietatis opera superius descripta observaverit, restituendus sit in articulo mortis innocentiæ Baptismali; adeo ut nihil ipsum a Dei conspectu remorari queat; atque hinc naturaliter contingere ut parum solliciti sint, ut per bona opera pœnitentiæ & mortificationis pro suis peccatis satisfaciant, vel pravos habitus & affectus ex peccatis contractos, contrariis virtutum exercitiis evellant; atque ita innocentiam Baptismalem deperditam recuperent, dum apprehendunt & plane fidunt sibi in articulo mortis non defuturum Confessarium, qui dictam absolutionem impendat. Tertium, quod occurrit in hac Confraternitate, & dicto errori occasionem præbere

bere potest, est multitudo Indulgentiarum ac privilegiorum, quæ in libellis hujus Confraternitatis in tanta copia fratribus promittuntur, ut si earum fiat exactus computus, vix dubitem quin singulis diebus ut minus 10. plenariæ Indulgentiæ lucrandæ assignentur; quas omnes Indulgentias applicare possunt parentibus tam vivis quam defunctis per modum suffragii. Imo diebus notatis per signum crucis, qui plures singulis mensibus notantur, promittitur liberatio unius aut plurium animarum e Purgatorio. Quis non videt ex hac Indulgentiarum multitudine, & lucrandarum facilitate populo proposita, diminuendum, si non extinguendum pœnitentiæ spiritum, nimiaque hac Indulgentiarum promissione, disciplinam Ecclesiasticam enervandam?

§. XIX.

Reflexiones & observationes super notatis paragrapho præcedenti.

Circa primum, scilicet communicationem bonorum operum, quæstionem motam fuisse coram Congregatione Rituum, sub Clemente VIII. patet ex bino Decreto ea de re edito, & Bullario Romano inserto.

In utroque Decreto præscribitur formula, qua in hujusmodi communicatione utendum est; atque §. 6. primi Decreti expresse prohibet Pontifex: *ne populus publice invitetur ab Ordinis SS. Trinitatis fratribus ad suas Ecclesias, ad consequendam supra dictam communicationem Indulgentiarum, & bonorum operum; id est, in plateis, vicis & locis publicis non apponantur schedulæ impressæ seu manuscriptæ, quibus indicetur & promulgetur talis communicatio Indulgentiarum.*

In posteriori Decreto dicitur §. 4. *De hac communicatione Indulgentiarum, & aliorum piorum operum, quamvis non sit usitatum eam ita generatim fieri, sed certis tantum personis & benefactoribus, tamen Sanctitas Sua non prohibet id fieri expressis diebus, omnibus qui præsentes fuerint, Confratribus tantum & consororibus.*

Ex illa Pontificis restrictione, ejusque modo loquendi, sufficienter colligitur hanc Indulgentiarum & bonorum operum communicationem generalem, a Pontifice potius esse toleratam, quam probatam. Nec mirum: formula enim illa indicat, quod Confratres istius Confraternitatis plurimum fructum ex hac communicatione accipiant; cum tamen si res in se consideretur & præsertim prout hodie contigit, parum inde expectari queat. Unio enim quæ inter Religiosos istius Ordinis & sodales Confraternitatis intercedit, tam parum hodie charitatis spiritu animata videtur, & opera pietatis tam parum in spiritu unitatis & charitatis, exerceri, ut vix appareat quæ bonorum operum communicatio ratione istius unionis sperari possit.

Interim dum hæc formula communicationis bonorum operum toleratur a Superioribus, poterunt Parochi pro opportunitate, populo ostendere quam parum fidendum sit huic bonorum operum communicationi, nisi ipsi bona opera exerceant; idque sequenti argumento.

Indubitatum est quod quodammodo infinities extensior & excellentior sit Divinitus instituta unitas & connexio inter membra totius Ecclesiæ, ratione cujus inter Fideles est communio bonorum operum, quæ appellatur *Communio Sanctorum*; & tamen certum est quod esse de corpore Ecclesiæ nullum reddat sanctum, si ipse bona opera non fecerit; tametsi ratione unitatis, qua membra Ecclesiæ inter se uniuntur, quædam sit communio, ratione cujus etiam possit communicatio quædam bonorum operum inter ipsos Fideles pronuntiari: si igitur non obstante hac unione Divina & communione inter Ecclesiæ membra intercedente, nullus possit aliorum bonis operibus ita fidere, ut ipse bona exercitia omittat aut negligat, satis apparet quam stultum esset eam habere fiduciam propter infirmam hanc ac humana authoritate introductam communionem, quæ inter Religiosos istius Ordinis, & sodales Confraternitatis intercedere dicitur.

Secundum quod attinet, scilicet formulam absolutionis plenariæ in articulo mortis, illam in nullo aut Concilii, aut Pontificis, aut Episcopi Decreto exstare credo; neque in libellis Confraternitatis, quibus hæc formula inserta est, ullum pro adstruenda ejus authoritate aut validitate Pon-

Pontificis aut Episcopi Decretum reproducitur. Sed neque in Bullis quæ in favorem Ordinis B.M.V. de Mercede datæ dicuntur, & per modum appendicis Tom. 4. Bullarii Romani sunt adjectæ, ulla hujus absolutionis mentio occurrit.

Verosimile est proinde illam ab aliquo particulari hujus Confraternitatis zelatore, fuisse compositam, & expressam, idque verosimiliter ea occasione quod alicubi invenerit vel audiverit Confratribus hujus sodalitatis concessam esse Indulgentiam plenariam in articulo mortis, cujus effectum & efficaciam, ut fortius exprimeret & majorem de illa imprimeret ideam, magisque Confraternitatem eo titulo commendaret, convenire judicavit ipsum plenariæ Indulgentiæ, ut ipse credebat totalem ac plenarium effectum verbis formalibus exprimere, & Confratribus communicare; non satis attendens, quod Indulgentia plenaria simili forma expressa, & communicata, aliam prorsus ideam vulgaribus nata sit imprimere, quam si simpliciter diceretur Confratribus esse concessam Indulgentiam plenariam in articulo mortis. Communiter enim bene apprehenditur quod licet dicatur concessa Indulgentia plenaria, illius tamen non reddamur participes, nisi pro ratione dispositionis, & causæ & rationis quæ subest ad dandam similem Indulgentiam. Prædicta vero formula absolutionis plenariæ aperte innuit quod Confratres vi hujus Confraternitatis & operum, quæ juxta ejus præscriptum exercuerint, protinus restituantur illi innocentiæ & puritati, quam in Baptismo perceperunt.

Cum igitur formula hæc nata sit imprimere populo perniciosam ideam, nullaque publica authoritate videatur inducta aut probata, expendere poterunt Superiores, quibus incumbit Statuta Confraternitatum revidere ac reformare, an non conveniret hujus formulæ usum tollere. Interim dum hoc factum non est; Parochorum officium est populum monere ne huic absolutioni salutem suam, aut a pœnis Purgatorii liberationem perperam confidant.

Quoad Tertium, si libelli hujus Confraternitatis legantur, patebit omnem pene illam Indulgentiarum copiam inniti quibusdam incertis Bullis & libellis; adeo ut merito Parochi pios suos Fideles moneant, juxta præscriptum Synodi Mechliniensis, ne similibus incertis Indulgentiis fidem adhibeant. Sed cum hic Indulgentiarum excessus etiam reperiatur, licet forsan non in æquali gradu, in aliarum Confraternitatum libellis, de illo infra specialiter agam; ostensurus quod a mente Ecclesiæ plane aliena sit tanta Indulgentiarum effusio, atque eo titulo Indulgentiæ, quæ in dictis libellis circumferuntur, sint de falsitate & suppositione omnino suspectæ.

§. XX.

Referuntur quædam occurrentia in Confraternitate Rosarii D. Virginis, sive in libellis de illa Confraternitate scriptis, quæ occasionem erroris populo dare possunt.

In libellis hujus Confraternitatis etiam in idiomate vulgari impressis, nonnulla quoque inveniuntur expressa, ex quibus & vulgares erroris occasionem, & hæretici Ecclesiam calumniandi materiam trahere possunt.

1. Quod D. Virgo B. Alano de Rupe, Ordinis Prædicatorum anno 1460. apparuerit, eique dixerit: *Dulcis sponse, secretum jam pandam tibi Divinæ Providentiæ: Scias & secure intelligas, quod & sine mora* „ aliis patefacias, quod signum reprobationis prohabile est & propinquum, horrere, & attediari, & negligere Salutationem Angelicam totius mundi reparativam. Habentibus vero devotionem ad hanc, signum est ordinationis & prædestinationis permagnum ad gloriam. Propterea, qui tenet me in hac salutatione, semper me teneat, donec ad me in Paradisum perveniat. „

Porro licet hic tantum simpliciter salutationis Angelicæ mentio fiat, illa tamen ad Rosarii recitationem referuntur; quia de hac solum in libellis illis tractatur. Inde in libellis Flandricis authoritate hujus revelationis asseritur, quod devotio Rosarii sit signum Divinæ Prædestinationis ad gloriam. Secundum quod eidem Alano refertur revelatum: *veri Psalterii mei* (id est Rosarii) recitatores morientur Sacramen-

tis

tis præmuniti, nec ante perdent loquelam aut usum rationis.

2. Quod ad preces S. Dominici D. Virgo compulerit Dæmones virum quemdam obsidentes, ut puram ac sinceram veritatem pronuntiarent, compulsique dixerunt; *amplius etiam necessitate compulsi pronuntiamus nullum in sancto exercitio SS. Rosarii perseverantem æternos subire cruciatus: ipsa enim devotis servis suis impetrat contritionem; qua ratione fit ut peccata sua confiteantur, & eorumdem Indulgentiam a Domino consequantur*. Quam perniciosam hæc aliaque populo imprimant ideam, pluribus hic explicare necesse non est, cum id sufficienter intelligi queat ex illis, quæ de similibus in Confraternitate Scapularis B. M. V. de monte Carmelo dicta fuerunt.

§. XXI.

Ostenditur quod utilis sit recitatio Rosarii, sed tamen nullatenus ei tribuenda sint quæ §. præcedenti notata sunt.

Famosum ac hodie admodum usitatum orandi genus, quod Rosarium D. Virginis dicimus; nimirum recitandi quindecim orationes Dominicas, atque post singulas orationes Dominicas decem salutationes Angelicas (quæ simul junctæ faciunt 150. orationes seu salutationes Angelicas) olim dictum fuisse *Psalterium Dominæ nostræ* sive D. Virginis constat; idque ea ratione quod institutum fuerit ad imitationem Psalterii Davidici; ut sicuti Clerici & Religiosi per singulas hebdomadas dictum Psalterium recitando Deum laudant, & mysteriorum, quæ in illis exprimuntur, memoriam renovant, & ob beneficia enarrata ad gratiarum actionem invitantur; similiter vulgares habeant quoddam Psalterium ipsorum conditioni & capacitati accommodatum, constans ex dictis orationibus Dominicis, ac 150. salutationibus Angelicis; quod singulis hebdomadibus absolvendo, Deum laudarent & orarent: ac mysteriorum, præsertim Incarnationis Verbi, quæ adeo manifeste in salutatione Angelica continetur, memoriam renovarent; unaque ad D. Virginis imitationem ejusque laudes, per hujus Psalterii recitationem, incitarentur.

Hoc orandi genus ad instantiam Francisci Ducis Britanniæ & Margaritæ ejus uxoris, aliorumque obnixe supplicantium, Sixtus IV. approbasse fertur, edita Bulla anno 1479. In hac Bulla postquam narravit se obnixe rogatum a Francisco Duce Britanniæ ejusque uxore & aliis multis Fidelibus, ut probaret illud orandi genus, quod appellatur Psalterium B. M. tandem concludit: *Nos igitur tam Ducis & Ducissæ quam aliorum Fidelium piam devotionem plurimum in Deo commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati præfatum Psalterium seu orandi modum prædictum, authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus; illumque tolerandum fore a cunctis Fidelibus, eo modo orare licere decernimus & declaramus*. Hactenus Pontifex: quibus verbis verum Ecclesiæ sensum de hoc orandi modo expressit. Ecclesia enim recitationem Rosarii tanquam medium utile & conveniens Fidelium pietati vel excitandæ vel fovendæ, non potest non probare, utpote unice ex precibus sanctissimis & probatissimis, scilicet oratione Dominica & salutatione Angelica sæpius repetitis constantem, eamque tolerandam fore a cunctis Fidelibus, ut ait Pontifex, indubie intendit. Sed sicuti mens Ecclesiæ non est solidam pietatem aut securitatem salutis, vel cordis contritionem aut Divinam prædestinationem alicui externæ devotioni tribuere, aut conjunctam dicere; sed illam unice in mandatorum observantia Deique misericordia reponere, ita quoque procul abest a mente Ecclesiæ, recitationi Rosarii aut Psalterii D. Virginis illa tribuere. Unde quæ in quibusdam libellis recitationi Rosarii tribuuntur, nullatenus Ecclesiæ adscribi possunt, nec in ullo ejus Decreto reperiuntur; sed a privatis quibusdam & indiscretis nimiumque credulis ex incertis ac fabulosis revelationibus recitantur, & vulgaribus proponuntur.

Duo quidem priora desumpta sunt ex libello cui titulus, *B. Alanus de Rupe, redivivus in Psalterio seu Rosario Christi & Mariæ*, ejusdemque Confraternitate Rosarii: authore Joanne Andrea *Coppensteni* Mandalensi, Ord. Prædic. Theologo; qui liber tot fabulosis atque ridendis revelationibus & historiis scatet, ut nesciam si alius ipsi

ipsi in hac materia similis facile reperiatur; adeo ut merito de ejus Authore dici queat, quod de Authore Aureæ Legendæ post Ludovicum *Vives*, dixit *Melchior Canus* de locis Theologicis Lib. 11. Cap. 6. *Homo fuit ferrei pectoris, plumbei cordis, animi certe parum prudentis*.

Tertium vero refertur ex quadam prolixiori historia seu revelatione, quæ S. Dominico contigisse dicitur; cujus vel sola lectio ejus ridendam prodit fabulositatem; ostenditque non minus ridiculam quam simile de eodem Sancto relatum (*a*): scilicet diabolum S. Dominico *semel obstrepentem, a Divo esse coactum, ut lucernam haberet in manibus; quoad, illa absumpta, non molestiam solum, sed & incredibilem dolorem afferret*; ut satis mirari nequeam quomodo Bzovium non puduerit eam Annalibus suis ad annum 1213. n. 12. inserere.

Hinc concluditur non sine calumnia hujusmodi dicta ab hæreticis Ecclesiæ adscribi. Si enim sincero procedere vellent, scirent hujusmodi fabulosas revelationes, ex quibus similes sententiæ hauriuntur, nequaquam ab Ecclesia recipi; imo Concilia frequenter declarasse hujusmodi incertis revelationibus fidem non fore adhibendam; pluresque ex famosis Ecclesiæ Romanæ Scriptoribus deplorare in citato Melchiore Cano, *vera Sanctorum gesta falsis & commentitiis fabulis contaminari: novellas revelationes non pro Ecclesiæ necessitate, sed pro hominum affectu exprimi; quæ res*, ait Canus, *impiis quidem non levem subsannandi occasionem præbet, piis vero lacrymandi*.

Docebunt itaque Parochi subditos ne temere fidem adhibeant circumforaneis quibusdam, aut etiam cum privilegio impressis libellis, ut loquitur Synodus Mechliniensis, *qui ex incertis revelationibus promissiones certorum effectuum continent*; ut V. G. qui certum prædestinationis effectum, aut peccatorum contritionem, vel copiam Confessarii & Sacramentorum susceptionem in fine vitæ, securamque inferni evitationem recitationibus Rosarii annexam promittunt. Insuper populum monebunt; quod licet Rosarium seu Psalterium D. Virginis sit perutilis & commodus orandi modus, dummodo id sicut oportet fiat; scilicet attente expendendo tum quæ tam in oratione Dominica quam in salutatione Angelica continentur, tum mysteria Rosarii, quæ & præcipua sunt fidei nostræ, serio ruminando; *tamen si orationis mentalis donum habeant, ei semper primarium locum assignent; adeo ut si post hanc absolutam, commode Rosarium recitare nequeant, aut negotiorum multitudine obruti, aut alia qualibet de causa, non multum propterea crucientur vel contristentur, sed satis illis sit ante vel post meditationem, solam orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum recitare*: ita Philotheam suam instruit S. Franciscus Salesius, Introduct. ad Vitam Devotam P. 2. Cap. 1.

Hinc ulterius monebunt ne superstitiose solliciti sint de adæquata & integra Rosarii recitatione, ipsam veram & solidam devotionem, & mysteriorum seriam meditationem negligant.

Denique multo utilius atque Ecclesiæ spiritui conformius esse, si tempore ipsius incruenti Sacrificii attendant & mente se jungant Sacerdoti celebranti, ipsiusque Sacrificii oblationi intendant, quam si eo tempore vocali Rosarii recitationi imcumbant. Si tamen ea sit eorum infirmitas, ut Sacrificio sine magna animi evagatione intendere nequeant, ad eam mentis evagationem impediendam ipsa indubie externa Rosarii recitatio interdum suaderi poterit. Ut igitur tandem concludam, asserere non dubito, sicuti dubium non est, quin externa pietatis exercitia erga Divam Virginem aliosque Sanctos, quæ in variis Confraternitatibus occurrunt, utilia esse queant, ut per ea Fideles ad veram & solidam pietatem excitentur vel alliciantur, ita quoque dubium non est, quin verum sit, quod de similibus dixit Vinc. Contensonius. Ord. PP. Prædicatorum: *Verum omnis ille sacrarum observantiarum apparatus ad nihilum valet, nisi de charitatis fonte nascatur; habeatque solidas virtutes annexas, quibus verus Deiparæ amor a falso & spurio pietatem ficta imitatione mentiente, sejungitur. Parum vel nihil proderunt externa officia, nisi charitati*,

(*a*) Melch. Can. Loc. cit.

tati, bonis operibus, diligenti mandatorum observantia, passionum castigandarum studio, jugi pœnitentia adjuncta sint. Ad divinam misericordiam invocandam impetrandamque perseverantiam Mariæ potissimum opem implorare expedit; verum non inertibus duntaxat precibus, sed Marianarum præcipue virtutum imitatione, quæcumque petimus, efficacius consequamur; & rationem hujus solidam tradit quidam recentior. In precibus enim unus amor misericordiam flectit, unus, quod poscit, impetrat; amor autem nullus penitus otiosus, quantus est, tantum agit; tantum illud quod amat, moribus exprimit. Ergo qui Mariam multum imitatur, multum amat, qui nullo modo imitatur, non amat omnino; adeoque non precatur, quamvis totos dies in murmurandis precationibus conterat. Non minus abutuntur complures Mariæ patrocinio quam Divinæ misericordia, de qua multi confidentes & justitiam nihil veriti, inanem ex ea salutis suæ securitatem hauriunt. Unde de Mariæ cultu dicere licet, quod de fiducia in misericordia Dei alicubi scripsit S. Bernardus: Tria sunt genera eorum, qui non habitant in adjutorio altissimi, nec in protectione Mariæ; aliud non sperantium, aliud desperantium, aliud frustra sperantium. Primi habitant in meritis suis; secundi in pœnis; tertii in vitiis. Primi sibi confisi Mariæ protectionem flocci faciunt, & sunt superbi, & præsumentes: secundi multitudine & gravitate scelerum obstupefacti de Mariæ potestate diffidunt; tertii de misericordia ejus sibi blandientes, a peccatis non emendantur. Primorum habitatio stulta & impia: secundorum anxia & misera; ultimorum, periculosa, inanis & immunda. Hæc Contenfonius.

§. XXII.

Ostenditur fidem adhibendam non esse libellis Confraternitatum, immensam Indulgentiarum copiam promittentibus.

Sicuti certum & indubitatum est potestatem conferendi Indulgentias Ecclesiæ concessam esse, atque Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem & SS. Conciliorum authoritate probatum in Ecclesia retinendum esse, ita indubitatum est, & Ecclesiæ mens semper fuit, *in his concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem*, adhibendam esse, *ne nimia facilitate* (ait Synodus Tridentina in Decreto de Indulgentiis sess. 25.) *Ecclesiastica disciplina enervetur*.

Pro hac Indulgentiarum moderata concessione, admodum semper sollicita fuit Ecclesia. Hinc Concilium Lateranense sub Innocentio III. advertens Episcopales in iis concedendis excessus, Indulgentiis Episcopalibus terminos, quos excedere haud possent, posuit. Rationem sui Decreti hanc assignat Concilium: *Quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur.*

Quis enim, ut recte notat Morinus de Pœnitentia L. 1. Cap. 28. N. 9. *acre pharmacum febri curandæ quærat, si præsto semper est leve & nulla asperitate molestum?* Unde etiam bene observat Baronius ad annum 847. *quod fiant potius remissiores vasta Indulgentiarum laxitate Fideles*. Ea ratione Pontifices in concedendis Indulgentiis, jam pridem parcos admodum fuisse notat; & pluribus exemplis probat Morinus, loco citato: quin & observavit Baronius ad annum 1177. *eo etiam tempore morem fuisse ut Indulgentiæ a Romanis Pontificibus concessæ, unius anni terminum non excederent; præterquam in expeditione terræ sanctæ*. Successu temporis factum quidem est ut nonnulli Pontifices in elargiendis Indulgentiis non satis moderati fuerint; atque paulatim Indulgentiæ in præjudicium Ecclesiasticæ disciplinæ excreverint; adeo ut Sixtus IV. Indulgentias multas ante concessas abrogare fuerit coactus; quæ legi possunt in titulo *De Pœnitentia & Remissione*, Can. 5. in Extrav. communibus; rationem valde notandam abrogationis hanc allegans: *Censemus id propensiori studio præcavendum esse, ne cujusvis Indulgentiæ remissionis vel facilitatis obtentu, Christi Fideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur; aut facilitas veniæ, peccandi eis tribuat incentivum. Cum itaque (sicuti multorum fide dignorum testimonia accepimus) ob multitudinem facultatum per Nos aut authoritate nostra concessarum, tam verbo quam scriptis*

&c. Fideles præfati ad peccandum & ad alia illicita committendum, nonnunquam procliviores existant, etiam non parvo periculo salutis animarum suarum; Nos qui Deo propitio ejusdem Gregis Dominici curam gerimus, & illum spiritualis thesauri elargitione cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem, ne exinde clavium authoritas in contemptum, ipsique ad peccandum procliviores liberius prolabantur, &c. authoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus &c.

Simile quid fecit Clemens VIII. ut testatur Baronius ad annum 1595. his verbis: *Ad quam laudabilem antiquam formam S. Dominus noster Clemens Papa VIII. non sine Divino instinctu effusas nimium Indulgentiarum concessiones restringere est aggressus.*

Quidni igitur, recte Baronius ad annum 1177. *profusa largitione, tanquam ex lapide Lydio colligi vult Indulgentiarum imposturam?* Similiter ad hunc lapidem Lydium si de Indulgentiarum prodigiosa segete in dictis libellis occurrente experimentum capiatur, non difficulter quid de illis censendum sit, apparebit.

Et quidem in libellis, qui privilegia & Indulgentias Confraternitatis SS. Trinitatis sub titulo B. M. V. de Mercede exhibent, tam profusa Indulgentiarum largitio exhibetur, ut si earum ineatur computus, quotidie quisque Confratrum ut minus, decem Indulgentias plenarias easque frequenter cum liberatione unius aut plurium animarum ex Purgatorio; imo & non raro cum privilegio sive in forma Jubilæi, lucrari possit; idque nullo laborioso pœnitentiæ exercitio, sed sola paucissimarum precum recitatione & annuæ Eleemosynæ unius medii assis elargitione.

Quid de Confraternitate Rosarii? Nonne similis pene Indulgentiarum profusa largitio in libellis istius Confraternitatis occurrit? Ut enim omittam plenarias Indulgentias, quæ singulis primis Dominicis mensis, & Festis D. Virginis, aliisque præcipuis Festis promittuntur, quotidianæ promittuntur Indulgentiæ plenariæ Confratribus, si semel in die legere lubeat Psalterium D. Virginis XV. Decadum; vel si id forsan nimis difficile, easdem plenarias Indulgentias toties lucrari poterunt, quoties Missam de S. Rosario legi jubebunt. Quidni sæpius eodem die, si plures una die celebrari curent? Utinam hæc Indulgentiarum promissio tam saperet pietatem quam turpem quæstum! Neque sufficit tanta Indulgentiarum copia, quam quisque sine ullo laborioso pœnitentiæ exercitio existens sanus vitæ suæ cursu lucrari potest; sed insuper trina ultra generalem Absolutionem adjicitur plenaria Indulgentia. Prima dum Confessi accipiunt Viaticum: secunda dum accepto Viatico invocant in extremis, si nequeant ore, saltem spiritu, nomen Jesu: tertia dum in manu tenentes cereum hujus Confraternitatis benedictum in honorem D. Virginis moriuntur; modo tamen in vita ad minus unum Psalterium Divæ Virginis XV. Decadum recitaverint.

Neque pro vivis duntaxat sed & pro mortuis hæc lucrandarum Indulgentiarum facilitas promittitur. Si quis enim Confratrum Rosarii in aliqua Ecclesia quocumque tempore & loco visitet quinque Altaria, ad singula recitans quinque *Pater Noster* & *Ave Maria*; vel si non sint 5. Altaria legat ad unum 25. *Pater Noster*, & 25. *Ave Maria*, liberabit unam animam e Purgatorio.

Item quoties recitaverit uno die integrum Psalterium quindecim decadum, vel etiam solum quinque decadum, liberabit animam e Purgatorio; imo animam liberabit quoties in Templo PP. Dominicanorum ante Altare SS. Rosarii recitaverit quinque *Pater Noster* & *Ave Maria*, pro necessitate Ecclesiæ. Denique animam liberabunt, dum alibi jubebunt celebrari Missam de S. Rosario pro defunctis. Hæc ex libello Flandrico impresso Afleleti, anno 1671. Quidni & quatuor animas uno die si omnia jam dicta uno die faciant?

Non minor in cæterarum Confraternitatum libellis, Indulgentiarum copia promittitur. Et quidem in uno qui privilegia exhibet Confraternitatis quinque Vulnerum & Passionis Christi, quæ vulgo, dicitur. *Chordæ S. Francisci*, impresso Bruxellis 1661. præter plenarias Indulgentias in die inscriptionis in Confraternitate, in fine vitæ, si fuerint in statu gratiæ, & invocaverint nomen Jesu; item lucrandæ ab iis, qui Con-

Confessi fuerint & Communicaverint illa Dominica mensis, qua supplicatio menstrua Confraternitatis habetur, atque illi interfuerint, præter has, inquam, Indulgentias, promittitur plenaria Indulgentia eis, qui vel legerint vel etiam audierint Missam de Immaculata Conceptione; orando pro Pontifice; item illis qui legent Rosarium D. Virginis constans 70. *Ave Maria*, & 7. *Pater Noster*, cum uno *Pater* & *Ave* pro Papa. Item qui recitabunt Rosarium Christi, scilicet triginta & tres *Pater* & *Ave*, in honorem 33. annorum Christi. Ulterius pro illis, qui officium Sanctorum, XVII. ac XV. Psalmos recitabunt; deinde pro illis, qui in extremis desiderant ex devotione sepeliri in habitu Fratrum Minorum, aut mulieres in habitu Clarissarum. Deinde pro parentibus qui, existentes in statu gratiæ, habent filium in Ordine Fratrum Minoritarum; idque toties, quot habent filios; possuntque filii has Indulgentias applicare parentibus mortuis, celebrando circa eorum sepulcra.

Ultra has plenarias Indulgentias, promittuntur plurimæ partiales plurimorum annorum & dierum; V. G. 40. annorum 30. dierum, visitantibus Ecclesiam Minoritarum; 100. dierum qui Missam aut Divinum officium ibidem audiunt; 18. annorum & 323. dierum, qui ibi concionem audiverint. Et si in alia Ecclesia concioni Fratris Minoritæ interfuerint, totidem annorum & 222. dierum &c. Hæc ex dicto libello, cujus Author insuper testatur multas Indulgentias in aliis libellis haberi, quas brevitatis causa omisit; cum etiam a nescientibus obtineri possint. Quapropter, ait, qui spirituali suo lucro intendit, orans aut aliud quodcumque opus bonum exercens, semper formet intentionem Indulgentias lucrandi, illi orationi vel bono operi annexas.

Item monet omnes has Indulgentias mortuis applicari posse: Deinde notat undecim Dies, præter omnes quibus Romæ habetur statio, quibus legendo 6. *Pater* & *Ave*, cum *Gloria Patri*, &c. quis possit liberare unam animam ex Purgatorio.

Ad hæc ultra omnes has Indulgentias in fine hujus libelli appenduntur septem privilegia, concessa, ut ait, a Deo S. Francisco; quorum omnium fabulositas, licet vel ex sola lectione satis appareat, præcipue populo perniciosa sunt, & ad quæstum adornata videntur; 1. quod qui Ordinem suum sincere diligit, quantumvis magnus sit peccator, in fine accipiet gratiam conversionis: 2. quod singulis annis, die suo festo, id est 4. Octobris, liberet e Purgatorio omnes animas trium suorum Ordinum & benefactorum.

Hæc sane non refutatione digna sunt, sed admiratione, sive potius lacrymis & suspiriis, quod similia in summum populi Christiani scandalum, & Ecclesiæ opprobrium evulgari videamus.

Qui hanc prodigiosam Indulgentiarum profusionem, quæ in his aliisque similibus Confraternitatum libellis occurrit, contulerit cum moderatione, quam in dispensandis Indulgentiis servatam vult Ecclesia, quamque Romani Pontifices se servaturos frequenter sunt professi, nonne fateri cogetur similes Indulgentias vel ex sola earum profusa largitione, judicandas esse suppositītias, aut ut minus a Pontificibus sub vel obreptitie esse impetratas. Quis enim in animum inducat tantam Indulgentiarum profusionem a Pontificibus vere emanasse, qui non ignorant quin & profitentur, quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur.

Hinc concluditur libellos Confraternitatum similem Indulgentiarum farraginem exhibentes, & populo proponentes, merito adscribendos catalogo illorum librorum, de quibus loquitur Synodus Cameracensis, anno 1565. titulo, *De Indulgentiis*; præcipiens *ut Parochi populum suum diligenter admoneant ne circumforaneis quibusdam aut etiam impressis libellis temere fidem adhibeant, qui ex levibus, vanis & superstitiosis causis exorbitantes Indulgentias pollicentur; cum Indulgentiæ nonnisi ex piis & rationalibus causis concedi debeant.*

Huic quoque consonat Decretum Synodi Mechliniensis, anni 1570. supra §. 1. exhibitum: Monebunt insuper Parochi populum ne ob promissas frequenterque publicatas Indulgentias, sedulo ac forti animo agere pœnitentiam pro commissis peccatis

catis omittant, cum ex Traditione compertum sit, eam esse Ecclesiæ mentem in dandis Indulgentiis, ut per illas non infringantur illa sacra & nulla humana authoritate convellenda Decreta: *Facite fructus dignos pœnitentiæ: si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*; atque adeo non nisi pœnitentibus, seu amara pœnitentiæ opera pio ac generoso animo frequentantibus tribuendas; exemplo Apostoli qui indulsit Corinthio incestuoso, *ne forte abundantiori tristitia absorbeatur*.

Et Concilia jam pridem edixere; *licere Episcopo humanius aliquid cogitare de his qui lacrymis atque pœnitentia vel bonis operibus re ipsa conversionem suam non simulatione demonstrant*.

§. XXIII.

Quid censendum de Miraculis, quæ in libellis Confraternitatum narrari solent.

Libelli Confraternitatum non tantum solent privilegiis ac Indulgentiis abundare, sed etiam miraculis, quibus quisque suæ Confraternitatis signa ac devotionis exercitia extollat ac commendet. Quin ad intercessionem Sanctorum ac præsertim D. Virginis miracula Deus fieri concedat, ut per illa ostendat gratum sibi fore quod Sanctis ac præsertim D. Virgini exhibeatur obsequium, nemo Catholicorum ambigit.

Verum & illud indubitatum est, multo examine, atque prudenti & judiciosa discussione opus esse in dijudicandis veris miraculis a falsis, fabulis a veris historiis: imo & caveatur ne Dæmon suas fallacias ac præstigias sub specie miraculorum occultet & populo proponat. Hinc a Concilio Tridentino statutum (Decreto de SS. invocatione) *nulla admittenda esse vera miracula, nisi recognoscente & approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat quæ veritati & pietati consentanea judicaverit*.

Hinc intelligitur nequaquam Ecclesiam velle recipi pro veris miraculis universa, quæ pro talibus circumferuntur; sed solum quæ ut talia, prævio diligenti examine, probata fuere. Et merito sane cum pridem compertum sit verissime dictum esse a Melchiore Cano Lib. 11. de Locis Theolog. Cap. 6. *quod plurimi e Catholicis, qui vitas & acta Sanctorum conscribunt, vel affectionibus inserviant, vel de industria quoque ita multa confingant, ut eorum, ait Canus, me non solum pudeat, sed & tædeat.*

His præmissis, si ad miracula, quæ in prædictis libellis Confraternitatum narrantur, oculos convertamus, comperiemus ne unum forsan legitime ac rite examinatum, & probatum; sed Authores illa undequaque sine ullo legitimo probationis argumento congerere & referre.

Quin si attentius expendamus eorum referendi ac probandi modum, apparebit eos haud absimiles cuidam Sacerdoti, de quo hæc refert Melchior Canus: *Ætas nostra*, ait, *Sacerdotem vidit, cui persuasissimum esset nihil omnino esse falsum, quod semel fuisset typis excussum; non enim aiebat Reipublicæ administros tantum facinus commissuros, ut non solum evulgari mendacia sinerent; sed etiam suo communirent privilegio, quo illa tutius mentes mortalium pervagarentur*. Aut certe similes illi, quem idem Melchior Canus his verbis depingit: *Miseranda sane hominis ignorantia potius quam ludenda; qui usque adeo aut bonus aut stultus erat, ut omni narrationi statim crederet, si modo litteris esset prodita*: his, inquam, non absimiles esse dictorum libellorum Authores prodit eorum modus referendi & probandi miracula. Revolvantur enim libelli, & patebit quod si unum receperint librum, præsertim privilegio munitum, in quo miraculum narretur, illud tanquam indubitatum ac pene fide credendum proponant; quin & non pauca reperies, quæ non nisi alicujus manuscripti in aliqua Bibliotheca latentis fide nituntur, qualia plurima in libello de S. Barbara exstant.

Non mirum proinde quod verissime de his libellis affirmari possit, quod de libro qui *Speculum Exemplorum* inscribitur, dixit Melchior Canus, scilicet quod *in illo miraculorum monstra potius quam vera miracula legas*. Sed quod maxime deplorandum est, omnia pene quæ in hujusmodi libellis recitantur perpetrata miracula, eo collimant; ut perniciosissimam hanc populo imprimant ideam, quod qui V. G. B. Barbaram,

baram, aliquo fuerit externo devotionis opere prosecutus, aut Confraternitatis B. V. tesseram portaverit, & exigua quædam pietatis exercitia in honorem D. V. subierit, quantumvis magnis & diuturnis peccatis involutus vixerit, salvus fiat. Quotquot enim fere referuntur miracula, declarant quod vel homines multis sceleribus implicati miraculose fuerint in hac vita retenti, donec Sacramenta suscepissent; vel etiam ad vitam revocati, ut confessionem peccatorum facere possent; qua peracta salvi fierent: idque ea de causa, quod, vita durante licet sceleribus multis fuissent implicati, nihilominus aliquod externum qualecumque devotionis opus in honorem S. Barbaræ V. G. aliquam quotidie oratiunculam recitando, vel singulis septimanis Missæ, quæ de hac Sancta celebratur, assistendo, aut in ejus profesto jejunando, fecerant. Alii vero non obstante vita sua scelerata Confraternitati D. Virginis, V. G. Scapularis aut Rosarii fuerant inscripti, & aliqua interdum, juxta præscripta Confraternitatis devotionis externa opera persolverant, atque propterea eam se gratiam per intercessionem S. Barbaræ aut D. Virginis consecutos fuisse, asseruisse dicuntur.

Merito proinde Parochus monebit subinde populum, ne similibus libellis fidem temere adhibeat, in relatione miraculorum, cum compertum sit plurimas in illis contineri fabulas; atque frequenter diabolum hujusmodi abuti, imo sub specie miraculorum præstigias occultare, ut homines externis quibusdam devotionis exercitiis confidentes, in peccatis detineat; ideoque miraculis fidem non habeant, nisi quæ a Superioribus rite ac debite examinata ac probata esse constat.



II.

APOLOGIA TRACTATUS

De veneratione Sanctorum &c. Romæ exhibita nomine ipsius Z. B. Van-Espen, exarata in tribus sequentibus paragraphis desumptis ex Libro cui titulus: *Impostura libelli anonymi cui titulus:* ACCUSATIO ET QUERELA POPULI BELGICI &c. *per Joannem Opstraet, & eos qui accusantur refutata, & doctrina accusatoris denuntiata: Leodii ex Tapographia Henrici Hoyoux anno* 1698. *cum approbatione.*

§. XXIV.

Responsio ad propositionem, quæ fuit inter 61. accusatas quinquagesima tertia:

„ Referuntur quædam occurentia, in „ Confraternitate SS. Trinitatis sub „ titulo B. M. V. de redemptione captivo- „ rum, quæ perniciosi erroris occasionem „ dare possunt (Zegerus Bernardus Van- „ Espen in dictatis authentice exhibitis „ fol. 38. verso, lin. 1.) tria potissimum „ occurrunt, quæ dicto errori favere vi- „ dentur, ac populo occasionem in illum „ incidendi, & hæreticis materiam Ec- „ clesiæ tribuendi, dare possunt. Pri- „ mum communicatio bonorum operum „ Confratribus hujus Confraternitatis, qui- „ busdam diebus fieri solita, sub hac for- „ mula verborum: *communicamus vobis* „ *fratres orationes, jejunia, Missas, pere-* „ *grinationes, & labores, pro redimendis* „ *etiam captivis, susceptos, cæteraque ope-* „ *ra bona, quæ per Dei gratiam, in nostra* „ *Congregatione* & ordine fiunt, in nomine „ Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. „ *ibid. lin.* 10. *& seqq.* (*a*)

Dicit *Querelator*, se nescire, quo fundamento hanc formulam communicationis bonorum operum impugnem. Sed ostendere debuisset me eam impugnare. Nec enim dixi eam esse erroneam; sed hoc asserui,

(*a*) Ex Tractatu de veneratione Sanctorum &c. Cap. IV. §. XVIII.

servi, & assero, quod nisi a Parochis aliisque animarum Directoribus exponatur, quæ sit vis hujus communicationis, natum sit fieri, ut ex illa generali communicatione bonorum operum in perniciosum errorem populus incidat: „ quia hinc facile apprehen„ dent Fideles vulgares (ut habent di„ ctata) (a) quod ex hoc solum quod „ huic Confraternitati sint inscripti, Sca„ pulare Confraternitatis gestantes, singu„ lis diebus quinies *Pater noster*, & qui„ nies *Ave Maria* pro exaltatione S. Ma„ tris Ecclesiæ, hæresium extirpatione, & „ Principum concordia recitantes; addito „ uno *Pater noster* & *Ave Maria* cum ver„ su *Gloria Patri &c.* pro bona intentione „ Summi Pontificis; atque exiguam elee„ mosynam, verbi gratia, trium assium, „ cum primum Confraternitati inscribun„ tur, & medium assem singulis annis „ pro redemptione captivorum offerentes, „ (ut regulæ Confraternitatis præscribunt) „ participes efficiuntur omnium istorum bo„ norum operum: atque hinc ulterius fa„ cile continget, ut segniores reddantur „ ad similia pietatis, & mortificationis „ opera exercenda; credentes hæc sibi, „ vi Confraternitatis, abunde communica„ ri, eorumque fructum applicari. „

Hæc si Author *Querelæ* addidisset, sat perspicuum fuisset, me formulam non simpliciter improbasse; sed solum monere, merito Parochos sollicitos esse, ut vis hujus formulæ populo exponatur, ne alias effectum illius ultra verum apprehendendo in perniciosum errorem incidat. Unde & §. 19. monui: „ Interim, dum hæc for„ mula communicationis bonorum operum „ a Superioribus toleratur, poterunt Pa„ rochi pro opportunitate ostendere, quam „ parum fidendum sit huic bonorum ope„ rum communicationi, nisi ipsi bona ope„ ra exerceant. „

Hanc formulam communicationis bonorum operum *tolerari* non autem *positive* probatam esse, sat innuit ipsum Decretum Congregationis Rituum, probatum per Constitutionem Clementis VIII. ad quam provocat *Querela*.

In hoc enim Decreto dicitur §. 4. *Quamvis non sit usitatum eam ita generatim fieri, sed certis tantum personis & benefactoribus, tamen Sanctitas Sua* NON PROHIBET *id fieri expressis diebus, omnibus qui præsentes fuerint Confratribus* TANTUM *& sororibus.*

Dein addit. §. 6. *prohibet expresse Sanctitas Sua ne populus in civitatibus, terris & locis publice invitetur a dictis Congregationibus ad suas Ecclesias ad consequendam supra dictam communicationem Indulgentiarum & bonorum operum; hoc est, in plateis, viis & locis publicis non apponantur cedulæ impressæ seu manuscriptæ, quibus indicatur & promulgetur talis communicatio Indulgentiarum.*

§. XXV.

Responsio ad propositionem inter 61. accusatas quinquagesimam sextam.

„ Quis enim in animum inducat tan„ tam Indulgentiarum profusionem a Pon„ tificibus vere emanasse, qui non igno„ rant, quin & profitentur, quia per in„ discretas, & superfluas Indulgentias, „ & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœ„ nitentialis satisfactio enervatur? *Van-* „ *Espen, Ibid. fol.* 49. *lin.* 2. *& seqq.* (*b*).

Sensum esse duplicem illius propositionis, dicit censura apposita; atque in uno illorum non esse censurabilis; sed quis sit duplex ille sensus non exprimit. Hoc scio me hoc unum voluisse, & in dictatis apertissime exposuisse, nullatenus verisimile esse, tantam Indulgentiarum farraginem, qualis in libellis Confraternitatum passim occurrit, a Sede Apostolica emanasse; sed plerosque similes libellos merito annumerari libellis illis, de quibus Synodus Mechliniensis anno 1570. titulo *de Indulgentiis: monet pios suos filios eadem hæc Synodus, ne circumforaneis quibusdam, aut etiam cum privilegio* impressis libellis temere fidem habeant; qui ex levibus aut superstitiosis causis, incertisque revelationibus, immodicas, & plus æquo exorbitantes pollicentur Indulgentias; potissimum si promissiones contineant certorum effectuum, periculorum scilicet evitationem, a gladiis, a tormentis, ab aquis, a peste, aut libe-

(a) Ibid. §. XVIII. (b) Tract. de vener. Sanctorum &c. Cap. IV. §. XXII.

liberationem certam a Purgatorio.

Et Synodus Cameracensis anno 1565. eodem titulo: *præcipit ut Parochi populum suum diligenter admoneant, ne circumforaneis quibusdam, aut etiam impressis libellis temere fidem adhibeant, qui ex levibus, vanis & superstitiosis causis exorbitantes Indulgentias pollicentur.*

Rationem addit: *cum Indulgentiæ non nisi ex piis & rationabilibus causis concedi debeant.*

Legat *Querelator* libellos Confraternitatum idiomate vulgari impressos, & hic distribui solitos; videbit quam graphice hi libelli a Synodis illis descripti sint.

Monui ergo conformiter ad citatas Synodos, quod merito moneatur populus, ne libellis illis facile fidem adhibeat; neque Indulgentiis ibidem relatis temere fidat; expresse eam in rem citatis verbis Synodi Cameracensis.

§. XXVI.

Responsio ad propositionem, quæ fuit inter 61. accusatas quinquagesima septima.

„ Si hæc verba, *nisi per ipsos steterit*, „ accipiantur in dicto sensu, quod si ge- „ stantes Scapulare de sua parte nihil omi- „ serint de observantia mandatorum Dei, „ morientes in Scapulari æternum non sint „ passuri incendium: ridicula plane red- „ ditur revelatio, cum etiam gestantes „ suam chlamydem, si nihil de sua parte „ omittant de observantia mandatorum Dei, „ morientes æternum non sint passuri in- „ cendium. Si vero præfata verba, *nisi* „ *per ipsos steterit*, ita accipiantur, quasi „ gestantibus Scapulare promissum sit, quod „ certo sint accepturi eam gratiam, qua „ fiat ut sint observaturi mandata Dei, „ aut saltem in fine vitæ talem habituri „ pœnitentiam, quæ ad evadendum æter- „ num incendium sufficiat, tunc rursus „ hac admissa explicatione major virtus „ attribuitur gestationi Scapularis, quam „ ullius Sacramenti susceptioni. Non ob- „ stante igitur simili expositione, verum „ est, rem revelatam vel esse ridiculam vel „ inanem, vel esse aliquid in Ecclesia „ hactenus inauditum; & Scripturæ, Pa- „ trum Traditioni, qui rebus indifferen- „ tibus & externis nunquam tantam tri- „ buere virtutem, dissonum, potius, „ quam consonum, *idem ibid. fol.* 17. *lin.* „ 17. *& seqq.* (*a*)

Rursus hic monet censura, propositionem hanc accipi posse in duplici sensu; atque in uno sensu acceptam posse dimitti. Sed quis is sit sensus non exponit.

Ut autem sensus meus, alias, credo, sat clare in Dictatis expressus, innotescat, sciendum, me primum ostendisse, quod revelatio, quæ B. Simoni *Stock* facta dicitur, & exprimi ac proponi solet his verbis: *Dilectissime mi; recipe hoc tui Ordinis Scapulare, meum Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens æternum non patietur incendium; ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis & pacti sempiterni*, si simpliciter proponatur, nata sit populum inducere in perniciosum errorem; scilicet *in abominandam eorum vanitatem ac superstitionem, qui certo pollicentur non ex hac vita migraturos sine Pœnitentia & Sacramentis eos, qui hunc illumve ex Divis coluerint:* uti loquuntur Synodus Cameracensis an. 1565. tit. *de Sanctis*, Cap. 6. & Synodus Mechliniensis anno 1609. tit. 14. Cap. 1.

Post hæc monui in dictatis: „ neque „ refert, quod peritiores forsan aliter „ verba illa accipienda esse sciant, imo „ dicant: quia populus verba illa audiens „ & legens; non solet attendere ad sen- „ sum improprium, quem vel ipsi peritio- „ res difficulter exprimere possunt; sed „ ad sensum proprium ac obvium. Nemo „ vero ambigere potest, quin juxta obvium „ sensum verba illa præfatam ideam im- „ primant.

Scilicet illam ideam, quod qui præfatum habitum (id est *Scapulare*) gestaverit, Confraternitatique adscriptus externa pietatis præscripta exercitia præstiterit, securus sit, quod æternum non patietur incendium.

Post hæc quorumdam formulæ illius expositiones proponere & discutere intendens, hanc mihi objectionem formavi: „ sed re- „ pli-

(*a*) Tract. de venerat. Sanctorum &c. Cap. IV. §. V.

„ plicabitur forsan ulterius, quod ultra ge„ stationem habitus necessaria sit manda„ torum observatio; multum tamen con„ ferat Scapularis gestatio. Est enim illa, „ ait Theoph. Raynaudus Soci. Jesu. in „ Scapulari defenso parte 2. q. 7. pignus „ uberis gratiæ auxiliatricis a Deipara so„ dalibus suis exoratæ, cujus interventu „ servabunt mandata, & vitam sancto fine „ concludent: Et hæc est vis specialis „ juxta Deiparæ sponsionem. Vel, ut „ Joannes de *Lezana* in Maria patrona „ Cap. 5. num. 12. exponit, ideo in præ„ dicta visione salutem animæ & liberari „ ab infernorum pœnis tribui S. Scapu„ laris indutioni, quod illud pie gestan„ tes, quantum est ex parte Beatæ Ma„ riæ Virginis, ipsiusque pro ipsis inter„ cessione, nisi per ipsos steterit, salu„ tem consequentur æternam.

„ Sed nonne admissa priore verborum „ illorum expositione, res ipsa revelata „ nihilominus dissentiet potius quam con„ sentiet Scripturæ Sacræ & Patrum Tra„ ditioni? quandoquidem rei plane de se „ ad bonum vel malum indifferenti, nimi„ rum externæ habitus gestationi divinitus „ dicatur annexum, ut sit tessera & pi„ gnus uberis gratiæ &c. quod nec Sa„ cramenti ullius susceptioni, nec in„ cruenti Sacrificii oblationi reperitur con„ cessum. „

Hæc occasione prioris expositionis dixeram; in quibus Accusator nihil reperit quod accusaret.

Dein ostendere volens, nec posteriorem expositionem revelationi, quæ B. Simoni Stock facta fertur, convenire, dixi: „ quod „ posteriorem illorum verborum expositio„ nem spectat: si hæc verba, *nisi per ipsos* „ *steterit*, accipiantur in eo sensu quod si „ gestantes, & cætera, quæ in ipsa pro„ positione accusata referuntur. „

Quid vero hæc aliud significant, quam quod si verba hæc, *nisi per ipsos steterit*, ita accipiantur, ut gestantes Scapulare, *æternum non sint passuri incendium*, si observent omnia mandata Dei, tunc nihil *speciale* datum sit per hanc revelationem gestantibus Scapulare: cum & illi, qui illud non gestant, *si observent omnia Dei mandata*, æternum non patientur incendium.

Neque autumo, quod Querelator noster necessariam sibi credat gestationem Scapularis Carmelitici, ut æternum non patiatur incendium; si modo cum gestatione Scapularis & habitus Ordinis Eremitarum S. Augustini observet omnia Dei mandata.

Dum alterum sensum illorum verborum, *nisi per ipsos steterit*, rejeci; quid aliud significavi aut volui, nisi hoc unum quod gestationi Scapularis nequeat dici annexum privilegium, quod illud gestantes certo sint accepturi eam gratiam, qua fiat, ut sint observaturi mandata Dei; aut saltem talem habituri pœnitentiam, quæ ad æternum evadendum incendium sufficiat?

Hoc enim privilegium si gestationi Scapularis dicamus annexum; nonne merito dicetur, gestationem Scapularis esse *certum* prædestinationis signum: atque Beatum Simonem Stock accepisse Scapulare, tanquam suæ & omnium Confratrum illud gestantium, prædestinationis *certam* tesseram; atque inter omnes praxes devotionis erga Divam Virginem, devotionem ipsius Scapularis esse notam certiorem prædestinationis, & signum omnium securissimum salutis? Quæ omnia in nupero suo Decreto inter alias septem propositiones censuravit Episcopus Atrebatensis. Propositio prima gallice expressa, hæc est: *le Bienheureux Simon Stock a reçu le Scapulaire comme la marque certaine de sa prédestination, de celle de ses Religieux, & des autres fideles qui dans la suite des temps devoient le recevoir.*

Tertia his verbis exprimitur: *entre toutes les pratiques de devotion inventées pour honorer la Sainte Vierge, celle du Scapulaire est la marque la plus certaine de prédestination & le signe le plus assuré du salut.*

Censura eisdem subjecta est: *declarons les propositions cy-dessus marquées, dans leur sens propre & naturel respectivement fausses, temeraires, scandaleuses, propres a exposer le culte de la Vierge à la raillerie, & à jetter les pecheurs dans l'impenitence, en les arrêtant dans leurs desordres par une vaine & presomptueuse confiance.*

Expendat nunc Accusator, num expositio illorum verborum, *nisi per ipsos steterit*, a me rejecta, non coincidat, saltem quoad

quoad sensum, cum hisce propositionibus; minoremque mereatur censuram?

Sed forsan reponet, propositionem non accusari in hoc sensu, sed in sensu, quo significatur, piam Scapularis gestationem, piaque Confraternitatis exercitia, nihil ad evadendum æternum incendium valere, ut in suis reflexionibus non obscure innuit: verum nescio qua specie ex verbis propositionis hunc sensum elicere, aut mihi affingere potuerit Accusator? Quid enim in ipsa propositione occurrit, quod vel speciem istius sensus *præfert?*

Deinde si quid obscurum in hac expressione occurreret, nonne ex professo non semel in Dictatis, e quibus propositio excerpta est, asserui, quod pia Confraternitatum exercitia prosint ad salutem, imo quod ipsæ Confraternitates vel eo titulo ab Ecclesia sint utiliter institutæ; quod per eas plures in unum consociati, se mutuo excitent ad exercitium bonorum operum, & mutuis precibus mutuam salutem promoveant; si modo ex mente Ecclesiæ omnia peragantur: ostendique, quam immerito hæretici nostri temporis ipsum Confraternitatum institutum improbent, & calumnientur?

Nonne nominatim Cap. 4. §. 17. Dictatorum, laudavi Decretum S. Congregationis editum 11. Februarii 1613. & probatum a Paulo V. quo fratribus Ordinis Carmelitarum permittitur prædicare, quod populus Christianus possit *pie credere* de adjutorio & protectione Divæ Virginis, si in charitate discesserint, & Scapulare gestaverint, ac præscripta pietatis opera in ejus honorem pie obierint?

Dico itaque, uti & satis clare dixi & repetii in Dictatis cum Episcopo Atrebatensi in citato Decreto regula 8. *Il est impossible qu'un Chretien soit sauvé sans faire penitence, sans garder les commandemens de Dieu, sans l'aimer. Le Scapulaire ne le sauvera pas sans cela. Avec cela il sera infailliblement sauvé sans porter le Scapulaire. Toutes ces propositions sont de foi. A quoi donc lui servira le scapulaire? A être en l'autre vie plus severement chatié s'il le porte sans faire penitence, sans garder les commandemens de Dieu, sans l'aimer: A recevoir ici bas beaucoup de secours de la Sainte Vierge, s'il y joint une vie Chretienne; en un mot s'il porte le Scapulaire en Chretien, & non pas, comme plusieurs le font, en Juif, c'est à dire, exterieurement seulement, & qu'il observe ce que l'Eglise prescrit pour recevoir les graces qu'elle a attacchée a cette pieuse Confrairie.*

Si igitur nihil aliud prætendatur per revelationem, quæ facta prætenditur B. Simoni Stock, non refragabor; sed quomodo hic sensus consistat cum supra expressa formula revelationis; & qua ratione vulgari populo eam formulam audienti, & in sensu obvio & naturali eam intelligenti, sufficienter sit cautum, ne incidat in vanam & præsumptuosam fiduciam de consequenda salute ex sola Scapularis gestatione, judicent, & expendant Superiores.

APPROBATIO.

Tria genera sunt erroris, quibus homines errant cum aliquid legunt, *inquit magnus Ecclesiæ Doctor S. Aug. l. de util. cred. C. 4. illa si eruditi quique, prout par est, cavissent, non tot & tantæ dissensiones inter ipsos, factiones, & scandala succrevissent; quæ mala necdum cessarunt, ut patet ex hoc scripto, quo justæ defensioni, modeste consultum est, contra varias circa alterius scripta aberrationes; nihil contra fidem aut bonos mores occurrit, sed potius aliqua pro puritate Sacerdotum, pro castitate conjugatorum, pro utilitate Pœnitentium &c. quæ omnia cum S. Sedis judicio submissa sint; hanc quoque super his, sub ejus beneplacito, expansam mentem meam, subjectam volo. Dabam 22. Novembris 1698.*

Joan. le Beau S. Adalberti,
Curio-Decanus Exam. Synod. Leod.



III.

TRACTATUS (a) BREVIS
DE SACRIS CONGREGATIONIBUS

Inquisitionis contra hæreticam pravitatem; pro interpretatione Concilii Tridentini, & Indicis librorum prohibitorum.

Authore Z. B. Van-Espen, J. U. D. & SS. Canonum Professore in Academia Lovaniensi.

[*Nunc primo editus.*]

PRÆFATIO.

OB *multiplicia quæ ad Romanam Curiam devolvi, postremis hisce præsertim sæculis, ex omnibus mundi partibus cœperunt negotia, variæ fuere a diversis Pontificibus, & præcipue a Sixto V. institutæ Congregationes, ex Cardinalibus, aliisque inferioribus Prælatis, quæ in causis aliisque negotiis sibi commissis vel Pontifici essent subsidio, vel ea, vice Pontificis, juxta facultatem sibi datam, dirigerent & absolverent. Inter has quidem aliæ sunt ut expediant ea negotia, quæ Pontifici tanquam urbis Romæ ejusque districtus Episcopo particulari incumbunt: V. G. Congregatio* Visitationis Apostolicæ; *aliæ ut ea curent negotia, quæ regimen Ecclesiasticum vel temporale status Pontificii seu Ecclesiastici duntaxat respiciunt: ut Congregatio* examinis Episcoporum; *item quæ* Consulta *dicitur; item* boni regiminis *&c. Denique aliæ, eæque cæteris celebriores, quæ pro regimine universalis Ecclesiæ a Pontificibus institutæ fuerunt: inter quas præ cæteris tres sunt, scilicet Congregatio* S. Inquisitionis contra hæreticam pravitatem; pro interpretatione Concilii Tridentini; & Indicis librorum; *quarum notitiam admodum utilem & convenientem judicavi, utpote sub quarum nomine plurima ac frequentia hodie eduntur ac circumferuntur Decreta & Declarationes.*

De his itaque acturi singularum originem, statum, ac hodiernum procedendi modum breviter describemus; quasque partes in Decretis sub earum nomine editis, Pontifex habeat, ad singulas annotabimus. Verum cum non tantum Romæ & in Italia, sed in aliis quoque ditionibus, præsertim Regi Catholico subjectis, sacra Inquisitio locum habeat, conveniens credidi priusquam de statu & modo procedendi dictæ Congregationis Romanæ agatur, primo ostendere quomodo Inquisitio, prout hodie in usu est, originem sumpsit: quæ sint generales Inquisitionis leges & modus contra hæreticos agendi: & denique unde contigerit, ut nonnullorum Regnorum, Populi, præsertim Belgii nostri, sese subjicere noluerint Tribunali Inquisitionis.

CA-

(a) Dictatus Lovanii, in Scholis publicis, circa finem Julii 1691.



C A P U T P R I M U M.

De inquisitione contra hæreticam pravitatem.

§. I.

Origo dictæ Inquisitionis.

QUandoquidem Episcopis ex officio incumbat populum sibi commissum in fide Catholica conservare, ac ab omni errore fidei contrario, quantum in ipsis est, præservare, sequitur Episcopis jure naturali quodammodo competere Inquisitionem contra hæreticam pravitatem, ipsosque esse naturales fidei Inquisitores; quapropter per XII. circiter secula nullos præter Episcopos Ecclesia agnoverat fidei Inquisitores; donec tandem sub finem seculi XII. exorta fuerit hæresis Waldensium, & ex illa postmodum progenita hæresis Albigensium, quæ fautore Raymundo Comite Tolosano tantum brevi tempore, præsertim in Tolosana & adjacentibus Provinciis progressum fecerat, ut teste Cæsareo Heisterbacensi, authore coævo temporibus Innocentii III., hujus hæresis vires essent tam validæ, ut omne triticum fidei gentis illius versum videretur in *lolium erroris.

Ob nimium hunc hæreseos progressum Innocentius III., aut non satis confidens de zelo Episcoporum, vel eorum vires adversus hæreticos insufficientes existimans, anno 1204. ad Provincias illas destinavit, cum plena authoritate procedendi contra hæreticos, Arnaldum Abbatem Cisterciensem, & Petrum de Castro novo, & Radulphum, Monachos Cistercienses, ut patet ex litteris dicti Pontificis, quæ incipiunt: *Etsi nostra navicula*, in quibus concessam eis plenam potestatem explicat.

Cumque sub idem tempus ad Curiam Romanam venissent de Hispania Didacus Episcopus Oxomensis cum S. Dominico tunc ejusdem Ecclesiæ Canonico, ipsi quoque ab Innocentio III. ad Provincias hæresi infectas simili authoritate anno 1206. missi fuerunt, qui jam dictis Sedis Apostolicæ Legatis se jungentes hæreticorum conversioni se impenderunt.

Cumque biennio transacto Episcopus ad Ecclesiam suam reverteretur, Dominicus ut felicius & efficacius operi sibi injuncto incumberet, seculares aliquot Presbyteros sibi adjutores associavit, quibus circa annum 1215. ab Episcopo Tolosano concessa fuit Ecclesia S. Romani ejusdem Civitatis, cum omnibus proventibus & juribus; ad quam cum Sociis Dominicus migravit, primaque ibi Ordinis sui fundamenta jecit, quem anno sequenti Honorius III. confirmavit.

Ordo hic ad prædicandam fidem contra hæreticos institutus, & ob id *Prædicatorum* nuncupatus, etiam usque ad hæc tempora, præcipuas partes in Tribunalibus Inquisitionis semper habuit.

Hinc Gregorius IX. in Litteris ad Priorem Fratrum Ordinis Prædicatorum in Lombardia, sub divini obtestatione judicii districte ei mandat, quatenus aliquos de fratribus suis ad partes sui Prioratus transmittat, qui tanquam Inquisitores fidei contra hæreticos & infamatos procedant. Habetur Tomo XI. Parte 1. Conciliorum ultimæ editionis Epist. 9. col. 335.

Hi fidei Inquisitores, quaquaversum per Provincias discurrentes, tum exhortatione, tum prædicatione hæreticæ pravitati se opponebant; interdum etiam ipsos Magistratus aut Principes ut contra hæreticos & de hæresi suspectos procederent, excitarunt: qui & subinde populum concitabant, ut sub nomine cruce signatorum consociati bellum in hæreticos moverent, Indulgentias quam plurimas authoritate Apostolica belligerantibus promittebant; & quidem tanto rigore hujus Ordinis fratres aliquando in hæreticos ferebantur, ut necesse interdum fuerit adjungere collegas ex Ordine fratrum Minorum, qui *rigorem*, ut loquitur Guillelmus de Podio Laurentii, in Chronico C. 8., *mansuetudine sua temperarent* . . . . . de quo etiam vide Spondanum ad annum 1234. N. 3.

Verum licet hi Inquisitores authoritate Apo-

Apostolica modo jam dicto adversus hæreticos subinde etiam Episcopis indignantibus procederent, nullum tamen hactenus Tribunal Inquisitionis firmum ac stabile institutum erat; sed demum Innocentius IV. circa annum 1252. Constitutionem edidit, constantem 38. Capitulis, quibus inter alia præscribit Magistratibus civilibus, ut jurejurando promittant se in omnibus legibus hic præscriptis obsecuturos, atque Inquisitorum sententias executuros, omneque auxilium sine ulla contradictione ipsis exhibituros.

Hanc Constitutionem sequentes Pontifices præsertim Alexander IV. & Clemens IV. sæpius innovarunt & suppleverunt; quæ partim sub titulo *de hæreticis* in VI. Decretalium; partim in Bullario Romano; & omnes simul compilatæ in Appendice ad *Directorium Inquisitorum* videri possunt.

Ab eo tempore Inquisitores non amplius exhortando sed judicando processerunt; eorumque sententias Magistratus civiles sine ullo ulteriori examine exequi obligati fuerunt.

§. II.

Describitur summarie modus procedendi in Tribunali Inquisitionis.

Inquisitor litteris suæ delegationis a Sede Apostolica receptis, eas Ordinario ejusve Vicario & Magistratui loci insinuare tenetur, quo facto Officialibus civilibus sub juramento injungit, ut leges ac statuta contra hæreticos fideliter observent, quodque hæreticos aut de hæresi suspectos vel infamatos insequentur, vel Inquisitori denunciabunt; præsertim cum fuerint requisiti; ut latius in formula juramenti apud Eymericum in Directorio Inquisitorum Parte 3. N. 11. exprimitur. Post hæc Inquisitor sermonem generalem, qui *Edictum fidei* vocatur, in certum diem indicit; utque frequentior populi fit concursus in omnibus Ecclesiis pro ea die conciones suspendit, Indulgentiasque 40. dierum accedentibus promittit. In hoc sermone primum loquitur de fide, ad ejus defensionem & hæreticæ pravitatis extirpationem populum adhortans; deinde a Notario legitur *Edictum fidei*, quo sub pœna excommunicationis, Papæ & Inquisitori reservatæ, præcipitur universis, cujuscumque conditionis & status, quatenus infra certum terminum Inquisitori revelent si quam sciverint personam hæreticam, aut de hæresi suspectam, aut diffamatam, vel perverse sentientem de articulis fidei vel Ecclesiæ Sacramentis, ac alias a communi Fidelium conversatione, vita & moribus discedentem. Tandem promulgatis trium annorum Indulgentiis, pro iis qui personam aliquam denunciaverint, aut auxilium vel favorem Inquisitori præstiterint, promulgatur terminus aliquis, infra quem si quis hæreticus coram Inquisitore sponte culpam suam agnoscat, veniamque petat magna ei gratia addicitur; vocaturque *tempus gratiæ*; quæ latius videri possunt in Directorio Inquisitorum Parte III. N. 47. & seqq. Post hæc Inquisitor more Judicis ordinarii, excipit accusationes & denunciationes, aut etiam ex officio inquirit. Si ex denunciatione vel inquisitione deprehendantur indicia sufficientia ad capturam, illa ad instantiam Promotoris decernitur; nisi essent personæ illustriores, contra quas in Hispania captura decerni nequit, nisi consulto supremo Inquisitionis Tribunali. Deinde reus coram Inquisitore comparens, præmissa generali inquisitione, de patria, parentibus, &c. interrogatur utrum sciat, quam ob causam sit citatus; an aliquos habeat suspectos, a quibus se delatum reputet, & quos? moneturque sedulo ut sincere ac aperte veritatem fateatur, recepturus omne misericordiæ auxilium. Puncta tamen accusationis ipsique accusatores maximo silentio premuntur. Ideoque non restat citato nisi propriæ conscientiæ discussio, ut, ea facta, divinare queat quæ sint & puncta accusationis & accusatores. Interim tertio, simile examen similisque monitio instituitur. Vide Directorium Inquisitorum Parte III. N. 47. & seqq. & Commentarium Francisci Pegnæ ibidem.

Hoc examine peracto, si maneat Inquisitori reus suspectus, ducitur ad carcerem Inquisitionis, in quo singuli in singulis cellulis separatim includi solent; neque ad Missam vel Sacramenta admittuntur; nec libri, ne quidem Breviarium, si Clerici sint, ipsis permittuntur. Directorium Parte III. Comment. 108.

Si

Si tertio interrogatus ac monitus non omnia, super quibus accusatus est, fateatur, tunc Promotor exhibet libellum, punctis accusationis singulatim expressis, concludens ut reus pœnis hæreticorum puniatur. Forma libelli habetur Parte III. Direct. & Comment. n. 14. Libellus Reo communicatur cum toto litis processu, nominibus tamen accusantium & testium occultatis, quæ nunquam reo revelantur; quapropter reo non patet modus aliquid adversus testes objiciendi, nisi eos divinare queat; quod quam sit periculosum nemo non videt; præsertim cum in causa hæresis omnes indifferenter in testes, sive excommunicati, infames, perjuri, quin & inimici, nisi sint capitales, admittantur. Vide Directorium Parte III. Quæst. 64. & seqq. & Commentarium Franc. Pegnæ ibid.

Causæ instructione facta Inquisitor una cum Episcopo ejusve Vicario ad sententiam dicendam procedit. Si meritis causæ discussis Reus reperiatur plane innocens, nullaque suspicione aut infamia hæresis laborare, absolvitur, ita tamen ut sententia in hac materia nunquam transeat in rem judicatam, possitque postmodum super eodem crimine semper accusari.

Si discussione causæ facta nulla appareant indicia eum suspectum reddentia, appareat tamen eum de hæresi esse infamatum, subire cogitur purgationem canonicam, quam si tempore statuto absolvere nequeat, habetur pro convicto hæretico, & ut talis condemnatur. Si autem post purgationem factam rursus incidat in eandem hæresim, habetur pro relapso & pœnis relapsi subjecto. Quam hic sit periculosus procedendi modus facile intelliget qui attendit formam purgationis canonicæ necessario ab eo subeundæ Parte III. N. 145. & seqq. descriptam, & insuper quam incerta sit fama popularis, præsertim in crimine hæreseos.

Causa discussa, si appareat Reus suspectus *de vehementi*, id est, si sint indicia quæ ipsum vehementer suspectum reddant de hæresi, cogitur ad abjurationem hæreseos; juratque primo se corde credere, & ore profiteri fidem Catholicam, quam Romana Ecclesia docet & profitetur; & specialiter articulum contrarium hæresi, de qua est suspectus, & abjurat hæresim contrariam. Deinde expressis illis dictis aut factis, ob quæ habetur suspectus, jurat quod nunquam similia faciet, vel dicet, vel alias velit haberi pro relapso.

Si meritis causæ discussis inveniatur vel propria oris confessione vel per testes, aliave argumenta convictus de hæresi, si pœniteat, veniamque postulet, tunc ultra abjurationem, de qua jam dictum est, debet tanquam hæreticus absolvi ab excommunicatione, & ulterius induitur veste livida ad modum Scapularis monachalis, ante & retro habente Cruces de panno croceo, qua veste & crucibus indutus stare debet in valvis alicujus Ecclesiæ quibusdam præcipuis anni festivitatibus. Hoc palliamentum Hispani vocare solent *Sant-Benito.*: quasi saccum benedictum. Propterea ait *Pegna* Parte III. Direct. Commentario 42. quod sit aptus ad agendum pœnitentiam per quam benedicimur & salvamur.

Hæ vestes tempore pœnitentiæ absoluto, vel post mortem pœnitentium suspendi solent in Ecclesiis, in quarum Parochiis habitabant; neque ait Pegna Parte III. Comm. 44. inde facile debent amoveri; Imo si vetustate delapsæ sint renovandæ sunt, inscriptis nominibus, quorum palliamenta fuerunt, ut extent in perpetuum ea signa & monumenta impietatis.

Denique condemnatur sic convictus, ad carcerem, vel in perpetuum vel ad tempus; aliave pœnitentiæ opera, prout Judici videtur.

Si convictus vel confessus hæresim, vel eam fateri nolit, vel veniam petere recuset, tunc in primis Inquisitores omnia media possibilia adhibent, ut confessionem veniæque postulationem extorqueant: ostendendo quomodo hac via possit facile evadere mortem, quam alias infallibiliter subire debebit; atque in illum finem ipsum nonnunquam torturæ sive quæstionibus subjiciunt, quam & frequenter adhibent dum reum de hæresi suspectum habent, ut scilicet, tortura mediante, veritatem & oris proprii confessionem extorqueant: verum si ea, quæ de torturæ tormentis & ejus praxi in Direct. Parte III. N. 155. & seqq. item quæstione 61. referuntur, rite expendantur, apparebit ea quidem apta esse ut confessionem extorquere queant, sed

ſed non ut Judicem de veritate ſecurum reddant.

Si omnibus adhibitis reus fateri nolit, aut impœnitens maneat, traditur Brachio ſeculari comburendus, uti & is qui reperitur eſſe relapſus: quia V. G. deprehenditur quod ante vel ut hæreticus pœnitens, vel ut ſuſpectus *de vehementi* hæreſim abjuraverit, aut de eadem hæreſi infamatus purgationem canonicam ſubierit. Et hic quidem licet pœniteat, veniamque poſtulet, hæreſimque abjuret, mortem evadere nequit, ſed infallibiliter Brachio ſeculari comburendus traditur, illudque Judex ſub pœna excommunicationis ſine ullo ulteriori examine exequi tenetur.

Quare cum relapſo ita procedatur rationem indicat Franciſcus Pegna Parte III. Comm. 38. quoniam per hanc ſecundam deprehenſionem expreſſam declaratur animus illius, qui primo fuit in mala opinione contra fidem Chriſti, in qua ſemper præſumitur continuaſſe uſque ad ſecundam deprehenſionem.

Si ita de relapſis judicent Inquiſitores, quomodo non merito ſuſpecta habetur converſio peccatorum, qui in eadem ſæpius crimina relabuntur.

Non tantum contra vivos ſed & mortuos, tametſi nulla præcedente accuſatione vel ſuſpicione hæreſis defunctos, ad inſtantiam Fiſcalis actio interdum inſtituitur; & quidem ſi hæreticus fuiſſe probetur, ſtatua ipſius cum inſcriptione nominis in publicum producitur, & coram illa, ac ſi viveret, ſententia dicitur, eaque una cum oſſibus ejus exhumatis Judici ſeculari comburenda traditur.

Inſuper a die commiſſi delicti bona ejus declarantur ipſo jure Fiſco addicta, ipſumque dominio illorum excidiſſe; ideoque a filiis aliiſque poſſeſſoribus auferuntur; tametſi etiam per 30. annos bona fide poſſediſſent: Vide latius Direct. Parte III. Qu. 43.

Hæc bonorum confiſcatio omnes de hæreſi convictos tametſi confitentes & pœnitentes manet: & poſt ſententiam, juxta praxim modernam Hiſpaniæ, ait Farmoſinus ad Capitulum XI. de Conſtitutionibus Q. 3. N. 30. Fiſcus repetit omnia bona a die patrati criminis poſſeſſa, ubicumque ſint; & reſcindit omnem alienationem ab eo die factam; quæ omnia Regi addicuntur, qui ex iis neceſſaria Inquiſitoribus ſubminiſtrat, ut ibidem notat Farmoſinus, oſtendens quoque quanto cum rigore hæc confiſcatio fieri ſoleat; adeo ut ne quidem filiis minoribus, adverſa licet valetudine laborantibus, de bonis confiſcatis aſſerat alimenta eſſe ſubminiſtranda; ſed ſi quid detur, id ex mera miſericordia dari: imo affirmat ſe novem annis in Tribunali Inquiſitionis Valliſoleti verſatum, nunquam vidiſſe vel audiviſſe retro actis temporibus in eo Tribunali aſſignatam fuiſſe pro tali honeſta alimonia aliquam etiam minimam portionem.

Tandem omnium reorum, ſive mortuorum, ſive vivorum ſententiis ordinatis, Inquiſitores certum diem publice indicant & promulgant, quo die incarcerati omnes nudis pedibus, aperto capite cum cereo ardente, etſi hæretici fuerint, ſed pœnitentes, cum veſte crucibus inſignita ſupra deſcripta, impœnitentes autem ac relapſi inſuper induti veſte nigra flammis & Diabolis in ea depictis, in modum ſupplicationis comitante Clero, nec non civitatis Magiſtratu, quin & Regio Senatu, ſi ibi ſit, ac innumera populi multitudine undique accurrente ad aliquam Eccleſiam, vel locum Eccleſiæ proximum pergunt, ibique habito ſermone proceſſus publice recitantur, ſententiæ pronunciantur, abjurationes ac abſolutiones ab excommunicatione fiunt, ipſique denique impœnitentes & relapſi Judici ſeculari traduntur, qua traditione facta & ſi ſacris Ordinibus fuerint inſigniti, præmiſſa degradatione, eodem die, alio tamen in loco publice igni traduntur & comburuntur.

Actus hic vocatur *Actio fidei* (Hiſpanice *Autodafé*) quæ interdum ad annos diſfertur quouſque tantus habeatur reorum numerus ut Actio celebris fiat, majoremque terrorem incutiat: omnia enim ad terrorem ita componuntur ut teſte F. Pegna Parte III. Comm. 45. dum actio in Hiſpania celebratur, videre ſit *horrendum ac tremendum ſpectaculum*, & quaſi imaginem futuri judicii.

Quan-

§. III.

Quando & qua ratione Inquisitio in Regnis Regi Catholico subjectis recepta sit, & quæ obstacula in aliquibus, in Belgio nominatim offenderit.

Circa annum 1233. in Aragoniam, instante S. Raymundo de Pennafort, inductam fuisse Inquisitionem asserit Ludovicus a Paramo. Lib. 2. de origine & progressu Inquisitionis Tit. 2. Cap. 8. sed ultra ditionem Regis Aragoniæ se non extendisse sat manifeste constat, ex Epistola Innocentii IV. anno 1249. data ad dictum Raymundum, & extat Tom. 2. Conciliorum pag. 603. (*a*). Et sane ante seculum XV. vix ullum Inquisitionis extat vestigium in aliis regnis Hispaniæ; sed sub finem hujus seculi, cum per mortem Henrici Regis Castellæ regnum illud devolutum esset ad ejus sororem Isabellam Ferdinandi Regis Aragoniæ uxorem, ipsique conspicerent quod licentia superiorum temporum, ut loquitur Mariana Lib. 24. de rebus Hispaniæ Cap. 17. multa in Castella forent depravata, Mauris Judæisque cum Christianis promiscue versantibus, nullo non commercii genere, prava consuetudine usuque, non pauci e piorum numero inficerentur, plures sacra Christiana, quæ susceperant patria superstitione abdicata, fide inconstanti, nullo vetante deferent; hæc inquam cum attenderent dicti Reges, suasu Cardinalis Hispanici & authoritate Sixti IV. Inquisitionem in regnum Castellæ introduxerunt.

Toti administrationi, ait Mariana, (*b*) *Thomas de Turrecremata*, ex Ordine Dominicanorum, præcipua apud Reges gratia quorum peccata per pœnitentiam expiare consueverat, tum quidem præfectus est. Is *Edictis Inquisitionis propositis spe veniæ homines promiscuæ ætatis, sexus, conditionis ad* 17000. *virorum ultro crimina esse confessos memorat*, 2000. *igne crematos*, *majori numero in vicinas provincias delapsos*. Hæc Mariana, qui & notat hoc Inquisitionis Tribunal initio Provincialibus *grave* visum esse; illa maxime, parentum scelera filiorum pœnis lui; occulto accusatore reos fieri; contra quam olim factum fuerat, peccata in religionem vindicari morte, illud gravissimum adimi per Inquisitores loquendi libere audiendique commercium, dispersis per urbes & oppida observatoribus, quod extremum in servitute „credebant“. Hæc ille.

Interim his non obstantibus in regno Castellæ stabilita Inquisitione, paucis post annis in omnia pene regna reliqua Regi Catholico subjecta, propagata fuit; variisque in locis Inquisitores instituti; quibus omnibus præest Inquisitor generalis, qui a Rege nominatur, & a Pontifice confirmatur. Is præsidet supremo Inquisitionis concilio quod Curiam Regis semper sequitur. Ab hoc concilio reliqui Inquisitores inferiores leges accipiunt; ab ipsorum sententiis ad hoc Tribunal appellatur, ipsum vero a nullo nisi a Rege dependet; imo prætendunt Hispani usuque tritum affirmant, causas ab hoc Tribunali nec per litteras Pontificias etiam via appellationis Romam avocari posse, nec similes litteras executioni mandari posse sine assensu Regis, ut latissime deducit Franciscus *Salgado*, in supplicatione ad Sanctissimum, Parte II. Cap. 33. & pro indubitato asserit Farinacius ad Cap. 7. de appellationibus Quæst. 3. N. 12. & 16.

Non eodem successu in regnum Neapolitanum inductam fuisse Inquisitionem constat ex Mariana Lib. 30. Cap. primo sub finem anni 1510. Neapoli, inquit, extitere tumultus, plebe ad arma consternata, offensaque vehementer adversus Inquisitores, qui more ex Hispania translato cœperant in ea urbe judicia de Religione exercere majori severitate quam mores gentis reciperent.

Tanta fuit commotio ut nec potentia Pro-regis sedanda prævideretur; quare Judæis qui ex Hispania eo confluxerant ejectis, sancitum tandem fuit Inquisitionem cessare & amoveri. Pontifex ipse, ait Mariana, cujus maximæ dignitati Inquisitores serviunt, ne incommodo tempore eo constituto Tribunali, turbaret gentis tranquillitatem, author erat. Sic Populus conquievit.

 Sed

(*a*) Vide originem Inquisitionis & Congreg. S. Officii in jus Ecclesiasticum universum part. 1. Tit. XXII. C. III. To. I. hujus edit. Neapol, p. 371. & seqq.

(*b*) L. 24. de Rebus Hispaniæ Cap. 17.

Sed cum rursus anno 47. ejusdem seculi, rogatu Inquisitorum Romanæ Ecclesiæ Pro-Rex Neapolitanus Judicium Inquisitionis introducere voluisset, tantus repente tumultus iterato excitatus est, ut post multa consilia desuper habita Pro-Regi quoque intentatum periculum fuerit: non quidem recusantibus Neapolitanis, quin in hæreticos & suspectos inquireretur, sed petentibus ut ex antiqua Ecclesiæ disciplina id fieret: quorum obstinatum animum perpendens Pro-Rex, ne quid tristius contingeret, coactus est fidem dare de Inquisitionis mentione nunquam deinceps repetenda, tanta populi gratulatione ut ignibus per tres dies & facibus accensis lætitiam celebrarent. Verum renovata post dissentione, etiam ad multam cædem ea utrimque prorupit, accitis quoque externis auxiliis; & displosis ex arcibus contra cives tormentis, donec missis ab utraque parte ad Cæsarem (Carolum V.) Legatis, venit ab eo Decretum, quo Inquisitionis mentione tacita cives ab armis discedere jussi sunt, & obedientiam Pro-Regi præstare. „ Hæc ex Spondano ad annum 1547. §. „ 15. qui ibidem rationem præmiserat ob „ quam tam exosi forent hi Inquisito- „ res “: quod multis locis a nonnullis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, sævius quam par esset, atque etiam non raro contra innocentes a malevolis delatos, illud exerceri diceretur, ut non tam pietatis tuendæ causa, quam ut eversis fortunis periculum liberis capitibus crearetur inventum plurimi conquererentur.

Non absimilis fuit in Belgio nostro Inquisitionis fortuna anno 50. præteriti seculi. Ut Lutheranismi progressum sisteret Carolus V. a Pontifice Inquisitores postulavit, quorum authoritati & securitati cavens multa sancivit quæ Edicto illius anni continentur. Verum ait Strada de bello Belgico Lib. 2. *Nova illa judicii facies plus terroris secum attulit in Belgio quam observantiæ; nam etsi alicubi suscepta res est, Brabantini tamen, quod in eo carpi suam libertatem dicerent, commodum nacti impositο se se onere liberarunt sub ejus anni quinquagesimi finem, quo tempore partim Augustana Comitia, Tridentinumque Concilium, partim bella alio distraxere Cæsaris curas*. Hæc ille.

Anno 55. Philippus II. in quem Carolus Provincias has transtulerat, novo Edicto Patris placita confirmavit & Inquisitores primarios nominavit quosdam Theologos Lovanienses, & inter alios Michaelem Bajum, qui in monumento sepulcrali dicitur *generalis per Belgium Inquisitor*.

Sed cum Philippus eo & tribus sequentibus annis bello cum Gallo esset implicitus, parum rem hanc promovit, donec tandem anno 59. a bello liber ad Religionem stabiliendam in ditionibus suis animum admovit, discedensque e Belgio mandata sorori suæ Margaritæ Parmensi, Belgii Gubernatrici, & Antistiti Granvellano dedit, ut enixe curarent ut placita patris sui, quæ ipse pro Pontificiis Inquisitoribus firmarat, exquisite servarentur.

Margarita rem cum Provinciarum Præfectis exequi aggressa mox obstacula summa offendit. Magistratus ægre videbantur id negotium in se suscipere. Nobilium aliqui ambigue operam suam pollicebantur; alii præcise negabant, opportunum tunc esse redire ad eum lapidem movendum, ad quem toties offendissent. In populo exaudiebantur multorum etiam contra Regem voces, quas aliunde immissas satis apparebat, ut latius apud Stradam videre licet.

Quid circa Inquisitionem sentirent Belgæ præcipue circa annum 1565. innotescere cœpit. Sub hoc enim tempus Philippus II. per litteras ad Gubernatricem præcepit, ut Inquisitores causarum fidei ubique persancte retineantur omnique ope a Gubernatrice ac reliquis Provinciarum Præfectis adjuventur. Conformiter ad has litteras significatum fuit Præfectis Provinciarum, ut sacris Inquisitoribus favor omnis impendatur.

Hoc Edicto promulgato, mox quatuor primariæ Brabantiæ civitates vehementer iracundeque apud Cancellarium postulant ut suorum privilegiorum ratio habeatur, quibus ea Inquisitorum judicia repugnant. Deinde paucis post diebus nunciatur Gubernatrici multos in Brabantia nobiles, inito inter se fœdere decrevisse, si Rex in illorum Provinciam Inquisitores vi vellet inducere, se sumptis armis contra vim ituros. Ad hæc novem e nobilitate sub ini-

tium

tium anni *66.* fœdus conscribunt aliis proponendum : in eo exorsi ab Inquisitionis execratione, quæ divinis humanisque legibus adversa, barbariem longe superet, omnium retro tyrannorum, commotos se se affirmant ea indignitate ; seque societatem iniisse, qua obviam irent nefariis eorum conatibus, qui per hæc judicia in optimorum civium fortunas intenderent ; quam ob rem persanćte jurarunt Inquisitionem se nullo modo in Belgio passuros. Inde missi per singulas Provincias animos popularium ac nobilium sollicitarunt, eo successu ut brevi ultra 400. nobiles palam fœderi subscripserint, unanimiter cessationem Inquisitionis postulantes.

Cum vero Gubernatrix intellexisset confœderatos nobiles circiter 500. Bruxellas adventuros, conventum solito celebriorem apud se indixit ad diem 3. Aprilis, quo die congregatis Provinciarum Præfectis atque Aurei Velleris Equitibus, & privati Consilii Senatoribus, multis in deliberationem positis, variæ quoque fuere sententiæ : plerisque invisum erat, ait Strada, Inquisitionis nomen, omnesque fere acerbe ac palam contra novum inquirendi de Religione Tribunal disseruere; & rursus die sequenti coactis Dynastis ac Senatoribus plerique acriter ac incitatius disserebant contra Inquisitionem, ut satis appareret eam nulli hominum ordini acceptam esse : adeo ut Antverpiæ nemo sit tam tenuis fortunæ qui sclopum aut hastile aliquod non ostentet, mineturque illo se telo usurum in eos, qui Hispanicam Inquisitionem inferre in urbem connitantur. Imo & Episcopos non levi affectos injuria videri, dum Religionis causæ, quarum cognitio ad ipsos jure pertinet, ad posterius hoc Quæsitorum Tribunal transferuntur: uno verbo *vix unus fuit in eo Senatu, qui opportunum tempori existimaverit ejusmodi Tribunal.*

Demum 5. Aprilis nobiles supra 200. libellum Gubernatrici obtulerunt, quo abolitio Inquisitionis postulabatur.

Dum de universali hoc Belgarum non sectariorum tantum sed & Catholicorum adversus Inquisitionem odio, tumultu populari & pejoribus, quæ prævidebantur imminere, Gubernatrix frequenter Regem certiorem fecerat, tandem ex parte Regis scriptum est quod Rex permitteret Ecclesiasticos Inquisitores removeri, modo Episcopis in suas Sedes ante inductis; atque ab eo tempore Inquisitionis Tribunal cessare cœpit, ac tandem non obstante contrario Ducis Albani conatu totaliter obliteratum est; adeo ut nullum hodie vestigium Inquisitionis illius in Belgio supersit, cognitione hæreseos & hæreticorum punitione, Episcopis, aliisque ordinariis Magistratibus juxta pristinam disciplinam relictis (*a*).

§. IV.

Quandonam instituta fuerit Congregatio Inquisitionis S. Officii, & quinam ad illam Congregationem pertineant.

Primus hanc Congregationem instituit anno 1542. Paulus III. eique deputavit sex Cardinales in tota Republica Christiana super negotium fidei Inquisitores generales & generalissimos, data illis omnimoda ac plenaria potestate inquirendi in hæreticos aut de hæresi suspectos, eosque puniendi; idque per totam rempublicam Christianam. Subsequentes Pontifices frequenter eam Congregationem confirmarunt, eique Sixtus V. in Constitutione sua 74. (*b*) inter XV. Congregationes primum locum attribuit, amplissimamque in negotiis fidei authoritatem dedit.

Ad hanc Congregationem in primis spectant Cardinales plures vel pauciores pro beneplacito Pontificis; illique proprie hanc Congregationem constituunt, & in negotiis decidendis soli gaudent suffragio decisivo.

Præter Officiales inferiores V. G. Fiscalem, Notarium &c. habet hæc Congregatio unum Judicis ordinarii vices gerentem, ex Ordine S. Dominici & dicitur *Pater Commissarius S. Officii*. Hic in Assessorem habet Prælatum aut Clericum secularem, Canonum Professorem, qui vocatur *Assessor S. Officii*.

Denique ad hanc Congregationem pertinent illi, qui appellantur *Consultores S. Offi-*

(*a*) Vide *jus Ecclesiasticum univ.* part. III. Tit. IV. C. II. To. IV. hujus edit. Neapol. p. 104. & *seqq.*

(*b*) Al. 72. in Bull. Rom.

Officii, inter quos quatuor fixum locum habent; tres ex Ordine S. Dominici, scilicet prædictus Pater Commissarius, Pater Generalis ejusdem Ordinis, & Magister S. Palatii; quartus Professor ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, cui tanquam fixo & invariabili, ait Cardinalis de Luca in relatione Romanæ Curiæ discursu 14. N. 9. congruit singulariter nuncupatio Consultoris S. Officii, habens hoc munus magis peculiariter, illudque præ cæteris Consultoribus exercet.

His quatuor fixum locum habentibus adjungi solent alii nonnulli Theologi pro arbitrio Papæ ex variis Religionibus, aut quandoque ex Clericis secularibus præcipue canonum peritis.

Hi Consultores licet solo suffragio consultivo fruantur, sintque duntaxat Cardinalium Consiliarii seu Assessores, plerumque tamen ab ipsorum suffragiis gesta Congregationis unice dependent, ut §. sequenti videbitur.

§. V.

Qua forma Congregatio hæc procedat & quibus potissimum decreta hujus Congregationis adscribenda sint.

Negotia ad hanc Congregationem pertinentia distribui solent examinanda uni vel interdum pluribus Consultoribus, qui eorum examine facto relationem faciunt in Congregatione, ad quam conveniunt Consultores, quæ habetur qualibet feria secunda in Palatio S. Officii, ibique ipsum Assessorem S. Officii de negotiis sibi commissis instruunt, qui juxta instructionem a Consultoribus acceptam ea relaturus est in alia Congregatione, ad quam conveniunt Cardinales de S. Officio, quæ qualibet feria IV. habetur in Conventu PP. Dominicanorum prope Ecclesiam B. Mariæ *super Minervam*.

In hac Congregatione congregatis Cardinalibus solus Assessor (Consultoribus in aula exteriori interim expectantibus) stando, tanquam minister, negotia occurrentia juxta instructionem in præcedenti Congregatione a Consultoribus acceptam, refert; & postquam inter Cardinales discussio eis bene visa secuta est, advocantur Consultores, eorumque votum seu consilium expetitur; quibus auditis ex judicio ac suffragio Cardinalium negotia terminantur.

Ut autem aliquid pro determinatione Congregationis habeatur, non requiritur ut major pars Cardinalium de S. Officio consentiat, sed sufficit major pars eorum, qui actualiter in Congregatione præsentes sunt, ut declaravit Pius IV. Constitutione 79. & confirmavit Pius V. Constitutione 23. Insuper addens haberi pro determinato a tota Congregatione quod per præsentes licet duntaxat duos determinatum est.

Hinc facile contingit, ut si qui decretum aliquod ab hac Congregatione desiderent, prævideantque Cardinales aliquos sibi futuros contrarios, conentur efficere ut negotium in Congregatione proponatur, dum hi Cardinales sciuntur aut prævidentur futuri absentes.

Absoluta Congregatione feriæ quartæ, die sequenti feria V. alia rursus habetur Congregatio eorumdem Cardinalium in Palatio Papali coram ipso Pontifice, qui tunc Congregationi præsidet; cui compendiose, ut decet, ait Cardinalis de Luca dicto loco N. 11. referuntur ea quæ in præcedentis diei Congregatione Cardinalitia discussa fuere, ipsius etiam Congregationis votum referendo, ut ipsius Papæ oracula recipiantur. Hæc ille.

Facta hac relatione quandoque etiam pro negotiorum qualitate advocari solent præfati Consultores, ut & ipsorum votis auditis Papa ultimate resolvat.

Ex his, quæ modo dicta sunt, non difficulter intelligi potest, quibus potissimum ipsa decreta Inquisitionis seu S. Officii sint adscribenda; & quidem cum ad Congregationem, quæ feria IV. habetur, non conveniat, aut intersit Pontifex, sed soli Cardinales de S. Officio, ex quorum suffragiis in illa Congregatione negotia terminantur, patet decreta ab hac Congregatione emanantia non posse Pontifici adscribi, sed solos Cardinales de S. Officio authores habere; nec his omnibus adscribenda esse, sed solis qui in Congregatione fuerunt, aut horum majori parti; quia ut supra notatum fuit, licet plures ex Cardina-

dinalibus S. Officii sint absentes, determinatum per praesentes, aut eorum majorem partem, habetur ac si a tota Congregatione determinatum foret; ideoque fieri potest ut decretum sub nomine hujus Congregationis editum, duos tresve duntaxat Cardinales authores habeat.

Hinc ulterius intelligitur cur in decretis ab hac Congregatione feriae IV. emanatis, nulla fiat mentio Pontificis, neque dicatur V. G. *Sanctissimus Dominus hunc illosve libros prohibendos censuit* sed *Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinales Inquisitores generales eos* prohibendos esse voluerunt, prout praesenti decreto prohibent.

Verum quia Cardinales solent se conformare votis Consultorum, seque ad eorum examen referre, absque speciali per se ipsos V. G. librorum lectione vel alterius materiae propositae discussione, non dubium quin Consultores saepenumero in istis decretis praecipuas partes obtineant, iisque praecipue adscribenda veniant: quin immo quia inter ipsos Consultores unus duntaxat aut alter eligi soleat, qui, V. G. librum legat, aut materiam integre discutiat, reliquis ad summariam ejus relationem judicia sua formantibus, patet potissimum his decreta illa esse adscribenda.

Quod ad decreta Congregationis feriae V. attinet cum in illa praesideat Pontifex & auditis Cardinalium suffragiis, ipsius quoque Congregationis diei praecedentis voto, & quandoque etiam Consultorum sententiis, concludat, decernat ac statuat; sequitur eatenus ipsi Pontifici haec decreta adscribenda fore: unde licet haec decreta vere sint decreta Inquisitionis, atque ob id a Notario illius Congregationis signentur, tamen Pontifex tanquam Praeses istius Congregationis, & a cujus suffragio decreta illa vim suam ultimate accipiunt, solus tanquam decernens ac statuens introducitur hac similive forma; *Sanctissimus Dominus, Cardinalium ac Theologorum votis auditis statuit &c.*

Verumtamen cum in hac Congregatione Pontifex, auditis compendiose Cardinalium suffragiis, soleat se eorum resolutioni absque speciali per se ipsum examine aut discussione, conformare & negotia concludere, rursus patet qua ratione & haec decreta non tantum a Cardinalium suffragiis, sed vel praecipue a Consultorum relatione dependere soleant; quia ut supra dictum est, & ipsi Cardinales Theologorum relationi & votis sine speciali per se ipsos examine ordinarie sua vota conformant.

Et hic quidem ordinarius est Congregationum illarum procedendi modus; sed interdum dum negotii alicujus magni momenti res agitur, pluribus Consultoribus res examinanda, imo & subinde iterato committitur; praesertim si inter ipsos Consultores sit dissensio; quin & quandoque fit ut si agatur de re summi momenti V. G. de prohibitione libri, qui Authorem habet in summa Ecclesiae dignitate constitutum & magnae authoritatis, tunc si qui sint inter Cardinales professione Theologi, librum ipsi legant judiciumque suum in scriptis deponant.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De Congregatione pro executione & interpretatione Concilii Tridentini.

§. I.

Origo hujus Congregationis & qui ad illam pertineant. (a)

SUb initium anni 1564. publicato Concilio Tridentino, ut ejus de reformatione decreta exactius servarentur, Pius IV. octo deputavit Cardinales, qui decretorum Concilii executioni intenderent, nisi ait, in executione dictorum decretorum Concilii aliqua dubietas aut difficultas emerserit, quo casu ad nos referant. Constitutione 81. [18. in Bull. Rom.]

Hæc est prima hujus Congregationis institutio, quæ tamen ut ex verbis patet, non ad interpretationem, sed ad solam executionem fuit instituta. Subsequentes vero Pontifices eam non tantum confirmarunt, sed ejus authoritatem ampliarunt: & quidem Sixtus V. in Constitutione 79. [al. 74. in Bull. Rom.] eorum decretorum, quæ ad fidei dogmata spectant interpretatione sibi reservata, Cardinalibus dictæ Congregationis, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplina ac moderatione & Ecclesiasticis judiciis constituta sunt, dubietas aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem, ipso tamen consulto, impartitur. Hac itaque Constitutione non exequendi duntaxat, sed etiam interpretandi decreta Concilii huic Congregationi potestas facta fuit.

Congregationem hanc proprie constituunt Cardinales assumendi pro arbitrio Pontificis plures aut pauciores, ordinarie tamen pauciores, quam pro Congregatione Inquisitionis; & hi soli rursus in hac Congregatione voto decisivo gaudent. In ista Congregatione, ait Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ discursu 15. N. 16. nulla adest mixtura Prælatorum, uno excepto qui Secretarii munus gerit; atque unus Cardinalis ejus habet præfecturam pro subscriptione litterarum & decretorum, ipsiusque Congregationis cura & directione, diciturque *Cardinalis Præfectus*. Adsunt etiam huic Congregationi ut & cæteris, Theologi quidam & Jurisperiti, qui in dubiis & casibus decidendis opera & consilio Cardinalibus assistunt.

§. II.

Qua ratione in hac Congregatione proceedatur & decreta edantur.

Dubia sive casus Congregationi proposita examinanda traduntur uni aut pluribus Consultoribus, qui eorum examine facto illa referunt in Congregatione, quæ qua libet hebdomada vel bis in mense, pro negotiorum numero vel qualitate, die Sabbathi in Palatio Apostolico habetur.

Huic Congregationi Pontifex non assistit sed soli Cardinales; ex quorum suffragio dubia super decretis Concilii Tridentini exorta declarantur. Verum licet Pontifex Congregationi non intersit, interdum tamen ultima resolutio Congregationis non habetur priusquam ad Pontificem facta sit relatio, quod eo casu in ipsa declaratione indicatur hac vel simili forma: *& facta relatione ad Sanctissimum, Sanctissimus illam approbavit.*

In hac uti & in præcedenti Congregatione Pontifex relationi sibi factæ & suffragiis Cardinalium sine speciali examine annuere solet, sicut & Cardinales ordinarie Consultorum resolutioni se conformant.

Quare ex dictis §. præcedenti facile deduci potest quibus potissimum hujus Congregationis decreta adscribenda sint.

Congregatio hæc non solum dat decreta in generali & in abstracto super alicujus dubii, & quod varios patitur sensus decreti Concilii Tridentini, declaratione, sed etiam casus particulares in forma contentiosa disputandos & decidendos assumit; & quid

(a) Vide jus Ecclesiasticum Univ. part. I. Tit. XXII. Cap. VI. To. I. hujus edit. Neap. p. 389.

quid in casu illo particulari juxta decreta Concilii Tridentini resolvendum sit, declarat & decernit.

Quando super dubio proposito ante jam prodierunt resolutiones, cum istis, ait Cardinalis de Luca loco citato N. 17. procedi solet, atque aliquando absque ulla discussione rescribi, quod dentur resolutiones alias factæ; id autem non semper bene procedit, cum id servandum non sit, ait idem, in resolutionibus casuum particularium, cum diversæ singulorum casuum circumstantiæ diversam exigere valeant resolutionem.

Resolutiones hujus Congregationis non solent quemadmodum decreta S. Officii publicari nequidem more Curiæ Romanæ, sed per litteras sigillo Congregationis, subscriptione Cardinalis Præfecti & Secretarii munitas, consulentibus intimari; nisi forsan ejus publicationem expresse fieri Pontifex mandet; sicuti circa decretum *de Communione quotidiana* nuper (a) ex speciali mandato Innocentii XI. factum fuit.

§. III.

Quantum resolutionibus hujus Congregationis deferendum sit.

Certum in primis est nullam aut exiguam esse authoritatem earum declarationum, quæ passim in authoribus Scholasticis circumferuntur, quia falsas multas & truncatas circumferri iam pridem deprehensum fuit: ideoque ex speciali jussu Urbani VIII. decrevit S. Congregatio 2. Augusti anno 1632. ejusmodi declarationibus tam impressis quam imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in judicio vel extra esse adhibendam, sed tantum illis quæ in authentica forma, solito sigillo & subscriptione Cardinalis Præfecti & Secretarii ejusdem Congregationis munitæ fuerint.

Deinde cum hæ declarationes frequenter dentur occasione alicujus casus particularis, ut supra dictum fuit, *erroneum est*, ait Cardinalis de Luca in annotationibus ad Concilium Tridentinum discursu primo N. II. *in particularibus declarationibus cum consueta cæca fide vim constituere, cum illæ quæ singulos vel particulares concernunt casus, ex eorum particulari qualitate & circumstantiis manare soleant; ideoque alteri diversas circumstantias habenti, non semper sint applicabiles, cum diversimode ob diversam facti qualitatem sæpius decernere congruat.* Hæc ille.

Licet ergo de declaratione super casu aliquo data authentice constaret, inepte declaratio hæc applicaretur, nisi sciretur casum propositum fuisse omnino cum iisdem circumstantiis eundem cum eo, cui eam applicare vellet; quod rarissime contingit.

Denique cum hæ declarationes publicari non soleant, evidens est eas non ut leges esse recipiendas, nec etiam ut infallibiles Concilii Tridentini interpretationes; quandoquidem super eodem decreto etiam in abstracto & in generali contrariæ interdum datæ fuerint declarationes, ut videre licet apud Fagnanum ad Capitulum *Quoniam* de Constitutionibus N. 57. & 58. sed solum habendas ut probabiles & doctrinales resolutiones, eo majoris authoritatis, quo earum authores majori pollent authoritate, ut pluribus citatis authoribus docet Bertrandus Loth, Tractatu II. Art. 18. Resolut. Belgic.

CAPUT

(a) 12. Febr. 1679.

CAPUT TERTIUM.

De Congregatione Indicis.

§. I.

An semper aliquorum librorum lectio fuerit prohibita.

CUm omnibus jure naturali præceptum sit vitiorum ac errorum contagionem vitare, tentationibus aut peccatorum periculis nulla exigente necessitate se se non exponere, tempus rebus vanis & inutilibus haud impendere, lege quoque naturali nunquam non præceptum fuit, eorum librorum vitare lectionem, qua fieret ut in unum ex dictis præceptis impingeretur.

Si qui igitur sint libri perniciosis principiis referti, licet nulla lege positiva eorum lectio sit interdicta, semper tamen fuit, & erit lex naturalis mandans ab eorum lectione abstinere, eos qui ex eorum lectione facile inficerentur: atque hinc ulterius præcipit eadem lex naturalis, ut quisque sollicite inquirat & attendat quorum librorum lectio sibi contagiosa aut periculosa esse posset, tametsi nulla lex humana eorum lectionem interdicat.

Hanc legem naturalem non satis attendere videntur illi juventutis Academicæ Moderatores, qui nihil aut parum solliciti sunt, ut juventutem sibi concreditam abstrahant a lectione librorum illorum, quorum lectio licet nulla lege positiva sit interdicta, lex tamen naturalis ob evidens contagionis periculum eam interdicit. Quis enim nescit plurimos esse hodie tum Theologorum tum Canonistarum libros nulla positiva lege interdictos, imo qui omnium passim manibus teruntur, quorum tamen lectio juventuti sit perniciosior quam foret aliquorum, quorum lex positiva lectionem interdixit. Quot enim non etiam hodie Theologorum manibus teruntur, qui pessima præsertim in moralibus nati sunt principia legentibus instillare? Quot non Canonistarum, qui perniciosam ac plane secularem de Beneficiis Ecclesiasticis ideam imprimunt, quo tandem fiat ut hac idea præoccupati nihil postmodum pene in Beneficiis præter temporalia attendant.

At primis Ecclesiæ seculis ad hanc legem naturalem unice pene attendebant Patres, & conformiter ad illam hortabantur Fideles ut a librorum lectione se temperarent, e quorum lectione periculum foret, ne in unum ex prædictis præceptis impingerent: quin & subinde cum deprehenderant quosdam a similium librorum lectione solo dictamine legis naturalis non sufficienter retrahi, lege etiam positiva eorum lectionem interdicebant, aut aliis mediis eorum lectionem iis adimere studebant.

Hinc sub finem seculi IV. cum repperissent Patres Concilii Carthaginensis IV. Episcoporum nonnullos eloquentiæ addiscendæ nimia curiositate plusquam expediebat librorum Gentilium lectione occupari, eorum lectionem ipsis interdixit Canone 17.

Similiter sub initium seculi IX. considerantes Patres Synodi Cabilonensis quantum periculi immineret Sacerdotibus, si ipsis ex quorumdam librorum lectione persuaderetur peccata quantumvis gravia, levibus pœnitentiis posse expiari, repudiatos ac omnino eliminatos voluere libellos illos, quos *Pœnitentiales* vocabant, quorum sunt, inquiunt, *certi errores*, *incerti authores*, de quibus recte dici potest: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivebant: qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos sub omni cubitu manus.* Canone. 38. &c.

Quin & sub idem tempus, ut efficacius similes perniciosi libelli e Sacerdotum manibus retraherentur, visum fuit Concilio VI. Parisiensi, a quatuor Provinciarum Episcopis celebrato, ut unusquisque Episcoporum in sua Parochia eosdem erroneos Codicillos diligenter perquirat & inventos igni tradat, ne per eos ulterius Sacerdotes imperiti homines decipiant. Lib. 1. Can. 32.

Con-

Constat igitur non tantum jure naturali præceptum fuisse a librorum impiorum lectione abstinere dum periculum contagionis prævidetur, sed etiam a multis retro seculis Ecclesiam reipsa ostendisse sibi esse potestatem supprimendi libros eorumve lectionem interdicendi, quorum lectionem filiis suis perniciosam fore judicat; licet verum sit, quod pristina librorum interdictio quoad modum & formam non parum differat ab ea, quæ postremis hisce temporibus frequentari cœpit.

Quis enim in præteritorum seculorum Conciliorum libris aut historiis reperiet legem universalem, qua generaliter, idque sub pœna excommunicationis, *latæ*, ut aiunt, *sententiæ* interdicatur, ne quis libros hæreticam doctrinam continentes, aut hæreseos suspectos legat? Imo primus, qui simili forma usus fuit, dicitur fuisse Leo X. qui Luthero damnato simul omnes ejus libros sub pœna excommunicationis legi vetuit.

Ipsum secutus Paulus III., damnatis generaliter & excommunicatis per Bullam, quæ vocatur Bulla *Cœna Domini*, omnibus hæreticis, eadem quoque sententia involvit libros Lutheri, aut quorumvis aliorum ejusdem sectæ legentes, aut in suis domibus tenentes, imprimentes, aut quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore. Quinimo nec ulla librorum interdictio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, aut denunciatione peccati mortalis in legentes, uti hodie librorum prohibitioni adjici consuevit, apud veteres reperitur; adeo ut fateri oporteat, quod licet nota fuerit apud veteres & a multis retro seculis usurpata librorum prohibitio, forma tamen prohibitionis hodiernæ recentior sit.

§. II.

De INDICE *librorum prohibitorum: quandonam is confici cœperit; & quid in Concilio Tridentino circa illum actum sit.*

Extat in Concilio Romano anno 494. sub Gelasio I. catalogus exhibens nonnulla apocrypha & fabulosa scripta, quorum lectionem indignam judicavit Concilium; sed ut ex verbis Concilii constat, ibidem duntaxat agitur de lectione *publica* in Officio Divino; ac per consequens catalogus ibidem exhibitus dici non potest *index librorum prohibitorum*, prout hodie intelligitur, scilicet continens libros absolute etiam privatim legi prohibitos, qualis Index ante seculum proxime elapsum confectus non reperitur. Ast circa medium illius seculi cum invalescentibus Lutherana & Calviniana hæresibus plurimi ederentur etiam mentito authore, ac prælo libri, fermento hæretico infecti, & qui nec facile a Catholicis discerni possent, varii a variis Theologis confici cœperunt librorum catalogi seu Indices, in quibus notabant libros, quos vel ab hæreticis confectos, vel hæresi conspersos judicabant.

Et quidem ad instantiam Caroli V. Sacra Facultas Lovaniensis indicem confecit, librorum hæreticorum, & de hæresi suspectorum, & quorum lectionem, *pro eo saltem tempore populo haud convenire judicavit*, qui anno 1546. jussu ejusdem Cæsaris, publicatus fuit.

Item alium fusiorem & copiosiorem eadem Facultas composuit, quem adjuncto Edicto anno 1556. idem Cæsar publicavit. Hi integri una cum Cæsareis Edictis referuntur lib. 1. Edictorum Flandriæ impressionis anni 1639.

Similiter anno 1557. Romanus Pontifex Paulus IV. præcepit, ut ab iis, qui Inquisitionis officio Romæ erant præpositi, Index librorum prohibitorum conficeretur; qui anno 1559. absolutus & publicatus fuit.

Hic Index in tres classes distributus; prima classe exhibebat nomina eorum, quorum omnia opera cujuscumque argumenti, etiam profani, omnino vetantur; inter quos etiam Catholicorum quorumdam nomina occurrunt.

Secunda classe continentur libri singulatim damnati, cum alii eorumdem authorum libri non vetentur.

Tertia classis complectitur scripta quædam anonyma, adjecta clausula generali vetante libros omnes anonymos editos ab anno 1519.

Denique additur catalogus 60. Typographorum, quorum omnium libri, quos illi typis suis evulgaverunt, prohibentur, a quo-

quocumque demum authore aut idiomate prodiissent.

Similem antehac librorum prohibitionem aut Indicem a Romanis Pontificibus evulgatum fuisse haud reperitur: unde de hoc Pontifice dicere non dubitat Spondanus „ quod *primus extiterit qui universalem* per„ niciosorum librorum cujuscumque argu„ menti etiam profani, a quibuscumque „ etiam Religione Catholicis scriptoribus, „ vel etiam a suspectis Typographis, de „ quacumque arte editorum Indicem con„ texere studuerit, cum ad eum usque diem „ librorum prohibitiones tam a Pontifici„ bus quam ab Imperatoribus factæ, nun„ quam excessissent terminos *librorum hære„ ticorum*, aliive pestilentes legi prohibiti „ fuissent, nisi quorum authores etiam „ damnati extitissent. „ Hæc ille ad annum 1557. §. V. ibidem addens: „ Illud „ in hoc Indice Pauli rigidius visum quod „ pœna legentibus libros eo catalogo com„ prehensos ac prohibitos denunciata erat „ excommunicatio latæ sententiæ Pontifici „ reservata, privatio atque incapacitas quo„ rumcumque munerum ac Sacerdotiorum, „ perpetua infamia, cum aliis pœnis arbi„ trariis. Quo factum est ut Pius IV. „ Pauli successor, rigorem hunc temperans, „ totum illud librorum negotium ad Con„ cilium Tridentinum retulerit. " Hactenus Spondanus.

Quod ad Concilium Tridentinum attinet, legitur quod cum post suspensionem decem circiter annorum rursus sub Pio IV. omni suspensione sublata, ejus resumptio in sessione habita 18. Januarii anno 1562. communi Patrum assensu declarata esset, habita fuerit Congregatio 26. ejusdem mensis in qua a Præsidibus Concilii inter alia propositum fuit „ ut libri a di„ versis authoribus post hæreses natas editi „ una cum Catholicorum contra eos cen„ suris examinarentur, quo Synodus, quid „ super illis habeat decernendum, sta„ tuat. "

Super hoc articulo varias fuisse Patrum sententias ex actis Concilii constat: & quidem inter alios Archiepiscopus Granatensis „ ab ea occupatione Patres de„ hortatus fuit, quippe longissima, & „ quæ Synodum abstraheret ab altioribus „ negotiis, magisque indigentibus Ipsius „ proxima cura. "

Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Braccarensis adjecit, *posse id committi Academiis*. Plures, si Petro Suavi credimus, solus vero Petrus Contarenus, si Pallavicino, *suadebat ut nulla fieret in Indice Pauli mutatio; esse verius recentium ingeniorum intemperantiam, quam Religionis studium, velle decessorum opus reformare, non quo illa meliora redderentur, sed quo ipsi præstantiores ostentarentur*.

Generalis Augustinianorum existimabat novum ab initio Indicem construendum non esse, sed Indicem Pauli reformandum. Huic consonabat alius, Daniel Barbarus adjutor Patriarchæ Aquilejensis, monens Indicem Pauli correctione plurima indigere, cum eodem modo proscriberet opus licentiæ juvenilis, & opus hæreticæ pravitatis.

Tandem post varias super hoc negotio Patrum altercationes, plerisque consentientibus, ut aliquibus conficiendi Indicis cura demandaretur, rogatisque Patribus, ut librorum Censores designarent, communi voce Præsidibus Concilii horum electio injuncta fuit, a quibus ex Patribus 18. delecti fuerunt ad Indicem elaborandum, tradita facultate tum ipsis minores etiam Theologos adhibendi, tum reliquis suggerendi quod cuique in id conferre videretur. Vide Pallavicinum Lib. 15. Cap. 19. historiæ Concilii Trid. (& Spondanum ad an. 1562. §. 17.)

Conformiter ad hanc Patrum resolutionem formatum fuit decretum, quod sessione 18. publicatum est.

Post hunc Patrum delectum & publicatum hoc decretum; nihil de hoc negotio in Concilio amplius actum legitur, quousque jam instante Synodi conclusione quarta Decembris, quo die & finis Concilio impositus est, decretum Patribus prælectum & probatum fuit, in quo prius relatis quæ sessione 18. decreta erant, subditur „ Audiens nunc (Synodus) huic operi „ ab iis (quibus opus Indicis conficien„ di commissum fuerat) extremam ma„ num impositam esse, nec tamen ob „ librorum varietatem & multitudinem „ posse distincte & commode a S. Syno„ do

„ do dijudicari, præcipit ut quidquid ab „ illis præstitum est, Sanctissimo Romano „ Pontifici exhibeatur, & ejus judicio & „ authoritate terminetur & evulgetur. „

Duo igitur in Synodo Trid. circa Indicem Librorum acta sunt: primum cura illius conficiendi demandata fuit quibusdam delectis Patribus cum relatione ad Synodum, quo ipsa tunc commodius deliberare ac statuere posset: secundum omnium eorum, quæ a delectis illis Patribus acta erant, relatio ad Sanctissimum facta est; ut ejus judicio opus illud terminaretur & evulgaretur.

§. III.

De Indice a Pio IV. evulgato, & qua ratione hic Index, cum regulis subjectis, Tridentinus dici queat.

Pius IV. tunc Pontifex, ut decreto Concilii Trid. quo ad ipsum negotium Indicis relatum fuerat, satisfaceret, postquam Indicem sibi oblatum *doctissimis quibusdam probatissimisque Prælatis* (verba sunt Pontificis) *accuratissime legendum examinandumque tradidisset*, ipseque etiam legisset, ipsum Indicem una cum Regulis ei præpositis, authoritate Apostolica approbavit per Bullam, quæ incipit *Dominici gregis*, editam 24. Martii anno 1564.

In hoc Indice unaquæque Alphabeti littera tres classes habet. In prima non tam libri quam librorum scriptores continentur, qui vel hæretici, vel de hæresi suspecti fuerunt. In secundam referuntur libri, qui ob *doctrinam non sanam vel suspectam, aut quæ offensionem etiam in moribus* (tantum) *fidelibus adferre potest*, *rejiciuntur; etiamsi authores, a quibus prodiere, ab Ecclesia nunquam desciverint.* Tertia *eos libros complectitur, qui sine scriptoris nomine exierunt in vulgus, & doctrinam continent, quam Ecclesia Romana tanquam fidei Catholicæ, aut morum integritati contrariam refutandam ac repellendam esse decernit: non enim omnes libros, qui nomen authoris non præferunt, damnandos esse putarunt; quandoquidem sæpe viros doctos quidem ac sanctos novimus, ut Respublica quidem Christiana ex eorum vigiliis fructum caperet, ipsi vero inanem gloriam evitarent, libros optimos sine nomine edidisse.* Hæc ex præfatione Patris Francisci Foretii Ord. Præd. Tridentinæ deputationis ad confectionem Indicis Secretarii.

In fine Regularum Indici præfixarum pœna in contravenientes decernitur, ut *si quis libros hæreticorum, vel cujusvis authoris scripta ob hæreseos vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, aut habuerit, statim excommunicationis sententiam incurrat: qui vero libros alio nomine interdictos legerit vel habuerit, præter mortalis peccati reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.*

Hæ sunt pœnæ, ad quas fit allusio, dum in hodierna prohibitione librorum dici solet, *sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis*; sed cum diversa sit pœna pro diversitate librorum prohibitorum, nec soleat hodie exprimi quo ex capite libri prohibeantur, patet quod incerta sit pœna, quam legentes incurrere possunt legendo libros prohibitos.

Cum hic Index authoritate Pii IV. una cum præpositis regulis, tribus & amplius mensibus demum post dissolutum Concilium probatus & publicatus fuerit, quæritur qua ratione vulgo dicatur *Tridentinus?*

R. Certum in primis est Tridentinum dici non posse, quasi a Synodo Tridentina compositus aut probatus fuerit; quandoquidem constet Concilium Tridentinum nullum Indicem composuisse, sed tantum delectis quibusdam Patribus curam illius demandasse, idque cum relatione ad Synodum, ut facta relatione, ipsa demum commodius deliberare ac statuere posset.. Constat quoque Patres Tridentinos nunquam probasse opus a delectis Patribus exaratum; quia ut ex his decreti verbis, *Audiens nunc Synodus*, &c. intelligitur quod demum in ipso fine Synodi Patribus innotuerit huic operi ab eis ultimam manum impositam esse, ac præterea fatentur illud a sancta Synodo dijudicari non potuisse, adeoque si dijudicari non potuerit, ergo nec approbari.

Sed dicit author P. Harney Dominicanus libelli Flandrici de lectione Scripturæ Sacræ in lingua vulgari. Lib. 1. Cap. 2. „ in Præfatione ad appendicem Indicis

„ Tridentini, cujus conficiendi curam Dux „ Albanus authoritate Regis Catholici com„ miserat *certis delectis gravissimis & do„ ctissimis viris* (verba sunt Præfationis) „ *Episcopis, Inquisitoribus generalibus, De„ canis & Doctoribus*, quamque ipse Dux „ anno 1569. Bruxellis publicavit; in hac „ inquam Præfatione dicitur : A Sacro„ Sancto Tridentino Concilio singulari dili„ gentia, summa æquitate composito Ca„ talogo ex tredecim selectissimorum Epi„ scoporum judicio; eodemque omnium „ deinde Patrum sententia & Summi Pon„ tificis authoritate comprobato. „

„ Non ergo duntaxat, inquit prædictus „ Author, a delectis Patribus catalogus „ comprobatus fuit, sed omnium etiam „ Patrum Tridentinorum sententia com„ probatus. „

Notandum in primis hanc præfationem nequaquam adscribendam esse authoribus Appendicis, sed ab aliquo privato exaratam fuisse, ipsique appendici præfixam, quod vel ex solo elogio, quod authoribus appendicis tribuitur fat manifestum est.

Quisquis igitur prædictæ præfationis author extiterit, manifeste Patribus Tridentinis contradicit, dum asserit omnium ipsorum sententia catalogum a delectis Patribus confectum, fuisse comprobatum; quandoquidem ipsi edito decreto expresse declarent opus a delectis Patribus exaratum a Synodo, non potuisse dijudicari; ideoque velit ut quidquid ab illis præstitum est *Romano Pontifici exhibeatur* &c. Si dijudicari a Synodo non potuit, quomodo comprobari?

Sed ulterius instat dictus libelli Author Cap. 3. „ Verum quidem est Concilium „ declarasse quod non potuerit distincte & „ commode de opere illo dijudicare ob li„ brorum varietatem & multitudinem; sed „ cum hoc bene consistit, (inquit) quod „ de ipso opere Indicis secundum se & „ etiam de regulis ipsi præfixis dijudicare „ potuerit; adeoque & hac ratione catalo„ gum comprobasse dicatur. „

Sed unde hanc distinctionem sive exceptionem hausit Author ille? Nonne in ipso decreto absolute & simpliciter declarat Synodus, quod ne opere cui a delectis Patribus ultima manus dicebatur imposita, dijudicare non potuerit, ideoque præcipiat non aliquid duntaxat, sed quidquid ab illis præstitum est, Romano Pontifici exhibeatur?

Deinde si quæ decreta a Patribus in sessione comprobanda erant, juxta modum in Concilio Tridentino observatum, illæ prius in Congregatione Patribus examinanda ac discutienda proponi solebant: in qua vero Congregatione hic catalogus cum regulis præpositis Patribus examinandus ac discutiendus propositus legitur?

Deinde quo tempore hæc Indicis & regularum comprobatio facta dicetur? Forsan in sessione ultima seu illius continuatione, habita quarta Decembris? Sed si hic contigerit, cur inter sessionis hujus decreta comprobatio illa non refertur? Quomodo factum, ut ne quidem in actis illius sessionis [quæ singulatim ac ordine a Pallavicino Lib. 24. Cap. 8. recitantur] verbum occurrat, quo vel innuatur Indicem aut Regulas Patribus fuisse propositas, ac postmodum omnium ipsorum sententia comprobatas?

Denique si quis expendat tum decreta, quæ in hac continuatione sessionis Patribus fuere prælecta, & ab iis nec tamen sine aliqua altercatione comprobata, tum reliqua istius sessionis acta, a Pallavicino ibidem relata, facile intelliget omni plane veri specie destitui, quod in hac continuatione sessionis hujusmodi comprobatio prævia discussione [quæ etiam sola plurium sessionum tempus requisivisset] a Patribus fieri potuerit, præsertim quia, ut ibidem notat Pallavicinus, eodem die primo mane adhuc habitus fuerat conventus fere generalis, in quo Patribus prælectum fuit decretum de Indulgentiis, ac propterea itum serius est ad sessionem absolvendam vel continuandam.

Ut igitur verbo dicam, *Index* hic dici potest *Tridentinus* non quod a Synodo confectus vel probatus fuerit, sed quia Synodus quibusdam Patribus Indicis conficiendi curam commisit cum relatione ad Synodum. 2. Quia hi delecti Patres etiam durante Concilio, huic operi ultimam manum apposuerant, aut saltem, ut loquitur Clemens VIII. in Bulla *Sacro-Sanctum*, *in negotio illo non parum erant progressi*. 3. Quia authoritate Synodi, quidquid a Patribus confectum erat, ad Romanum Pontificem relatum

latum fuit, ut ejus judicio & authoritate terminaretur & evulgaretur; & hoc titulo quadam ratione dici potest, *Index* jussu Concilii Tridentini confectus.

Quod ad *Regulas* attinet, illæ non iisdem rationibus, quibus *Index* Synodo Tridentinæ adscribi possunt: quia Indicis conficiendi cura a Synodo Patribus delectis data legitur: ast commissio dictas Regulas conficiendi nullibi reperitur a Synodo facta. Sive enim articulum in Congregatione 26. Januarii 1563. propositum spectemus, sive altercationes & varias Patrum sententias super proposito articulo, sive decretum ex Patrum deliberatione, sessione 18. promulgatum, deprehendetur unice de librorum prohibitorum Indice a Patribus delectis præformando actum fuisse.

Id & ipse Pater Forrerius in præfatione ad has regulas sat manifeste indicavit: cum enim narrasset quod Synodus Tridentina censuisset ut Patres aliquot ex omnibus fere Nationibus delecti de librorum censuris [quod ad Indicem spectat] diligenter cogitarent, tum quæ delecti illi Patres inter se deliberarint, subjungit, & inter cætera dicit „ quod delecti illi „ Patres adverterent in Indice Pauli esse „ nonnulla parum explicate posita, quæ „ interpretatione indigerent, re multum „ diuque deliberationibus agitata, ac viris „ etiam ex omni natione Theologicæ Fa„ cultatis scientissimis in consilium adhibi„ tis, subjectas regulas componendas judi„ carunt. „ Hactenus Forrerius: Quibus satis innuitur consilium de componendis dictis regulis primum incidisse Patribus illis delectis, cum a Synodo solum delecti essent ut de librorum censuris cogitarent.

Index itaque *Tridentinus* dici potest, quia cura de Indice conficiendo & edendo a Synodo data fuit; regulæ vero eo titulo Synodo attribui nequeunt, sed hoc solo titulo quod a Patribus ad Indicem conficiendum deputatis propositæ fuerint. Hanc distinctionem advertisse videtur S. Carolus; nam de *Indice* loquens in V. suo Concilio Provinciali, dicit, librorum prohibitorum Indicem Jussu Concilii Tridentini confectum &c. de regulis vero in prima sua Synodo, ait: *regulas Indicis de libris vetitis ab iis, qui illi negotio a Sacro-Sancta Tridentina Synodo præfecti fuerunt, ex authoritate Sanctissimi Domini nostri Pii IV. editas* &c.

§. IV.

Quandonam instituta sit Congregatio Indicis librorum, & quem in finem & quibus personis constet.

Congregatio Inquisitionis sive S. Officii, de qua capite primo actum est, licet ut ex verbis erectionis patet, primario instituta fuerit ut adversus hæreticos aut de hæresi suspectos procederet, cœpit tamen & ipsa paulatim invigilare super prohibitione ac extirpatione librorum, qui sanam doctrinam non continerent. Cum autem, ait Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ discursu 19. N. 16. malo crescente, dictaque Congregatione in gravioribus actualibus negotiis fidei magis occupata, ista materia revisionis ac prohibitionis librorum forsan non adeo diligenter & accurate ageretur, Sixtus V. in sæpius enunciata multarum Congregationum erectione, hanc quoque *Indicis librorum* tanquam dictæ Congregationis S. Officii in hac parte vicariam seu adjutricem erexit Constitutione 74. (alias 44.)

Hujus Congregationis Cardinalibus injunxit Pius V. ut libros *qui post Indicem Concilii Tridentini jussu editum prodierunt, Catholicæ doctrinæ Christianorumque morum disciplinæ repugnantes expendant & recognoscant; ac ubi nobis retulerint*, ait, *nostra authoritate rejiciant; hominum vero injuria ac dolo depravatos emendent: eos libros qui paucis erroribus rejectis, alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi atque corrigendi modum ineant, Indicesque expurgatorios conficiant.*

Hinc duo consectaria: primum Pontificis intentionem nequaquam fuisse, ut ob quælibet durius dicta, aut male expressa, imo nec ob quoslibet errores mox libros alioquin studiosis utiles, esse prohibendos; & e manibus studiosorum absolute tollendos. Et sane ut recte notat Cardinalis de Luca dicto loco N. 15. *id apud omnes commendabile reputatur, ut quo magis fieri potest*, PARCE & CIRCUMSPECTE *in hac*

hac prohibitione procedatur; ne facilitas vel FREQUENTIA *vilipendium causet, aliaque producat inconvenientia.*

2. Ex prædictis verbis consectarium est non minus esse expendendos, corrigendos, & proscribendos libros Christianorum morum disciplinæ quam Catholicæ doctrinæ repugnantes: nec immerito; cum nonnunquam nocentiores sint libri, qui Christianorum morum disciplinæ relaxationem quam dogmatum errorem continent.

Congregationem hanc præcipue constituunt Cardinales in majori vel minori numero pro beneplacito Pontificis assumpti: insuper habet hæc Congregatio Secretarium ex Ordine S. Dominici, ac etiam ex eodem Ordine in primarium & firmum Consultorem Magistrum S. Palatii. Ulterius habet magnum numerum, Theologiæ aliarumque Litterarum Professorum, *qui* [ait Cardinalis de Luca loco citato N. 17.] *frequentius omnes vel pro majori parte sunt Religiosi diversarum Religionum sub nomine seu vocabulo* CONSULTORUM.

§. V.

Quomodo hæc Congregatio procedat & quibus potissimum adscribenda Congregationis decreta.

Congregatio hæc statutum diem non habet; sed pro negotiorum numero vel urgentia aliquibus anni temporibus haberi solet. Secretarius librum, de quo suspicio habetur, Congregationi proponit; refertque summarie de qua materia tractet: qua facta relatione nominatur a Congregatione unus alterve Consultor, cui librum Secretarius distribuat, ut illum legat & examinet in ordine ut referat judicium suum de doctrina in libro contenta coram Cardinalibus & reliquis Consultoribus in sequenti Congregatione.

Huic Congregationi nunquam assistit Pontifex sed soli Cardinales præsentes voto decisivo gaudent, & ex pluralitate ipsorum suffragiorum concluditur. Verum licet soli Cardinales habeant votum decisivum, ipsi tamen per se librum legere aut examinare non solent, uti nec Consultores; iis duntaxat exceptis, quibus cura examinis specialiter demandata fuit: quare consueverunt Cardinales se conformare relationi Commissariorum, eorumque judicio: adeo ut si hi librum prohibendum aut suspendendum judicent, soleat pro prohibitione aut suspensione concludi; si tamen e Cardinalibus aut Consultoribus aliqui judicio Commissariorum contradicant, tum interdum unus alterve Commissarius de novo deputatur, qui si idem cum prioribus judicium ferat, tunc absolute concluditur.

Hinc non difficulter intelligitur, quantum intersit, quis in hoc negotio constituatur Commissarius, cum omnibus notissimum sit, quam facile fieri possit, ut quis referendo summarie doctrinam alicujus libri coram iis, qui librum nec examinaverunt nec legerunt, pro suo vel in doctrinam, vel authorem libri vario affectu, imprimat audientibus ideam de doctrina in libro contenta, plane diversam ab ea, quam illi formarent, si librum illum integre legissent & attente examinassent.

Decreta hujus Congregationis eduntur sub nomine solorum Cardinalium ad Indicem librorum a Sancta Sede specialiter deputatorum, nulla Pontificis facta mentione; quia ut jam dictum fuit, ex sola pluralitate suffragiorum Cardinalium, Pontifice non assistente, decreta hujus Congregationis formantur. Verum quidem est decreta jam concepta & formata, priusquam imprimantur & publicentur, per Secretarium Congregationis Pontifici præsentari; sed quia Pontifex nec librum legit, nec Commissariorum, qui illum examinarunt, relationem vel suffragia audit, sed decreto jam formato simpliciter duntaxat annuit; solius Congregationis decreta reputantur, ideoque & solo ejus nomine publicantur.

Denique si ea, quæ hactenus dicta sunt, conferantur cum iis quæ Cap. 1. §. V. notata fuerunt, haud difficulter colligi poterit, quibus hujus Congregationis decreta potissimum sint adscribenda.

§. VI.

Per erectionem hujus Congregationis adempta non est potestas proscribendi libros iis, quibus prius competebat.

Ex plurimis quæ quotidie emanant super interdictione librorum decretis, manifestum est, quod notavit Cardinalis de Luca, loco supra citato, quod Sixtus V. hanc Congregationem tanquam Congregationis S. Officii in hac parte Vicariam & adjutricem erexit, eadem primæva potestate penes ipsam matrem adhuc remanente, quandoquidem inter illa decreta varia sint a Congregatione S. Officii tum feria IV. tum feria V. celebrata, emanantia: quinimo non semel contingit librum prius per hanc Indicis Congregationem prohibitum, ut major libri illius interdictioni authoritas accedat, rursus a Congregatione S. Officii proscribi.

Ulterius sicut erecta hac Congregatione salva mansit Congregationi S. Officii sua in omnibus authoritas, ita pariter erectis Congregationibus quibuscumque, ubique & in omnibus Pontifici illæsa & absoluta remanet sua authoritas; quare Pontifex nulla interveniente Congregatione suo motu proprio, libros quos perniciosos judicat, proscribere potest & quandoque prohibet; imo interdum ut majorem det prohibitioni libri authoritatem, liber prius, non tantum per Congregationem Indicis, sed & S. Officii proscriptus, ulterius per specialem Bullam motu proprio, ex certa scientia & matura deliberatione a Pontifice proscribitur, ut videre licet in decreto Innocentii XI. adversus librum Amadei Guimenii edito 16. Septembris anno 1680. (a).

Episcopis quoque, uti & fidei Inquisitoribus salvam esse in suis respective districtibus libros proscribendi, suspendendi ac corrigendi authoritatem, quotidiana experientia nimis quam manifestum est: imo tantum abest ut Inquisitio Hispanica credat per erectionem hujus Congregationis in hac parte læsam esse suam potestatem, ut si fides sit F. *Salgado* in Regali Cancellaria Vallisoletana Senatori, nequidem permittat in *Regnis* Hispaniæ *nec in Sicilia expurgationem & prohibitionem, emanatam a Congregatione de Indice Romæ existente, publicari, nisi prius per Consilium ipsum supremum Sacræ Inquisitionis Hispaniæ illi libri prohibiti & expurgati noviter & accurate examinentur, & expurgentur: ita ut si quid prohibitionis vel expurgationis dignum reperiat sub censura duntaxat sua, non attenta quæ a Congregatione de Indice emittitur, publicantur. Super quo plurima exemplaria præ manibus habui ex Registris hujus supremi Consilii, quæ facile potuissem hic inserere, nisi defessus calamus tam ingentem laborem recusaret*. Hæc Salgado in supplicatione ad Sanctissimum Parte 2. Cap. 33. Num. 145.

Ipsis quoque Academiis hanc manere facultatem, praxis etiam in hac nostra Academia ostendit. Sed & Sixtus V. in ipsa erectione hujus Congregationis Cardinalibus injunxit, ut Universitatum studia & sigillatim Lovaniensis ad librorum expurgationem & correctionem excitent, earumque diligentem operam & industriam requirant.

Et sane optandum esset ut Academiarum Doctores operam suam & industriam singulariter impenderent ad expurgationem & correctionem librorum, præsertim illorum, qui juventutis manibus passim teruntur, & e quibus prima scientiæ principia hauriunt, & non raro perniciosis & ad morum ac disciplinæ relaxationem impellentibus principiis sunt referti: vel si otium non suppetat eos corrigendi vel expurgandi saltem, ut minus, frequentius juventutem sibi commissam de illis principiis in libris illis contentis monerent.

CA-

(a) Hic Liber 5. April. 1666. a Congregatione Indicis, & rursus 12. Septembris 1675. a Congregatione Inquisitionis prohibitus fuerat.

CAPUT QUARTUM.

An Decreta Congregationum Romæ publicata omnes ubique obligent (a).

§. I.

Sola Promulgatio Romæ facta non est idonea ut vi illius omnes ubique fideles convenientem legis notitiam accipiant : atque eo titulo insufficiens ut vi istius lex apud omnes ubique fideles virtutem obligandi obtineat.

Legem positivam, sive civilem sive Ecclesiasticam, non habere vim obligandi nisi rite & debite sit promulgata, apud omnes est expeditum. Hinc communiter cum D. Thoma lex definitur: *quædam rationis ordinatio ob bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*. Rationem, ob quam lex humana virtutem obligandi ante promulgationem non assequatur, allegat idem Doctor: *quia lex*, inquit, *imponitur aliis per modum regulæ & mensuræ; regula autem & mensura imponitur per hoc quod applicetur his, qui regulantur & mensurantur; unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum illam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in eorum notitiam deducitur ex ipsa promulgatione*: hactenus S. Thom. 1. 2. quæst. 90. a. 4. in C.

Ut ergo lex vim obligandi obtineat, necessaria est, ex mente S. Thomæ, talis promulgatio, vi cujus lex applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent; nimirum per hoc quod deducatur in eorum notitiam ex ipsa promulgatione, sive virtute ipsius promulgationis.

Hinc ulterius sequitur, eam requiri promulgationem, quæ sive locum, sive tempus, aliasve spectes circumstantias, ejusmodi sit ut ex ipsa promulgatione homines, aut major saltem pars eorum, qui secundum eam regulari debent, convenientem notitiam legis accipere queant : ita quidem, ut qui post factam talem promulgationem legem ignorarent, merito reputari deberent laborare ignorantia crassa & culpabili.

Si quis igitur expendat distantiam loci urbis Romæ a reliquis Christiani orbis partibus, V. G. Belgio, facile intelliget promulgationem Romæ factam esse inidoneam, ut vi illius lex applicari possit Belgis, qui secundum eam regulari deberent, per hoc quod deducatur in eorum notitiam ex ipsa promulgatione.

Et ut supponeremus tractu temporis aliquos in Belgio per similem promulgationem notitiam legis accipere, id potius ex accidenti quam vi ejusmodi promulgationis accideret. Deinde plerumque notitia illa non nisi vaga & incerta erit, ex aliquorum privatorum relatione accepta. Denique ordinarie pauci hanc notitiam accipiunt, majore communitatis parte eam ignorante. Fatentur autem tum Theologi tum Canonistæ, legem non obligare dum major pars communitatis convenientem legis notitiam non habet : præsertim quando ignorantia illa dici nequit affectata & crassa. Quis vero dicat Belgarum esse affectatam & crassam ignorantiam, qua ignorant ea, quæ in urbe Roma aguntur; nec aliunde per legitimos Superiores, quos audire & quibus credere debeant, ad eorum notitiam deducuntur?

§. II.

Ratio Hierarchiæ Ecclesiasticæ requirit ut leges ordine Hierarchico subditis intimentur (b).

Cum leges sint quædam regulæ a Superioribus præscriptæ, secundum quas subditi actiones suas dirigere debent, ratio ipsa insinuat leges populo immediate proponendas ab iis, a quibus juxta ordinem Hie-

(a) Confer cum Tract. de Promulg. C. I. To. IX. hujus edit. Neap. p. 217.

(b) Vide Tract. de Promulg. Legum, Cap. II. §. 3. eod. To. IX. p. 223.

Hierarchicum vivendi & credendi præceptis immediate instituendus est.

Cum igitur ordo Hierarchicus requirat, ut a Superioribus V. G. Episcopis, instruantur medii, V. G. Parochi, & a mediis infimi; ita quoque idem ordo exigit ut leges Ecclesiasticæ, eodem ordine servato, primum quidem Episcopis; ab illis deinde inferioribus Sacerdotibus, ac denique ab his populo intimentur; ut ita eodem ordine de legibus populus instruatur, quo de reliquis vivendi & credendi præceptis instituitur.

Hanc in promulgandis legibus Pontificiis normam adeo conformem ordini Hierarchico credit author anonymus Charlas Tractatu *de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, pro Curia Romana, contra articulos Cleri Gallicani, ut *si alia via perferantur, in suspicionem merito veniant; nec satis sit, ut fidelibus quoquomodo innotescant, nisi consueto more promulgentur; si nempe potuerit solitus ordo commode servari.* Lib. 2. Cap. 3. Num. 10.

Ad hæc, ut ibidem advertit dictus Author, *solemne est Ecclesiæ, ut in gubernandis fidelibus Divinum lumen imitetur, nec solum attingat a fine usque ad finem fortiter, sed etiam disponat omnia suaviter. Itaque omnia ita ponderat, ut consensum & obedientiam potius obtineat, quam extorqueat, suadeat quam præcipiat, amore alliciat, quam timore impellat.*

Quis porro convenientior suaviorque modus obtinendi consensum ac obedientiam populi, imo & persuadendi ut legibus reverentiam adhibeat, quam si eas a propriis suis Pastoribus, quibus animarum suarum directionem & salutis curam concreditam novit, intelligat probari, & tamquam sibi ac Reipublicæ Christianæ congruentes proponi & suaderi? Persuasum enim esse solet populo quod iis, qui illorum curæ & directioni immediate intendunt, melius innotescat quæ leges sibi hoc tempore, & in his circumstantiis conveniant, quam iis qui universali Ecclesiæ intendentes sæpenumero nullam aut exiguam particularium Provinciarum aut populorum notitiam habent.

§. III.

Quia Pontifices per falsas informationes circumveniri possunt; & particulares locorum consuetudines & jura ignorare, conveniens est ut eorum leges ordine Hierarchico populo intimentur.

Romanum Pontificem per falsas informationes circumveniri posse nemo dubitat; ipsique Pontifices libenter agnoscunt. Unde jam pridem ad Archiepiscopum Ravennatensem scripsit Alexander III. quod si aliqua ad eum dirigerentur, quæ animum ejus exasperare viderentur, turbari non debeat; *quia*, ait, *patienter sustinebimus si non feceris quod prava nobis fuerit informatione suggestum.* Cap. 5. *extra*, *de Rescriptis*.

Cui consonat illud D. Bernardi: „ hoc „ solet habere præcipuum Apostolica Se„ des, ut non pigeat revocare quod a se „ forte deprehenderit fraude elicitum non „ veritate promeritum. Epist. 180.„ *Lumen quippe illud Sancti Spiritus, quod Summo Pontifici adest*, verba sunt dicti Anonymi loco citato n. 5. *cum explicanda sint fidei mysteria & tradenda morum præcepta, non perpetuo illi hypocritarum fraudes, Aulicorum adulationes improborum mendacia detegit; non adversus ambitiosorum importunitatem, magna tum preces, suspecta Officialium consilia immotos servat. Quid si (quod tamen sine gravi fundamento cogitare nefas est) aliquo ulciscendi injurias, congregandarum divitiarum, augendæ familiæ, aliove pravo affectu impelleretur ad præcipiendum aliquid suæ potestatis limites transcendent, aut justitiæ repugnans? nec enim altitudo & sanctitas solii sanctum facit & a peccato securum. Num si quid ejusmodi contingeret ab exequendo mandato non liceret abstinere? Quod autem in mandatis singularibus, etiam in communibus legibus liceret; quamvis longe difficilius legibus desit justitia quam præceptis particularibus.* Hæc ille; quæ omnino consonant iis, quæ de se & prædecessoribus suis dixit Clemens V. in Extravaganti 2. *de Præbendis*, in communibus.

Hoc proinde titulo rursus ostenditur rationi plane esse conforme, ut promulgatio legis ordine Hierarchico observato fiat: eo quippe pacto fiet ut si quid per sub vel obre-

obreptionem aliave ratione contra intentionem legislatoris in legem irrepserit, illius executionem inferiores Prælati sistere poterunt: atque ita incommoda, quæ ex legis illius promulgatione provenirent, impedire.

Ulterius, cum mille sint hominum species, & infinita propemodum morum varietas, varia Regnorum ac Provinciarum jura & consuetudines, Principum & populorum privilegia (quorum omnium se notitiam non habere ingenue fatentur Pontifices, Cap. 1. *de Constit.* in sexto.) difficile sane est legem generalem Provinciis omnibus & populis convenire; & non interdum impingere in publica commoda: cui rei vix aliter occurri potest quam si de his, quæ incidunt, admoneant legislatorem ii, quibus promulgandi provincia incumbit, qui deinde legem temperet, uti e re esse adverterit.

§. IV.

Justa inveteratam Belgii consuetudinem Diplomata Romana sine consensu Regis publicari non possunt.

Una e receptissimis Belgii & omnium pene, extra Italiam, Provinciarum consuetudinibus hæc est: quod Rescripta, Brevia, Bullæ, aut alia Diplomata Romana, non ante promulgari aut executioni mandari sinantur in his Provinciis, quam recognita, discussa & probata sint eorum calculo qui jurisdictione vice-Regia per Provincias præsunt: quam approbationem hic litteras *Placeti*, vel *Placet* vocamus.

Hujus consuetudinis Belgicæ mentio occurrit in vetustissimis Principum nostrorum Edictis, ut, E. G. in Edicto *Philippi* cognomento *boni*, Ducis Burgundiæ 3. Januarii anni 1447. Item *Philippi* Archiducis Austriæ, 30. Maii anni 1497.

Scio quidem nonnullos cum Zypæo, in jure novo, tit. de *Constitutionibus* prætendere, hæc Principum Edicta solum spectare Rescripta Pontificalia; sed ut daremus Edictorum verba hanc restrictionem pati posse, illam tamen omnino excludit perpetuus usus, non uno, sed pluribus sæculis continuata serie custoditus optimus legum interpres, quem Monumenta & Regesta Parlamentorum Belgii ostendunt: referta scilicet Rescriptis, Provisionibus, Mandatis, Bullis a Romana Curia profectis, cujuscumque argumenti, quæ Placito & consensu Principis muniri curarunt hi quorum intererat; mulctatis subinde iis, qui neglexerant, & Rescriptis ipsis irritis declaratis.

Conformiter ad hunc inveteratum usum Philippus II. Hispaniarum Rex, an. 1574. pragmaticam sanctionem edidit, misitque ad Regia Parlamenta, qua diserte vetuit, ne quis ullius argumenti Bullas aut Diplomata ex urbe Roma, aut a Legatis Pontificiis profecta, per Belgium executioni mandare ausit, nisi litteris Placeti prius comprobata fuerint vel sanctiori Consistorio, vel in Brabantiæ Consilio; idque sub pœna excidendi effectu dictarum Bullarum & Provisionum; & exilii ex his Provinciis, atque exemplaris correctionis.

Quare qui Belgii jura & consuetudines describunt, hanc quoque ut notissimam annotant. Pontifex, ait Ludovicus Guicciardinus in descriptione generali Belgii pag. 85., *nec beneficium ullum aut gratiam potest conferre* (in Belgio) *nec expedire in hanc terram Diplomata, aut quid aliud tale quod effectum sortiatur, absque Principis quidem aut Consiliorum ejus Placito atque consensu.*

Et sane quandoquidem, ut §. præcedenti notatum fuit, Summus Pontifex nonnunquam per sub vel obreptionem aliove modo circumveniri aut induci possit, ut quidpiam decernat aut edicat, quod populo aut Reipublicæ minus conveniat; aut interdum legem generalem promulgare, quæ particularia jura aut consuetudines Patriæ, quæ ipse Pontifex ignorare potest, violaret non sine gravi incommodo, sui officii esse autumant Reges & Principes, ut per se aut suos Ministros, salva omni erga Sedem Apostolicam & Romanum Pontificem reverentia & submissione, cognoscere possint, an ea quæ e Romana Curia emanant Diplomata, nihil adversus Regni Statum, Privilegia, inveteratas consuetudines aut quietem publicam contineant; & si quid ejusmodi invenerint, publicationem eo usque suspendant quoadusque Romanus Pon-

Pontifex de tota re melius fuerit informatus. Hoc usu, sive jure, solide stabilito, præsumendum est quod Ecclesia nolit obligare filios suos ad legum suarum observantiam, nisi juxta usum & recepta Patriæ jura fuerint promulgatæ. Ut enim recte advertit sæpe citatus author Anonymus, Ecclesia ad imitationem sui Magistri, non solum fortiter, sed etiam suaviter volens regere filios suos in legibus promulgandis, *honoris Principibus debiti meminit, illorum jura illæsa servat, ordinem & dignitatem Episcoporum veneratur, populorum studia & usus attendit*. Loco citato, Cap. 3. N. 5.

§. V.

Probatur per exempla Belgas non credere leges Ecclesiasticas obligare, nisi juxta morem Patriæ ipsis fuerint intimatæ.

Absoluto Concilio Tridentino 4. Decembris, anni 1563. Pius IV. Pontifex omnia illius Acta & Decreta confirmavit per Bullam Romæ editam & publicatam 26. Januarii anni sequentis, & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda & servanda esse decrevit; præcipiens universis Ecclesiæ Prælatis, quacumque dignitate fulgentibus: *in virtute St. obedientiæ, & sub pœnis a S. Canonibus constitutis, aliisque gravioribus, etiam privationis; ut eadem Decreta & statuta in Ecclesiis suis, civitatibus & Diœcesibus in judicio & extra judicium diligenter observent, & a subditis quisque suis, ad quos quomodolibet pertinet, inviolabiliter faciant observari*.

Hanc Bullam secuta est altera ejusdem Pontificis Constitutio, quæ incipit: *sicut ad sacrorum*, publicata Romæ 20. Julii ejusdem anni, qua declarat *Decreta omnia* (*Concilii Tridentini*) *ad Reformationem, jusque positivum duntaxat spectantia, a Calendis Maii proxime præteriti, omnes obligare cœpisse; neque post eam diem excusationem cujusquam, quod ea ignoraverit, admittendam. Atque ita*, ait, *Apostolica authoritate declaramus & definimus, & ab omnibus judicari debere mandamus & statuimus; decernentes irritum & inane si quid secus a quoquam, quacumque dignitate, authoritate & potestate prædito, contigerit judicari*.

Quid hic Belgæ? An per hanc promulgationem seu publicationem crediderint se Decretis Concilii constrictos? nequaquam. Nam cum ad Cameracensem Archiepiscopum scripsisset Belgii Gubernatrix *Margareta Parmensis*, sub initium anni 1564. ut expenderet Concilii Tridentini Decreta, suamque de modo exequendi sententiam rescriberet, respondit ipse 23. Julii ejusdem anni: *Re communicata cum Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ, & adhibitis in consilium Theologis & Canonum peritis, celebrationem Synodi Provincialis super receptione Concilii & publicatione Decretorum, per singulas Ecclesiarum Parochias, esse modos juri consentaneos, & antehac in simili usitatos; sed magnis difficultatibus fore implicitos, nisi Regia authoritate Decreta Concilii prius probentur.* (*a*)

Nullatenus ergo credidit Archiepiscopus Cameracensis, nec cæteri quos in consilium adhibuit, per ea quæ Tridenti vel Romæ gesta erant Belgas Decretis Concilii Tridentini constringi; quamdiu in his Provinciis modo usitato, per singulas Ecclesiarum Parochias per Pastores Fidelibus non essent intimata.

Post hæc eodem anno Belgii Gubernatrix per litteras mandavit singularum Provinciarum Regiis Consiliis, ut examinarent Decreta dicti Concilii; ipsamque monerent de iis quæ sibi ex officio pro observantia dictorum Decretorum incumberent; etiam in cunctis quæ concernunt Reformationem; omissis tamen illis quæ doctrinam spectant: utpote quæ non debent ulterius discuti & examinari. Insuper ut attenderent ad præeminentiam suæ Majestatis, simul & Ecclesiæ. Item ad Privilegia & consuetudines singularum Provinciarum.

Nequaquam ergo credidit Gubernatrix, ob solam Romæ factam promulgationem & publicationem, Decreta Reformationis Concilii Tridentini Belgas indistincte obligare, eaque, sine exceptione, absolute recipienda fore.

Regia Consilia, receptis his Gubernatricis litteris, Decreta Concilii examinanda & expendenda aliquibus de corpore suo com-

(*a*) Vide *Commentarium in jus novissimum*. T. IX. operum Espenii, hujus edit. Neap. p. 291. & seq.

commiserunt; & , examine facto, singula Concilia varia annotarunt, quæ vel jura Regalia, vel antiqua Privilegia & consuetudines Provinciarum convellere videbantur; eaque omnia in litteris Responsoriis ad Gubernatricem expresserunt.

Quibus litteris receptis Gubernatrix omnia ad Regem retulit; cujus postmodum cognita voluntate tandem deliberationibus finis impositus fuit, & Gubernatrix, nomine Regis, publicationem Concilii simpliciter quidem fieri præcepit, nullis Concilii capitibus in ipso Edicto publicationis nominatim exceptis, sed mandatis suis, tum ad Archiepiscopum Cameracensem, tum ad Provinciarum Magistratus datis mense Julio anno 1565. expresse adjecit, mentem Regis esse *ne promulgatione ista, licet illimitata, quid mutetur aut innovetur circa Regalia jura, Privilegia sua Majestatis aut suorum Vasallorum, statuum, aut subjectorum; & speciatim circa jurisdictionem laicalem, jus Patronatus, Indultum seu jus nominationum, cognitionem causarum, & materia possessoria Beneficiorum, Decimarum possessarum aut prætensarum per laicos, superintendentiam & administrationem Hospitalium aliorumque piorum locorum. Non,* inquit, *ad contraveniendum dicto Concilio, sed ut executio accomodetur natura cujusque Provinciæ.*

His pene comprehendebantur omnia, quæ Regia Parlamenta annotarant. Unde *Bertrandus Loth* relatis annotationibus factis per Consilium Arthesiæ, addit: *Concilium Tridentinum quoad dicta puncta non fuit receptum in Arthesia.* (a)

Hinc patet nec Clerum, nec Regios Ministros, nec populum Belgii existimasse per solam publicationem Romæ etiam iterato factam, Decreta Concilii de Reformatione virtutem obligandi in Belgio accepisse.

Quid hæc nostra Academia de obligatione Decretorum Concilii Tridentini senserit, produnt Acta; in quibus quid circa publicationem Concilii Tridentini contigerit, refertur.

Anno 1567. mensis Octobris 30. hora tertia post meridiem fuit indicta deputatio in magno numero in loco Capitulari Ecclesiæ D. Petri Lovaniensis, in qua D. Rector narravit quomodo alias (29. mensis Octobris anni 1565.) Universitas conclusisset Concilium Tridentinum esse publicandum in hac Universitate, diemque & modum publicandi per Dominos ab Universitate deputatos fuisse die 3. Decembris anno eodem statutum. Deinde supervenisse Facultatem Artium, quæ die 11. Decembris ex tunc sequenti porrexit Domino Rectori & DD. Deputatis supplicationem, qua in effectu petebat, publicationem dicti Concilii differri, donec ipsa super nonnullis dubiis circa Privilegia nominationis Declarationem Summi Pontificis obtinuisset; atque ob id toto jam triennio fuisse dilatam publicationem: neque tamen Facultatem Artium quidpiam super eo expedivisse. Quare proposuit in deliberationem Dominorum, an placeat ut in proxima Congregatione Universitatis, quæ erit ipso die S. Huberti proxime futura, eidem Universitati proponatur, an placeat dictum Concilium publicare, & ex deliberationibus Dominorum D. Rector conclusit, quod quia dies S. Huberti est dies Lunæ, ita quod verisimile sit paucos Dominos venturos ad dictam Congregationem; & quia res est magni momenti, quod ipso die S. Huberti proponetur solum Universitati, an placeat facere specialem Congregationem desuper; & quod Domini Decani singularum Facultatum admonebunt seniores Facultatis suæ ad hoc, ut mature desuper deliberare possint.

Deinde eodem anno mensis Novembris die 24. post meridiem, inter tertiam & quartam horas, indicta fuit & servata deputatio in loco Capitulari inferiori Ecclesiæ D. Petri Lovaniensis, in qua Magnificus D. Rector posuit in deliberationem Dominorum, quomodo placeat die Sabbati proxima publicare Concilium Tridentinum? An placeat ut totum legatur? an ut alio modo publicetur? Et ex deliberationibus Dominorum Magnificus D. Rector conclusit, quod die Sabbati proxima declarabitur publicatio sacri & œcumenici Concilii Tridentini; atque omnibus suppositis per Edictum ad hoc convocatis, mandabitur observatio ejusdem; & quod inde Magnificus D. Rector leget juramentum

(a) Bert. Loth, in suis Resolutionibus Belgicis Tract. 2. part. 9.

tum per singulos Decanos præstandum : quo facto Notarius singulos accedet, atque ab eisdem dicentibus ejusmodi juramentum percipiet.

Conformiter ad has Deputatorum deliberationes die 29. Novembris eodem anno, in ordinaria Universitatis Congregatione, habita in Refectorio magno Fratrum Prædicatorum Lovaniensium publicatum fuit Concilium Tridentinum hoc verborum tenore : *Alma Universitas studii generalis Lovaniensis ad hoc specialiter indicta convocatione, congregata, suo officio, quantum in se est fungi cupiens, ad conformandum se conclusioni & mandatis sacri ac œcumenici Concilii Tridentini, ad omnium & singulorum dictæ Universitatis Magistrorum, Scholarium & Suppositorum quorumcumque notitiam, deducit hujusmodi sacri Concilii Conclusiones & Decreta, quorum exemplaria passim impressa extant : mandans singulis & omnibus iisdem Magistris Scholaribus & Suppositis, ut ejusmodi conclusionibus & Decretis se conforment, eadem observent, &, quantum in se est, executioni mandent.* Hactenus Acta Universitatis.

Ex his sufficienter patescit, in Academia creditum non fuisse, per solam publicationem Romanam Decreta Concilii Tridentini ubique obligare, si enim id credidissent Academici, ut quid opus fuisset tot deliberationibus & consultationibus, an & quomodo Concilium Tridentinum esset publicandum ? Ut quid Facultas Artium publicationis suspensionem postulasset, si credidisset vi publicationis Romanæ Decreta Concilii Tridentini vim suam ubique habere, ut quidquid contra illa gestum esset irritum foret & inane, juxta Bullam Pii IV. pluribus mensibus ante dictam publicationem ritu Romano publicatam? Qua denique ratione ad supplicationem Facultatis Artium toto biennio publicationem Concilii Tridentini suspendere præsumpsisset Universitas, si credidisset vi prædictæ Promulgationis Romanæ, supposita sua Decretis Concilii Tridentini fore constricta ?

Si hæc circa generalis Decreta Concilii, a Pontifice iterato confirmata, & per duas iteratas Bullas observari jussa, quid non censendum circa Rescripta, Bullas & Diplomata ex Romana Curia emanantia ; quæ nec pari semper circumspectione & deliberatione conduntur ; & frequentioribus sub & obreptionibus sunt obnoxia ? Et sane quis ignorat plurimas passim Bullas Romanas circumferri, & Romano Bullario magnis voluminibus constante insertas, quibus tamen Belgæ nullatenus se constrictos credunt ; hac unica ratione, quia in Belgio, juxta consuetudines & inveteratum usum, per Provincias publicata non sint. Quis nescit Bullam vulgo *in cœna Domini*, quæ non semel duntaxat, sed singulis annis Romæ publicari solet, hic in Belgio nequaquam obligare ; neque Consilia Regia ejus authoritatem recipere : hoc unico fundamento quod numquam illius publicatio in Belgio admissa fuerit.

§. VI.

Rationes, quæ ostendunt promulgationem Romæ factam non sufficere, ut leges Pontificiæ obligent in Belgio, etiam locum habent in Decretis, quibus lectio quorumdam librorum vetatur.

Prima ratio, qua ostensum fuit promulgationem Romæ factam insufficientem fore ut lex Pontificia virtutem obligandi ubique habeat, desumpta fuit ex insufficientia hujusmodi promulgationis, ut virtute illius in omnium ubique Fidelium debitam notitiam lex deduceretur.

Hanc rationem æque militare in lege vetante librorum lectionem, quam in reliquis legibus positivis evidentius est, quam ut probari debeat : quandoquidem evidens sit hanc promulgationem non minus fore insufficientem ut per illam lex vetans librorum lectionem in convenientem notitiam deducatur eorum, qui juxta illam regulari debent, quam aliæ quæcumque leges positivæ.

Secunda ratio desumpta a ratione ordinis Hierarchici similiter & in his Decretis obtinet ; quandoquidem ratio suadeat ut populus intelligat, quæ librorum lectio sibi sit interdicta, ab iis a quibus salutis fundamenta & regulas accipere immediate solet. Deinde dubitari nequit quin populus promptius & libentius se temperabit a le-

a lectione librorum, dum ab immediatis suis Directoribus ac Superioribus intelliget eorum lectionem sibi esse merito interdictam; præsertim si in ipsa promulgatione populo exponatur illius interdictionis justitia.

Tertia ratio exinde desumpta fuit quod Pontifici in Decretis edendis interdum per sub & obreptionem imponi queat; quodque lumen S. Spiritus non perpetuo illi hypocritarum fraudes & Aulicorum adulationes detegat &c. Hanc rationem hic quoque locum obtinere dubitari non potest; cum certum sit etiam circa prohibitionem librorum, non minus quam circa alias materias, Pontificem dictis modis circumveniri posse; vel quia ex falsis quibusdam allegationibus aut informationibus credat in libro aliquo contineri errorem, vel aliquid male sonans, quod revera in libro non continetur; aut librum esse alicujus hæretici, qui revera est authoris Catholici &c.

Et quidem si Roderico Toletano Archiepiscopo credimus, Benedictus II. scripta Sanctissimi Præsulis Toletani Juliani, *quæ prius incautius lecta improbavit*, postquam Sacræ Scripturæ testimoniis & authoritate Patrum vidit munita, pro orthodoxis agnovit.

Verum certiora ac recentiora hujus rei nobis supersunt exempla. Duo hic tantummodo referemus.

Legitur in vita Cardinalis Bellarmini, Italice scripta a Jacobo *Tuligatto*, & latine reddita a *Silvestro a Petra Sancta*, Sacerdotibus Societatis Jesu Lib. 2. Cap. 7. quamdam animorum discessionem exortam fuisse inter Sixtum V. Pontificem & Bellarminum, tunc Legatum Sedis Apostolicæ agentem in Galliis: „ quæ discessio vix intelligi Romæ cœpta est, ait „ vitæ Author, cum id e sententia fuit „ judicatum, ii qui Bellarmini obscurare „ nomen cupiebant, rati suæ gloriæ demi, quidquid adderet alienæ. Itaque „ homines accendendis offensionibus callidi, Pontifici sensim adulari temere dum „ spargerent (quæ sæpe inter Aulicos est „ libido fingendi) doctrina Bellarmini authoritatem illam minui, quam Christus „ Dominus Vicario suo in terris dedit, „ ad Ecclesiæ dignitatem, firmitatemque; „ idque fieri in opinione ipsius circa Dominium temporarium, quod Pontifici „ competit. Item in res temporarias (Lib. „ 3. de Rom. Pontifice.) Et quoniam ea „ vox percrebuit tempore, quo jam caute ista jactari, si unquam alias debuissent, ideo captata occasione, dum peregre aberat ipse (Bellarminus) nonnulli „ re non discussa, urgere atque instare, „ quo ejus opera inhiberentur, donec egeri „ quæ damnosa, & ingeri catalogo deberent voluminum proscriptorum, fraudem „ excepit eventus; & ii quorum invidia „ in occulto adulatio in aperto erat, facile impetrarunt ut hoc pacto in Bellarmini libros inquireretur. Manserunt libri illi in indice librorum prohibitorum „ quousque vixit Sixtus V. At excedente „ (e vivis) Pontifice, ait Author vitæ, „ cum eo, ut Aulici sunt plerumque suorum Principum in serie, cecidere adversarii ejus; & S. Congregatio Cardinalium reputans injustum esse ita damnari „ eximium virum, præsertim cum is Sedis „ Apostolicæ causa abesset, sponte mandavit ex indice probrosorum scriptorum „ eximi Authorem egregium, nullo in operibus ejus deprehenso vitio. „

Secundum exemplum occurrit circa *Missam Illiricianam*, quam Matthias *Flaccius*, Centuriatorum Magdeburgentium princeps anno 1537. Missam latinam ex veteri codice vulgavit sub hoc titulo, *Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa septingentesimum Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto authenticoque codice descripta.*

De hac Missa primum miros triumphos egerunt Lutherani, quasi Catholicis dogmatibus de sacrificio Missæ, invocatione Sanctorum, suffragiis pro mortuis & Confessioni auriculari penitus adversaretur. Quibus triumphis ut occurreret Sixtus V. eam in librorum prohibitorum classem redegit, & in Indice a Clemente VIII. publicato, habetur sub hoc titulo: *Missa latina, quæ olim ante Romanam circiter annum septingentesimum erat*. Lutherani tandem aperte Missam Catholicis suffragari, sibique adversari intelligentes, illam supprimere modis omnibus studuerunt. Catholici ex hac palinodia proficientes, ipsammet accuratius lege-

legerunt, laudarunt & comprobarunt, & pro asserendis Eucharistiæ, Confessionis, aliisque fidei mysteriis adhibuerunt. Quin & si, Emin. Cardinali Bonæ credimus, Lib. 2. *Rerum Liturgicarum* Cap. 12. Num. 3. est *ipsamet Missa Romana variis orationibus interposita*; vel ut credit vir eruditus Joannes Mabillonius, *de Liturgia Gallicana*, Lib. 1. Cap. 3. Num. 6. *Ordo ille Illyricianus Missam Pontificalem continet secundum Ritum Romanum; & quidem nihil fere aliud, quam orationes privatas ab Episcopo recitandas, dum Chorus canendo occupatur*. Constat ergo Sixto V. & Clementi VIII. fuisse obreptum sermonibus Lutheranorum, dum illum Ordinem Missæ vere Catholicum, in indicem librorum prohibitorum retulerunt. Verum magis illud mirandum quod cum sciretur eam jam & a Lutheranis esse suppressam, qui eam viderant sibi contrariari, & a Catholicis non semel laudatam & reimpressam, nihilominus concinnatores Indicis sub Alexandro VII. & sequentibus Pontificibus, eam permiserint librorum Indici prohibitorum insertam; præsertim postquam in ipsa urbe Roma Cardinalis Bona hanc Missam tanquam *ipsammet Missam Romanam* in Appendice ad opus suum Lyturgicum publicaverat, cum approbatione Magistri Sacri Palatii P. *Hyacinthi Libelli*, anno 1670.

Quarta denique ratio deprompta ex Provinciarum particularibus juribus, moribus & privilegiis, quæ Pontificis notitiam nonnunquam effugiunt, in his quoque Decretis non minus ac reliquis locum habet; quandoque frequenter contingere queat ut lex vetans librorum aliquorum lectionem justa esset in una Provincia; & tamen ob particulares circumstantias non foret conveniens in alia. Unde Clemens VIII. in Appendice ad Regulas Indicis Tridentini art. *de Prohibitione*, §. 5. præcipit *ut Episcopi & Inquisitores, tam in Italia quam extra, penes se habeant singularum nationum Indices, ut librorum, qui apud illas, damnati aut prohibiti sunt, cognitionem habentes, facilius prospicere possint an etiam a sua jurisdictionis terris eosdem recognitos arcere vel retinere debeant*: Evidenter supponens libros in una natione proscriptos non continuo apud alias nationes esse proscribendos, sed in una vetitos subinde in alia retineri posse; quod sane non uno ex capite contingere potest.

Quid enim quam evidentius, expressiones aliquas apud unum populum minus in fide Catholica instructum, aut inter hæreticos versantem, posse esse offensivas & scandalosas, quæ nequaquam tales sunt apud alium melius instructum nec hæreticis commixtum. Item contingere posse ut liber aliquis uno in loco magnam in populo sit excitaturus commotionem, & non in alio: atque ita liber in uno loco interdici hoc ex capite subinde posse; & non in alio.

Fieri quandoque etiam potest, ut liber aliquis in quodam loco a Pastoribus & conscientiarum Directoribus populo sit multum commendatus, & vicissim a populo avide lectus; aut etiam a viris admodum spectatæ doctrinæ & magni apud populum nominis fuerit probatus: quibus circumstantiis concurrentibus, non dubium quin fieri possit ut libri hujusmodi inhibitio in tali loco nullatenus conveniret; tametsi aliis in locis ubi dictæ circumstantiæ non concurrunt, quandoque juste inhiberi posset, propter obscuriores quasdam aut duriores expressiones, aut etiam leviores aliquos errores. Si enim in priori loco libri prohibitio populo innotesceret, facile fieret ut populus de fide suorum Pastorum aut Prælatorum, qui librum commendarunt, dubitare inciperet, quin & interdum in dubium revocare dogmata ab eis tradita. Hoc autem incommodum subinde populo multo nocentius esset quam periculum, quod ex lectione hujusmodi libri metuendum esset.

Denique fieri potest ut doctrina aliquo in libro contraria videatur, aut etiam revera sit, Ex. Gr. Immunitati Ecclesiasticæ, si eam juxta Pontificum Decretales expendamus, quæ tamen nullatenus Immunitati Ecclesiasticæ adversetur, si quarumdam Provinciarum vetustas consuetudines, privilegia, vel jura Regia spectemus. Quo rursus ex capite fieri posset ut liber aliquis in certis Provinciis jure merito prohiberetur, cujus prohibitio in aliis Provinciis plus noceret & turbaret quam prodesset.

Et quidem si Francisco Salgado credimus, Rex Catholicus hoc motivo inductus

non-

nonnunquam impedit executionem Bullarum, quibus librorum lectio interdicitur. Postquam enim pluribus conatus est adstruere a sententia supremæ Inquisitionis Hispanicæ non dari recursum ad Inquisitionem Romanam sine Regio consensu, in finalem ejus probationem prædictis adjungendum vult, *quod assidue practicari videmus*, ait, *circa libros Catholicorum Authorum horum Regnorum, tractantes & fundantes Regis jurisdictiones aut Regalia; maxime in rebus Ecclesiasticis sibi competentes; aut de jure aut Indultis Apostolicis, sive etiam de immemorabili consuetudine diu tolerata, quæ ob id solum integraliter in Romana Curia prohiberi & vetari, & ad hoc Brevia Apostolica transmitti ad Inquisitionem supremam Hispaniæ publicanda assolet. Rex tamen noster omni conatu, cultu tamen reverente occurit; agnoscens hanc prohibitionem duntaxat tendere ad infringenda sua jura; nec non in grave & intolerabile præjudicium suum; ac proinde impediens talis Brevis executionem, ad evitanda scandala, penes se illud retinet. Interim (quod per supplicationem) de damnis & inconvenientiis consulit sanctam Apostolicam Sedem, ut de remedio paternali clementer provideat*. Hæc ille *in supplicatione ad Sanctissimum*, Parte 2. Cap. 33. Num. 144. pag. 332.

Hæc omnia sufficienter ostendunt non minus rationi congruum esse ut Decreta Romana circa prohibitionem lectionis librorum, servato ordine Hierarchico, & prævio Regio Placito, secundum vetustum usum Belgii publicari debeant, quam cætera Sedis Apostolicæ Decreta: quod ipsum & Belgarum communis sensus confirmat.

Quis enim in Belgio priusquam librum aliquem legat se constrictum arbitratur ad revolvendos Romanos Indices, ut ex iis intelligat num forsan liber ille in Indicem librorum prohibitorum Romano Decreto relatus non fuerit.

Utque ad specialiora descendamus, quis Jurisperitorum Belgii, aut inter Juris studiosos hujus Academiæ scrupulo angitur passim evolvendo V. G. *Commentaria Schneiduini ad Instituta Justiniani*, *Commentaria Francisci de Amaria in tres posteriores libros Codicis; Commentaria Dovelli* enucleati; *opera Andreæ Corvini: Matthæi Roesembecii*, aliosque plurimos in Indicem librorum prohibitorum Romano Decreto relatos? Quinimo, ut notat Bertrandus Loth, Tract. 13. Quæst. 2. Art. 7. *omnium pene Jurisperitorum manibus teruntur opera juridica Caroli Molinæi; idque scientibus nec contradicentibus Episcopis aut Pastoribus; cum tamen constet jam pridem inter authores primæ classis Indicis Tridentini nomen hujus authoris relatum esse; ac deinde per specialem Bullam sub severissimis pœnis & censuris, omnia ejus opera indistincte per Clementem VIII. esse interdicta, cum revocatione dispensationum a quibuscumque concessarum:* Quin & adempta etiam Inquisitoribus Romanis authoritate cuiquam indulgenti facultatem libros illos legendi; ut propterea etiam hodie dum Sacra Congregatio Inquisitionis alicui concedit facultatem legendi libros prohibitos expresse excipiat *opera Caroli Molinæi* &c. Quod vero Jurisperiti sine scrupulo hic in Belgio illis non obstantibus opera juridica illius authoris legant, non alia ratione contingit, nisi quod credant dictam Bullam hic in Belgio non esse promulgatam, ut ex Zypæo refert Bertrandus Loth, dicto loco.

§. VII.

Rationes, quibus evincitur promulgationem Romæ factam non sufficere ut Bullæ Apostolicæ in Belgio virtutem obligandi obtineant, fortius militant in Decretis, quæ sub nomine Congregationum evulgantur.

Si quis attendat ad ea, quæ in præcedentibus dicta sunt, nimirum Decreta, quæ nomine Congregationum prodeunt, Cardinalibus Congregationes illas constituentibus, itemque Theologis, quos Consultores vocant, potius quam Pontifici, ordinarie esse adscribenda, facile intelliget rationes ante allegatas fortiùs in his Decretis quam in iis, quæ Romanum Pontificem proprium authorem habent, militare. Quis enim dubitet facilius in Decreta, quæ pro magna parte a Cardinalibus vel Theologis dependent, per sub vel obreptionem, aut per importunitatem sollicitantium, vel alium quempiam humanum affectum, quo hujusmodi homines

nes facilius quam Romanus Pontifex ducuntur, aliqua irrepere posse quam in illa, quæ Romanum Pontificem Vicarium Christi immediatum authorem habent.

Quin imo quia Decreta quæ sub nomine harum Congregationum publicantur, potius Cardinales has Congregationes constituentes, quam Romanum Pontificem authorem habeant; fit, ut licet universus orbis Catholicus Decreta Pontificia revereatur, & summa veneratione suscipiat; eaque in omnibus Regnis & Provinciis, juxta morem cujusque Provinciæ publicari sinantur; atque ita publicata pro legibus habeantur, non ubique tamen eadem veneratione Decreta, quæ a dictis Congregationibus emanant, recipiuntur.

Et quidem in Hispania Decreta Congregationis Indicis non admitti, nullumque sub nomine istius Congregationis in Regnis Hispaniæ Decretum publicari ex Francisco Salgado supra vidimus.

In Gallia nec hujus, nec unius alterius Congregationis etiam Sancti Officii, per modum legis obligantis recipi notissimum est.

Belgas Inquisitioni seu Congregationi S. Officii eatenus non esse subditos ut coram ea, in materia hæresis Belgarum aliquis judicice citari posset aut conveniri, notum est, ideoque nec Decretis S. Officii credunt se constrictos, in quantum hæc modum procedendi contra hæreticos aut de hæresi suspectos concernunt. Quod & ipsam Romanam Pœnitentiariam judicare innuit Navarrus. Quærens enim num aliquis Romæ, ubi viget Inquisitio, teneatur denunciare S. Officio aliquem, quem ex familiari conversatione scit esse hæreticum aut hæresi suspectum, respondet quoad ultramontanos, *si solum est conversatus cum hæreticis ultra montes, non teneatur denunciare illos: si autem est conversatus cum hæreticis in Italia vel Hispania, tenetur denunciare illos; neque debet absolvi nisi denunciet, vel saltem omnino proponat denunciare; quia non videtur contritus. Et hoc*, inquit, *observat Sacra Pœnitentiaria*. Hæc ille, Consilio 3. *de hæreticis*.

Sane hujus distinctionis alia ratio esse non potest quam quod leges Inquisitionis obligantes ad hæreticorum denunciationem se non extendant ad partes ultramontanas, ad quas ipsa Inquisitio etiam non extenditur.



III.

T R A C T A T U S (a)

De jure Ecclesiastico Belgico.

Authore Z. B. Van-Espen, J. U. D. & SS. Canonum Professore in Academia Lovaniensi.

[*Nunc primo editus*.]

P R Æ F A T I O.

Belgio nostro, non secus ac aliis Ecclesiis & Provinciis, esse sua singularia jura, Privilegia, ac vetustas & laudabiles consuetudines, non tantum in rebus Politicis, sed etiam Ecclesiasticis, & quæ Ecclesiæ disciplinam spectant, adeo notorium & quotidiano usu tritum est, ut id nemo nisi in rebus Belgicis hospes ignorare possit.

Jus itaque Ecclesiasticum Belgicum hoc tractatu breviter ac compendiose exhibere statui, a tribus potissimum Monumentorum generibus haustum seu depromptum.

Primum genus erunt Synodi, tum Provinciales tum Diœcesanæ, quæ pro formanda disciplina variis temporibus in Belgio habitæ fuere.

(a) Dictatus in Scholis publicis, post Tractatum de veneratione Sanctorum, &c.

Secundum genus conficient varia Principum Belgii Edicta, quibus vel ab antiquo servatam disciplinam confirmant, vel labefactatam restaurant & renovant: aut denique modum præscribunt, quo Canones Ecclesiæ pro temporum, locorum & personarum conditione & natura facilius & efficacius, ac minore cum Reipublicæ turbatione executioni mandari queant.

Tertium tandem genus erunt Moderationes seu restrictiones cum quibus Decreta reformationis Concilii Tridentini in Belgio publicata fuere; has enim unice ad conservanda antiqua Provinciarum jura & laudabiles consuetudines fuisse adjectas declaratur in Litteris Regiis ad Archiepiscopum Cameracensem, & Provincialem Magistratum, pro executione dicti Concilii: non ad contraveniendum, ait Rex, dicto Concilio, sed ut executio accomodetur naturæ cujusque Provinciæ.

Jus hoc tradituri, ordinem Titulorum sequemur quem Synodus Provincialis Mechliniensis sub Matthia *Hovio* a Pontifice probata, & Principum Edicto roborata proposuit: si quæ vero materia occurrat, quæ in hac Synodo specialiter non tangatur, eam jungemus illi Titulo, qui de materia maxime affini tractat. Sit itaque.



TITULUS PRIMUS.

De Professione fidei, ac de his quæ ad ejusdem fidei integritatem conservandam pertinent.

IN primis unanimi Synodorum consensu receptum est Decretum Concilii Tridentini, sess. 24. Cap. 12. de Reform. quo cavetur a provisis de quibuscumque Beneficiis, curam animarum habentibus, aut de Canonicatibus in Cathedralibus Ecclesiis publicam fidei professionem emittendam esse: quod Decretum Synodus Provincialis Cameracensis 2. item Mechliniensis Provincialis etiam 2. & Edicta Regia extenderunt ad quoscumque Officiales seu Magistratus civiles, tam in urbibus quam in pagis: item ad omnes ludi Magistros, & ludi Magistras. Addidit insuper Mechliniensis Synodus, Tit. 27. Cap. 8. & Edictum Principum Art. 18. quod hodie merito observaretur, ut Pastores ab omnibus ad suas Parochias migrantibus, si eorum vitam & fidem aliunde cognitam non habuerint, exigant desuper litteras testimoniales ultimi inforum Pastoris; & si recusent, vult Edictum Principum, ut Pastores id significent, ut per Episcopum vel Officiales & Magistratus locorum provideatur; prout bono publico id expedire videbitur.

Denique ad conservandam fidei integritatem in omnibus fere Synodis renovatum est Decretum Concilii Tridentini, de non evulgandis aut imprimendis libris de rebus sacris tractantibus, sine licentia Ordinarii, aut ejus Deputati in scriptis obtenta. Monuerunt tamen pleraque Consilia Regia Decretum illud accipiendum esse sine præjudicio jurisdictionis secularis & Edictorum a Principibus Belgii super hac re antea promulgatorum; atque ut laici a laicis, Clerici ab Ecclesiasticis Judicibus coerceantur. In reliquis Decretum probatum fuit, & per Synodos & Edicta Regia extensum ad Comœdias, sive Ludos recreationis causa exhiberi solitos, Cantilenas &c. imo & ad libros domorum mortuariarum, qui distrahi vetantur, nisi a probato Censore, vel alio ad id ab Ordinario deputato visitati & vendi permissi fuerint; quæ visitatio gratis fiat: Synodus Mechliniensis Provincialis 2. & Edictum Principum Art. 6. quæ & addunt ut Typographi, & Bibliopolæ ac Librarii juramentum præstent de non invehendis nec distrahendis, vel etiam compingendis libris prohibitis.

Pro hoc aliisve similibus juramentis ab admittendis ad officia, vel opificia & ad gradus Academicos exigi solitis merito expenditur Decretum Synodi Antverpiensis anni 1610. tit. 17. Cap. 11. quo hortatur in Domino omnes, quos ea res concernit, ut

ut revideant atque perpendant juramenta antiqua, quæ ab admittendis ad officia, opificia, aliaque munia præstari solent; eo fine ut quæ in usum deduci non possunt omittantur.

Si enim attendatur & multitudo librorum prohibitorum, & lucrorum quod ex eorum venditione sibi obvenire conspiciunt Typographi & Bibliopolæ, facile apparebit moraliter pene impossibile esse, ut illud hominum genus, lucro plerumque inhians, ac huc unice intentum, Religione juramenti quod leviter ac fere sine attentione in admissione ad opificium præstare consueverunt, a vendendis similibus libris coerceantur, quod & experientia nimis notum est quam ut proinde merito, juxta monitum dictæ Synodi, hodie expendant ii, quos ea res concernit, utrum juramentum hoc, uti & plura similia hodie exigi solita, non sint ex iis quæ in usum deduci non possunt; & ex quibus, attenta hominum infirmitate, & rerum circumstantiis, nullus aut exiguus fructus sperandus sit; & è contrario multa perjuria timenda.

Hæc circa prædictum juramentum. Quoad legem vero de non evulgandis libris sine licentia Ordinarii aut ejus Deputati in scriptis obtenta, illud notandum ipsam indubie intelligi debere cum iis exceptionibus cum quibus similes leges positivæ humanæ, V. G. de jejuniis, festis &c. intelliguntur.



TITULUS SECUNDUS.

De Sacramentis in genere.

DUo potissimum a Synodis Belgicis circa administrationem Sacramentorum observanda occurrunt.

Primum a Synodis frequenter inculcatum ut Sacramenta omnia libere conferantur; nihilque omnino directe vel indirecte in eorum administratione exigatur. Cameracensis Provincialis 2. Cap. 5. Cameracensis Diœcesana anni 1567. Cap. 6. Mechliniensis Diœcesana, Cap. 3. Namurcensis ultima Cap. 2. Addit Attrebatensis sub Richardoto Cap. 2. ut administrantes Sacramenta omnes avaritiæ sordes, & quæstus inhonesti & improbati suspiciones evitent; ne mercedem vel carpant procaciter, vel exigant sordide.

Ex his facile quisque conficiet ex mente Synodorum, omne genus pactionis sive directæ sive indirectæ in hac materia debere exulare. Unde Synodus Mechliniensis Provincialis 1. Tit. *de Decanis*, Cap. 11. Pastoribus & quibuscumque Sacerdotibus inhibet, sub pœna suspensionis, ne per se vel alium, directe vel indirecte stipulentur pro Missis votivis ad piorum postulationem celebrandis; additque: *Sed quod eis sponte oblatum fuerit accipiant*; quod & aliæ supra citatæ Synodi permittunt.

Verum & in hac sponte oblatorum receptione attendere debent administrantes, ne dum forte minus solito datur, aliquod propterea indignationis indicium ostendant, aut offerentes avaritiæ vel illiberalis animi accusent; ne suo agendi modo indirecte ad amplius dandum cogant; & consequenter per indirectum exigant. Cum vero admodum difficile sit, ut ex parte administrantium aliqua interveniant, speciem ut minus avaritiæ aut sordidi quæstus habentia, si ex oblatis in administratione Sacramentorum victum suum corradere teneantur, omnino satagendum erit ut aliunde administrantibus necessaria suppeditentur; si id fieri nequeat, saltem consultius tunc foret, (quod & Synodi passim exoptant) ut quædam jura Pastoralia legitima authoritate taxarentur; quo fieret ut non tam ipsi Pastores aliquid pro administratione exigere viderentur, sed a Superioribus assignata jura, per modum Decimarum personalium (in quarum loco hæc jura successisse certum esse, ait Synodus Attrebatensis anni 1570. Cap. 3.) in sustentationem accipere. De quibus latius titulo 17. ubi de competentia Pastorum agetur.

Alterum in administratione Sacramento-

rum observandum inculcant Synodi, ut in quorumcumque Sacramentorum administratione, vis & efficacia eorum pro captu sumentium ac præsentium sæpe a Pastoribus explicentur; Mechliniensis Provincialis 2. Cap. 3. Cameracensis 2. Cap. 6. Audomarensis, Cap. 3. quæ addit breviter quidem in administratione, latius autem in concionibus; & addit Attrebatensis Cap. 1. ut semper aliquid adferant ex quo præsentes ædificationem aliquam capiant. Hæc igitur potissimum observanda in administrationem illorum Sacramentorum, ubi plures præsentes adesse solent.



TITULUS TERTIUS & QUARTUS.

De Sacramento Baptismi & Confirmationis. (a)

PRimo inculcant Synodi, ut Pastores sedulo moneant parentes ut eos duntaxat eligant in Patrinos prolium suarum, de quibus probabile fiat fore ut præstent id quod promittunt, & eos potius qui animæ consulere, quam qui inopiæ subvenire possint: Synodus Audomarensis Cap. 6. & Buscoducensis Cap. 17.

Secundo. Ut & ipsi Pastores caveant, ne quosvis ad hoc officii admittant: *alienum enim est recens in Christo renatis oviculis* (verba sunt dictæ Synodi Audomarensis) *ejusmodi in Christo parentes aut dare aut admittere, de quorum paterna sollicitudine spes verosimilis non concipiatur. Rejiciantur proinde*, pergit Synodus, *ab hoc munere quicumque hæretici, . . . excommunicati, . . . notorie criminosi, & scandalose viventes. Rursus ii qui ipsimet nesciant ea quæ docere oporteat Neophytum, & qui per ætatem aut mentis inopiam ipsi notitiam non habent fidejussionis ejus, ad quam se offerunt. Denique alii quicumque, a quibus fidei liberationem exonerationemque verisimiliter non expectant*. Adde Synodum Tornacensem Cap. 5. Antverpiensem Cap. 4. Buscoducensem Cap. 5.

Ulterius moneant Pastores, ut Patrini cognoscant se fidejussores pro eis apud Deum extitisse quos susceperint; & ideo super eos sollicitudinem veræ charitatis impendant, ut præ reliquis latius prosequitur Synodus Buscoducensis, Cap. 6.

„ Et quia, ait Synodus Audomarensis „ Cap. 7. persuadent sibi quidam sponsio„ ni suæ fecisse se satis, si munus aliquod „ post Baptismum offerant Baptisati paren„ tibus. . . . Idcirco consultum foret abro„ gare prorsus illam munerum offerendorum „ consuetudinem; quemadmodum Edicto „ Cæsareo aliquando cautum fuit, si tem„ porum iniquitas pateretur. " Edictum Cæsareum cujus meminit Synodus, editum est a Carolo V. septima Octobris anni 1531. & habetur lib. 1. Edictorum Flandriæ, pag. 751. ubi art. 12. præcipitur omnibus cujuscumque status, ne eligant in Patrinos suarum prolium aliquos ut ab iis munus accipiant; imo si quid eis offeratur, accipere vetat, prohibetque aliquid dari sub pœna dupli illius quod datum est, nisi forent proles pauperum & miserabilium personarum. Hujus tamen Edicti vigorem idem Carolus Edicto anni 1545. art. 3. mitigavit, permittens dari munusculum aliquod valorem trium florenorum non excedens. Habetur eodem libro Edictorum, pag. 782.

Ex his interim patet, Principes & Synodos in hoc conspirasse ut parentes in eligendis liberorum suorum Patrinis, attenderent potius qui animæ illorum consulerent, quam eorum inopiæ subvenire possent.

Quæ de Patrinis Baptismi dicta sunt, etiam intelligenda esse de Patrinis Confirmationis declarant Synodi Mechliniensis Provincialis 2. Cap. 2. Cameracensis Provincialis 2. Cap. 2. & præ omnibus Audomarensis Cap. 5.

Ulterius inculcant Synodi ut non admittantur in obstetrices nisi illæ, quarum fides & capacitas probe notæ sint, & a Pastoribus probatæ: Cameracensis Provincialis 2. Cap. 11. & Edictum Regium Art. 9. Mechli-

(a) Jus Eccl. Univ. parte 11. sect. 1. Tit. 11. Cap. V. n. IX. XV. To. II. hujus edit. Neap. p. 45. & seq.

chliniensis Provincialis 2. Cap. 4. & Edictum Principum Art. 8. quod & addit, eas ab Officiali & Magistratu loci debere admitti; qui tamen nullas admittant, nisi prævie bene sint informati de earum capacitate, & Religione; idque per attestationem Pastoris Parochiæ, in qua degunt.

Denique Pastores adhortentur fideles ut quotannis pie ac Christiane recolant diem Baptismatis; Synodus Mechliniensis Diœcesana, Cap. 10. & Namurcensis ultima Cap. 5.

TITULUS QUINTUS.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PAssim inculcant Synodi ut a Pastoribus tempestive populo proponatur Decretum Capituli *omnis utriusque sexus* &c. quo inter alia, cavetur ut Fideles postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua peccata confiteantur fideliter: saltem semel in anno, proprio Sacerdoti.

Ut vero huic præcepto commodius satisfieri possit, admoneant quotannis Pastores subditos, statim a Quadragesimæ initio, ut ex eo ipso tempore, se parent ad exactam peccatorum suorum Confessionem; hortenturque ut faciant eam ante Quadragesimæ medium; tum ut Exomologesi purgatis animis gratiora sint Deo jejunia; tum ex operibus pœnitentiæ conversionisque dignis, probati, iterata circa Pascha confessione, eo dignius & fructuosius Sacrosanctorum mysteriorum participes fiant. Hæc Synodus Audomarensis Cap. 7. ubi obiter nota *operibus* non *verbis* conversionem probari.

Plures insuper Synodi terminis expressis declarant, non sufficere confiteri semel in anno, alicui simpliciter approbato, sed confitendum esse *proprio Sacerdoti*, *aut alteri de ejus expressa licentia*. Synodus Cameracensis anno 1567. Cap. 8. Audomarensis Cap. 4. quæ & Cap. 5. monet quod dicta constitutio intelligenda sit non de solis laicis, verum etiam de Clericis. *Hi enim*, inquit, *æque ac laici tenentur, quotannis semel proprio suo Sacerdoti confiteri*: quamquam nec his, nec laicis rogantibus proprium Sacerdotem veniam alteri confitendi sine causa neganda sit; modo promittant factæ confessionis coram Sacerdote per proprium substituendo fidem facere; & alias opportuno tempore proprium Sacerdotem recognoscere. Addit Attrebatensis Cap. 4. & Tornacensis Cap. 4. ut nemo sive Regularis, sive secularis, circa festum Resurrectionis Domini id est tempore Quadragesimæ confessiones Pœnitentium audiat, sive absolvat, sine scitu & licentia Pastoris, cujus unius interest, saltem semel in anno suas oves recognoscere.

Hæc Synodorum Provinciæ Cameracensis Decreta licet & rationi & ipsi Decreto Capituli *omnis utriusque sexus*, nec non juri communi in Extravagante 2. *de Tregua & pace* sint admodum conformia, moderate tamen ac prudenter eorum praxis hodie a Pastoribus urgenda est; & fere non nisi communicato cum Episcopis consilio, ut alias zelo præcipiti plus nocumenti quam utilitatis causet; illudque interim compertum est hanc disciplinam facilius in pagis, præsertim faventibus Episcopis, quam in amplis & populosis civitatibus posse induci aut conservari.

Præterea serio monent Synodi ut in administratione hujus Sacramenti observetur Decretum Conc. Trid. sess. 14. Cap. 8. de Pœnitentia, quo præcipitur ut pro qualitate criminum & Pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungantur. Monentque insuper Synodi, ut satisfactiones, quantum fieri potest, peccatis commissis sint contrariæ; ut V. G. pro peccato luxuriæ, jejunium & abstinentia; pro ira, mansuetudinis opera &c. Buscoducensis Cap. 20. & fusius Audomarensis Cap. 13.

Hinc facile intelligimus, quod etiamsi nec Synodus Tridentina, nec Synodi Belgicæ constringant Presbyteros ut in omnibus & semper in imponendis Pœnitentiis ad

ad verbum sequantur Canones Pœnitentiales, nihilominus declaraverint spiritum illorum Canonum, qui est convenientes Pœnitentias pro peccatis commissis & Pœnitentium qualitate præscribere, etiamnum hodie esse servandum. Hinc & in moderno Corpore Canonico, post Decretum Gratiani, Canones illi exhibentur sub hoc titulo: *Canones Pœnitentiales, quorum notitia viris Ecclesiasticis est valde necessaria; sunt enim quædam regulæ directivæ ad Pœnitentias delinquentibus imponendas.*

Et sane in illis videre poterunt Confessarii quas pœnitentias huic illive peccato convenientes & salutares Patres judicaverint; & expendere quousque, attentis temporum, personarum, & locorum circumstantiis, eas vel attemperare, vel etiam forte commutare, prout saluti Pœnitentis conveniat.

Ad hæc, ex notitia Canonum illorum peccatorum gravitas dignosci poterit. Si enim non tantum in certis casibus sive circumstantiis particularibus, sed constanter & passim uni peccato præ altero gravior multo & diuturnior pœnitentia in Canonibus præfixa sit, nemo jure dubitare poterit quin ex mente Patrum & Conciliorum gravius judicari debeat peccatum, cui major pœnitentia; & levius cui minor præstituta est; cum indubitatum sit fixam fuisse Patribus hanc regulam: pœnitentias, sepositis particularibus circumstantiis, secundum peccatorum gravitatem esse imponendas.

Itaque ex pœnitentiis injunctis, haud difficulter dignoscetur fornicationem inter & ebrietatem, quoad peccati gravitatem, summum Patribus discrimen fuisse.

Consulamus enim libros Canonesque Pœnitentiales, ut V. G. S. Basilii, Theodori Cantuariensis, antiquum librum Pœnitentialem Romanum, e scrinio Ecclesiæ Romanæ, ab *Halitgario* Episcopo Cameracensi ante annos octingentos exscriptos, quem in Appendice operis sui de pœnitentia edidit Morinus, pluresque in eadem appendice exstantes; item omnes quibus usus fuit S. Carolus in sua Canonum Pœnitentialium collectione, hos inquam consulamus, & reperiemus pro peccato fornicationis passim & constanter impositam pœnitentiam 12. 10. aut 7. annorum; præsertim si in homine sacrato contigerit; aut certe in laico trium annorum vel ad minus; idque raro, etiam remittente disciplina Pœnitentiali, duorum annorum; vel in particulari circumstantia unius anni.

Circa ebrietatem vero dicitur, laici, velut vota non habentes, si inebrientur, arguantur a Sacerdote, quod ebriosi regnum Dei non possidebunt, & interitus sit ebrietas rationis, & compellat eos pœnitere. At quanto tempore, revolve libros, Canonesque Pœnitentiales, & vix reperies pro ebrietate, etiam cum aliqua circumstantia aggravante, V. G. quod vomitum causaverit, diuturniorem quam 40. dierum, etiam in homine sacrato aut votum habente; in laico vero 15. aut 7. dierum impositam pœnitentiam.

Hinc igitur secure concludi potest, quod sicut pœnitentia pro fornicatione peragenda ex mente Patrum multis excedere debuit pœnitentiam pro ebrietate subeundam; ita quoque ex mente eorumdem, ebrietas per se & ut communiter fit, non tantum non excedat fornicationem quoad gravitatem peccati, sed nec æqualis, imo nec pene ipsi comparari possit: nisi dicamus Patres & Concilia in suis Canonibus passim neglexisse hanc inviolabilem Divinæ justitiæ regulam, pœnitentias, sepositis particularibus circumstantiis, peccatorum gravitati esse commensurandas.

Eodem fundamento de gravitate peccatorum carnis inter se ratiocinandum, ut si uni passim & constanter multo gravior & diuturnior quam alteri injuncta reperiatur pœnitentia, hoc quoque altero multo gravius a Patribus & Conciliis Canonum eorum auctoribus fuisse judicatum; licet fortassis quidam Theologi, non tam Patrum & Canonum authoritate, quam humano ratiocinio, quod etiam interdum ad absurdissima ducit, innitantur; aliter de illorum peccatorum gravitate judicent & doceant. (*a*)

Denique merito monent Synodi, & hodiernæ Confessariorum instructiones, ut ca-

(*a*) Hæc contra *Dogma novum* &c. M. Steyaertii, de Ebrietate & Fornicatione. Vide Dogma novum denunciatum.

caveant Confessarii, ne quæ commoda temporalia sibi vel suis, occasione Confessionis a Pœnitentibus aucupentur: Synodus Namurcensis ultima tit. 16. vix enim possibile est ut partes boni Confessarii expleat, qui temporalia a Pœnitentibus expectat; ut latius videri poterit in Libello, *de simonia circa Beneficia*. Parte 1. Cap. 8. ibi quoque ostenditur, quanto periculo exponantur, qui ex oblatis Sacramento Pœnitentiæ vivere debent. (*a*)

(*a*) Tractatus de simonia &c. prælo datus fuit sub finem anni 1686.



TITULUS SEXTUS,

De Indulgentiis.

NE cujusvis Indulgentiæ remissionis vel facultatis obtentu, ut loquitur Pontifex in Extravagante 5. de *pœnitentiis*, Christi fideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi veniam tribuat, Synodus Tridentina, in eis concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit. Veteres autem parcissimos fuisse in conferendis Indulgentiis, notissimum est, ait Bellarminus, L. 1. *de Indulgentiis*, Cap. 12.

Hæc moderatio, ut Exactius observetur, neque per falsas ac immoderatas Indulgentias populo imponatur, mandat eadem Synodus sess. 21. Cap. 9. de Reform. eas *deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus publicandas esse:* quod Decretum Synodus Provincialis 2. Mechliniensis, ab Ordinariis diligenter observandum decernit, *summa in illis Indulgentiis recognoscendis*, ait, *adhibita diligentia.*

Monet præterea Synodus 1. Provincialis Mechliniensis *pios suos filios ne circumforaneis quibusdam, aut etiam cum privilegio impressis libellis temere fidem habeant, qui ex levibus aut superstitiosis causis immodicas & plus æquo exorbitantes pollicentur Indulgentias, potissimum si promissiones contineant certorum effectuum, periculorum, scilicet, evitationem a gladiis, a tormentis, ab aquis, a peste; aut liberationem certam a Purgatorio: quemadmodum & Missis quibusdam & precibus certo numero recitandis affixas alicubi videre licet*. Hactenus Synodus, cui consonat Synodus Provincialis 1. Cameracensis.

Plurimi similes libelli, quorum meminit Synodus, occurrunt inter illos, quibus privilegia & Indulgentiæ Confraternitatum exponuntur: uti brevitatis causa videri poterit in Dictatis ad Titulum Decretalium: *De Reliquiis & veneratione Sanctorum*. (*b*)

(*b*) Hunc Tractatum, nunc 1. editum supra videre est, P. II. n. I. p. 225.

TITULUS SEPTIMUS.

De Sacramento Eucharistiæ. (a)

P*Ublicæ Meretrices*, *& usurarii & alii quilibet peccatores notorii*, *etiam sanctissime confessi*, *ad publicam Sacramentorum perceptionem non admittantur* ait, Synodus Cameracensis, anno 1604. tit. 5. Cap. 3. nisi publice pœnitentiam egerint, aut ex ipsorum bona conversatione, aliove legitimo modo, de vitæ ipsorum emendatione publice constet. Hinc manifestum est a Sacra Communione publice arcendos esse non tantum meretrices, usurarios aliosque similes, qui passim in Ritualibus seu Manualibus nominatim exprimuntur; sed etiam fornicarios notorios, juratores professos, & ebriosos & bibones quosdam perditissimos; quandoquidem dubitari nequeat quin & hi peccatores sint notorii, quos omnes indiscriminatim prædicta Synodus, melius quam privatus aliquis de sensu Ritualium instructa, repellendos declarat. Nec mirum: cum ratio repellendi publice a Sacramentorum perceptione concubinarios, aliosque passim nominatim expressos, æque militet in aliis notoriis peccatoribus. Unde in ordinationibus Synodalibus de Mandato Gaspari *Hemii* Episcopi Antverpiensis evulgatis, inter repellendos a sacra communione nominatim exprimuntur non tantum concubinarii, sed etiam fornicarii.

Ulterius cum Notorii dicantur non tantum qui ut tales a Judice sunt declarati, sed etiam illi quorum peccata adeo publica sunt, ut omnibus passim innotescant, uti post alios Canonistas ad Capitulum *Tua*; de cohabitatione Clericorum & mulierum, fuse docet *Fagnanus*, nullatenus ferenda quorumdam novella opinio, contra unanimem Canonistarum & Theologorum sententiam, a perceptione Sacramentorum solum repellendos esse notorios & publicos peccatores, qui tales per sententiam Judicis sunt declarati, contra manifestam Canonum & Decretorum sententiam: quia mens illorum Canonum est, ne cum publico populi scandalo sancta dentur canibus; ipsaque peccata quantumvis gravia pro levibus aut nullis habeantur, dum similibus peccatis notorie contaminatis publice Sacramenta, quæ non nisi dignis distribuenda sunt, populus distribui conspicit. Quis vero ausit negare scandalum illud æque metuendum esse, sive admittantur notorii notorietate facti, ut ajunt, sive notorietate juris.

Sed ajunt, dicti novelli Jurisperiti, si hoc passim permittatur judicio Parochorum & Sacerdotum, fiet ut ipsi nonnunquam zelo præcipiti & imprudenti a sacra communione publice repellant tamquam notorios peccatores, qui tales ad mentem Canonum non sunt. Quasi vero zelus Sacerdotum non nimis quam sufficienter retineretur & compesceretur per multiplicia obloquia & vexationes, quæ Sacerdotes ex simili repulsione peccatorum notoriorum a sacra communione sibi imminere prævident; adeo ut timendum non sit Sacerdotes hac in parte justo futuros ferventiores; sed e contrario jure merito verendum, & quotidiana experientia nimis quam compertum, Sacerdotes hac in parte justo futuros laxiores & remissiores. Hinc cum tot & toties renovata videamus Decreta, quibus Sacerdotum in hoc puncto zelus excitatur, nullum tamen unquam Edictum legitur, quo eorum hac in parte compescatur excessus; ideo indubie quia hic timendum non erat.

Si qui proinde Officiales Pastoribus hanc Ecclesiæ disciplinam cum multis incommodis tuentibus & observantibus molesti sint; eorumque zelum, quasi imprudentem etiam publice coram populo reprehendere non vereantur, vereor ne ii ex illis sint, de quibus aliquando dixit Petrus Blesensis, *quod non ab officio nomine*, *sed ab officio verbo*, *Officiales dicantur*.

Cæterum si in aliqua Parochia deprehendantur multi scandalose viventes, prævideatque Parochus, ex eorum expulsione ma-

(a) Vide *jus Ecclesiasticum univ.* P. 2. Tit. 4. de Sacram. Euchar. Cap. 2. n. 13. & seq.

magnam orituram turbationem, indubie exigit prudentia, ut in his & similibus casibus consulat tum Superiores, tum alios viros doctos & pios, quorum cum authoritate & consilio, in re tanti momenti, fulciatur.

Monent præterea Synodi, hoc Sacramentum non nisi publice ac honorifice ægris esse deferendum: utraque Synodus Provincialis Mechliniensis; Cameracensis Provincialis 1. tit. *de Pastorum residentia* Cap. 7. & 2ª. hoc titulo, Cap. 2. una improbans abusum eorum, qui sacram Eucharistiam ægris, quia morbum dissimulare volunt, seu alio quocumque prætextu occulte deferunt; nisi de expressa Episcoporum licentia id facerent: additque Cap. 3. ut Parochi sæpe populum suum moneant ut frequens SS. hoc Sacramentum prosequatur; maxime hi qui sunt fratres sodalitatum Corporis Christi; quas optaret sacra Synodus ubique erigi, atque institui per Episcopos. Optandum esset ut Ecclesiastici, præsertim in civitatibus, suo exemplo ad hoc religionis officium laicos excitarent & permoverent.

Ex prædictis Decretis manifestum est, nec secularibus nec Regularibus curam animarum non habentibus, licitum esse Eucharistiam ægris deferre. Publice enim per illos deferri non posse omnes fatentur: occulta autem delatio cum nequidem Parochis hujus Sacramenti ordinariis ministris licita sit, qua specie eam sibi licitam prætendent, qui solum ut Parochorum subsidiarii & adjutores advocantur? Unde Synodus Namurcensis ultima, Cap. 6. ait: „ Sciant „ Regulares nec ullo tempore se deferre „ posse publice aut privatim Eucharistiam „ ad ægros, extra septa Monasterii sui; „ multo minus Viaticum in mortis articulo existentibus; saltem non nisi cum „ licentia & de consensu expresso nostro, „ vel Vicarii nostri Generalis, aut Pastoris loci, extra casum necessitatis."

Deinde Cap. 8. subjungit: „ Si qui „ ex illis præsumpserint præmissis contravenire, sciant se subjacere Censuris; & „ tam per subtractionem eleemosynarum „ Cleri quam ademptionem stationum eos „ cogendos iri ad observationem eorum." Plura tum Synodorum tum Episcoporum Decreta contra hanc attentatam Regularium occultam delationem Eucharistiæ videri poterunt in Epistola impressa Reverendi Domini *Guillemans* Canonici & Archipresbyteri Gandensis: in qua præterea defertur judicium Doctorum Lovaniensium datum ad petitionem Parochorum Antverpiensium, anno 1664.

TITULUS OCTAVUS.

De Sacramento Extremæ unctionis, Testamentis & Sepulturis.

MOnent passim Synodi Parochos ut ægros sæpe visitent, hortenturque ne ad extremum hujus Sacramenti susceptionem differant, ac potius sensibus rationisque usu adhuc integris, illud sibi administrari petant, ut ita uberiorem fructum percipiant; studeantque populo adimere falsam illam ideam, quasi post hujus Sacramenti receptionem spes nulla convalescendi superesset.

Si ea hodie vigeret disciplina quam pene usque ad finem præcedentis seculi in multis viguisse certissimis argumentis ostendit Joannes *Launoius* Doctor Sorbonicus, in libro: *de Sacramento unctionis infirmorum*; disciplinam, inquam, conferendi hoc Sacramentum ante viaticum, non dubium quin facilius obtineretur ut Sacramentum hoc sensibus, rationisque usu adhuc integris, adeoque & majori cum fructu susciperetur; populoque passim persuasum non esset Extremam unctionem certum esse mortis indicium. Ulterius cum hoc Sacramentum sit quoddam supplementum Sacramento Pœnitentiæ, quo nimirum reliquiæ peccatorum plenius abstergantur, pristina illa disciplina & hoc titulo modernæ præferenda videtur, quod per illam fieret, ut infirmus prius accepto hoc Sacramento, a peccatorum reliquiis plenius ex-

expurgatus, cum meliori etiam dispositione Viaticum susciperet. Cæterum cum moderna disciplina non tantum diuturno usu suffulta sit, sed etiam in plerisque Ritualibus & Synodis diserte præscripta, hæc non temere sine authoritate Episcoporum abroganda, nec pristina in usum revocanda est.

Insuper in hac materia notandum Decretum Synodi Cameracensis Provincialis 2. Cap. 1. quo præcipitur ut dum administrandum est hoc Sacramentum, campana aliqua pulsetur, cujus sono omnes intelligant deferendum hoc Sacramentum; moneantque Fideles ut hoc signo dato, se ad Ecclesiam conferant, & Sacerdoti se jungant, pro salute ægri cum eodem deprecaturi; & ad hoc opus charitatis etiam propositis Indulgentiis, ubi expedire judicaverit Episcopus, invitantur. Cæteri quibus non vacat, dirigant saltem animum in cælum, & pro salute decumbentis aliquam oratiunculam offerant Deo: extrema enim hac necessitate Fidelium precibus ægri maxime indigent, & iisdem plurimum juvantur.

Denique utiliter observatur, quod monet Synodus Buscoducensis, anni 1612. tit. 7. Cap. 12. ut ægrotis Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ unctionis, distinctis temporibus administrentur.

De Testamentis.

Quandoquidem conformiter juri Canonico in Belgio receptum sit ut Pastores & vice-Pastores possint conficere Testamenta; & casus præsertim in pagis non raro occurrat, quod ipsi defectu Notarii testamenta conficere teneantur, plane conveniens est, ut & ipsi prævie de forma & solemnitate testamenti conficiendi sint debite instructi; ne alias ob defectum alicujus solemnitatis aut dubiam expressionem, postmodum de validitate testamenti, aut mente testatoris, cum sequela multorum incommodorum tam in spiritualibus quam temporalibus, quæstio oriatur.

Cæterum quia plerumque illis, qui ad curam Pastoralem vocantur nec vacat nec convenit totam Testamentorum materiam fuse pervolvere, pro compendiosa aliqua instructione consulere poterunt V. G. *Manuale Pastorum*, juxta usum Pastoralis Mechliniensis, nuper Leodii impressi, cui per modum Appendicis subnectuntur formulæ Testamentorum, & monita quædam pro Testamentis condendis. Item *Commentarium Antonii Anselmo*, Jurisconsulti Antverpiensis, præsertim ad Art. 12. *Edicti perpetui*; ubi paulo fusius notat & refert quæ de jure Belgico in Testamentis sint observanda.

Illud inter alia notandum, quod Pastor conficiens Testamentum, nihil sibi aut consanguineis suis usque ad 4. Gradum, juxta supputationem civilem, adscribere possit; quin & Synodorum Decreta monent, ut Parochi, dum apud ægros de condendo Testamento tractant, sollicite caveant, ne sibi directe vel indirecte, præsertim in præjudicium pauperum consanguineorum, legata aut hæreditatem sollicitent. Hinc statuta Leodiensia anni 1613. diserte habent: *Caveant Pastores in fundendis anniversariis mortuorum, ne in avaritiæ notam incidant.*

Denique quamvis de consuetudine in Belgio obtineat ut Ecclesiasticis permittatur libere testari, etiam de Proventibus Ecclesiasticis, merito tamen monet Synodus Buscoducensis 2. tit. 23. Cap. 1. *Ejusmodi indulto non permitti libertatem legandi testandique in quosvis fines & usus, instar Patrimonialium: atque de iis quæ ex justa rerum suarum dispensatione supererunt, suprema voluntatis declaratione, non secundum carnem & sanguinem, sed utilitatem Ecclesiæ Dei disponant.*

De Sepulturis. (a)

Pro loco sepulturæ, etiam eo prætextu quod cedat Fabricæ, aut aliæ piæ causæ, nihil ex pacto exigatur; sed si quid juxta cujusque loci piam & laudabilem consuetudinem a defuncti hæredibus vel executoribus donetur, ipsi Fabricæ cedat, non autem in usus Canonicorum, Pastorum, aut aliarum personarum convertatur: Synodus Cameracensis Provincialis 2. tit. 13. Cap. 3. similiter Mechliniensis Provincialis 1. tit. *de Decanis & Pastoribus*, Cap. 12. præcipit Pastoribus ut pro exequiis, septenariis,

(a) Vide *Jus Eccles. univ.* part. II. Sect. IV. Tit. VII. Cap. V. To. III. hujus edit. Neap pag. 716.

nariis, triennariis, aut anniversariis, nihil stipulentur.

Ut autem efficacius & facilius similes pactiones speciem plerumque simoniæ, aut ut minus turpis quæstus, præferentes, præcaveantur, optandum foret ut ubique obtineret quod dicitur in lege 18. Codice, *de sacrosanctis Ecclesiis*. *Magna constitutio assignat magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos septuaginta librarum auri reditum, eam ob causam ut exequiæ sine sumptu & gratis fiant in Ecclesia Constantinopolitana*. Optandum, inquam, foret ut ubique sufficienter provideretur Parochis & Ecclesiæ Ministris, ne ad scabiosa illa Funeralium jura victitandi causa recurrere deberent. Qua de re vide *Christianum Lupum*, Diss. 2. proœmiali ad Tom. 3. scholiorum Cap. 7. ibidem monens quod *Episcopi & alii decimas possidentes Prælati, eorumque Capitula & Monasteria rigidum coram Deo onus portent dandæ Parochis integræ sustentationis, & miseras plebes liberandi ab exactionibus variis suspectis & offensis, ad quas isti a paupertate coguntur*. Hactenus iste.

Cæterum cum ea jam dudum fuerit, & modo sit temporum miseria ut vix sperare liceat Parochis aliisque Ecclesiæ necessariis Ministris, præsertim in civitatibus, aliunde sufficienter provisum iri, merito Synodi nostræ sollicitæ fuere, ut saltem authoritate Episcoporum & Magistratuum civilium Funeralia illa jura determinarentur, ut hoc saltem pacto privatæ stipulationes ac pactiones cessarent, populusque certa jura per modum Decimarum Personalium solvere cogeretur; omnisque quoque populo subtraheretur conquerendi occasio, quasi ab Ecclesiasticis nimium gravaretur, dum ea jura etiam per civilem Magistratum præscripta & probata intelligit. Vide Synodum Cameracensem Provincialem 1. tit. *de Decimis*, Cap. 7. Provincialem 2am. Cap. 8. & plerasque Diœcesanas.

Cæterum cum jura illa in singulis officiis, & quidem pro officiorum & funeris qualitate minora aut majora exigantur & solvantur, difficulter simoniæ aut turpis quæstus omnis nota evitabitur, nisi in illorum jurium exactione magna cum moderatione & circumspectione procedatur; atque in primis ob jurium illorum defectum corpora defunctorum etiam pauperum, honorifice sepelire Parochi non omittant. Synodus Namurcensis ultima, tit. 19. Cap. 2.

Eundem in finem statuit Synodus Cameracensis Provincialis 2. Cap. 7. quod Clero ob funus aut exequias datur, ne durante officio & spectante populo, sed eodem officio finito, iis qui eidem ab initio usque ad finem adsuerint, distribuatur.

Insuper ne mercenario modo officium defunctorum peragi videatur, merito monet Synodus Gandensis, anno 1650. tit. 11. Cap. 4. quod Pastores sedulo advigilabunt & strenue allaborabunt ut Vigiliæ & exequiæ Fidelium defunctorum solemniter, tractim, graviter & devote decantentur.

Denique monentur Parochi ut brevem semper exhortationem habeant in sepulturis & exequiis defunctorum, antequam populum a loco sepulturæ dimittant; in eaque ad seriam mortis cogitationem & præparationem, atque ad orandum pro defunctis serio hortentur: Synodus Cameracensis anni 1604. tit. 13. Cap. 2.

Et hæc quidem si defunctus in propria inhumetur Parochia; at si vel electionis arbitrio, vel ob Majorum sepulturam extra Parochialem Ecclesiam defunctum sepeliri contingat, jus Belgarum habet, ut, quoad jura Funeralia Ecclesiæ Parochialis in primis concordata pactave cum Secularibus aut Regularibus inita, juxta Capitulum 3. *de Pactis*, in sexto, itemque vetustæ consuetudines, serventur. His vero cessantibus juxta electionem quidem defuncti & privilegia passim Monasteriis & Ecclesiis indulta, fas est in illis defunctum sepelire; sed corpus defuncti, priusquam ad locum sepulturæ deferatur, prius Ecclesiæ Parochiali præsentandum est, & ibidem præsente corpore, Missa celebranda, aliaque funera circa corpus peragenda ac si in ipsa Ecclesia Parochiali esset inhumandum: quo fiat ut jus sepulturæ quidem aliis Ecclesiis & Monasteriis concedatur, sed salva justitia Ecclesiarum Parochialium; quæ clausula Bullis Pontificum, quibus jus sepulturæ Monasteriis conceditur passim apposita est. Hoc jus Belgarum frequenter in contradictorio judicio tam Ecclesiastico quam civili sæpissime firmatum fuit, ut brevitatis causa videri poterit in *Motivo*

impresso *pro Pastore & Æditius Ecclesiæ S. Catharinæ Bruxellis*, contra quatuor Ordines Mendicantes; in quo etiam ostenditur hoc jus Belgarum esse conforme juri communi. Huic insuper *Motivo* annectitur *Appendix*, in qua demonstratur quæ sit *Quarta Funeralium*, de qua Conc. Trid. sess. 25. Cap. 13. de reform. ostenditurque, hanc Quartam plane esse disparatam a Missa funerali in Ecclesia Parochiali, præsente corpore defuncti celebranda, priusquam ad locum sepulturæ deferatur.

Denique in hac materia notandum, quod declarat Synodus Cameracensis ultima, tit. 19. Cap. 4. quod in sepeliendis mortuis seu deducendis ad Ecclesiam, non poterunt Religiosi portare Stolam, extra monasterii sui septa juxta contentum Clementinæ *Dudum, de sepulturis*: cui Synodali Decreto conformis est universalis per Belgium praxis; ut vel hinc ostendatur, Regularibus extra Monasterii sui septa, nullam jurisdictionem aut authoritatem competere: Stola quippe potestatem dispensandi Sacramenta indicat; ut habetur in supplemento S. Thomæ Quæst. 40. Art. 7.



TITULUS NONUS.

De Sacramento Ordinis.

Synodi nostræ Belgicæ plurimum sollicitæ fuere ut incommodis ex defectu sufficientis & honesti Tituli ordinationis provenientibus, occurrerent. (*a*)

Pro quo notandum olim aliam fuisse, quam hodie, tituli rationem & acceptionem. Titulus enim prioribus seculis accipiebatur pro Ecclesia, ad quam deserviendam Presbyteri aliique Ministri Ecclesiæ ordinabantur; & in qua stabilitatis promissionem facere tenebantur; nec ab ea recedere iis liceret sine Episcopi licentia. Hinc in Synodis etiam seculi IX. & X. frequenter legitur, ut Presbyteris de minore titulo ad majorem non liceat transmigrare; sed in eo ad quem ordinati sunt permaneant; ut late videri potest in *Glossario mediæ & infimæ latinitatis* &c. Authore *de Fraisne*, verbo *Titulus*. Hinc ordinari sine titulo eo tempore dicebantur, qui in ordinatione nulli certæ Ecclesiæ addicebantur.

Durante hac disciplina, dum de titulo ageretur, non tam de vitæ necessariis ordinandi, quam de Ecclesia cui per ordinationem esset adscribendus, inquisitio fiebat. At circa seculum XII. ad titulum ordinationis major cœpit haberi ratio facultatum seu mediorum, quibus ordinandus honeste sustentari posset, quam Ecclesiæ, pro cujus utilitate aut necessitate ordinaretur.

Cum vero hæc media non modo ex Beneficio Ecclesiastico, ut hodie loquimur, sed etiam ex paterna hæreditate sive Patrimonio haberi possent, paulatim titulus Patrimonialis, pristinis & melioribus seculis incognitus, invaluit; ac insuper in Beneficio Ecclesiastico, dum de titulo ordinationis esset quæstio, non tam ipsum Ministerium Ecclesiasticum, quam proventus eidem annexi, considerari cœperunt. In quo tandem factum est, ut tituli nomine veniant Facultates seu media ad honestam sustentationem ordinandi necessaria; illeque dicatur habere titulum, qui ejusmodi mediis, undecumque provenientibus, sufficienter est instructus. Hæc disciplinæ mutatio originem suam habuisse dicitur, partim ex malo intellectu Decreti Concilii Lateranensis, in Cap. 4. *extra*, de *Præbendis & Dignitatibus*; partim ex mala versione Canonis VI. Concilii Chalcedonensis apud Gratianum Dist. 70. Canone 1. ut videri poterit apud Franciscum Florentem ad Cap. 2. *de Præbendis*; & Ludovicum Thomassinum, de Disciplina Ecclesiæ, Parte 4. Lib. 2. Cap. 3.

Synodus Trid. ut & Pristinam ac meliorem disciplinam, quantum temporum conditio patiebatur, restitueret, & incommodis ex defectu sufficientis & honesti tituli nascentibus obviaret, statuit sess. 21. Cap.

(*a*) Vide *jus Ecclef. univ.* Parte II. Sect. I. Tit. IX. Cap. VI. To. II. hujus edit. Neap. pag. 280.

Cap. 2. de Reform. „ Ne quis deinceps „ Clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius „ legitime constet eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste „ sufficiat, pacifice possidere .... Patrimonium vero vel pensionem obtinentes, „ ordinari posthac non possint, nisi illi, „ quos Episcopus judicaverit assumendos „ pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum. “

Hinc habemus Synodum Trid. pro titulo legitimo & ordinario ordinationis duntaxat agnovisse Beneficium Ecclesiasticum, quo mediante quis certæ Ecclesiæ est adscriptus. Patrimonialem vero titulum non admisisse, nisi dispensative; id est si Episcopus judicaverit necessitatem aut utilitatem suarum Ecclesiarum exigere, ut sub hoc titulo aliqui ad Ordines sacros assumantur. Inde, ut notat Fagnanus, ad Cap. 4. *de Præbendis*, Num. 24. Concilium Trident. aperte sustulit dispositionem Cap. 23. *extra*, de *Præbendis*, secundum quam Clerici non Beneficiati licite poterant ad sacros Ordines promoveri ad titulum Patrimonii: „ nam, „ ait, hodie solum Beneficium est Titulus „ Legitimus ad Sacros Ordines; Patrimonium non nisi dispensative; quemadmodum etiam alias declaravit Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpres: “ hæc ille: Quæ ulterius ostendunt Synodum Trident. proprius ad pristinam disciplinam, quæ titulum Patrimonialem ignorabat accessisse, quam Decretales Gregorii IX.

Insuper vult Tridentinum, ut titulus, sive Ecclesiasticus sive Patrimonialis, sit talis qui ad victum ordinandi honeste sufficiat. Quid vero requiratur ad illam sufficientiam judicio Episcoporum permittit, & merito: nam quod uno tempore & loco sufficit, alio tempore & loco sæpe non sufficit. Interim tamen Episcopus hanc tituli sufficientiam, ita determinare debet, ut obtineatur scopus, quem verbis initialibus sui Decreti Synodus indicat: ne Clerici defectu honestæ sustentationis, *aut cum Ordinis sui dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere* compellantur.

Igitur Episcopus, qui in titulum imputari permitteret, quæ ordinandus e quotidiana celebratione Missarum lucrari posset, menti Synodi Tridentinæ nequaquam satisfaceret; eo quod per hujusmodi tituli sufficientiam minime occurratur incommodis, quibus hoc suo Decreto occurrere voluit. Notum enim est nullos ad quæstum inhonestum adeo declinare solere, quam illos qui ex quotidiano Missarum honorario victitari coguntur, qui frequenter de celebratione Missarum faciunt artem de pane lucrando. Quare nec in Synodo Trident., nec in alia ulla, dum de titulo ordinationis tractatur, ejusmodi honorariorum mentio occurrit.

Præterea Synodi nostræ Belgicæ obviare volentes fraudibus & incommodis, quæ vel per falsi tituli suppositionem, aut ejusdem tituli præposteram alienationem contingunt, statuerunt, ut juret deinceps quilibet Ordinandus ad Titulum Patrimonialem aut Beneficialem, quod titulum quem pro futura sua promotione exhibet, vere & sine fraude possideat; quodque illum non resignabit vel alienabit; nisi ei de alio titulo sufficienti sit prospectum; neque tunc quidem aliter, nisi cum scitu & consensu sui Episcopi, in Litteris ipsius resignationis aut alienationis exprimendo. Item quod titulum, qui in locum prioris tituli successerit absque simili consensu, non resignabit aut alienabit. Ita Synodus Provincialis Mechliniensis 2. Cap. 8. Item Cameracensis Provincialis 2. Cap. 4. nisi quod hæc solum titulum Patrimonialem exprimat.

Ut vero Decreta Synodorum efficacius & facilius observarentur, per Edictum Regium ad Synodum Cameracensem Art. 10. & Principum ad Synodum Mechliniensem Art. 12. omnes cujuscumque generis alienationes, obligationes, aut oppignorationes titulorum Patrimonialium declaratæ sunt nullius valoris, nisi ut minus reservetur ususfructus illorum ad vitam ordinandi, aut alias observatæ sint solemnitates, quas in alienatione ejusmodi bonorum Synodi & præstitum juramentum exigunt.

Hanc juramenti formulam serio expendere debent qui ad sacros Ordines sunt promovendi; præsertim si in titulum Patrimonialem assignare intendant bona parentum, quæ non tantum portionem ipsius ordinandi,

di, sed & reliquorum liberorum integram aut pro magna parte absorbent: quæque verisimiliter ordinando in titulum non darentur, nisi directe aut saltem indirecte suo loquendi vel agendi modo indicaret, & quasi addiceret se nunquam bonis illis usurum. Hic, inquam, merito saltem expendat num ad mentem Synodorum hoc juramentum præscribentium, & Episcoporum exigentium, cum veritate jurare poterit.

Illud equidem de mente Synodorum haud esse crediderim, ut Episcopi adeo sint rigorosi & solliciti de tituli sufficientia dum aliunde de moribus & capacitate ordinandi, ejusque prompta voluntate, pro arbitrio & vocatione Superiorum ad laborandum cum fructu in cura animarum abunde constat; quandoquidem eo casu morale periculum non subsit, quod ordinandus defectu honestæ sustentationis ad mendicitatem aut inhonestum quæstum adigetur; nec enim difficulter, maxime si Episcopus ad hoc allaboret, ejusmodi ordinandus locum inveniet, ubi & in vinea Domini laborare possit, & necessaria pro honesta sustentatione percipiat.

Denique Synodi nostræ, conformiter ad Synodum Trid. sess. 23. Cap. 16. de Reform. statuunt *ut nullus in posterum ordinetur qui illi Ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus*. Synodus 2. Provincialis Cameracensis Cap. 6. quæ & addit: *Et in proximi Ordinis susceptione examinentur singuli, num in iis Ecclesiis, quibus adscripti fuerint, suas functiones obierint.*

Si horum Decretorum exacta esset observatio, moderna disciplina circa titulum ordinationis, nihil a pristina & meliori disciplina discreparet, etiam dum quis titulo Patrimonii ordinatur; præsertim si adscripti certæ Ecclesiæ, non tantum, V. G. Epistolam vel Evangelium decantare, sed etiam in aliis functionibus Clericalibus Parocho quisque pro sua capacitate & talento cooperari tenerentur; id quod intendisse videtur Synodus Provincialis 2. Cameracensis, tit. 21. Cap. 6. præcipiens omnibus Sacerdotibus & Clericis, qui intra sinus Parochiæ degunt, ut Parochum in munere catechizandi pueros pro suo quisque virili adjuvet.

TITULUS DECIMUS.

De Sacramento Matrimonii.

SOllicite admodum inculcant Synodi nostræ, ut proclamationes Matrimoniales tribus distinctis Dominicis vel festivis diebus, sub summo Sacro vel concione, aut alioquin sub frequenti populi conventu, contractaui Mtrimoniali præmittantur; & quidem si Matrimonium contrahere volentes sint diversarum Parochiarum, in utriusque Desponsorum Parochia proclamationes fiant; nec Parochus unius Parochiæ Matrimonio adsistat, nisi ipsi constet in altera Parochia proclamationes factas.

Cum autem scopus harum proclamationum sit detegere impedimenta, si quæ forsan inter contrahere volentes subessent, idcirco si Desponsi in Parochia, in qua moderna eorum est habitatio, brevem moram traxerint, ita ut ibidem non sint satis noti, etsi ibidem Matrimonio jungi possint, nihilominus in Parochia, in qua prius habitarunt, ubi verisimilius est fore ut impedimenta sciantur, proclamationes omnes fieri debent: Synodus Mechliniensis Diœcesana Cap. 8. Gandensis Cap. 7. Audomarensis Cap. 5. Mandantque ordinationes Diœcesanæ Antverpienses, Anni 1643. Num. 7. ut Pastores non mittant facile pro habenda dispensatione Canonum, nisi urgens sit ratio.

Hæc enixa & uniformis, & tantopere inculcata Synodorum sententia, de præmittendis contractui Matrimoniali proclamationibus, ostendit quam parum conformis sit menti Ecclesiæ usitata in quibusdam Diœcesibus praxis cuilibet postulanti remissionem proclamationum passim annuendi; idque non

non raro cum multorum incommodorum sequela; quæ, ex impedimento occulto dirimente post contractum & consummatum Matrimonium propter omissas proclamationes demum detecta nata sunt oriri.

Demum monent Concilia nostra, ut ad sponsalia, ac Matrimonium præsertim, non admittantur, qui non noverint orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogum, quinque præcepta Ecclesiæ ac generalia fidei principia: Synodus 2. Provincialis Cameracensis Cap. 6. & Audomarensis Cap. 3. quæ & Cap. 17. præcipit Pastoribus *ut recens conjugatos instruant honorabile debere esse connubium in omnibus; nec in re sacra quærendam libidinosam voluptatem, sed expectanda fidei, Sacramenti, & prolis bona; quare & instruant, ubi res postulat, verecunde & modeste, ut non existiment conjuges quidlibet inter se licere*; quod ibidem latius prosequitur.

TITULUS UNDECIMUS.

De Doctrina & prædicatione verbi Dei.

CUm præcipuum maximeque necessarium Pastorum officium sit verbi Dei prædicatio ac populi instructio, Synodi nostræ, conformiter ad Synodum Tridentinam valde sollicite inculcant, ne Pastores hac in parte officio suo desint; utque non tantum ad populum diebus Dominicis ac majoribus festis concionem habeant, sed & instructioni, quam Cathechismum vocant, assidue incumbant.

Saluberrimam Cathechismi doctrinam numquam intermittant Parochi, etiamsi paucissimi forent auditores: sed singulis diebus Dominicis, ante vel post vesperas, diligenter eo munere fungantur, magnam a Domino mercedem tam pii operis recepturi: Synodus Cameracensis anni 1604. tit. 3. Cap. 5. Mechliniensis 2. Provincialis Cap. 6. Gandensis anno 1650. quæ & addit, ut non solum in Parochiis, sed etiam in scholis; aut si fieri possit in particularibus Congregationibus per hebdomadam aliquando indicendis, in vicis a Parochia sua remotioribus ejusmodi instructiones Pastor instituat. Synodus Namurcensis ultima, tit. 16. Cap. 2. insuper monet ut Pastores tempore messis, & etiam illis diebus quibus opiliones vel bubulci vel subulci in agris sunt, illos visitent ibidem & doceant; imitaturi ea in parte vestigia Salvatoris nostri Jesu Christi, qui per vicos & plateas transibat evangelizare regnum Dei. Denique Synodus 2. Buscoducensis Cap. 3. præcipit ut Missa matutinali finita, solliciti sint Pastores ut pauperes mendici, famuli, ancillæ, atque alii Mechanici cathechizentur & erudiantur in iis quæ sine salutis suæ periculo ignorare non possunt.

Ut vero majori cum fructu ejusmodi instructiones peragantur, ante omnia monet Synodus Mechliniensis Diœcesana, Cap. 1. ut Concionator quilibet ita mores suos componat & in omnibus se gerat, ut ab iis quæ verbo docet vita non discrepet; & quod ædificat prædicatione, conversatione non destruat; nec ostentandæ doctrinæ vel eloquentiæ causa difficiles & inanes quæstiones moveat, unde sui ipsius potius quam Jesu Christi Prædicator esse videatur.

Præterea ne quacumque occasione populus a concione & Cathechismo Parochi abstrahatur, quo tempore verbum Dei in Ecclesia Parochiali annuntiatur, nemo in Capellis Parochiæ vicinis, aut concionari aut celebrare præsumat: Mechliniensis Diœcesana, Cap. 5. Additque Antverpiensis Cap. 8. ne quis in oppidis Dominicis & festis diebus, ante meridiem extra Parochialem Ecclesiam lingua vernacula concionetur; ne quidem prætextu Indulgentiarum aut Confraternitatis. Lingua vero externa non fiat concio ante horam decimam.

Eumdem in finem Synodus 1. Provincialis Mechliniensis tit. *de Divino officio*, Cap. 12. vult ut requirantur Magistratus, ut in omnibus Parochiis Edicto publico mandent, tempore, quo Divinum officium peragitur


aut

aut verbum Dei prædicatur, tabernas non nisi pro viatoribus aperiri; neque aliquod genus ludi publice aut privatim institui; & omnino abstineri a tripudiis & aliis insolentiis, quibus Parochiani a visitatione Divini officii distrahi possent; sub pœnis arbitrio eorum imponendis. Similia habet Synodus 2. Provincialis Cameracensis tit. 4. Cap. 1.

Quomodo in his omnibus intentioni ac desiderio Synodorum per Principes nostros sit satisfactum, videri poterit tum in Edicto Caroli V. decima quinta Novembris anni 1531. Art. 31. & Edicto Philippi II. ad Synodum Cameracensem Art. 5.

Denique ne Parochis officium suum obire volentibus quodcumque impedimentum objiciatur, declarant Synodi nostræ Pastoribus per se muniis prædicationis obire volentibus, meminerint omnes quomodocumque Privilegiati, se juxta Decretum Concilii Tridentini cedere debere: Antverpiensis Cap. 7. Addit Gandensis Cap. 4. Cathechizare volentibus.

Neque contra hoc Parochorum jus tueri se posse Fratres Mendicantes vigore *stationum*, ut vocant, etiam longissimi temporis, multis ostendit Zypæus, Responso 4. tit. *de Parochiis*; & sæpius in Consiliis Regiis declaratum est; & signanter anno 1674. in Consilio Brabantiæ pro præposito Pastore & Æditu is Ecclesiæ Parochialis Frigidi Montis Bruxellis, contra Patres Dominicanos: non obstante ducentorum annorum pacifice continuata statione.



V.

ANNOTATIONES BREVES (a).

In opus, cui titulus:

Acta Constantiensis Concilii, ad expositionem Decretorum ejus Sessionum IV. & V. facientia, nunc primum ex codicibus MSS. in lucem eruta ac Dissertatione Illustrata, per D. Emanuelem A. Schelstraete, S. T. D. Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum &c. Antverpiæ &c. 1683.

Authore Z. B. Van-Espen, J. U. Doctore & Sacrorum Canonum Professore in Academia Lovaniensi.

[*Nunc primo edita.*]

§. I.

Annotationes generales in Lucubrationem Schelstratii.

Acta Schelstratiana constant triginta paginis (in quarto). Harum priores quatuordecim aliquid vel apparenter facere videntur ad exsolvendam fidem eorum, quæ titulo operis sui promittit: posteriores autem sexdecim nihil ad institutum pertinent quæ a 16. pag. usque ad 28. nihil habent nisi Decreta Reformationis a Martino V. edita, quæ etiam ante in Editione novissima Parisiensi Conciliorum Tom. 12. in Appendice ad Conc. Const. edita erant, nec aliquid ad intellectum Decretorum Sess. IV. & V. faciunt; & consequenter ad 14. primas pagellas tota illa mirifica machina, qua omnes Gallorum prætensiones plane retundere gloriatur, cedit. Ex quibus etiam tres posteriores nihil ad rem attinent, & jam pridem in Edit. Concil. Paris. extabant & quidem auctius.

Itaque *Acta* nunc primum edita, ad Summum 14. pagellis comprehenduntur; quarum 4. primis totum continetur quod ad argumentum operis pertinet; scilicet ad inter-

(a) Excerptæ ex Autographo Authoris.

interpretationes Decretorum Sess. IV. & V. nam reliqua tantum spectant ad protestationem sive denunciationem eorum, qui volebant reformationem electioni Pontificis esse præmittendam, & ea quæ occasione ista dicta sunt, ex quibus unum duntaxat verbum elicit Schelstratius, quod nimirum ea occasione dictum esset, *quod Papa electus ligari non poterat*. Sed illæ 4. pagellæ admodum suspectæ sunt. Solent enim Acta Concilii cujusvis, authoritate publica & in ipso Concilio fieri, quin & hujus rei supersunt notæ & argumenta quædam, ut in omnibus Concilii Constantiensis Editoribus videre est, ubi Henricus de Pyro Promotor Concilii postulat in fine sessionis, ut sibi a Notariis & Scribis Concilii tradantur exemplaria Autographa Authorum; id quoque videtur in MSS. Romanis quæ in Appendice ad Concil. Constantiense Tom. 12. Concil. Labbe edita sunt. Nihil apparet simile in hisce pagellis Schelstratianis. Nec omnino est qui non videat hæc non esse vera Acta Concilii, sed ad summum privati cujuspiam commentarios, qui vel ipso Concilii tempore vel post Concilium, quæ de illo audiverat, exaravit; videturque compendium quoddam scribendum sibi proposuisse; non quo alios erudiret, sed ut suæ tantum memoriæ consuleret. Dicit Schelstraete Acta ad Sess. IV. & V. spectantia ex duobus Codicibus MSS. esse desumpta: eaque quæ Acta continent inter Sess. 38. & 39. ex 4. Codicibus MSS. Aliud pro adstruenda fide illorum Actorum dicere non placuit, & tamen in titulo operis dicere audet ea esse *ex MSS. indubitatæ fidei*. Verum multa etiam ab indulgentissimis criticis circa hæc MSS. essent inquirenda. 1. Utrum integra sint in illis MSS. Concilii Acta, an solum laciniæ sint, & fragmenta? 2. Utrum duo priora MSS. Sess. IV. & V. spectantia, partes sint eorum, quæ inter Sessionem 38. & 39. gesta narrantur; an vero illa a duobus prioribus omnino discrepent, nec quidquam intercedat commune? 3. An utraque babeant notas, quibus certo aut saltem probabiliter ostendatur illa Concilio coæva, nec suspicionem admittant illa in gratiam Aulæ Romanæ eo tempore, quo Eugenius cum Basiliensibus certabat, fuisse confecta? 4. Dato quod tempore Concilii Constantiensis essent exarata, inquirendum restat an authoritate publica, an vero ex commentario alicujus privati desumpta sint, qui cum Constantiæ adesset tempore Concilii, passim & sine delectu scriptis mandabat rerum minus bene gnarus. Ad hæc admodum de falsitate redduntur suspecta recenter edita Acta, quando per illa abrogatur fides librorum, qui sæpius summa fide & cura, ex MSS. editi fuerunt. Hoc autem hic prætendit Schelstratius.

§. II.

Annotationes in Schelstratii *Synopsim Dissertationis & capitum*; ac præcipue in hæc verba capitis secundi: „ *ostenditur Patres post Sessionem* 38. *primum Decretum Sessionis V. ita interpretatos fuisse, ut nihil faciat ad superioritatem Concilii*.

Nihil istius ostendit Schelstraete, nec ostendere potuit; & ideo illa verba in titulo Articuli in Dissertatione posito omisit.

Notandum quod per accessionem duarum obedientiarum tantum 4. aut 5. Prælati, qui obedientiam faciebant Gregorii XII., & 12. Hispani Antistites Constantiensi Concilio consociati sint, adeo pauci quid potuissent contra numerum 400. aut 500. qui concorditer tum nationaliter, tum conciliariter, Decreta Sess. V. comprobaverant, ut ex Actis constat.

Ut vero Cap. 2. hoc probet, quod hic præfert titulus, duo solum profert nullius momenti. Profert instrumenta, quorum alterum est prolixa & tetrica quædam protestatio trium Nationum, & Collegii Cardinalium adversus Nationem Germanicam, quæ prætendebat reformationis negotium præcedere debere electionem Pontificis. Alterum obscuram & impeditam continet narrationem eorum, quæ in concertatione contigerunt. Sed quomodo hæc idonea essent ad demonstrandum in quo sensu hæc Decreta accepisset Concilium, post unionem trium obedientiarum, cum in his quæ Schelstraete producit in tota hac rapsodia, quæ incipit a pag. 6. usque ad pag. 15. ne ver-

verbum quidem occurrat de istis Decretis? & ridendum plane est quibus consequentiis & conjecturis ex istis trahat probationes in rem suam.

§. III.

Annotationes in hæc verba Schelstratii : pag. 2. *Acta post Sessionem tertiam &c.... Item obtulerunt D. Domini Cardinales, quod ipsi parati erant Sessioni in crastinum celebrandæ interesse, dummodo non fierent, neque statuerentur alia Capitula, nisi Capitula infrascripta &c.*

Cum in tota hac narratione non fiat mentio de articulis concernentibus superioritatem Concilii, manifestum est, juxta regulas Grammaticorum & Dialecticorum, quod illa *infrascripta Capitula, hi articuli &c.* quæ generalia sunt, non pertinent ad illa quæ refert; sed debeant referri ad ea, de quibus in præcedentibus & subsequentibus tractatur.

Schelstraete, pag. 3. *Eadem die venit novum de Scafusa Constantiam, qualiter Dominus noster Papa timens, ne Dominus Rex Castrum Scafuga obsideret, inde hora nona ante meridiem..recesserat &c.*

Espenius. Quid hæc *novum de Scafusa*, ad Capitula, de quibus contendebatur, nisi Capitula eam agendi rationem spectassent, qua utendum erat erga Pontificem?

Schelstraete, ibid.: *in crastinum usque ad illam horam viderent si possent ad invicem concordare.*

Espenius. Clarum est illa referenda ad dissensionem, quæ Cardinales inter & Nationes intercesserat; ut proinde ineptissime D. Schelstr. pag. 42. ex illis verbis colligat discordiam fuisse inter Nationes.

Schelstraete ibid.: *Fuit plurimum super infrascriptis & aliis Capitulis altercatum.*

Espenius. Volebat Imperator Duci Austriæ movere bellum, quia fugienti Joanni XXIII. receptaculum dederat. At quorsum hæc? nisi altercatio hic mota personam Joannis XXIII. concerneret.

Schelstraete, ibid. p. 4. *Habita fuit non modica disceptatio inter Dominum Regem, Dominos Cardinales, & Deputatos Nationum super Capitulis prælibatis.*

Espenius. Admodum verisimile quod Nationes vellent. Sessione IV. definita & ordinata esse contra Joannem XXIII. quæ demum Sess. V. statuta fuerunt. Nec mirum quod Cardinales tandem consenserint ut Sessione V. ederentur, quia Joannes XXIII. per suam fugam ex Scafusa & rursus a Friburgo &c. satis ostendebat se non velle Concilio adhærere.

Schelstraete, ibid. p. 4. *Hæc sancta Synodus Constantiensis & Generale Concilium faciens &c.*

Espenius. Si igitur Acta Schelstratiana genuina sunt, compertum est unanimi consensu hoc Decretum hoc modo editum fuisse; & consequenter 1. Synodum Generalem fuisse congregatam. 2. Sensisse unanimiter Patres, non obstante fuga Joannis XXIII. Concilium esse Generale, universalem Ecclesiam repræsentans 3. Concilium a Christo immediate potestatem accepisse; & consequenter quod Decreta Conciliorum non egeant approbatione Pontificis scilicet, eo sensu quo ab his asseritur, qui prætendunt Conciliorum Decreta nullius esse roboris priusquam a Summo Pontifice approbentur. 4. Pontificem obedire debere Concilio in his quæ ad fidem &c.

Schelstraete ibid. *Ad consequendum ... uberius, ac liberius unionem ac reformationem Ecclesiæ Dei ordinat, definit* &c.

Espenius. Hæc verba manifeste innuunt in 1. Decreto Sessionis IV. etiam haberi debere hæc verba *ad reformationem &c.* quandoquidem verbis expressis dicit Synodus se pro *reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris* præsens Decretum edere.

Ad pag. 38. ait Schelstratius se reperisse in quodam suo MS. post hæc verba: *ad fidem & ad extirpationem Schismatis* hæc verba: *Iste* (nimirum *articulus*) *imperfecte fuit factus ut sequitur; ideo suppletur in sessione sequenti*. Vocem *articulus* post vocem *iste* suo quidem jure interserit Schelstratius, quo huic annotationi aliquid luminis tribuat. At quo sint hæc verba *ut sequitur*, referenda omisit dicere: pudeat profecto homines fatigare, & nescio quæ velle persuadere iis, quæ Librarius quispiam non modo imperite sed & incuriose, ac nulla rerum singularum designatione facta annotavit: pudeat hujusmodi confusæ & im-

per-

perfectæ annotationi tantum tribuere ut ejus authoritate omnes Editiones Actorum alicujus Concilii Generalis falsas dicamus. Neque dicit Annotator in quo Decreti illius imperfectio sit, quodque alia Sessione supplendum esset; nonne mere divinat Schelstraete, dum ideo imperfectum asserit, quia omissa essent hæc verba *ad reformationem Ecclesiæ* &c.? Potiori certe jure ideo imperfectum fuit Decretum illud & Sess. V. suppletum, quia non decernebatur de casu quo Pontifex contumaciter obedire Decretis Concilii renueret; quod Sess. V. suppletur.

Schelstraete p. 5. *Die Sabbati sexta Mensis Aprilis ... præmissa per Dominos Cardinales, & Oratores Regis Franciæ protestatione ... secrete facta, quod propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audiverant in ipsa statui debere, maxime quod D. noster Papa, & alii in Concilio existentes in plena securitate fuerant* &c.

Espenius. Omnia hic admodum obscura & enigmatica; ut vel exinde appareat non esse vera & genuina Concilii Acta. Dicit altercatum fuisse inter Cardinales & Nationes super correctione & emendatione Capitulorum in præcedenti sessione statutorum. Non dicit super quibus Capitulis. An aliquorum, an omnium? Si aliquorum, non dicit quorum. Sed quinam eorum correctionem postulabant? An Nationes, an Cardinales? Ad hæc p. 4. Actorum Schelstratianorum dicitur quod Sess. IV. Decreta edita sint cum consensu, & quod omnes *Divino flamine inspirante in unam convenerint sententiam*; quomodo ergo 8. diebus post, tanta exorta est dissensio & altercatio? Pergunt Acta pag. 5. *tandem ordinatum & conclusum est quod supradicta Capitula modo infrascripto corrigerentur*.

Videtur Author ex professo studuisse obscuritati, ne quid a quoquam intelligeretur. Nescimus quid sibi velit per *Capitula supra dicta*. Minus etiam scimus quid sit *modus infra scriptus*, juxta quem conclusum est fore ut Decreta reformarentur. Tum etiam divinandum reliquit an Decreta Sess. IV. quæ ad nos pervenerunt sint ex correctis?

Addit post pauca: *præmissa per DD. Cardinales & Oratores Regis Franciæ protestatione in Camera Paramentorum Palatii Constantiensis secrete facta*. Sed quomodo illi qui ante ita publice contestati fuerunt super articulis jam constitutis, jam non audent suam opinionem publice proferre super non constitutis; super iis, de quibus in Conciliis disputandi major solet esse libertas quam super jam Decretis. Deinde jam sibi adjunctos habebant Oratores Galliæ. Deinde nullum fuit Concilium, in quo tanta quodvis proponendi libertas fuerit quam in hoc; unde cum in initio exorta esset, cum a Concilio postulabatur ut etiam Joannes certo promitteret cedere Papatui, nonnulli Cardinales ipsi Joanni impensius faventes resistebant; & licet Universum Concilium cum Imperatore ipsis contrariaretur, nihilominus non tantum voce sed etiam scriptis sententiam suam defenderunt; eorumque hinc inde dicta & scripta reservata sunt in Appendice Tom. 12. Vide sequentia pag. 16. (Actorum Schelstratii).

Schelstraete pag. 6. *Protestatio facta a Collegio Cardinalium, & tribus Nationibus, Italica, Hispanica & ipsa Gallicana*.

Espenius. Hæc protestatio multis titulis de falsitate redditur suspecta. Primo quia nulla ejus mentio occurrit in Concilii hujus actis editis amplissimis ac fusissimis, Schelstratiana longe superantibus. Nihil quoque apud Authores qui historiam Concilii circa tempus ipsius Concilii scripserunt; qualis Theodoricus Niemensis, Sandionysianus Monachus, abunde in primis locutus. 2. Ex lectione illius protestationis apparet potius alicujus hominis, Rhetoris instar declamantis, declamationem, quam Nationum & Cardinalium protestationem esse.

3. Ipsa protestatio caret initio, caret fine. Ignotum quis in ea loquatur; nec Nationes nec Cardinales pro se loquuntur. Alii pro ipsis loquentes introducuntur; qui & quales sint ignoratur. Ignoratur quoque a quo, suo vel alieno nomine, protestandi Authoritatem acceperint, quæ tamen si defuerint nullius roboris est protestatio; unde valde diversa est hæc pretensa protestatio a duabus aliis una scilicet

 Car-

Cardinalis Cameracensis, & Florentini, & altera Oratoris Regis Poloniæ, quæ extant in editis actis in Appendice Concilii Constantiensis; in his enim omnia prædicta adsunt, scilicet initium, finis &c.

Ad hæc, duæ hæ protestationes clarum & simplicem exhibent sensum, dilucideque intelligitur quid velit. At hæc Rethoricam declamationem præferens, ita incipit: *Audite hæc omnes gentes* &c. Deinde pag. 9. protestantur tres Nationes & Cardinales Deum Patrem omnipotentem &c. Deinde in eadem protestatione pag. 7. dicitur, *quod Clerus & populus nonnullorum Regnorum & Provinciarum dum non solide & clare huic S. Concilio adhæserint;* quod plane a Sessionis illius tempore est alienum.

Nec enim est verisimile cum eo tempore obedientiæ Greg. XII. & Bened. XIII. essent Concilio unitæ. Rursus in eadem protestatione dicitur Nationem Germanicam pro suo fundamento assumpsisse Decretum Sess. 14. quod verisimile non est, cum in eo nec verbum quidem habeatur quo insinuetur reformationem fieri debere ante electionem Pontificis. Sed absurdior est quæ attribuitur Nationi Hispanicæ ad Decreta illa Responsio. *Quibus Decretis*, ait Natio, *nos Hispanica Natio etiamsi alias valida existerent, non ligamur:* quid hoc absurdius? Duodecim Prælati recens ad Concilium admissi Decretis illius etiamsi valida existerent non ligari se prætenderent. Demum admodum suspectam reddit hanc Protestationem quod in ea valde ignominiose traducatur Sigismundus Imperator; cum semper Synodus illum ut præcipuum suum protectorem & piissimum Advocatum suspexerit, ipsiusque authoritatem & protectionem singulariter imploraverit, pro negotio electionis novi Pontificis; ut videre est Sess. 14. post Decretum de elect. novi P. & litteras Imperatori super ea conscriptas.

Notandum quod de hac tota protestatione, altum silentium sit in fusissima illa Actorum Concilii Constantiensis Appendice, ex Codice MS. Barberino desumpta, quæ accurate valde omnia acta etiam minutissima refert.

Qui igitur verisimile fiet tantumdem animi hic non fuisse Cardinalibus & Oratoribus Galliæ, eosque intra clancularem protestationem stetisse: in qua nihil poterat esse præsidii cum in Concilio non fuerit denunciata, nemoque sit qui eam postea Concilio innotuisse asserat? Ad hæc si secreta fuit, qui eam scivit Actorum horum compilator? Qui fit ut illi soli innotuerit? Alia autem omnia edita Acta illius non meminerint, sed potius asserant a Cardinali Florentino cum res & occasio postularunt, non tantum scripto sed etiam voce sæpius Concilio protestationem intimatam fuisse. Pergunt Acta Schelstr. *Protestatione secrete facta, quod propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his quæ audiverant in ipsa statui debere.* Ex vera protestatione Cardinalis Florentini quæ in Actis editis refertur, hoc totum fabulosum esse evincitur. Deinde quid poterat esse majus scandalum quam quod in Concilio, quod debet esse liberrimum, libertas non fuisset sensa sua depromendi? Non igitur *secreto protestando* evitassent scandalum sed e contra per eam secretam protestationem summum causassent scandalum si rem in Concilio, si alicujus momenti erat, non declarassent. Deinde dicitur quod his assentire nollent quæ sessione proxima *statuenda audiverant*; quæ etiam faciunt narrata de falsitate suspecta. Cum enim inter Oratores Galliæ duo essent Episcopi, alter Gerson, & quartus Archidiaconus Parisiensis, unus tantum Laicus, in Congregatione Nationis suffragium illi quatuor habebant, adeoque certo scire poterant quæ essent in sessione publica proponenda, cum proponenda in sessione per Nationes examinarentur &c. Deinde si in Natione protestati essent, qua ratione etiam in sessione publica protestati non fuissent, aut saltem contradixissent? Sed illud maxime totum hoc Schelstratianum præsidium ex hoc MS. erutum, plane evertit quod non dicatur super quibus illa protestatio facta sit; plura enim Sess. V. statuta fuere. Dein ex verbis, quæ sequuntur: *maxime quod D. N. Papa &c.* satis colligitur quod protestatio concerneret statuenda circa personam Joannis XXIII. Unde sollicite cavit ne in tota sua Dissertatione ullibi faceret illorum mentionem. Imo sane videtur compilatorem horum Actuum hic mentionem fecisse protesta-

testationis quia de aliqua protestatione facta a Cardinalibus Florentino & Cameracensi relata in Appendice p. 1464. inaudiverat; & sane ex lectione hujus protestationis satis apparet ad eam collectorem horum Actuum respexisse. Denique in Actis Schelstratianis dicitur quod aliqua proposita in Sess. V. non fuerint edita. Unde igitur scit D Schelstraete an protestatio non fuerit de illis, quæ quidem proposita fuerunt sed non edita. Deceptus fuit dictus collector. 1. Quod protestationem dicat factam inter IV. & V. Sessionem; cum facta sit in fine tertiæ. 2. Quod eam attribuat omnibus Cardinalibus, quæ tantum facta fuit a Cardinalibus Florentino & Cameracensi. 3. Quod eam clancularem dixerit, cum publica fuerit & scripto exhibita.

Schelstraete. p. 8. *Obstantibus quibusdam hujus Concilii Decretis, quibus nos Hispanica Natio, etiamsi alias valida existerent, non ligamur.*

Espenius. Hic loquitur Natio Hispanica quæ alias non erat locuta.

Schelstraete, pag. 13. . . . *sed* NULLUS AUDEBAT *proponere in Natione, ne contra eum clamaretur . . . & semper fuit in Concilio* MAGNA CONTROVERSIA .... *Et tandem dicta Natio* (Germanica) *petivit assecurationem & cautionem per Decretum irritans, quod post electionem Papæ fieret reformatio, ante coronationem Papæ & administrationem aliquam.*

Espenius. Dubium proinde non est quin Natio Germanica crediderit id fieri posse per Concilium quod ipsa postulabat; nimirum Papam constringere, constituta pœna per Decretum irritans, ad faciendam reformationem ante coronationem; neque postulationem Nationis Germanicæ reliquæ Nationes tamquam Authoritati Pontificiæ derogantem rejecerunt; sed admiserunt, & super ea deliberaverunt, qua ratione executioni mandaretur; quia, ut ajunt MSS. *postea fuerunt facta diversæ formæ Decreti ad hoc.*

Deliberarunt ergo de eo quod licitum credebant. Sed an hic & nunc expediret, discusserunt; ac tandem inter deliberandum fuit visum præposterum nimis eligere Pontificem, cui coronatio omnisque vel minima dignitati annexa administratio vetaretur, donec absolutum esset negotium incerti exitus; quodque ad longum tempus protrahi potuisset. Facile igitur in eorum sententiam itum est, qui sustinebant *quod Papa electus ligari non poterat.* Quod quidem totidem verbis dictum fuisse ambiguum est; sed quibuscumque dictum sit, non aliud significat quam nec fore approbandum si electus Papa tam duris conditionibus addiceretur. Verbum *non potest* aut *non poterat* non semper significat rem absolute impossibilem, sed frequenter etiam rem quam hic & nunc fieri non convenit.

Ad hæc illa verba non dicuntur de *Papa* absolute sed de *Papa electo*; ideoque verba videntur tantum referri ad Papam electum aut proxime eligendum. Deinde verba in eo sensu, quo accipit ea Schelstraete, nequaquam probabile est fuisse a Patribus accepta, cum post multa secula observatum sit quod electus Papa ante ordinationem administrationi se immiscere non posset, ut in Diurno Romano pag. 9. recte observatum est. Finaliter notandum, moris esse in Conciliis quod cum agitur de concinnandis formulis, rem illam committi quibusdam Deputatis. Inter istos ergo Deputatos hæc verba dicta esse asserendum esset; at inde non haberetur quod a Concilio essent profecta, aut in eo Nationaliter vel Conciliariter discussa & conclusa; neque verisimile est quod ob quædam verba a Deputatis leviter dicta, præstantissimi Patres & Theologi, quorum unanimi suffragio Decreta Sess. IV. & Sess. V. erant edita, vim eorum labefactari permisissent. Nihil igitur infirmius quam quod ex his verbis, quæ an sint prolata, a quibus, quo sensu dubium est, velit Schelstr. nos inducere ut non ex contextu Decretorum, prout Sess. V. edita sunt, sensum eorum eruamus, sed sensum capiamus ex interpretatione quæ facta fuit a Patribus post Sess. 38. nihil præter illa pauca & dubia verba, quæ vel apparenter ad rem faciant, adducens.

Anno-

§. IV.

Annotationes in Dissertationem Domini Emanuelis a Schelstraete, de authoritate & sensu Decretorum Sessionum IV. & V. Constantiensis Concilii.

Schelstraete, Cap. 1. Art. 1. pag. 36. ... *Ideoque* (Concilium Basileense) *mandasse duobus Cardinalibus, duobus Episcopis, duobus Theologiæ Doctoribus, & Archidiacono Zagabiensi ut ex Actis Constantiensis Synodi Decreta extraherent*. &c.

Espenius. Sane hæc accurata diligentia & cura circa exscriptionem Actorum Constantiensis Concilii vel sola vindicat Basileenses Patres pietate & eruditione illustres, a teterrima illa nota, quam illis affingit, nimirum falsificationis Actorum. Quid enim illa cura & diligentia indicat, nisi ut nihil in publicum prodeat quod merito in dubium revocari queat? An falsa meditantibus mos est adhibere tot testes? Si Schelstratius tantumdem pro suis MSS. adferret, nec forte hactenus edita, in dubium saltem vocari possent.

Shelstraete, p. 36. *Nactus fuerat Petrus Crabbe, alium Codicem Concilii Constantiensis Coloniæ asservatum, in quo multo plura continebantur, quam a Deputatis Basileensis Concilii collecta fuerant*.

Espenius. Audax nimium assertum! Quasi nulla alia fuerint MSS. nisi pauca illa, quorum meminit Schelstraete. Et si daretur quod omnes Concilii Constantiensis postmodum factæ sunt editiones ad exemplar editionis Basileensis, quid inde conficeret? An forte pro falsis habenda ideo quia Actis Schelstratianis non consentiunt? Quod si inter se conferantur, fides & authoritas Basileensium omni diligentia & authoritate edentium Acta Constantiensis Concilii; & authoritas privati hominis sua sola fide hujusmodi in publicum protrudentis, quis sanæ mentis illorum fidem huic non præferret? Insuper ex hoc ipso loco constat quod editio Romana non tantum nitatur authoritate editionis Basileensium sed etiam aliorum MSS. quod & fatetur pag. 39. Et clarum est ex hoc ipso loco, quod Petrus Crabbe in MSS. nihil invenerit quod fidem Basileensium circa Decreta Sess. IV. & V. elevet, sive ea corrupta fuisse indicet; id enim sicut reliqua annotare non omisisset. Insuper falsas Schelstratianas hypotheses funditus evertit, ejusque authoritatem omnino pessumdat novissima Conciliorum editio opera & diligentia Patris *Labbei* & *Cossartii* elaborata, in qua duo notatu digna occurrunt. Primum: Acta Concilii, cum additamentis charactere Italico, quæ merito censentur desumpta ex narrationibus Concilio æqualibus, ob varias quas referunt rerum circumstantias, quæ annotari non possunt nisi per id tempus quo geruntur. Secundum: Appendix ad Concilium Constantiense ad 430. paginarum columnas producta, quæ a Cardinali Barberino Collegii Sacri Decano, Parisios transmissa fuit, ut ad initium hujus Appendicis pag. 1434. monent dicti Patres. Porro ad fidem & authoritatem atque integritatem in isto Codice MS. ex quo desumpta est ista Appendix, nihil ultra requiri posse videtur. Eam exactissimam esse clamant minutæ res pene innumeræ adeo singillatim & ad scrupulum usque relatæ, ut ibi legas etiam horum testium nomina, queis usi sint Concilii Promotores in confirmandis Actis quæ sibi a Notariis exhibita erant. Nec solum fidelem sed etiam fusissimam narrationem continet Appendix eorum, quæ in Concilio gesta sunt, etiam ad tædium usque minutissima quæque enarrans.

Quis hinc non videat quam majora authoritatis & sinceritatis indicia præ se ferant, tum Acta Concilii Constantiensis; tum Appendix ejus Tom. 12. Concil. exhibita, quam 14. illæ pagellæ quas e Codicibus MSS. in lucem misit Schelstraete; ac per consequens dum inter se diffident, prioribus potius quam posterioribus esse credendum.

Sane cum in hac Appendice omnia tam singillatim & accurate per singulas Sessiones acta referantur, quis credat hos diligentissimos ac fusissimos Actorum compilatores tam notabilem rem, qualis narratur in Actis Schelstratianis, a pag. 6. usque ad 14. omisisse, aut ignorasse, aut cognitam consulto omisisse.

Schelstraete, p. 37. *Attamen si genuina & vera esset Actorum a Basileensibus collectorum*

ctorum copia, ex qua prima Constantiensis Concilii Editio prodiit, non deessent forsan, qui de particula: AD FIDEM, *an Decreto addenda sit, dubitare pergerent.*

Espenius. Sane si Basileenses illam particulam *ad fidem* addidissent Decreto Seff. IV. cur non & Seff. V.? Deinde falsitas illius additionis clare habetur ex Epistola 2. Juliani Cardinalis S. Angeli ad Eugen. Deinde licet juris Doctores ex suppositiis Epistolis primorum Pontificum usque ad Siricium & nonnullis apocryphis Conciliis *Suessano & Romano* sub Sylvestro in Gratianum relatis in varias de potestate R. P. opiniones exorbitantes abierint, ut tandem etiam ipsum quemdam Monarcham constituerint, & propterea Concilium Constantiense veritatem declarare debuerit, ut ex Panormitano dubio de Concilio Basil. & Epistola Synod. Basil. quæ incipit *cogitanti*, constat. Quamvis, inquam, variæ essent hæ Eminentissimorum DD. opiniones, veterum tamen erat satis constans sententia quod Papa a fide devians a Concilio judicari posset; idque ob Canonem *si Papa* Dist. 40. idque etiam Bellarminus (a) & Cajetanus admittunt. Et sane hoc admittendo non apparet quomodo non sequatur Papam Concilio esse inferiorem, & Concilio obedire debere; præsertim si attendantur principia Bellarmini, quibus ostendit Papam hæreticum ab Ecclesia judicari posse. Item quibus ostendit, adversus Cajetanum hanc legitimam esse consequentiam: Ecclesia ob hæresim, invitum Papam deponit. Ergo est supra Papam.

Ad hæc notandum quod Canonistæ, dum dixerunt Papam a fide devium posse judicari, non asseruerint Papam hæreticum desinere esse Papam, sed de hæresi convictum posse ab Ecclesia judicari, & a Papatu dejici, & sane posse etiam hæreticum esse exterius, licet adhuc maneat per exteriorem Sacramentorum communionem conjunctus & membrum Ecclesiæ. Illud quoque clare docet Julianus in dicta Epistola: & idem ex glossa ad dictum Canon. *si Papa*, est manifestum: Item ex Panorm. de Concil. Basil. ibi etiam pro eadem citat Cardinalem Zarabellam, sive Florentinum. Ad hæc cum his Authoribus notandum, quod nullatenus possit intelligi de hæresi mere interna, quæ se exterius nullatenus prodit, quia ridiculum esset de hac quærere num propter eam Papa judicio Ecclesiæ subjaceret. Deinde etiam clarum est quod intendant etiam loqui de hæresi occulta, quæ probari potest; quia expresse differentiam ponunt inter hæresim & alia crimina, ut scilicet ob illam etiam occultam Papa accusari possit; ob hæc vero nisi quando publica sunt & totam Ecclesiam scandalizant. Deinde in Bulla, quæ incipit *Deus novit*, quæque quantum potest, extollit Pontificum authoritatem, tantumque deprimit Concilii Generalis authoritatem, ut eam pro sua agnoscere ausus non fuerit Eugenius; in illa, inquam, Bulla equidem agnoscit author Papam in causa fidei Synodo subesse. Idem quoque tamquam certum supponunt Patres Basileenses in resp. Synodali, quæ incipit *Cogitanti*; quæ summo studio & accuratissime adversus Orationem Archiepiscopi Tarentini, hominis astuti & Pontifici summopere addicti edita est; eo tempore quo etiam fatente Eugenio IV. Concilium Basileense Œcumenicum fuit.

Schelstraate, p. 39. *Ita factum est de Actis Concilii Constantiensis, quæ post Editionem Romanam aliam certitudinem non obtinent præter eam quam merentur, & authoritas Basileensium, qui eam compilarunt, & manuscripti Codices, ex quibus edita fuerunt. Enimvero in Editione Romana alia Acta Constantiensis Synodi non prodierunt.*

Espenius. Vel inde evincitur quod illi, qui editioni sub Paulo V. præfuerunt, qui nec eruditione nec diligentia Schelstratio cedere debuerunt, crediderunt Acta Concilii Constantiensis sincera & genuina esse prout a Basileensibus edita fuere; neque ullam corruptionem passa fuisse; sed iis omnem fidem adhibendam esse, prout Basileenses volebant. Et quid nos urget ut potius Schelstraete accusantem Basileenses de mala fide & perfidia sequamur, quam Paulum V. & illos quos ad hanc editionem parandam Paulus adhibuerat; qui a Basileen-

libus

(a) Bellarm. L. 3. de Ecclef. milit. Cap. X. L. 2. de Conc. Cap. ult. L. 2. de Rom. Pont. Cap. 9. §. 3. Cajetan. *de Author. Papæ & Concil.*

sibus Acta sincere exscripta fuisse dicunt. Ipse ergo Schelstratius vult ut ex ejus fide contra omnium aliorum fidem & authoritatem credamus Basileenses Acta Concilii Const. corrupisse, eamque corruptionem neminem ante ipsum advertisse; tametsi editioni Actorum illorum operam & diligentiam adhibuerint.

Schelstraete, ibid. *Ex quo manifestum fit, Decretum Sessionis IV. genuinum ad manus nostras non pervenisse.*

Espenius. Praeclarum commentum ab omnibus, etiam a Christiano Lupo, explosum.

Decretum Seff. IV. ad nos genuinum non pervenisse hoc uno argumento probatur, quia hæc verba *quæ ad reformationem &c.* non reperiuntur in MSS. Codicibus illis quos nuper Schelstraete in lucem edidit; cum tamen non modo in eorumdem MSS. Codicum Decreto Seff. V. sed & in omnibus ubilibet, etiam Romæ editis, Decretis Seff. IV. æque ac V. haberi fatentur etiam Schelstraete; adeoque ut ejus subsistat argumentum hoc modo eum argumentari necesse est: Editiones communes Concilii Constantiensis etiam Romana, jussu Pauli V. facta, MSS. Codices omnes, secundum quos recensitæ sunt illæ editiones, minorem merentur fidem quam ii MSS. Codices, qui a me vulgati sunt, qui præter me nullum alium habent Authorem; quique mihi uni debent honorificum titulum, quo insigniti sunt dum inscribuntur: Codices *MSS. indubitatæ fidei.* Quis crederet fundamento adeo ruinoso ac debili, ne dicam stupido, virum alicujus eruditionis aut ingenii superstruere ea quæ habet Schelstratius, tamque fidenter Basileenses Patres malæ fidei, & textus corruptionis arguere.

§. V.

Annotationes in Articulum II. ejusdem Dissertationis.

Shelstraete, Art. II. p. 40. *An Decreta Sessionis quintæ* CUM DEBITA DELIBERATIONE, *&* CONSENTIENTIBUS OMNIBUS, QUORUM INTERERAT, *constituta sint.*

Espenius. Hoc dubium de debita deliberatione hic tantum inserit Schelstraete ut disputationem implicet: nihil enim tale in suis MSS. invenit, totumque huc redit quod luculenter in titulo Libri expressit; ex suis scilicet MSS. manifestum fieri Seff. V. *Decreta contra protestantibus Cardinalibus & Regis Galliæ Oratoribus edita esse.* Hoc enim & non amplius pollicetur magnificus Libri titulus.

Sustinet D. Schelstraete ex fide suorum MSS. quod Decreta Sessionis V. edita sunt contra protestantibus Cardinalibus & Regis Galliæ Oratoribus: atque exinde ulterius conficere vult quod Decreta illa nullius sint roboris; utpote cum iisdem sufficiens consensus Concilii non supervenerit. Sed hæc Schelstratii molitio quadruplici rationum præsidio subrui potest. 1. Quamvis tale factum supponatur, consecutionem tamen esse illegitimam. Inde enim nutaret authoritas omnium quæ in Conciliis Generalibus acta & decreta sunt. Pro quo notandum quod etiam, fatente Schelstraete, illa protestatio tantum fuerit clancularia; sic enim habent MSS.: *protestatione secrete facta*; quin & fatetur protestationem hanc numquam Concilio innotuisse, neque illos quos protestatio introducit, in ipso Concilio contradixisse, & rebus omnibus, quæ postea vi horum Decretorum factæ fuerunt, consensisse. Deinde notandum quod Seff. V. tantum interfuerunt 7. aut 8. Cardinales, Legatos vero Galliæ fuisse 4. aut 5. in Concilio præsentes, 200. Episcopos qui post deliberationes in 4. Nationibus habitas conclusserunt Decreta hujusmodi proxima Sessione publicatum iri. Unde in MSS. Crabbe, de Andrea Poznaniensi habetur: *Certa Capitula per modum Constitutionum Synodalium prius per singulas 4. Nationes conclusa & deliberata legit & publicavit*. Et in alio MS. cujus excerpta ex Urbe Roma a Cardinale Francisco Barberino missa sunt, & per modum Appendicis ad Concilium Constantiense Tom. 12. Conciliorum Labbeanæ editionis inseruntur; hæc eadem leguntur & fusius ac accuratius referuntur pag. 1468. post hanc notam *inserenda*: pag. 26. His ita positis peto utrum Schelstraete hanc ausit sustinere propositionem: Decreta alicujus Concilii Generalis, quæ ut

ut ex rebus certissimis, Actisque authenticis constat, deliberata & conclusa fuerunt in Conventibus quibusque particularibus; deinde publicata, tum in Sessione publica legitime celebrata 200. Episcoporum unanimi consensu approbata, nullius authoritatis existimanda sint, si 250. annis post, MSS. quædam reperiantur, quibus innotescit, 12. plus minus hujus Concilii Patres adversus Decreta in hac Sessione promulganda *secrete* fuisse ante protestatos quam eidem Sessioni interessent. Quis non videt hac propositione admissa omnium Conciliorum Generalium Decreta nutare? Et tamen hanc admittere debet Schelstraete ut suum principium sustineat.

Secundo ex ipsis, qui hic protestatos fuisse introducuntur, manifeste conficitur illam protestationem contra Decreta Sess. V. de authoritate Concilii, esse merum figmentum. Quis enim credat Legatos Galliæ esse contra illa Decreta protestatos; qui præcipuum ac antesignanum & authoritate & doctrina ac pietate fuisse Joannem Gersonem considerat; & inter Cardinales Dux eorum, qui protestati dicuntur, inducitur Franciscus Zarabella Cardinalis Florentinus; quem constat etiam fatente Bellarmino (in p. 2. de Author. Concil. Cap. 14.) sustinuisse Concilium esse supra Pontificem; uti & Cardinalis Cameracensis, Petrus de Aliaco, qui duo inter 7. aut 8. Cardinales facile præcipui erant. Et Cardinalis Cameracensis in ipso Concilio Constantiensi Tractatum edidit, quo authoritatem Concilii supra Pontificem asserit.

Schelstraete, ibid. pag. 43. *Sic ut a Sessione quarta non solum absit Decretum de puniendo quocumque contumaciter obedire nolente, sed & articulus de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris a primo Decreto abesse debeat, cum & illi articulo Cardinales contradixissent.*

Espenius. Mera sunt figmenta Schelstratiana; imo nec ejus MSS. ullam hujus contradictionis mentionem faciunt; imo nec dicunt super his Decretis altercationem inter Cardinales & Nationes fuisse; imo apertissime etiam ex MSS. Schelstratianis constat, quod tota altercatio, quæ facta dicitur ante Sess. IV. concernat modum agendi circa personam Joannis XXIII.

Schelstraete, ibid. *Fuisse per eumdem Cardinalem* (Florentinum) *cum aliquibus Deputatis aliqualiter disputatum. Ubi notandum To* ALIQUALITER.

Espenius. Nota quod nec in MSS. Schelstratianis habeatur quod Decreta Sess. V. edita sint sine matura deliberatione, sed id per consequentiam ex notatis verbis inferri per Schelstraete.

Schelstraete, ibid. *Sessioni tamen quintæ interfuisse Cardinales &c.*

Espenius. Sane si in illa concertatione, quæ fuit post Sess. III. & in Actis Schelstratianis refertur, fuisset certatum de Dogmate tanti momenti, quomodo credibile est quod Cardinales permisissent sine ulla publica protestatione hoc Dogma definiri & se præsentibus referri in Acta: *Publicatum fuisse probantibus & consentientibus omnibus*; contenti, ut credit Schelst. secreta protestatione in camera paramentorum? Sane si ita esset, Cardinales illi non veri constantes & intrepidi defensores sed meri veritatis proditores, aut pueri æstimandi essent, qui Dogma aliquod tanta contentione octo ante diebus defendissent, ejusque definitioni obstitissent, & nunc, ne verbo quidem publice contradicere audeant, licet animo contrarium crederent.

Schelstraete, ibid. p. 44. *Sed vellem scire cur hac verba immediata sequentia omiserint?* Fuerunt pronuntiatæ definitiones sequentes per electum Poznaniensem, quia Cardin Florentinus illas noluit pronuntiare. *Hæc enim verba &c.*

Espenius. Verum quidem est Decreta Sess. V. lecta fuisse per electum Poznaniensem; sed unde habeat Schelstratius eorum lectionem Cardinalem Florentinum recusasse, nescio. Interim tamen ut supponatur ita esse, id tamen contigisse ob Decreta Concilii authoritatem spectantia plane improbabile est; cum essent consentanea doctrinæ quam Florentinus propugnabat. Sed verisimile est id factum ob Decreta personam Joannis XXIII. spectantia, quæ licet Florentinus non improbaret, tamen non videbatur conveniens ea publicatum iri per Cardinalem, qui dignitatem suam Joanni XXIII. debebat. Neque hic aliquid arcani latere sat inde patet

patet, quod a Seſſ. V. uſque ad electionem Martini V. Decreta non per Cardinalem ſed ab uno Epiſcoporum lecta ſint.

Schelſtraete, ibid. *Ibi ex verbis ſubſequentibus conſtabat de oppoſitione Cardinalis Florentini* &c.

Eſpenius. Admodum ſuſpecta ſunt verba, quæ tamquam a Baſileenſibus ad Apologiam Eugenii repoſita fuiſſe dicit Schelſtraete p. 40. Cum enim Rainaldus author ſit, illam Apologiam adhuc MSS. ſub Bibliothecæ Vaticanæ pulvere deliteſcere, probabile hinc ducitur argumentum vile eſſe opus, quod lumen non mereatur. Valde dubium ergo eſt an Reſponſio illa Baſileenſium ex illa Apologia excerpta, non ſit ſuppoſititia; aut falſo ſaltem illis per authorem illius Apologiæ adſcribi; præſertim cum ex inſtrumentis indubitatæ fidei habeatur Baſileenſibus fuiſſe certiſſimum; Decreta illa de authoritate Conciliorum, in Conſtantienſi Concilio nemine contradicente edita fuiſſe, ut vel ex una earum Synodorum reſpo. 13. edita 13. Junii 1539. compertum eſt. Deinde cum in illa reſponſione dicatur quod Cardinalis Florentinus diceret hunc articulum non eſſe verum de jure, patet eam eſſe ſuppoſititiam, quia etiam teſte Bellarmino, Florentinus ſuſtinuit Concilium eſſe ſupra Pontificem.

Schelſtraete, ibid. pag. 46. *De ſententia enim illa (contra eum) dixit Joannes (XXIII.) neque Concilium* IN HOC *errare poſſe, neque eidem ſe contradicere* &c.

Eſpenius. Illa particula, *in hoc*, in Actis non reperitur, & mala fide addita fuit; adeoque indefinite pronunciavit Joannes XXIII. Concilium Conſtantienſe errare non potuiſſe. Et ſane, infallibilitas ſi quoad aliqua eſſe debeat, ea maxime locum habet in definitione dogmatum. Deinde ratio quam addit: *cum id minus non eſſet quam publice fateri ſe in Papatu nullum jus habere*, quæ verba aliud non indicant quam authoritatem Concilii in Pontificem, etiam ad eum deponendum; quam agnoſcere debebat Joannes ut ſibi Papatum jure aſſerere poſſet.

Shelſtraete, ibid. *Nec etiam concorditer factum eſſe ab omnibus ejuſdem Obedientiæ, cum reclamaverint complures Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, complures Prælati, & Doctores affirmantes, Decretum minus juridicum fore, daturumque quandoque occaſionem ſchiſmatis.*

Eſpenius. Sane ſi talibus fides detur contra omnium Codicum authoritatem, qui dicunt unanimi conſenſu publicatum fuiſſe Decretum, quæ tandem fides Conciliis habebitur? Primo ne quidem in MSS. ſuis Codicibus ſimile quid reperit Schelſtraete. Reperit quidem proteſtationem ſecretam Cardinalium, ſed aliquos publice reclamaſſe non reperit. Ad hæc, inſulſa admodum ratio Decretum *daturum*, ſcilicet, *quandoque occaſionem ſchiſmatis*. Conſtat enim per hoc Decretum & Concilium feliciter extinctum fuiſſe ſchiſma. Hinc apparet quam parum conſiderate hujus Authoris authoritatem adducat Schelſtraete.

Schelſtraete, ibid. *Et ipſum Joannem XXIII. ea de cauſa infeliciter fugam arripuiſſe.*

Eſpenius. Hinc patet quam parum fidei dandum ſit iſti Authori, qui tam impudenter aſſerit Joannem XXIII. arripuiſſe fugam ob Decreta de Concilii authoritate, Seſſione V. publicata. Conſtat enim Joannem XXIII. fugiſſe 20. Martii; iſta vero Decreta promulgata demum Seſſione V. habita 6. Aprilis. Imo nullum adhuc Decretum ediderat Concilium quando Joannes XXIII. aufugit. Primum quippe factum eſt 25. Martii.

Schelſtraete, ibid. *Neque ipſam integram Joannis XXIII. Obedientiam conſenſiſſe* &c.

Eſpenius. Hæc aperte falſa eſſe conſtat ex Actis indubitatis.

Schelſtraete, ibid. *Item nec ipſe in ſua Obedientia vocatus Joannes XXIII. quoniam cum poſt receſſum ſuum a Conſtantia Scaſuſa conſtitutus audiret præfatam declarationem concluſam, DD. Oratoribus Regis Franciæ viſitantibus eum, . . . amaro animo conqueſtus eſt, falſa quadam & erronea adverſus authoritatem R. P. Decreta* &c.

Eſpenius. Hæc conſequentia fabuloſa eſſe inde conſtat quod nullus Orator Regis Galliæ ad Joannem miſſus legatur, niſi Archiepiſcopus Rhemenſis, qui relationem exactam fecit eorum, quæ Joannes XXIII. dixerat; de his vero altum ſilentium.

2. Joan-

2. Joannes XXIII. Scafusæ moratus duntaxat fuit usque ad feriam VI. majoris hebdomadæ; Decreta vero Sessionis V. quibus solis imminutam putat Schelstraete Pontificum authoritatem, edita fuere pridie Dominicæ *in Albis*; & consequenter quomodo verum esse potest Joannem XXIII. Scafusæ conquestum fuisse de his Decretis?

Schelstraete, ibid. p. 48. *Qui Constantiæ consedebant unius tantum Obedientiæ Synodum faciebant &c.* (*Eugenius IV. in Apologia, parte 8. inserta Registro Basileensi, Tomo 2.*)

Espenius. Hæc Apologia nunquam typis edita est; sed adhuc sub pulvere Bibliothecæ Vaticanæ latescit. Sed fane multa præfert falsitatis argumenta, & fabulosa protrudit. Ubinam in Actis, sive editis, sive MSS. unquam reperit Schelstraete, aliquos reclamasse graviores? Qua veri specie dicitur, quod strepente multitudine edita sunt Decreta, ubi legitur optime & tranquille exauditum fuisse Henricum *de Piro*, in fine Seff. V. cum postulavit ut sibi liceret fieri publica instrumenta eorum, quæ in hac Sessione acta erant, & ab omnibus uniformiter approbata fuerant.

Quod vero addit Schelstraete, quod strepens multitudo carnalibus passionibus exuberans ea Decreta, reclamantibus gravioribus, cudissent, plane injuriosum est Concilio, in quo fuere supra mille Patres, e quibus trecenti erant Episcopi, & inter illos gravissimi & doctissimi, qui Decreta illa fortiter propugnarunt, ut Joannes Gerson, Cardinales Florentinus & Cameracensis &c. Facta proinde hæc Apologia fuisse patet ab aliquo Eugenii adulatore, qui omnes illos, qui potestatem Pontificiam ad legitimos limites reducere, & Ecclesiam in Capite & in membris sincere reformari intendunt, insimulat quasi nescio qua carnali passione procedant. At hæc ex scriptis & gestis Eugenii IV. & Basileensium clarum est fabulosum esse Eugenium IV. simile quid dixisse; constat enim nec Eugenium, nec ejus Oratores unquam simile quid ad elevandam authoritatem Concilii Constantiensis dixisse; cum tamen ipsorum maxime intererat illa Decreta, quibus potissimum erant innixi (adversarii) evertere. Et sane in Epistola Synodali, data 15. Junii 1433. quando Concilio intererant Cardinales, qui nominantur in Epistola Synodali data 13. Junii 1439. dicitur Concilium respondisse Oratoribus Eugenii: *Malumus mori quam tanto errori per ignaviam cedere .... Hic Articulus, de quo disceptamus, fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest. Si D. Eugenius Sanctam Ecclesiam non audierit, quam hoc Concilium repræsentat, oportebit tandem haberi ut Ethnicum & publicanum* (a). Memoranda sunt Concilii verba Sessionis 38. (b), ubi dicitur quod quæ ominati sunt Patres de Eugenio vera esse sat pateat, scilicet abolendi illa Decreta Concilii Constantiensis, de superioritate Concilii.

Falsitas illius Apologistæ de reclamatione gravissimorum virorum manifeste convincitur ex Epistola XII. Synodali Basil. ad Oratores Principum. Nihil unquam Eugenius Decretis Concilii Constantiensis opposuit, aut opponere ausus fuit, nisi postquam Ferrariæ agens, jam a Basileensi Concilio depositus esset. Tunc quodammodo coactus Constantiensis Concilii Decreta lacessere incepit; sed tamen nihil de hac tumultuatione aut refragatione, quæ tamen ipsi valde fuisset opportuna, & ignota esse non potuisset; sed eam reproducere ausus non fuit, quia se ex authenticis Actis convincendum prævidebat; sed hoc unum adversus illa Decreta tandem allegavit, nihilque aliud unquam reposuit, quam *quod ab una duntaxat, eaque Joannis XXIII. Obedientia condita essent*. Sed nec in hoc perstitit Eugenius; non ausus præfracte & palam authoritatem Concilii Constantiensis, apud omnes in summa veneratione, spernere, ne omnium in se odia converteret; sed ad aliam confugit cavillationem, qua inquiebat, se quidem damnare quod ex istis Decretis sibi fuerat objectum, sed *in sensu Basileensium*, ut docet Epistola 15. Synodalis.

(a) Conc. Labbe, T. XII, col. 703. (b) Ibid. col. 631.

§. VI.

Annotationes in Caput II. ejusdem Differtat.

Schelstraete. (Diff. Cap. II. p. 55.) *Agerem hic de sententia Theologorum, qui Decreta Sessionum IV. & V. de solo Schismatis tempore intellexerunt; ostenderemque quibus fundamentis innixi ipsa Decretorum verba eodem sensu interpretati sunt, nisi occasione gestorum hactenus ineditorum, Patrum Constantiensium mentem aperiri posse animadvertissem. Cum enim de sensu Decretorum certius constare non possit quam ex mente constituentium, illam ex Actis nunc primo repertis eruendam esse duxi*, &c.

Espenius. Hoc sane fidem solvere non est. Notandum autem quod illi Codices MSS., e quibus circa hoc punctum mentem Constantiensium ostendere promittit Schelstraete, sint duplicis generis. In unis referuntur, sive male sive bene, quæ gesta sunt Sess. IV. & V. Alii vere ea continent, quæ longo post tempore contigerunt, scilicet immediate post Sess. XXXVIII. In his ultimis, qui tempus respiciunt quo tres Obedientiæ unitæ erant, de quo in hoc 2. Capite sermonem facere partes erant D. Schelstraete, ne verbum quidem extat de Decretis Sess. IV. & V. de authoritate Concilii. Altum ergo ibi silentium de eorum sensu. In prioribus quidem illorum Decretorum fit mentio, nec nihil occurrit vel apparenter innuens Patres Decreta illa de solo Schismatis tempore intellexisse.

Schelstraete, ibid. p. 56. *Habes superiori Capite Artic. 2. testimonium ex gestis Concilii citatum a Basileensibus, qui eo fraudulenter usi sunt ad ostendendum Decreta Sess. IV. & V. consentientibus omnibus Concilii Patribus fuisse edita*.

Espenius. Falsum est in Actis Concilii Basileensis, quantumvis copiosis, ullum simile exstare testimonium; sed contrarium reperitur in Epistola 13. Synodali, ubi ajunt, Orbi notum esse quod in Constantiensi Concilio explicata fuit Declaratio fidei, de authoritate Conciliorum Generalium supra Papam, *nemine reclamante*, *nemine reprobante*.

Schelstraete, ibid. *Hisce autem Decretis opposuerunt se Franciscus Zarabella Cardinalis Florentinus cum pluribus aliis* &c.

Espenius. Qua specie de illo (Franc. Zarabella) id dici potest, cum certum sit illum fuisse in sententia de authoritate Concilii supra Pontificem. Vide *Bellarmin.* de Concil. p. 91. & *Panormitan.* de Concil. Basileensi, Dub. 2.

Schelstraete, ibid. *Quia*, (*inquiunt gesta a Basileensibus citata*) *Cardinalis Florentinus sustinebat quod ille Articulus non erat verus de jure* &c.

Espenius. Ne quidem in Actis Schelstratianis dicitur quod hoc a Cardinali Florentino dictum sit de Articulo, quo authoritas Concilii supra Pontificem definitur.

Schelstraete, ibid. p. 57. *Super Articulo de reformatione Ecclesiæ aliqualiter disputatum cum Deputatis Nationum; quid vero ex utraque parte dictum sit, latet & ignoratur*.

Espenius. Quomodo ergo tam confidenter unicuique suas tribuit partes, quasi in scena repræsentandas, Cardinali Florentino hoc, Nationibus illud? Et omnia ad gratificandum Aulæ Romanæ composita.

Schelstraete, ibid. p. 58. *Hærebat tamen Cardinalis Florentinus, non percipiens quomodo Concilium Constantiense de reformatione Ecclesiæ in Capite statueret, nisi & jurisdictionem supra ipsum Ecclesiæ Caput usurparet*.

Espenius. Sed circa quid hærebat Florentinus? Num forte dubitabat hic Cardinalis, utrum Concilium haberet authoritatem & jurisdictionem in Caput dubium & incertum? Certe fas non est hoc vel cogitare. Cum enim esset creatus Cardinalis a Joanne XXIII. qui omne jus in Papatu habebat a Concilio Pisano, quis ambigat quin Florentinus pro certo habuerit quod Pisanum Concilium potestatem habuerit in dubios Pontifices? Consequenter si Cardinales Florentinus & Cameracensis, qui etiam Cardinalatum acceperant a Joanne XXIII. hæserint *quomodo Concilium Constantiense de reformatione Ecclesiæ in Capite statueret, nisi & jurisdictionem supra Caput ipsum Ecclesiæ usurparet*, sequitur quod verbis illis, quibus Decretum est conceptum, & non obstante Florentini intercessione editum, signi-

ficare-

ficaretur jurisdictio Concilii supra *Caput indubitatum* ; quia si tantum significata fuisset jurisdictio in dubios Pontifices, Cardinalis Florentinus non potuisset (hærere) ni una Papatum Joannis XXIII. in dubium vocando, & consequenter suam dignitatem Cardinalitiam. Nullo modo ergo consistunt illa duo Schelstratiana asserta : Decreta illa edita esse contradicentibus Cardinalibus & Oratoribus Galliæ, qui etiam adhærebant Joanni XXIII. & Decreta illa ad solum schismatis tempus esse referenda.

Schelstraete, ibid. p. 59. *Neque a Deputatis Nationum cum Cardinali Florentino de Capitulis sufficienter, sed ut dicitur, aliqualiter duntaxat disputatum fuisse*.

Espenius. Ex quo MSS. hoc habeat, nescitur. Interim tamen ineptum valde inde velle arguere defectum Decreti, imo perquam perniciosum; ita enim facile omnia Generalium Conciliorum Decreta in dubium trahi possent. Et sane quis nobis dicet quæ sit *sufficiens*, quæ *insufficiens* deliberatio ? Major enim, minorve requiritur pro rei obscuritate, proque hominum, qui de ea deliberant, capacitate & eruditione. Ad hæc, si ullum unquam Decretum fuerit excussum, fuit hoc, cum illud fuerit per omne schismatis tempus unica in omnibus Universitatibus examinata & discussa materia. Vide Sess. XIII. Concilii Pisani.

Schelstraete, ibid. p. 60. *Fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare*.

Espenius. Admittit tamen Schelstraete Concilium per incorporationem trium Obedientiarum fuisse Generale Concilium.

Schelstraete, ibid. *Ex quibus videmus clarissime extra Concilium non unam Nationum de ejus Decretis fuisse sententiam; sed Regna & Provincias fuisse, quæ Concilii Decretis non obediendum putabant*.

Espenius. Hæc gratis a Schelstraete adduntur. Hæc rursus contra fidem Actorum inserta. Tantum enim agitur de obedientia præstanda vel non præstanda Pontifici electo. Sed quid hæc ad Decreta Sess. V. quæ jam ab anno integro erant evulgata ?

Schelstraete, ibid. *Et ipsum populum ac Clerum Romanum de alio eligendo Pontifice cogitasse*.

Espenius. Hæc sane ineptissima glossa. Quid enim ad populum spectabat hæc quæstio ?

Schelstraete, ibid. *Cum Natio Germanica objiceret quod agere de modo electionis ante reformationem esset contra Decreta Concilii* &c.

Espenius. Sane non advertit Schelstraete, quod si verba illa quæ ex MSS. refert essent vera, imprimerent pessimam ideam de Concilio, pro eo tempore quo summæ authoritatis fuisse alibi ostendit Schelstraete, scilicet post trium Obedientiarum unionem; quo tempore generale fuisse non dubitat Schelstraete ; in quo tempore interpretatio Decretorum Sess. V. quam hic adstruere contendit, data fuisset.

Schelstraete, ibid. p. 61. *Et hic habes sensum Decreti* 1. *Sessionis V.*; *per* DECRETA CONCILII *enim a Natione Germanica objecta, intelliguntur Decreta Sessionis V.*

Espenius. Quot hic verba, tot fere hallucinationes ; atque in primis hallucinatur dum contendit per Decreta, quibus Natio Germanica prætendebat reformationem Ecclesiæ, præmittendam esse electioni Pontificis esse Decreta Sessionis V. Nec veri speciem habet quod exinde Natio illa, viris doctissimis constans, id probare voluisset, cum nihilum ad hoc valeat. Sed clarum est verba illa : *allegant præterea quod agere de modo electionis ante reformationem, esset contra Decreta Concilii*, referri ad Decretum Sessionis XIV. qua sancitum erat ne ad electionem Pontificis procederetur, nisi ex mandato Concilii ; quo Decreto Hispani protestati sunt se non teneri, ut ipsemet Schelstraete asserit, pag. 53. ibi enim apparet quod hoc Decretum Germani in hunc finem adferrent. Consule Indicem (*a*). Falsa omnino & inepta hæc ratiocinatio : nec enim Natio Gallicana aut Italica reformationem prætendebat fieri debere post electionem, quasi Concilium solum non posset reformationem facere in Capite ; hoc enim nullibi allegatur ; sed quia in Decretis & Concordatis videbatur præponi negotium *unionis*, & quia credebant reformationem aptius futuram Pontifice indubitato existente.

Schel-

(*a*) An verba indicis ad Litt. G. *Germani voluerunt ante electionem unius indubitati Pontificis, præcedere materiam reformationis*.

Schelstraete, ibid. *In quibus* (Decretis Sessionis V.) *solum agitur de reformatione Ecclesiæ in Curia Romana, sive Capite.*

Espenius. Falsum in primis est quod Germani allegarent Decreta in quibus fit (mentio) *reformationis Curiæ R.* Deinde falsum est quod in sola Sessione V. fiat mentio istius reformationis. De ea fit mentio Sess. III. Item Sess. X. In exordio sententiæ contra Joannem XXIII.

Schelstraete, ibid. p. 61. *Et illa Decreta quocumque tandem sensu Sessione illa .... fuerint edita* &c.

Espenius. Stupenda est hæc Schelstratiana hallucinatio. Paradoxum est, verum & genuinum sensum alicujus Decreti alium fingere ab eo, in quo acceptum est eo tempore, quo examini datum est, cum super eo deliberatum & conclusum unanimi Concilii consensu; cumque istius approbationis publicum instrumentum fieri postulatum est; & ut fieret, nemine reclamante aut improbante concessum est, nulla facta in verbis Decreti mutatione sensus illius, sine ullo examine, sine ulla in Nationibus aut Sessione deliberatione, ita mutatus ut quod ibi ante Cardinalibus displicuerat, jam placeret. Quid his ineptius?

Schelstraete, ibid. *Unitis jam tribus Obedientiis, hoc sensu intelligenda dicuntur, ut non de Concilio seorsim sumpto, quem sensum Superioritati Concilii favere existimaverant Cardinales, sed Concilio cui verus & indubitatus Pontifex adest, qui sensus nihil ad Superioritatem Concilii facit, intelligantur.*

Espenius. Quæ hujus mutationis causa? Nulla nisi forte 16. aut 17. Episcoporum recens ad Concilium accessus, qui hunc alterum plane sensum Decretis Sess. V. (dedisse supponitur,) nullo ex 500. aut 600. Patribus, qui in alio sensu acceperant, contradicente.

Quid cogitavit Schelstraete dum hanc ineptam hic profert glossam? An non attendit quod dum hæc conderentur Decreta, jam tres septimanas effluxisse quod Joannes XXIII. aufugisset? Non attendit quod Constantienses, mox a fuga Joannis, edixerant Sessionem III. quod per recessum Joannis D. Papæ de hoc loco Constantiensi, non est dissolutum hoc S. Concilium; sed remanet in sua potestate, integritate, & authoritate. Loquitur ergo de se ipso sine Pontifice, aut saltem non indubitato, secundum Schelstraete, in Decreto Sessionis V. Ad hæc, si Decretum loquatur de Concilio, cui adest unicus & indubitatus Pontifex, ergo corruit quod tantopere contendit Schelstraete, scilicet Decreta illa esse restringenda ad tempus schismatis, & ad dubios Pontifices. Et sane ni is sit sensus illorum verborum, ut per illa stabiliatur authoritas Conciliorum in veros & indubitatos Pontifices, sed dicatur quod intelligantur de vero & indubitato Pontifice, qui adest Concilio, & una dominatur Concilio, ita ut Concilium nihil ejus sententiæ contrarium decernere queat, evidenter ipsa Decreta evertentur; nec dici poterit Patres post Sessionem 38. Decreta illa fuisse interpretata, sed omnino abrogasse erit asserendum; quod tamen nec Schelstraete ausus est asserere.

Schelstraete. ibid. p. 62. *Verum quidem est notari in gestis Concilii hæc magnam animorum perturbationem Regi, ipsique adhærentibus attulisse* &c.

Espenius. Imo nullus nisi Schelstraete, qui nugas illas profert; neque enim in tota illa concertatione nec verbum de Decretis Sessionis V.

Schelstraete, ibid. p. 63. *Aperte conclusum est in Sacro Collegio, quod propter tales minas, & timores incussos, neque propter machinationes, quas sciebant Cardinales fieri contra eos, non dimitterent prosecutionem unionis Ecclesiæ usque ad mortem, & portabant Capellum rubeum in signum Martyrii* &c.

Espenius. Hæc omnia si conferantur cum affectu, quem erga Concilium semper gessit Sigismundus, item cum miti ejus indole, cum libertate, quam Concilium Constantiense super omnia alia Concilia habuit, plane vana & ridicula esse patebunt, quidquid de minis & machinationibus, ac de Capello rubeo Cardinalium hic refertur. Deinde quid futilius quam id quod de denunciatione hic narratur? Si enim tres Nationes & Concilium Cardinalium stabant ab una parte, & sola Natio Germanica ab altera, jam illæ hanc quantum in suffragiis superabant? Atque ita conclu-

cludere poterant; nec opus erat denunciatione, quæ non solet fieri nisi ab illo, qui inferior est adversus superiorem.

Schelstraete, ibid. p. 64. *Tandem fuit dictum quod Papa electus ligari non poterat.*

Espenius. Hæc verba, non a Concilio, sed ab aliquo particulari in confusione dicta fuere.

Schelstraete, ibid. *Ex iis enim non difficile colligitur aliam longe fuisse mentem Patrum Constantiensium de authoritate Summi Pontificis, quam orbi Catholico obtrudere conata fuit Turba Basileensium.*

Espenius. Sane quid impudentius dici posset contra conventum Basileensem, quam eo tempore quo certo fuit Generale Concilium, non genuinum sensum Decreti Sessionis V. quem verba præferunt, plus decies expressisse? quasi vero nova fuisset eo tempore sententia de Superioritate Concilii, ut eam Concilium Basileense orbi Catholico obtruderet. De eo tempore loquens Bellarminus dicit: *Tunc plurimi in eam sententiam iverunt ut Concilium esset supra Pontificem.*

At quo argumento probat Schelstraete illa duo Concilia, Constantiense & Basileense, esse contraria, suisque sententiis inter se contrariis pugnasse? Num forsan demum sunt Basileensibus opponenda Decreta aliqua rite in Concilio Constantiensi rationabiliter & conciliariter examinata & conclusa? An forsan hujusmodi aliquod Decretum ex optimæ notæ MSS. profert? Nequaquam. Quo ergo fundamento? Nempe his pauculis sed mirificis verbis: *tandem dictum est quod Papa electus ligari non poterat.* *Ex iis enim*, ait Schelstraete, *non difficile colligitur, aliam longe fuisse mentem Patrum Constantiensium de authoritate Summi Pontificis, quam orbi Catholico obtrudere conata fuit turba Basileensium.* Omne igitur Basileensium crimen in eo situm est quod de sententia Concilii Constantiensis judicaverint ex Decretis a se editis, non autem ex prædictis mysticis verbis: *quod Papa electus ligari non poterat.* Verum quidquamne judicare poterant (de his) quæ ipsis hactenus fuerant incognita? ut ipse dicit: (p. 64.) *hoc a Patribus Constantiensibus datum responsum nemo in hunc usque diem typis edidit, & quia illud aliaque plura ignoravit orbis Catholicus, opinio Basileensium apud nonnullos prævaluit.*

Schelstraete, ibid. *Illud aliaque plura ignoravit orbis Catholicus.*

Espenius. Mira confidentia & arrogantia!

Schelstraete, ibid. p. 65. *Ad quam evertendam, vel hoc solum testimonium sufficit.*

Espenius. Sed non sufficit ut evertat Basileensium opinionem, sed etiam validum esse debet ut evertat Cardinales Florentinum & Cameracensem, ac Joannem Gersonem, qui omnes sustinuerunt Papam a Concilio judicari & ligari posse. Si id dictum sit a Nationibus, quæ urgebant electionem Pontificis, id indubie a Natione Gallicana, quæ etiam ferventius urgebat propositum, cui Joannes Gerson, tanquam Regis & Universitatis Parisiensis Orator intererat. Ad hæc non possunt hæc verba toti Concilio adscribi, nisi in publica Sessione fuerint proposita & conclusa, & consequenter fieri nequit quod si a Concilio sint profecta, ad minus Gersoni fuerint perspecta. Quomodo ergo piissimus ac doctissimus Theologus Decretorum Œcumenici Concilii tenacissimus, etiam post Concilium Constantiense, docere perrexit (*a*), quod Concilium Pontificem punire ac ligare posset, illudque post definitionem Concilii Constantiensis sine hæresi negari non posset?

Ad hæc Eugenius IV. factus Cardinalis a Gregorio XII. cum ad Sess. XII. aut XIII. Constantiensem ventum esset, ad Concilium accessit; in eoque usque ad finem perseveravit; adeoque ignarus non erat eorum, quæ in Concilio acta erant. Si ergo illa verba a Concilio prolata fuissent, & ad enervandam authoritatem Concilii supra Pontificem valuissent, quis dubitat quin iis Eugenius adversus Basileenses usus fuisset? Ob id præcipue Basileenses contra Eugenium procedebant, quod Decreta Concilii sperneret. Ergo quam opportuna fuissent Eugenio hæc verba! Admodum igitur verisimile est aut hæc dicta verba non fuisse prolata; aut prolata, a Concilio non fuisse probata; aut denique aliam longe

(*a*) In Tractatu: *An liceat in causis fidei a Pontifice appellare?*

longe habuisse notionem quam eis Schelstraete affingit.

Schelstraete, ibid. p. 65. & 66. *Quidquid enim Deputati a Nationibus & Cardinalibus constituti egerint, patet ex Actis, nihil determinasse .... quam quod Pontifices dubios spectat, vel eorum Decreta tempore schismatis facta, ut sunt Decreta Sess. XIX. in causa Fratrum Minorum contra Bullam Alexandri V.* &c.

Espenius. Constantienses habuisse Alexandrum V. contra cujus Decretum hic agitur, pro vero & indubitato Pontifice, patet ex Decreto Pisano, quo ad electionem procedi jubetur. Quasi vero etiam Pontifices indubitati in illis non excessissent? Hi enim abusus manifeste etiam facti a Pontificibus, Avenione sedentibus, nullo existente schismate.

Schelstraete, ibid. p. 66. *Quod si aliqua sint quæ etiam Pontifices indubitatos tangunt; ..... illa spectant ad extinctionem futurorum schismatum, ut Capitulum* Frequens, *in quo Patres Constantienses pro veris & indubitatis Pontificibus nullam pœnam injungunt* &c.

Espenius. Nihil (Schelstraete) probat; neque enim omnes leges habent pœnam annexam, præsertim dum leges concernunt superiores Potestates.

Schelstraete, ibid. p. 66. & 67. *Nullum Concilium ex omnibus generalibus tam specialem Constitutionem ediderat de observandis a quocumque etiam si Pontificalis authoritatis existat, Decretis fidei a se statuendis, quam hoc Concilium Constantiense Sess. V. & cum ageretur Sess. XXXIX. de Professione Pontificis pro observandis Decretis Generalium Conciliorum, adducuntur octo prima Concilia, quæ sunt omnia Generalia ab Orientalibus ... & ab Occidentalibus ante illud tempus celebrata, & Decreta fidei continentia: Constantiensis vero Concilii nulla fit mentio.... Ex hoc loco evincimus, ipsum Constantiense Concilium Sessione XXXIX. ad fidei Decreta a se edita, Romanos Pontifices ante approbationem adstringere noluisse.*

Espenius. Hic aperte sibi contradicit *Schelstraete*. Jam enim, sequendo authoritatem MSS. suorum, dixit (pagina 4.) Sessione IV. unanimi consensu statutum fuisse, ab omnibus Concilii Patribus, *Divino flamine inspirante in unam sententiam convenientibus*, Decretumque in his quæ ad fidem spectant Papam obedire tenere. Quomodo igitur Concilium hic statuere & declarare potuit, quod Concilii Decreta Papam ante ejus liberam Confirmationem non constringerent? Et si hæc limitatio subintelligi debuisset, ut quid, juxta Schelstraete, Cardinales & Oratores Regis Galliæ detracta voluissent a Decreto Sessionis IV. hæc verba: *& reformationem generalem Ecclesiæ, in Capite & in membris?* Forsitan ideo omisit quod cum non esset verisimile, quod ullus ex eo Concilio Pontifex eligeretur, frustraneum foret eum adigere ad promittendam observantiam illius Concilii, cujus authoritati unice ejus inniteretur electio. Saltem ea non potest esse ratio Schelstratii, quia nimis repugnat cum Concilii Decretis.

§. VII.

Annotationes in Caput III. Dissertationis.

Schelstraete, p. 68. *Spem hanc præter Cardinales conceperant tres Nationes, dum in Protestatione omnium nomine facta, non solum Decretum Sessionis V. de reformatione, post electionem Pontificis facienda, interpretati sunt; sed & a corpore Acephalo* &c.

Espenius. Hæc sunt ex quibus Schelstraete contendit probare Decreta Sessionis V. post Sessionem XXXVIII. fuisse aliter explicata, imo hic probare debebat, ut in Frontispicio sui libri promiserat, Decreta illa a Martino V. fuisse improbata; & tamen certum est in illa Protestatione ac concertatione, quam hic rursus reproducit, ne verbum quidem de illo Decreto factum fuisse.

Schelstraete, ibid. *Sed & a corpore Acephalo ante electionem Pontificis præ animorum contentione, & opinionum diversitate fieri non posse indicaverint.*

Espenius. Si ita hæc verba accipias, ut significare contendas Concilium sine Pontifice, ita esse Acephalum, quod propterea authoritate reformandi Ecclesiam destituatur, quare Nationes & Cardinales menti Concilii pugnantia loquentes introducis? Mox enim post fugam Joannis XXIII. declaravit Synodus, hac fuga neque

que de plenitudine ac integritate Concilii, neque de authoritate ejus quidquam detractum. 2. Quod Concilium non haberet potestatem a Papa, qui est Caput Ministeriale, sed immediate a Christo, Capite scilicet essentiali. Deinde si Synodus crediderit eam sibi esse potestatem ut Caput illud rejiceret, quanto magis ut reformaret, quod est minus. Deinde ante electionem Martini V. certum est multa Decreta ad reformationem spectantia, lata fuisse; & quod immediate post hanc prætensam Protestationem, factam post Sess. XXXVIII. editum fuit Decretum *Frequens*, Sess. XXXIX.

Schelstraete, ibid. p. 69. *Et dici potest quod ubi Concilium ante electionem Pontificis* (Martini V.) *tanquam navis sine gubernatione hinc inde fluctibus collisa agitabatur, post electionem Pontificis, sedata tempestate, in tranquillo mari navigaverit;* &c.

Espenius. Ita quidem. Sed nihil factum, nihil reformatum, ut deplorat *Gerson* in Dialogo pro Gestis Concilii Constantiensis.

Schelstraete, ibid. *Vix electus erat Pontifex, quin illi qui se Romanæ Curiæ infensissimos ostenderant, ad pedes ejus sese prostraverint, & ipse Romanorum Rex* &c.

Espenius. Absurdum sane quod Prælatos & Regem Sigismundum reponat inter hostes *infensissimos Curiæ Romanæ*, qui abusus ejus notissimos, & quos maxime hæretici in suum Patrocinium adducebant, extinctos volebant; idque ante electionem Pontificis, metuentes aliud postmodum obtineri non posse præter speciem & fucatum Reformationis simulacrum, uti & eventus docuit. Neque aliæ Nationes negabant abusus Curiæ Romanæ esse reformandos; sed credebant alteri malo, scilicet schismati, celerius esse obviandum, planeque obruendum; verentes ne forte differendo aliquando adhuc reviviscere potuisset.

Schelstraete, ibid. *Et ipse Romanorum Rex, quasi authoritatis Concilii oblitus, solum Pontificem respexerit*.

Espenius. Quasi vero quia ad Pontificis pedes se abjecit & prostravit, ideo authoritatis Concilii erit dicendus oblitus? Nugæ; nemo enim ad Joannis XXIII. se prostravit, dum hic solemniter promisit se Pontificatum cedere, si id visum foret Ecclesiæ paci congruere; & tamen sensit ipse Joannes, quanti authoritatem Concilii fecerit Sigismundus.

Schelstraete, ibid. *Non cogitabatur de Professione fidei facienda ante consecrationem, licet Concilium Sess. XXXIX. illud statuisset*.

Espenius. Hoc non habetur (Sess. XXXIX.)

Schelstraete, ibid. *De reformatione Ecclesiæ in Capite & in Curia Romana, una cum Concilio aut ejus Deputatis, per Pontificem facienda, posuerant Patres XVIII. articulos; & postquam Martinus V. Deputatos ex Cardinalibus dederat, & aliquot diebus ea in re per illos cum Deputatis Concilii egerat, ex XVIII. non nisi sex Articuli publicati fuere Sess. XLIII. addito*. &c.

Espenius. Hinc patuit quam juste petierit Natio Germanica, ut reformatio fieret ante electionem Pontificis.

Schelstraete, ibid. *Addito quod tam hisce Articulis quam aliis in particulari cum Nationibus concordatis, satisfactum fit Decreto super Reformationem per Concilium edito*.

Espenius. Arguitur hinc authoritas Concilii, quia apparet quod Pontifex fassus sit se teneri Decreto Concilii; nec aliter se crediderit satisfecisse, nisi postquam Concilium declaravit ipsum satisfecisse.

Schelstraete, ibid. *Neque mirum videri debet, ex XVIII. Articulis fuisse relictos XII. quia inter alios plures erant Sedis Apostolicæ authoritatem immediate tangentes*, &c.

Espenius. Inepta & ficta Schelstratii opinio & confictio. Tantum legendus Dialogus Joannis Gersonis, de Gestis Concilii Constantiensis. Ex eo intelligitur post electionem Martini V. demum animadversum non eum qui sperabatur eventum habiturum, (nempe) reformationem. Ideoque Nationes consensisse, ut Concilium, quod quatuor annis duraverat, finiretur; cætera ad reformationem spectantia, ad proximum Concilium, post 5. annos celebrandum, reservantes. Itaque mirum non est ex XVIII. Articulis, ad quos totum reformationis negotium per Concilium revocatum erat, 5. tantum aut 6. ordinatos aut compositos fuisse.

Schelstraete, ibid. *Quos si Concilium Acephalum reformari desiderarat, Concilium Capiti suo unitum deseruerat*.

Espenius. Nihil absurdius fingi potest. Nonne enim & ipso fatente Schelstraete, Cap. I. Art. III. ipsum Concilium Costantiense, dum statuit illos XVIII. Articulos, fuit vere universale, Ecclesiam universalem repræsentans, adunatis scilicet tribus Obedientiis? An Ecclesia tunc non dirigebatur Spiritu Sancto?

Schelstraete, ibid. *Concilium Capiti suo unitum deseruerat*.

Espenius. Hoc falsum est. Sed tantum dilatum, eo quod causarentur Cardinales quod si juxta Articulos propositos plena fieret reformatio, Pontifici recenter electo subtraherentur necessaria; idque speciem quidem habebat, & plures ad differendum movit. Plures tamen contrarium sentiebant, ut ex Protestatione Gallicanæ Nationis contra Annatas, & ejus ad futurum Concilium Appellatione (constat).

Ad hæc absurdum est ea quæ his Articulis continebantur vocare cum Sede Apostolica ejusque (Juribus) defendendis annexa, præsertim dum in apertissimos & scandalosos abusus transierunt; uti Concilii Constantiensis tempore contigerat, & quibus hæresis Lutherana magna ex parte adscribenda.

Schelstraete, ibid. p. 70. *Ego tamen, qui Concordata hucusque edita legi, testari possum de omnibus Reformationis Articulis actum fuisse a Natione Germanica post electionem Pontificis, unico tamen excepto*. &c.

Espenius. Si hæc vera sunt, ergo falsum quod dixit pagina præcedenti, relictos fuisse XII. Articulos, super quibus ex Decreto Concilii facienda erat reformatio; & hic dicitur unicum tantum sine reformatione mansisse.

Schelstraete: ibid. *Quem proinde articulum credebam vel a Nationibus non fuisse propositum post electionem Pontificis; vel a Martino V. ut novum aliquod & hucusque inauditum, fuisse rejectum*.

Espenius. Mera conjectura, nullo innixa fundamento.

Schelstraete, ibid. *Et hoc ultimum revera contigisse didici ex aliis MSS. Codicibus*.

Espenius. Ignoto MSS. vult nos habere fidem contra omnium aliorum tam editorum quam ineditorum fidem. Ad hæc Thomas de Consellis 18. aut 20. annis post Sess. XL. Concilii Constantiensis, profert V. Articulos, & inde forte ducit argumentum fictio, cavillatio, & hallucinatio.

Schelstraete, ibid. *Voluerunt aliqui ex verbis ejusdem Pontificis Sessione XLV. occasione Legatorum Regis Poloniæ prolatis, ipsa Decreta Sessionis V. per eum confirmata fuisse*.

Espenius. Si daretur quod specialis requiratur Papæ confirmatio, ut Concilii authoritas sit infallibilis, sane octo primorum seculorum Concilia Generalia vacillabunt; quia nunquam ostendetur quod illa per Romanum Pontificem fuerint confirmata; sed ab Episcopis & aliis subscripta, ad Pontificem mittebantur, ut ipse per Occidentem, omnibus intimaret; unde in antiquis Lectionibus Festi Leonis II. legebatur: *Hic sextam Synodum suscepit*, quibus verbis exemplar in Occidentis Ecclesiis publicandum accepisse duntaxat significabatur. In novis legitur: *Hic probavit Acta sextæ Synodi*, nuda scilicet Authorum susceptione in approbationem mutata.

Schelstraete, ibid. p. 72. *Ubi* (in Actis) *de materiis fidei mentio facta reperitur, semper agitur de iis quæ facta sunt contra Joannem Wiclef. &c. & nunquam de alia materia*.

Espenius. Ipse Bellarminus fatetur Decreta de præeminentia Concilii esse in materia fidei. Et sane, id manifestum est. Sed ut demus totam ratiocinationem Schelstratii validam & concludentem, inde nec sequeretur Decreta Sess. V. a Martino V. fuisse improbata, ut promisit se ostensurum in initio sui libri, nisi simul velit omnia a Martino improbata, quæ non sunt in materia fidei, hoc est juxta ipsum, contra hæreticos; adeoque Decretum Frequens; Depositio Joannis XXIII. & Benedicti XIII.

Schelstraete, ibid. *Hic oculos eruditorum appello, ut Acta legant, & videant Sessione V. distinctionem fieri inter Decreta & advisamenta contra hæreticos prælecta, quæ sola a Concilio ipso dicuntur versari in materia fidei*.

Espenius. Hoc indicat quod quædam *advisamenta* sive scripta Concilio ab exteris contra hæreticos fuerint subministrata.

Schelstraete, ibid. p. 74. *Cum autem . . . Oratores Regis Poloniæ & Ducis Lituaniæ*

unum

unum ex fautoribus hæresium (in suis regionibus exortarum) ad Deputatos Judices detulerant, & libellum ejus hæresibus scatentem damnandum obtulerant; ac reipsa per Judices Concilii . . . damnatum receperant. Neque his contenti per omnes Nationes . . . ex publicis & authenticis scripturis obtinuerant, quod dictus Libellus tanquam hæreses continens in Sessione publica per Sacrosanctum Concilium publice damnaretur, seu damnatus nuntiaretur. Quæ omnia . . . solus Martinus V. ne fieret effecit; & cum a multis multa dicerentur, imposito omnibus silentio, non petito ullo Patrum consensu, sola authoritate Pontificia de illo nihil declarandum esse constituit, & sic omnium Nationum & Cardinalium Decreto SOLUS OBSTITIT *: utque ostenderet sibi supremum in rebus fidei judicium competere, Acta in materiis fidei . . . Decreta confirmatione sua indigere monstravit; & verba quibus confirmabat* &c.

Espenius. Notandum quod Martinus V. non pronunciaverit librum illum esse hæresis aut erroris expertem contra resolutionem & deliberationem Nationum; sed solum tamquam Præses Concilii, impedivit ne in Sessione publica proponeretur; quæ fuerit ratio, qua motus fuit Martinus, non legitur in Actis; mirum tamen quod ex particulari facto Pontificis juris decisionem trahere velit Schelstraete; quasi ignoraret etiam subinde Pontifices posse limites suæ jurisdictionis excedere; & interdum facere quæ facere non oporteret. Et sane hoc factum Martini V. non adeo æquum fuisse scribit Gerson, in Dialogo *de gestis Concilii Constantiensis*. Quod vero Patres non obstiterint & tandem acquieverint, inde factum fuisse potest quod cum jam finis & conclusio Concilii instaret, imo jam dictum esset, *ite in pace*; & responsum *Amen*, non vellent per hanc disceptationem rursus Concilium protrahere; præsertim quod crederent librum tot erroribus refertum & a Nationibus reprobatum sua sponte periturum.

E contra hæc verba, quibus confirmationem hanc expressit, evidentem submissionem Concilio quoad Decreta fidei exhibent, & omnino similia sunt illis, quibus olim professionem fidei ante suam consecrationem Pontifices emittere solebant; imo & Martinus V. veritus ne ob non damnationem libri *Falkemberg* veniret in suspicionem, quod Decreta in materia fidei a Concilio determinata non susciperet, & revereretur, per hanc professionem animi sui sententiam exprimere voluit.

Schelstraete, ibid. p. 75. *Neque hic finis fuit; dum enim Paulus Voladimuri, unus ex Regis Poloniæ Legatis, animadvertisset Libelli damnationem minime publicandam, protestationem & appellationem ad futurum Concilium prosequi tentavit: sed ut loqui cœpit, statim fuit ipsi de Mandato D. N. Papæ impositum silentium, sub pœna Excommunicationis;* &c.

Espenius. Sed quis Schelstratio indicavit juste Pontificem id fecisse, ni velit Pontifices dicere peccati in omnibus esse immunes; eorumque facta regulam esse vivendi. Sane ut hic describitur modus procedendi Pontificis, dominandi spiritum exprimit. Verum quidem Oratorem Regis Poloniæ per verba quidem Pontifici minitanti excommunicationem non restitisse; sed tamen ne probare videretur Pontificis factum protestationem scripto exhibuit, qua de injuria Regi & Nationi suæ facta protestatus est, ad futurum Concilium appellavit. Extat Tom. 12. pag. 1767. in hac protestatione notanda ultima clausula, quæ ostendit nequaquam credidisse Authores monarchicam potestatem Pontifici inesse.

Schelstraete, ibid. p. 75. *Summus autem Pontifex ostensurus mentem suam de supremo successorum Petri in causis fidei judicio; in Consistorio publico anni* 1418. *Constantiæ habito, Constitutionem . . . promulgavit, in qua reperitur hæc assertio: Nulli fas est, a supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice . . . appellare, aut illius judicium in causis fidei . . . declinare* &c.

Espenius. Istius Constitutionis solus meminit Gersonius in Dialogo & Tractatu de excommunicatione &c. Et quidem ex verbis Gersonis manifestum ipsum illam non vidisse, sed tantum ex rumore habuisse minutam ejus fuisse conceptam, ex qua dicit Acta Conciliorum Pisani & Constantiensis evidenter everti, multaque

alia incommoda consequi : ut verisimile sit quod ob dictas consequentias, quas videbant inde consecuturas, fuisse suppressam : quod & innuit Gerson in Tractatu circa materiam excommunicationis: ibi Consider. 8. docet a Pontifice posse appellari, nulla facta Bullæ istius mentione. Deinde si fuisset evulgata & probata quis dubitet quin Cardinales Romani jam sæpius eam publici juris. fecissent. Quin & Cardinalis a Turrecramata & Eugenius IV. ea usi fuissent.

§. VIII.

Annotationes in Indicem rerum Dissertationis Schelstrat.

Schelstraete. *Index rerum hac Dissertatione contentarum*. C. *Cardinales nolunt venire ad Sessionem IV. nisi omissis iis quæ Sedis Apostolicæ authoritatem impetere credebant*.

Espenius. Hoc est quam falsissimum; nec simile quid vel in speciem, in suis MSS. reperit Schelstraete.

Schelstraete, ibid. D. *Decreta Sessionis IV. & V. sine debita deliberatione edita fuerunt. Item contradicentibus pluribus Patribus Cardinalibus, & Galliæ Regis Oratoribus*.

Espenius. Figmentum; nec aliquid simile in Actis Schelstratianis.

Schelstraete, ibid. F. *Franciscus Zarabella impugnat Decreta, Pontificis authoritatem tangentia*.

Espenius. Mera impostura; nec quidquam in Actis Schelstratianis simile habetur.



MOTI-

VI.

MOTIVUM JURIS

Pro R. Domino Guilielmo van de Nesse, Pastore S. Catharinæ in Civitate Bruxellensi, apud Senatum Brabantiæ supplicante,

CONTRA

Illustrissimum ac Reverendissimum D. Archi-Episcopum Mechliniensem Intimatum & Excipientem,

Divisum in quatuor Capita, quorum

I. *Adstruitur jus perpetuum & ordinarium Parochorum ad functiones Pastorales obeundas.*
II. *Ostenditur quæ in suspensione Parochorum ab Officio Pastorali sint servanda.*
III. *Agitur de Regia Manutenentia; quæ ejus materia & quis effectus.*
IV. *De Protectione Regia subditis tam Ecclesiasticis, quam Laicis oppressis impartienda.*

[Authore Z. B. Van-Espen (a), J. U. D. & SS. Can. Prof. in Ac. Lovan.]

[*Primo editum anno* 1707.]

SPECIES FACTI.

Illustrissimi atque Amplissimi Viri.

Veritus Supplicans, ne ad Regium hunc Senatum recurrens, Regiam protectionem contra suum Archiepiscopum postulans, irreverentiæ in Superiores suos arguatur, speciem facti Vobis ante omnia exhibere audet, qua ostendat, quanta submissione erga D. Archiepiscopum se semper exhibuerit; quantaque eum veneratione coluerit; quodque non nisi urgente necessitate ad hoc extraordinarium Regiæ protectionis remedium confugere coactus fuerit, ut se a violentia & oppressionibus Adversariorum suorum, qui authoritate Archiepiscopali nimium abutuntur, protectione Regia tueatur.

Dominus Supplicans anno 1684. ab Illustrissimo & Reverendissimo D. *de Berghes*, Archiepiscopo Mechliniensi ad Pastoratum S. Catharinæ Bruxellas vocatus, semper eidem pergratus fuit; quo defuncto ad Archiepiscopatum promotus est modernus Illustrissimus ac Reverendissimus D. Archiepiscopus *Humbertus a Precipiano*, quem mox sub initium suscepti Regiminis adiit Supplicans; monuitque, se non paucos pati Adversarios, qui indubie graves apud ipsum querelas deposituri essent; se autem id unum postulare, ut Supplicantem dignaretur accersere, audire, & si quid minus recte gestum aut dictum crederet, ipsum paterne moneret, ac corrigeret; paratum se offerens monitis ejus obtemperare: id ipsum plus semel per se & per alios decursu temporis repetiit Supplicans.

At non obstantibus hisce interpellationibus & humilibus precibus, numquam hoc Archiepiscopalis & Pastoralis Officii debitum expertus est, numquam accersitus, numquam auditus, numquam monitus, multo minus super aliquo errore doctrinæ, morum defectu vel Officii Pastoralis neglecta administratione correptus.

Interea Supplicans aliunde monitus, se apud Dominum Archiepiscopum de multis accu-

(a) Vide Epistolas Espenii Domino van de Nesse de 4. & 29. Martii 1707. quibus id constat.

accusari; ac pluribus argumentis convictus, ejus animum quotidie a se magis ac magis alienari, tandem anno 1696. sibi timere cœpit, monitus a viris fide dignis, D. Archiepiscopum contra se graviora moliri.

Quare Supplicans veritus & Archiepiscopalis Characteris potentiam, & Adversariorum qua apud illum & seculi Potestates valent, fallaciam, coactus est D. Archiepiscopum sub initium anni 1696. in omni causa ipsum quomodolibet concernente recusare, enumeratis octo iisque gravissimis recusationis Capitibus: rogavitque bis per Notarium Apostolicum procedi ad electionem arbitrorum, qui de causis recusationis cognoscerent ac juxta Canonicas Sanctiones de ejusdem justitia & validitate judicarent.

At D. Archiepiscopus probe sibi conscius de sufficientia rationum dictæ recusationis, ad electionem arbitrorum, licet bis rogatus, procedere noluit, atque hinc Supplicans illum recusationi acquiescere judicavit; & reipsa D. Archiepiscopus manibus ejus dicta suspectatione ligatis, ab illo tempore nihil contra Supplicantem in *Judicis* qualitate tentavit.

At eodem anno 1696. D. Archiepiscopus graviora contra Supplicantem meditatus, evidentiora alienati animi præbuit argumenta, dum illum non auditum, non monitum, nec ullius rei sibi conscium, oblato Libello Serenissimo Bavariæ Duci, tum pro Rege Catholico Belgium moderanti, accusavit de gravissimo crimine, quasi prohibuisset *Tributa dare Cæsari* seu Regi, nisi prius hic sua contra Jansenistas Decreta revocaret. Accusationis summa continetur Serenissimi Electoris Litteris ad Cancellarium & Senatum Brabantiæ scriptis die 19. Octobris 1696. quæ inter adjuncta habentur Litt. A.

De hac accusatione certior redditus Supplicans Electorali suæ Celsitudini supplicavit, ne, quod unum timebat, via justitiæ sibi clauderetur. Libelli hujus prolixioris hæc erat summa.

Coactum se dicit Electoralis Suæ Celsitudinis protectionem & justitiam implorare adversus accusationem tam atrocem, cujus falsitatem manifeste demonstraturus est. Summo tamen dolore affici, dum ad defensionem suam proferre compellitur quæ parum grata futura sint suo Archiepiscopo, cujus personam, characterem & authoritatem semper veneratus sit: Nihil omisisse ut offensum sibi jam dudum illius animum placaret: Supplicasse, ut si quid in doctrina, vel in Parochiæ administratione, vel in moribus suis displiceret, id eum paterne commonefaceret, paratum authoritati ipsius & monitis obtemperare; quin & paucis ante hanc accusationem diebus eum convenisse; sed insinuatum ab Archiepiscopo nihil. Cogitare se non posse qua spe accusationem istam instituerit Archiepiscopus, nisi forte, ut ubi in accusatione deficeret, cursum justitiæ ea facilitate, qua & alias id fecit, impediret. At sperare se ab Electorali Sua Celsitudine permissum non iri, ut criminatione tam horrenda per viam facti opprimatur: se pro tuenda sua innocentia & fama, pro existimatione Familiæ suæ, pro charactere & officio suo, causam illam via juris prosecuturum. Mandasse Majestatem Suam Catholicam sæpius, & speciatim die 22. Martii 1677.: Ut Justitia administretur omnibus, nullo excepto, præcipue vero ad protectionem pauperum adversus oppressionem divitum. *Profiteri palam Electoralem Suam Celsitudinem quod velit jura Patriæ & justitiæ ordinem servare: Jus omne divinum & humanum id exigere: se deinceps Ecclesiæ inutilem fore, dum ex criminatione jam publica & a tali Accusatore instituta, in vulgi animis suspectus saltem manebit, nisi eam juris ordine de falsitate convincat. Itaque non aliud supplicare se, quam ut quemadmodum nulla Dignitatis vel Authoritatis Archiepiscopalis ratio habenda est in judicio, ita ipse illic servato juris ordine audiatur, & juxta omnem rigorem judicetur.*

Supplicanti annuit Celsitudo Sua Electoralis, liberum justitiæ cursum permittens. Summa diligentia per Concilium Brabantiæ inquisitio instituta est: citati & auditi testes omnes, quos audiri voluit D. Archiepiscopus, Sacerdotes, Clerici, Magistratus, aliique: nihil prætermissum, quod ad causam istam facere videretur.

Omnia ad Suam Celsitudinem, prout ipsa mandaverat, retulit Senatus Brabantiæ, ad quem

quem die 24. Maii 1697. scripsit Elector, ut si innocens deprehenderetur Pastor, suus ei honor restitueretur. Inter adjuncta sub Litt. B.

Has Litteras die 8. Julii ejusdem anni sententia secuta est, qua Supplicans immunis & liber ab excessibus ipsi per denuntiationem D. Archiepiscopi imputatis, declaratur. Ibidem Litt. C.

Interea dum quæstio hæc agitabatur, D. Archiepiscopus videns se in hac contra Supplicantem accusatione probationibus destitui; dictamque sententiam absolutionis ipsius Supplicantis prævidens, eam impedire omni modo conatus, aliam accusationem eodem anno 1697. molitus est non minus atrocem, non solum in ipsum Supplicantem, sed & in alios quatuor viros integerrimos, quos seditionis, rebellionis & hæreseos insimulavit, atque ipsis Hæresiarchis, Calvino & Luthero prope æquiparavit, oblato eum in finem libello Serenissimo Electori; qui una cum adjuncta deductione habetur Litt. D.

At D. Archiepiscopus ex responso Accusatorum agnoscens se deceptum ac graviter a Veritatis, Caritatis & Justitiæ tramite deviasse, conatus est variis prætextibus, decisionem litis, qua reparatio honoris petebatur, effugere, maluitque accusationem suam violento silentio, ne damnaretur ipse, damnare. Responsum habetur Litt. E.

Quod stupendum! nec sic animus D. Archiepiscopi contra Supplicantem mitigatus est; & supra quam dici potest ejus exulceratio ac contra eumdem præventio excrevit, dum anno 1703. mense Septembri e carcere Archiepiscopali elapso R. P. Paschasio Quesnel Supplicans Archiepiscopo delatus est tamquam hujus effractionis carceris Reus aut conscius.

Itaque D. Archiepiscopus, necdum suis præjudiciis liberatus contra Supplicantem, qui sub tempus evasionis fere per quindenam ab urbe abfuerat, nulla mora, nulla Judiciali Informatione præmissa, nulla habita ratione recusationis ante memoratæ, manu militari domum Supplicantis fractis foribus irrupit, ejusque personam nec non famulum & ancillam apprehendere militum & Ministrorum marte tentavit; ac revera ejus Vice-Pastorem, evasionis istius prorsus ignarum, publice cum summa ignominia, nulla etiam præmissa Informatione, via facti abduxit & carceri mancipavit; idque prætextu reddendi testimonium veritatis, ad quod numquam fuerat monitus, rogatus, citatus, nedum refractarius; in quo carcere Sacerdos integer, modis indignissimis habitus est, omnique contempto juris ordine ac justitiæ legibus violatis, oppressus supra bimestre ingemuit.

Ex quibus omnibus præscius Supplicans, nihil non sibi ab Adversariorum furore ac potentia, stante hac D. Archiepiscopi præventione & nimia credulitate, metuendum, coactus est jam pridem factam D. Archiepiscopi recusationem, ex hisce de novo emergentibus aliisque ante enarratis causis denuo renovare, quod & fecit oblato novo & ampliori recusationis libello. Habetur Litt. F.

Verum Supplicans neque his satis fidens, contra similes violentias viam Justitiæ ingredi statuerat, seque contra imminentes tempestates Regia protectione munire; ac interea Ecclesia sua tamquam asylo contra violentias, quas ex parte Archiepiscopi sibi metuebat, per quatuor menses usus est. Dum hæc meditatur Supplicans, adversarii ejus, solitis suis artibus & calumniis ita obrepserunt Religioni Regis Catholici, ut inauditus, nulla cognita causa, nullo servato Juris ordine, per litteras vulgo *sigillatas* e Patria exulare jussus sit. Elapso autem circiter exilii biennio, tandem ob morbum matris morientis pro octiduo de speciali Regis licentia in Patriam reversus, D. Archiepiscopo libellum obtulit tanta veneratione ac obedientia conscriptum, ut D. Archiepiscopi viscera paterna commiseratione commota viderentur, adeo ut D. Comiti de *Lumminghen*, hujus Civitatis Primario Consuli, libelli Bajulo, aperte fassus sit, satisfactum sibi esse a Supplicante, nihilque se ab illo exigere, quam ut sepositis non spectantibus ad se negotiis, Pastorali officio se totum impenderet; addita promissione se eadem vespera in Hispaniam pro Supplicantis ab exilio revocatione scripturum; Extat sub Litt. G.

Verum hæc erga Supplicantem Archiepiscopalis affectionis scintilla, mox in fumum

mum abiit, dum superveniens ejus Vicarius Generalis D. *van Susteren*, eandem uno flatu extinxit.

Quod ut specioso quodam colore velaret, Supplicanti ad suum exilium 30. Octobris reverso, septem post diebus Epistolam scripsit stipatam 46. punctis, indubie ab aliquo a Societate Jesu compositis, monens eundem, ut si petitam ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo gratiam consequi vellet, ad illa puncta *affirmative* respondendo, se a suspicione hæreseos, quam apud D. Archiepiscopum incurrerat, *authentice* expurgaret. Epistola cum adjunctis articulis extat Litt. H.

Supplicans jam anno præcedenti fuerat publico Decreto D. Vicarii Generalis Leodiensis tamquam suspectus de simili hæresi proclamatus. Qui a Supplicante aliisque pluribus rogatus tam infamantis Decreti rationem, respondit, se nullam scire. Non obscurum argumentum, illud ab Adversariis Supplicantis compositum, & a Vicario cæco modo obsequenti extortum fuisse. Habetur Litt. I.

Interea Supplicans videns, famam suam hoc publico Decreto enormissime læsam, apud SS. D. Clementem XI. querelas suas deposuit; injuriæque sibi illatæ reparationem depoposcit scripta Epistola, quam habes Litt. K.

Hac Epistola rectius informata Sua Sanctitas, injunxit Serenissimo Principi Leodiensi prædictum Decretum a Vicario suo publicatum, per aliud Decretum revocari & aboleri, quod & factum edito Decreto quod exstat Litt. L.

Non mirum proinde quod Supplicantem summopere perculerit dicta Epistola D. *van Susteren*, qua videbat se aspergi rursus eadem nota hæreseos, a qua per revocationem prioris Decreti Leodiensis fuerat sufficienter purgatus.

Cum autem videret, se in eadem Epistola nullius specialis & determinati erroris aut criminis argui, quem Supplicans deberet corrigere aut in moribus emendare, credidit sufficere generale responsum, quo debitam suam erga Apostolica & Episcopalia Decreta reverentiam & obedientiam testabatur. Hæc persuasio Supplicantis, effectu firmata est & eventu, dum a 28. Novembris, quo suum generale responsum miserat, nullas litteras aut monitum a D. Archiepiscopo, ejusve Vicario, quibus de insufficientia suæ responsionis moneretur, accepit. Responsum hoc exstat Litt. M.

Atque ita persuasus Supplicans, nihil amplius a se pro diluenda hæreseos suspicione desiderari; mutato harum Provinciarum regimine 3. Junii novissimi securus ad suas oves reversus est; cum ad ejus conspectum Adversariorum ira recruduit, & quæ ante exulantem simulata patientia tulerat, ab illa oppressione inopinato cælestis providentiæ ictu liberatum, diu ferre non potuit.

Sequenti enim post reditum die dum Supplicans resolverat per unum suorum Vicepastorum obsequia sua D. Archiepiscopo offerre obedientiamque testari paratus etiam eumdem personaliter accedere, si id gratum fore resciret, ecce sub horam decimam matutinam mittitur ipsi Epistola, qua D. Archiepiscopus illum nec auditum, nec citatum, ab omni Pastorali functione suspendit, donec vel S. Sedi Apostolicæ vel ipsi Archiepiscopo super doctrina sua respondendo 46. punctis per Vicarium Generalem ante propositis, satisfaceret, sicque se ab errorum suspicione *authentice* expurgaret. Epistola habetur Lit. N.

Supplicans hac extrajudiciali suspensione perculsus & *via facti* in pacifica Pastoralis Officii juriumque, & annexorum possessione turbatus, huic Regio Senatui Libellum obtulit, quo rogat 1. se manuteneri in pacifica Officii Pastoralis ejusque exercitii libera possessione. 2. Rogat sibi concedi protectionem Regiam, quæ eum contra omnes Adversariorum violentias securum redderet & ab injuriis vindicaret. 3. Interdictum, quod Archiepiscopo toties recusato ligaret manus, ne quidquam ut Judex contra Supplicantem ageret, nisi prius juxta Statuta Canonica, recusatio decisa fuisset.

Quo libello, authoritate hujus Senatus D. Archiepiscopo de more communicato, hic loco responsi, proposuit Exceptionem Declinatoriam seu simplicem advertentiam, sustinens causam hanc non competere Judicio Senatus Regii, sed Judicis Ecclesiastici; eo quod agatur de re *mere spirituali*, ut

sunt

sunt Prædicatio Verbi Dei & Administratio Sacramentorum, aliæque functiones Pastorales: addens, se cogi non posse hujus Senatus Judicio rationes suspensionis subjicere; si vero Supplicans eas sat graves esse non credat, aut justa de suo Archiepiscopo conquerendi motiva se habere præsumat, possit illa in foro Ecclesiastico allegare. Habetur sub Litt. O.

Ut autem huic Senatui dilucide exponatur, quam infundata sit hæc Archiepiscopalis Exceptio, & fundata Supplicantis Conclusio, præsens Motivum in quatuor capita dividetur: quorum Primum ostendet, Parochis jure proprio & ordinario Curam Animarum & functiones ad eam spectantes incumbere, & consequenter hac cura aliisque eidem annexis non magis posse licite vel valide extrajudicialiter nulloque servato juris ordine interdici aut exui, quam ipso Parochialis officii titulo privari.

Secundum exponet, quæ forma in ferenda suspensione ab Officio Pastorali sit de Jure servanda; ac dein, suspensionem Supplicantis ex pluribus Capitibus esse irregularem, nullam, invalidam, ac pro mera extrajudiciali turbatione reputandam.

Tertio Capite agetur de Interdicto possessorio sive manutenentia Regiis Consiliis competente: ac demonstrabitur, manutenentiam æque ac possessionem exercitii Curæ Animarum & functionum ad eam spectantium, ac ipsam Beneficii Parochialis possessionem concernere; neque hic de re mere spirituali quæstionem agitari; nec Senatum Regium constitui Judicem de sufficientia aut insufficientia rationum suspensionis inflictæ: uti nec de doctrina aut morum correctione, neque horum omnium Judicium Tribunali Ecclesiastico per manutenentiam eripi. Sed neque Supplicantem prætendere, Curam Animarum via manutenentiæ sibi hujus Senatus authoritate dandam vel restituendam, sed solummodo se in quasi possessione eam obeundi contra turbationem, *via facti* attentatam authoritate Regia confirmandum.

Quarto denique Capite asseretur, proprium esse Regiæ Majestati subditis suis oppressis protectionem impartiri, eamque in præsenti casu Supplicanti non posse denegari.



CAPUT PRIMUM.

De Origine & Jure Parochorum in exercitio Curæ Animarum & functionum ad eam pertinentium.

§. I.

A primis seculis Ecclesiæ Presbyteri fuerunt Parochiis præpositi.

Apud Gratianum *Caus.* 13. *quæst.* 1. *Can.* 1. sub nomine Dionysii Papæ Severo Episcopo scribentis legitur, *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus: Parochias & Cœmeteria eis divisimus: & unicuique jus proprium habere statuimus.*

Hinc post Glossographum communi consensu concludunt Canonistæ, per hunc Dionysium Papam (qui sedit seculo III.) divisos vel distinctos fuisse terminos Ecclesiarum sive Parochias, singulisque singulos assignatos Presbyteros.

Objicitur quidem hodie, suspectam esse Eruditis hujus Epistolæ fidem, eamque ad supposititias Pseudo-Isidori merces rejici. Verum ut quæstioni huic inter Eruditos agitatæ non inhæreamus; dicimus, abunde constare ex aliis indubitatis documentis, etiam primis seculis fuisse distinctas Ecclesias, quibus singuli Presbyteri fuere præpositi.

Sub initium seculi IV. scribit S. Athanasius in secunda sua ad Imperatorem Constantium Apologia: *Mariotes ager est Alexandriæ, quo in loco numquam Episcopus fuit, imo nec Chorepiscopus quidem, sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent, ita tamen* UT SINGULI PAGI SUOS PRESBYTEROS HABEANT.

Sub idem tempus S. Epiphanius *Lib.* 2. *adversus Hæreses*, de eadem Alexandrinæ Eccle-

Ecclesiæ disciplina testatur; *Etenim*, ait, *quotquot Alexandriæ Catholicæ Communionis Ecclesiæ sunt uni Archiepiscopo subjectæ*, SUUS CUIQUE PRÆPOSITUS EST PRESBYTER, *qui Ecclesiastica munia administret, qui circa illas habitat, earumque conventicula, vici sive lauræ, ab Alexandrinis vulgo nominantur*.

Eodem seculo celebrata Synodus Antiochena *Canone* 8. meminit Presbyterorum, qui *in Pagis* seu *Agris* constituti, curam populi agerent. Et Concilium Sardicense *Canone* 6. statuit, *Licentiam dandam non esse, ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica Civitate*, CUI (ait) SUFFICIT UNUS PRESBYTER. Frequentissima occurrit in subsequentibus Synodis Presbyterorum per vicos & minores Ecclesias constitutorum mentio.

Id autem studuerunt Synodi omnes, ut singulorum Presbyterorum distincti essent termini, sic ut alter alterius terminos non invaderet: sed quisque suis contentus, populi sibi commissi curam ageret.

In Capitularibus Regum Francorum *Lib.* 1. *Cap.* 147. legitur: *Ut nullus Parochus alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat*.

Vulgatum est quod ex Concilio Nannatensi circa idem tempus celebrato, refertur in Cap. 2. ✠ De Parochiis: *Ut Dominicis vel Festivis diebus Presbyteri antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero ibi velit Missam audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant*.

Hæc aliaque Conciliorum Decreta evincunt, jam seculo 9. (quo hoc Concilium celebratum fertur) passim distinctas fuisse Parochias, ac terminos singulis Ecclesiis designatos; necnon singulis suum proprium Presbyterum fuisse præpositum. Quin sub initium hujus seculi 9. Patres Concilii Parisiensis *Canone* 29. decernunt: *Sicut unicuique Civitati convenit proprium habere Episcopum, ita & unamquamque Basilicam Deo dicatam, decet & oportet* PROPRIUM *habere* PRESBYTERUM.

Hanc disciplinam licet sæpius renovatam, nihilominus temporum injuria collapsam, cupiens restitutam Synodus Tridentina mandat Episcopis Sess. 24. cap. 13. De Reformat. *Ut iis quoque Civitatibus ac locis ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant ... pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas, propriasque Parochias unicuique* SUUM PERPETUUM PECULIAREMQUE PAROCHUM *assignent, qui eas cognoscere valeat, & a quo* SOLO *licite Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis Civitatibus ac locis, ubi nullæ sunt Parochiales, quamprimum fieri curent: non obstantibus quibuscumque privilegiis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus*.

Non dubium proinde, quin a primis seculis ea fuerit Ecclesiæ intentio, ut in vicis & numerosis Civitatibus statuerentur Presbyteri, qui singuli suum, certis limitibus distinctum populum regerent; & quæ curam animarum spectant, ministrarent. Quapropter jam pridem recte dixit pius ac doctus Joannes Gersonius Cancellarius Parisiensis, in tractatu de statibus Eccles. *Consid.* 1. *Status Curatorum succedit statui* 72. *Discipulorum Christi quoad legem novam, & figuratus est in antiqua lege per Levitas; ac proinde status Curatorum est de institutione Christi & Apostolorum*.

§. II.

Presbyter Parochiæ præfectus ejusdem Curam Pastoralem sustinet.

Presbyteros, quos singulis Parochiis a primis nascentis Ecclesiæ seculis præpositos fuisse præcedenti paragrapho vidimus, ejusdem populi spiritualem curam egisse indubitatum est.

Hinc jam pridem Presbyteri *Parochiales*, & hodie *Parochi*, a cura *Parochiæ* eisdem incumbente, dicti sunt; notatque post alios Canonistas Petrus Rebuffus ad Concordata Galliæ §. STATUIMUS, verbo PAROCHIALES ECCLESIÆ, *quod Parochialis dicatur a Parochia ei deputata, quæ dicitur partitio cura, quia Rector Ecclesiæ habet* CURAM TOTIUS POPU-

POPULI *inter illos limites congregati*, *unde dicitur regere populum. Cap.* 1. *de Capell. Monach.*

Hoc ipsum evidenter suppofuit Synodus Tridentina in super citato Decreto, mandans Episcopis, ut distincto *populo in certas propriasque Parochias*, *unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent*, *qui eas cognoscere valeat & a quo* SOLO LICITE SACRAMENTA *suscipiant*.

Patenter hic Synodus suppofuit, quod singulis distinctis Parochiis suus proprius & particularis Presbyter assignandus sit, qui curam totius Parochiæ agat & populo Sacramenta administret.

Qua enim specie voluisset Synodus, *ut ab hoc* SOLO *Presbytero Parochiani licite Sacramenta susciperent*, nisi una credidisset, ipsum Presbyterum esse *ordinarium* Sacramentorum Ministrum.

Quare Synodus Provincialis Mechliniensis anno 1670. *tit. de Decanis Christianitatum*, *Pastoribus* &c. *Cap.* 8. advertens frequenter varia sequi incommoda, lites & contentiones ex eo quod in una eademque Ecclesia plures Pastores authoritate pares toti Parochiæ præsunt, insequendo præallegatam Concilii Tridentini dispositionem, statuit & mandat, ut *Episcopus in hujusmodi locis unicuique Pastori suum proprium & peculiarem assignet populum*, *deputando cuique certas plateas*, *vicos & Regiones*, *quarum quisque* CURAM *gerat*.

Unde nihil frequentius in Synodis passim inculcatur Parochis, quam ut serio attendant, totius Parochiæ sibi curam spiritualem incumbere. Quin & a cura ipsi incumbente idem Presbyter antonomastice *Curatus* dici solebat; & ab eadem cura totius Parochiæ sive populi *proprius Sacerdos* dicitur, quo nomine a Concilio Lateranensi sub Innocentio III. indigitatur, in *Cap. Omnis utriusque sexus* ✕ *de Pœnitentiis & remiss.*

Hinc & communiter concludunt Canonistæ, quod eo ipso quo Ecclesia aliqua est Parochialis, consequenter sit Beneficium *Curatum*, uti loquitur Hieronymus Gonzales ad *Reg.* 8. *Cancell. Glossa* 6. *num.* 92. quia nimirum Parochiale Beneficium sine actuali cura animarum esse non potest; sed vi tituli & institutionis curam illam habet annexam.

§. III.

Cura Animarum secum trahit obligationem populo impendendi quæ ad curam illam spectant.

Quandoquidem Parocho utpote proprio & peculiari Sacerdoti, totius Parochiæ sibi commissæ cura spiritualis incumbat, ut præcedenti paragrapho ostensum est, consequens est, ipsum ex officio obligari, populo impendere omnia curam illam Pastoralem spectantia.

De his muniis ad curam animarum necessariis loquitur Synodus Trident. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.* ibidem declarans, quod *Præcepto Divino mandatum sit omnibus*, *quibus animarum cura commissa est*, *oves suas agnoscere*, *pro his Sacrificium offerre*, *Verbique Divini prædicatione*, *Sacramentorum administratione*, *ac bonorum omnium operum exemplo pascere*, *pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere*. Hic autem Synodus non solum exprimit ea, quæ ad curam animarum pertinent sed etiam evidenter supponit, curam animarum secum trahere prædicationem verbi Divini, Sacramentorum administrationem, aliaque munia Pastoralia, sive quod Parochus ratione curæ animarum sibi incumbentis ad ea omnia teneatur ex officio, seu ob curam animarum ei commissam, idque præcepto Divino.

Hinc ulterius deducunt Canonistæ, quod Ecclesia Parochialis dicatur Beneficium cum administratione, quia (ait Rebuffus in Praxi Benef. *part.* 1. *tit. Seculare Beneficium quotuplex num.* 10.) *Curatus tenetur ministrare Sacramenta Ecclesiastica*, *videlicet baptizare pœnitentes*, *confitentium peccata audire*, *& eos absolvere injuncta eis pœnitentia*, *& Sacramenta administrare*, *aliaque opera eos tangentia facere tenetur*.

Et recte scribit Franciscus Pinsonius in *Tract. de Beneficiis*, ad verbum *Militia*, *cap.* 4. §. 21. *num.* 15. quod *cura animarum stricte & simpliciter* sumatur pro potestate ligandi & solvendi, quæ pertinet ad forum pœnitentiale; additque *n.* 6. *quod eo quidem casu*, *quo hæc potestas in plebem aliquam specialiter data est*, *proprie dicitur esse cura animarum*, *& hujus curæ partes sunt*

V u 2 (ait

(ait *num. 7.*) *confessiones audire*, *pœnitentiam injungere &c.*

§. IV.

Parochi curam animarum & functiones ad eam spectantes exercent jure proprio & ordinario.

Parochum vigore sui tituli & Beneficii Parochialis habere curam animarum in populum Parochiæ limitibus comprehensum, jam ante probatum est §. 2. Probatum quoque est curam hanc secum trahere potestatem & necessitatem impendendi populo sibi subjecto omnia ad curam animarum proprie & stricte sumptam spectantia, ut sunt administratio Sacramentorum, & prædicatio Verbi Dei.

Cum vero hæc Cura & omnia ad eam spectantia competant Parocho vigore sui Beneficii Parochialis quod sine simili Cura nequit subsistere, consequens est, Parocho competere hanc curam & reliqua eo pertinentia jure ordinario & proprio, id est jure tituli seu Beneficii Parochialis seu Curati.

Imo nisi proprio nomine & vigore tituli sui curam eam exerceat, vere Parochus non est; neque Beneficium dicitur Curatum; cum nullum Beneficium dicatur tale, nisi Curam Animarum vi tituli habeat annexam. Hinc inter requisita ad Ecclesiam Parochialem, sive Beneficium Parochiale, numerant Canonistæ, ut possessor ejusdem exerceat *Curam Animarum* NOMINE SUO & NON ALIENO; uti videre est apud Hieronymum Gonzales *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss. 6. num.*40.& ibi citatos.

Hoc adeo manifestum jam pridem visum est Doctoribus Parisiensibus, ut cum anno 1408. F. Joannes de Gorello, Ordinis Fratrum Minorum, sustinuisset hanc propositionem: *Curatis non competit, ut tales sunt, Prædicare, Confessare, Extremam Unctionem dare, sepulturas dare, decimas recipere: fundatur in hoc quod Curati non sunt ex institutione Christi & Ecclesiæ primaria, sed per Dionysium Papam fuerunt ordinati &c.* eandem per dictam Facultatem sub hac formula revocare jussus sit: *Dico nunc ex ordinatione ejusdem Facultatis Matris meæ, & ultronea voluntate veritates quæ sequuntur.*

Prima, *Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prælati & Hierarchæ ex primaria institutione Christi, quibus competit* EX STATU *jus Prædicandi, jus Confessiones audiendi, jus Sacramenta Ecclesiastica secundum exigentiam sui status & Parochianorum ministrandi, jus sepulturas dandi, jus insuper decimas & alia jura Parochialia recipiendi &c. Item quod jus Prædicandi & Confessandi competit Prælatis & Curatis* PRINCIPALITER & ESSENTIALITER, *& Mendicantibus per accidens & ex Privilegio, quoniam sunt introducti vel admissi ex commissione & beneplacito Dominorum Prælatorum.*

Supra citatus Joannes Gersonius in *Tract. de Potestate Ecclesf.* agens contra quosdam Mendicantes, qui suam potestatem supra Curatorum authoritatem temere extollebant, adducit iisdem verbis prædictam sententiam Facultatis Parisiensis: *Contra temeritatem extollentium Privilegiatos super Curatos in Prædicationibus & Confessionibus.*

Et ante hos Sanctus Thomas, hanc Prædicandi & Confessiones audiendi authoritatem Curatis non secus atque ipsis majoribus Prælatis jure *proprio*, sive ex officio competere, supposuit tamquam compertum & indubitatum.

Inquirens enim 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 4. Utrum aliqua Religio institui possit ad Prædicandum vel Confessiones audiendum, more suo præmittit pro parte negativa hoc argumentum. *Id ad quod Religio instituitur, videtur esse maxime proprium Religioni, sed prædicti actus non sunt proprii Religiosorum, sed Prælatorum: non ergo ad hujusmodi actus potest aliqua Religio institui.* Deinde in Corpore pro affirmativa resolvens, tandem proposito argumento ita respondet: *Sicuti Religiones instituuntur ad Prædicandum & Confessiones audiendum non quidem* AUTORITATE propria, *sed authoritate superiorum & inferiorum, ad quos ex* OFFICIO *pertinet, & ita subvenire in tali ministerio, est hujus Religionis proprium.*

Evidens est, quod Sanctus Thomas supponat tamquam indubitatum, Religiosos Ordinum Mendicantium (de quibus hic agit) functiones illas obire authoritate *aliena*, scili-

scilicet Prælatorum superiorum & inferiorum; Prælatos vero seu superiores & inferiores authoritate *propria*, sive ex *Officio.*

Similiter S. Bonaventura in *Tract. Quare FF. Minores prædicent*, expresse monet, hos fratres duntaxat venire in adjutorium Episcoporum & Parochorum ad quos *ex officio* jus prædicandi spectat; utque *remanentes manipulos segetum* (inquit) *& spicas decidentes post Messores, & racemos relictos in vinea colligere debeant, id est, illas reliquias quas Plebani, qui habent* OFFICIUM *in plebe sua docendi & colligendi, relinquunt.*

Ergo non tantum Episcopi sed & Plebani sive Parochi habent juxta S. Bonaventuram *Officium* in plebe sua docendi, sive ex *Officio* plebem suam docere tenentur.

Nec mirum Parochos a Sancto Thoma nomine *Prælatorum inferiorum* designari, uti & Facultas Parisiensis, nec non Joannes Gersonius eos *minores Prælatos & Hierarchas indigitant.*

Cum enim jure suo, sive jure suorum titulorum, exerceant jurisdictionem fori pœnitentialis respectu populi intra limites suæ Parochiæ consistentis, merito minores Prælati nuncupantur, ab ordinario jure quo jurisdictionem spiritualem exercent, atque eo nomine in *Cap.* 3. ✠ *de Officio Jud. ord.* inter Ecclesiarum Prælatos numerantur; & in *Cap.* 4. ✠ *de Clerico ægrotante* &c. Presbyter in Parochiali Ecclesia *Prælationis* officio fungi dicitur. Hinc Canonistæ communi consensu Parochos reputant minores Prælatos.

Joannes Staphilæus Episcopus Sabinicensis & sacri Palatii Apostolici causarum Auditor, qui a 200. circiter annis Tractatum De gratiis expectativis scripsit, Curatos Prælatis annumerare non dubitat. Exponens enim necessario requisita, ut quis dicatur Curatus ait *pag.* 47. *Requiritur & tertium, ut quis dicatur Curatus quod tamquam* PRÆLATUS *suo nomine singulariter ad regimen Parochialis Ecclesiæ & populi assumatur.*

Et Hieronymus Gonzales post Panormitanum, ad *Reg.* 8. *Cancell. Glos.* 6. *num.* 100. tamquam indubitatum asserit, quod Rector in sua propria Ecclesia Parochiali dicatur *Prælatus.* Quin & addit num. 101. *Nec non habet tantam potestatem, quantam habet Prælatus cum Capitulo in Ecclesia Collegiata:* scilicet quoad forum pœnitentiale, & Curam Animarum respectu suorum Parochianorum.

Dein num. 104. ex allegatis concludit, quod Rector intra propriam Ecclesiam debeat præcedere omnes alias maiores & superiores dignitates in dicendis Missis solemnibus, & aliis quibuscumque præeminentiis concernentibus ipsius Rectoris officium; testaturque anno 1591. judicatum fuisse in Rota, quod *Rector in sua propria Ecclesia, inspecto jure communi erat præferendus Decano & omnibus Capitularibus Collegiatæ, ad eamdem Ecclesiam processionaliter, certis diebus, ex antiqua consuetudine accedentibus.*

§. V.

Id ipsum declaravit Synodus Tridentina.

Synodus Tridentina in supra citato Decreto declarans, *Præcepto Divino mandatum esse omnibus quibus Animarum Cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Divini Prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere &c.* non obscure supposuit hæc omnia Parochis jure *proprio* & vigore *tituli* Parochialis incumbere.

Neque enim dubitare potuit Synodus, quin Parochis ratione Parochialis sui Beneficii Cura Animarum, suarum respective Parochiarum, commissa sit: ac per consequens cum declarat *præcepto Divino* mandatum esse omnibus, quibus hæc cura commissa est, hæc omnia præstare, una declaravit, Parochum *ex officio* ad eadem obligari.

Evidentioribus terminis illud expressit eadem Synodus quoad ipsam potestatem excipiendi Fidelium Confessiones (quæ functio propriissime pertinet ad potestatem Clavium) dum *Sess.* 23. *cap.* 15. *De Reformat.* statuit, nullum Presbyterum etiam Regularem *posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut* PAROCHIALE BENEFICIUM *obtineat aut ab Episcopis per examen,*

men, si illis necessarium fuisse videbitur, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

Hic enim significat Synodus pro Presbytero, qui Beneficium Parochiale obtinet, non requiri specialem Episcopi approbationem ad audiendum Secularium Confessiones, qualem aliis Presbyteris etiam Regularibus Beneficium Parochiale non habentibus necessarium esse declarat: evidenter supponens, eam potestatem, Presbyteris simili *Beneficio* gaudentibus titulo sive jure Beneficii Parochialis competere.

Hinc Paulus Piasecius, in sua *Praxi Episcopali* assignans modos, quibus bodie post Concilium Tridentinum Presbyteri approbantur ad audiendum Confessiones Secularium, ait *parte 2. cap. 1. num. 10. Primo Curatis* IPSA BENEFICII *Curam Animarum annexam habentis* COLLATIONE, *ut patet ex textu Concilii*.

Et Augustinus Barbosa, de Officio Parochi *parte 2. cap. 19. num. 1. Provisus de Parochiali Beneficio, & sic Parochus Sacerdos, habet jurisdictionem* ORDINARIAM *in Pœnitentiæ foro circa omnes suæ Parochiæ fideles, & censetur quoad hoc* LEGE *approbatus absque alia desuper sibi facienda per Ordinarium licentia, ut colligitur ex Concil. Trid. Sess. 23. De Reformat. Cap. 15. ubi, nisi aut* PAROCHIALE BENEFICIUM *&c.*

Addit loco supra citato Piasecius quod, *si Presbyter ille, dimiserit aliqua causa ipsum Beneficium Curatum, desinat ipsius potestas nec possit excipere Confessiones absque alia licentia*: quia nimirum, Potestas ipsi unice competebat ob Curam Animarum suo Beneficio annexam: qua dimissa etiam potestas ex Cura Animarum profluens evanescit.

Eodem fundamento respondit S. Congregatio, uti ibidem refert Piasecius, Provisum *de Parochiali Ecclesia censeri approbatum duntaxat ad audiendum Confessiones in ea Civitate, vel oppido ubi sita est Parochialis, non autem passim per totam Diœcesim*: eo quod Cura Animarum ei commissa se per totam Diœcesim non extendat. Hæc omnia post plures citatos confirmat Barbosa eodem loco.

Itaque ex præfatis deducitur, Parochi Jus & obligatio munia Pastoralia ex *officio* seu vi tituli in sua Parochia obeundi, uti optime ac dilucide expressit citatus Barbosa *in Tract. de Officio Parochi part. 1. Cap. 1. num. 11.* dicens: *Porro per Curam, a qua dicuntur Curati, non intelligenda venit qualiscumque, qualis est illa, quæ ex lege charitatis mandatur unicuique de proximo. Nec illa etiam, quam habet, verbi gratia, quilibet superior temporalis, licet suo modo etiam teneatur ad custodiam animæ; neque etiam dicitur Curam ejusmodi habere qui habet licentiam ad exercendos certos actus Pastorales: alioquin tot essent Pastores, quot subsidiarii. Sed is demum* CURATUS *esse intelligitur, qui accepit Curam Animarum ex* NATURA OFFICII, *qui accepit non solum posse, sed debere: non solum licentiam, sed ultra hac etiam officium, munus, onus, debitum Curandi Animas quod involvit obligationem curandi eas ex lege Justitiæ.*

§. VI.

Presbyteri Parochialibus Ecclesiis præfecti debent esse perpetui.

Indubitatum est, Clericum per qualecumque Beneficium adscribi certæ Ecclesiæ ac per illud vocari ad Ministerium Beneficio annexum: cum omne Beneficium detur *propter officium*.

Cum vero moneat Apostolus; *Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, semper optavit Ecclesia, ut huic monito Clerici præcæteris obtemperent, constanter perseverantes in Ministerio, cui authoritate Superiorum fuerint applicati.

Hinc fixa perpetuaque fuit Ecclesiæ disciplina, ut dum quis alicui Ecclesiæ legitima authoritate & vocatione fuerit adscriptus, in ea permaneat: quam disciplinam *Canone 6.* expressit Synodus Chalcedonensis, & innovavit novissime Synodus Trid. *Sess. 23. cap. 16. De reformat.*

Unde dum erecta fuerunt Beneficia, eorumque tituli authoritate Episcoporum instituti, conformiter ad mentem & spiritum Ecclesiæ, illa semper fuerunt reputata *perpetua*; hoc scilicet sensu, ut qui vigore Bene-

Beneficii in titulum erecti, certæ Eccleſiæ tamquam ejus Miniſter adſcribitur, in ea permaneat & vita durante deſerviat.

Quia vero inter Beneficia eminent *Curata*, ſignanter *Parochialia*, per quæ ipſis certi, circumſcriptique populi Animarum Cura committitur, quem regat, cuique ea quæ ſalutis ſunt adminiſtret, ſemper ſollicita fuit Eccleſia, ut hæc præ cæteris *perpetua* eſſent; utque Eccleſiis Parochialibus non Mercenarii & amovibiles, ſed proprii & perpetui Paſtores paſcendis ovibus aſſignarentur.

Unde dum labentibus ſeculis Eccleſiæ Parochiales Capitulis & Monaſteriis unitæ, cœperunt committi Vicariis non perpetuis, ſed amovibilibus, mox huic abuſui variæ Synodi ſeſe oppoſuerunt.

Ita videmus Synodum anno 1225. habitam Moguntiæ Præſide Conrado Epiſcopo & Cardinale Portuenſi Sedis Apoſtolicæ Legato, *Canone* 12. deplorare, *quod enormis quædam conſuetudo in quibuſdam Alemanniæ partibus contra* CANONICAS SANCTIONES *invaluit, ut ponantur in Eccleſiis conductitii Sacerdotes*, VICARII TEMPORALES. Ne id fiat de cætero (ait Legatus) *authoritate legationis, qua fungimur, omnibus modis inhibemus. Sed cum Vicarius poni debet & poteſt*, PERPETUUS *inſtituatur*.

Cumque idem abuſus in quibuſdam Galliarum partibus invaleſceret, eidem ſe Synodus Biterrenſis oppoſuit anno 1233. *Canone* 11. præcipiens omnibus Religioſis, Capitulis & aliis perſonis tenentibus Parochiales Eccleſias, ut *ſuis Diœceſanis Epiſcopis, Rectores ſeu perpetuos Vicarios, & idoneos vita & ſcientia, ad eaſdem Eccleſias repræſentent, qui ab eis curam accipiant animarum. Et* Canone 12. *vult & diſtricte præcipit, ut qualibet Parochialis Eccleſia* PROPRIUM *habeat &* PERPETUUM *Sacerdotem*.

His aliiſque Synodis præiverat Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. quod ſtatuit, ut ſi Eccleſia Parochialis fuerit annexa majori dignitati, hacque veſtitus nequeat perſonaliter illi Eccleſiæ deſervire, *tunc in eadem idoneum &* PERPETUUM *habeat Vicarium, Canonice inſtitutum*. Habetur in *Cap.* 30. ✠ *de Præb. & Dignit.*

Cum autem non obſtantibus hiſce ſæpius iteratis Decretis in multis Eccleſiis paſſim Vicarii amovibiles locarentur, Concilium Trident. *Seſſ.* 7. *cap.* 7. *de Reformat.* volens tanto morbo opportunum adhibere remedium, mandat Ordinariis ſolicite providere, ut in Beneficiis *Curatis*, quæ aliis Eccleſiis vel Monaſteriis perpetuo unita ſunt & annexa per idoneos Vicarios, etiam *perpetuos*, ibidem deputandos, Animarum Cura laudabiliter exerceatur.

Rurſus *Seſſ.* 24. *Cap.* 13. *de Reformat.* volens populum in certas, propriaſque Parochias diſtingui, una voluit, ut Epiſcopi cuilibet ſuum *perpetuum* peculiaremque Parochum aſſignarent.

Itaque ex mente Eccleſiæ, Parochialia Beneficia debent eſſe perpetua; ut ſcilicet Parochus ſuæ præficiendus Eccleſiæ habeat verum titulum ſua natura & inſtitutione perpetuum.

Unde ut Vicarius perpetuus ad mentem Tridentinæ Synodi citato *Cap.* 7. deputetur, prius Epiſcopali authoritate erigenda eſt Vicaria *perpetua*, uti jam pridem reſolviſſe S. Congregationem teſtatur Fagnanus ad *Capitulum Ad audientiam* ✠ *de Reſcript. num.* 100.

§. VII.

Beneficiorum perpetuitas facit, ut his ſine Judicis ſententia privari legitimi eorumdem poſſeſſores nequeant.

Non tantum Parochialia & curata Beneficia, ſed etiam ſimplicia quæcumque, ut rationem veri Beneficii habeant, debere eſſe *perpetua*, concors eſt Canoniſtarum ſententia.

Perpetuitas autem hæc profluit ex ipſa inſtitutione ſeu applicatione, qua Clericus certæ Eccleſiæ Epiſcopali authoritate intitulatur ſeu applicatur, ut eidem vita ſua durante miniſtret.

Quæ perpetuitas proinde exigit, *ut non conferatur Beneficium ad certum tempus, ſed perpetuo, ſeu ad vitam ejus cui confertur*, uti poſt alios Canoniſtas loquitur Hieronymus Gonzales ad *Regul.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 6. *num.* 11. addens, *hoc eſſe proprium Beneficiorum*.

Quia ergo Beneficiatus vi inſtitutionis titu-

tituli, veluti *perpetuus* Minister adscribitur ut ad vitam Ecclesiæ ministret, hæc quoque vult, ut ab ea non removeatur invitus, nisi Judicis sententia probetur ob justam causam suo gradu & munere excidisse.

Ita videmus seculo XI. Concilium Nemausense Præside Urbano II. decrevisse *Canone 9. Sacerdotes quando regendis præficiuntur Ecclesiis de manu Episcopi. Curam Animarum suscipiant, uti & in* TOTA VITA *sua Deo deserviant, nisi* CANONICO *degradentur officio.*

Hinc tamquam indubitatum docent Canonistæ, Beneficiatum non posse Beneficio exui ob commissum crimen, nisi illud *judicialiter* probatum sit; & Judex crimine probato sententiam privationis enuntiet.

Imo licet tale sit crimen, quod pœnam privationis inducit ipso jure; nihilominus Beneficiatus e possessione Beneficii amoveri nequit invitus, nisi Judici probetur, crimen illud a Beneficiato fuisse commissum; & sententia commissi criminis declaratoria subsequatur, uti pari consensu docent Canonistæ, quos magno numero citat Garcias *de Beneficiis, parte* 11. *Cap.* 10. notans *num.* 5. *nullum crimen etiam privatione dignum inducere privationem Beneficii ipso jure, nisi sit jure cautum, sed quod sit privandus per sententiam.*

Et quia Vicarii deputati ad regimen Ecclesiarum Parochialium unitarum de jure debent esse perpetui, idcirco nec hi a suis Vicariis sive titulis amovendi sunt, nisi per Judicem, uti respondet Alexander III. in *Cap.* 3. ✠ *de Officio Vicarii*, respectu Vicarii, quem Persona alicujus Ecclesiæ in Eadem Ecclesia instituit, de assensu & authoritate Diœcesani Episcopi. Hunc a Successore in Personatum removeri non posse dicit, *nisi aliquid committat, propter quod per* JUDICEM *in Vicaria sit vel Beneficio condemnandus.*

Hinc post Glossam conficiunt Canonistæ, etiam *Vicarios perpetuos non posse removeri, nec privari, nisi ex legitima causa, ac per* JUDICEM COMPETENTEM, uti aliis citatis loquitur Fagnanus ad citatum *Cap.* 3. *n.* 28.

Nec immerito voluit Ecclesia in depositione ac suspensione Parochorum ordine judiciario & non ex arbitrio Episcoporum procedi: nam ut jam pridem deploravit Concilium Hispalense II. *Can.* 6. *Multi sunt qui indiscussos potestate tyrannica non authoritate Canonica damnant, & sicut nonnullos gratiæ favore sublimant, ita quosdam odio, invidiaque permoti humiliant.*

Quare & ipsum Concilium juxta disciplinam illius temporis statuit, ut *juxta priscorum Patrum sententiam nullus nostrum sine Concilii examine dejiciendum quemlibet Presbyterum vel Diaconum audeat.* Apud Gratianum *Caus.* 15. *q.* 7. *Can.* 1.

§. VIII.

Ex perpetuitate tituli Parochialis sequitur jus ad functiones Pastorales in Parocho esse perpetuum.

Parochos ratione Curæ Animarum sibi commissæ obligari ad obeundum ex officio munia Pastoralia, uti sunt prædicatio Verbi Divini, administratio Sacramentorum; ac jus illa exercendi, ipsis vi sui tituli Parochialis, sine alia speciali delegatione competere, supra abunde monstratum est.

Igitur jus exercendi dictas functiones ex titulo Parochiali profluens, eique naturaliter inhærens, non minus censendum est esse perpetuum ac ipse titulus.

Et sane Ecclesia volens singulis Parochiis præfici PERPETUUM *peculiaremque Parochum, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite Sacramenta suscipiant* Parochiani, indubitanter supposuit, quod Parochus ille perpetuus eadem perpetuitate seu quamdiu est Parochiæ præpositus, possit populo conferre omnia, quæ populus ab eo tamquam *proprio* Parocho suscipere, & ipse populo vi Curæ Animarum sibi incumbentis administrare tenetur.

Hinc recte conficiunt Canonistæ, quod omnia, quæ Parochis aliisque Beneficiatis competunt jure *ordinario* sive jure sui tituli & Beneficii, æque censeantur perpetua, atque ipse titulus: neque magis his juribus Parochum aliumve Beneficiatum sine juris ordine ad beneplacitum Superioris posse vel in totum vel in parte privari,

aut

aut ab eorum exercitio *via facti* suspendi, quam ipso titulo seu Beneficio spoliari.

Exempli causa, quia hodie Archidiaconatus judicatur esse dignitas in titulum Canonica institutione conferri solita, deducunt Canonistæ, Archidiaconum functiones sui muneris exercere jure *proprio* sive jure *sui tituli*: neque his magis, quam ipsa dignitate pro nutu Episcopi & ordine juris neglecto exui posse; uti post plures citatos docet Fagnanus ad *Cap.* AD HÆC ☩. *de Officio Archid. ibidem num.* 31. referens opinionem Innocentii dicentis, *Archidiaconos & similes ideo dici Vicarios Episcopi, quia exercent ea, quæ etiam ad Episcopum pertinent, sed tamen non esse tantum Vicarios, sed* CERTA DIGNITATE *potiri: adeo ut* PROPTEREA *removeri non possint ad libitum Episcopi, nec ipse pro suo velle illorum* OFFICIA *exercere.*

Deinde citatis pluribus ex antiquis Canonistis Innocentio consentientibus subdit *num.* 32. *Ex quibus apparet opinionem Innocentii communiter teneri a Canonistis, & videtur etiam de jure verior: nam Archidiaconus est Vicarius non ab Episcopo assumptus, sed datus* A JURE, *& sic non est amovibilis, sed habet Vicariam perpetuam annexam ex privilegio Canonis, quod in totum, vel in partem a quoquam Pontificum convelli vel mutari non potest.*

Evidens est, Canonistas concludere, immovibilitatem Archidiaconi tam quoad officium, quam munia & jura eidem competentia, hoc ipso quo habetur, Archidiaconatum ex privilegio vel consuetudine esse dignitatem, ipsumque habere Vicariam *perpetuam*, atque ita exercere munia officii sui jure *ordinario* seu *jure suæ dignitatis* & Vicariæ *perpetuæ*. Et ut propius præsentem casum de Parocho inspiciamus, quid vulgatius, quam distinctio inter Presbyteros sive Regulares sive Seculares, qui ex simplici approbatione & Episcopali delegatione prædicant, Confessiones excipiunt &c. & Presbyteros, qui ea authoritate pollent vigore suorum titulorum, quibus annexa est Animarum Cura; unde & Curatorum nomen sortiuntur.

Quis nescit, priores, utpote nullum firmum & perpetuum titulum, cui jus hæc munia obeundi est, annexum possidentes, posse ea facultate, uti mere precaria, pro voluntate Episcopi privari; non ita eos, qui jus illud potestate *propria* ratione *tituli* sibi competentis exercent.

Ita sæpius judicatum est, posse Episcopos approbationem & licentiam excipiendi Confessiones, Presbyteris seu Secularibus seu Regularibus nullum titulum Beneficii Curati habentibus concessam *pro suæ conscientiæ Religione revocare, ubi pro sua timoratæ conscientiæ Religione viderit in eo munere non ita sincere integreque, & cum ædificatione se gerere, quemadmodum & tanti Ministerii illis commissi sanctitas & animarum salus exposcit, quæ suæ fidei curæ concreditæ sunt*; uti declaravit S. Carolus *in suo Concilio Mediol. VI. tit.* DE HIS QUÆ AD SACRAM. PŒNIT. *pertinent.*

Nil simile legitur de Parochis aliisque Beneficia Curata possidentibus: sed si quis eorum in muneris Pastoralis functione minus recte procedere judicetur, mandatur passim Episcopis, ut si monitus se non corrigat & notabiles in moribus vel doctrina defectus appareant, contra ipsum inquisitio fiat & servato juris ordine procedatur.

Distinctionem hanc fundatissimam judicavit nuper Clerus Gallicanus dum Regi Christianissimo Author fuit Edicti quod anno 1695. evulgavit & Parlamenti Regii calculo probatum est. Cum enim *art.* 11. declaratum esset, quod datam licentiam Presbyteris Secularibus & Regularibus ad excipiendas Confessiones vel ad tempus vel sine temporis limitatione possint Episcopi, etiam ante elapsum terminum revocare ex causis, quæ ad eorum notitiam post concessam facultatem pervenerint, quasque non tenerentur exprimere, declarat articulo immediate sequenti *sub articulis præcedentibus non comprehendi* CURATOS *sive Seculares sive Regulares, qui concionari & Sacramentum Pœnitentiæ in suis Parochiis administrare possunt.*

§. IX.

Qua ratione Parochi dicantur Curam Animarum accipere ab Episcopo.

A primis Ecclesiæ seculis servatum est, ut singulis Episcopis portio quædam orbis, quam Diœcesim vocamus, divisa sit, quam regeret, & cui quæ salutis sunt, fideliter ministraret juxta illud S. Cypriani de Episcopis loquentis: *Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet.*

Postmodum aucta fidelium multitudine, cum unus Episcopus non sufficeret regendæ portioni gregis sibi concreditæ, cœpit singulorum Episcoporum portio sive Diœcesis dividi in minores partes; singulisque præfici distincti Presbyteri, qui tamquam minores Prælati eas regerent, cum quadam tamen ad Episcopum, totius Diœcesis caput, & superiorem Prælatum, subordinatione.

Porro sicut nullus se ipsum in Episcopum potest eligere aut Ecclesiæ Ministerio applicare, seu sibi *honorem sumere*, *sed tamquam Aaron a Deo vocari* debeat, similiter nec inferiores Presbyteri propria authoritate curam Parochiarum suscipere, aut iis sese unquam ingerere potuerunt; sed ab aliis vocari & applicari debuerunt.

Uti vero circa formam vocationis & applicationis Episcoporum (quæ per electionem & confirmationem fieri consuevit) varia fuit pro varietate temporum & Ecclesiarum disciplina, ita & circa vocationem & applicationem inferiorum Presbyterorum sive Parochorum.

Hoc unum firmum mansit & constans, ut nec Episcopus nec Presbyter Curæ Animarum applicaretur sine ejus, qui in Hierarchia Ecclesiastica superiorem obtinet locum, authoritate.

Sic olim Episcopi sine sui Metropolitani, & hodie sine Romani Pontificis approbatione seu confirmatione, Curæ Animarum non applicantur. Presbyteri vero non obstante mutatione quacumque, quæ circa electionem, aut præsentationem vel collationem intervenisse potuit, absque authoritate & approbatione Episcoporum, vel qui eorum authoritate funguntur, Parochias regendas suscipere aut earum spirituali & Pastorali Regimini ingerere sese numquam potuerunt.

At vero Episcopi, ubi authoritate vel Metropolitani, vel juxta modernam disciplinam, per confirmationem Romani Pontificis Regimini & Curæ alicujus Ecclesiæ seu Diœcesis applicari fuerint & adscripti, vi hujus applicationis sine alia nova commissione jus & authoritatem regendi in spiritualibus populum illius Ecclesiæ assequuntur: atque hoc sensu dicitur jurisdictio & potestas Episcoporum esse Juris Divini sive immediate a Christo; quia licet per homines in Episcopos eliganrur & Ecclesiis applicentur, ubi tamen sunt electi & Ecclesiæ Canonice applicati, Jure Divino & ex Christi institutione habent potestatem regendi populum sibi commissum.

Simile & in Parochis contingit. Hi enim non secus atque Episcopi, hominum Ministerio eliguntur & suis applicantur Ecclesiis; at ubi semel electi & authoritate Episcoporum certæ Ecclesiæ tamquam *perpetui peculiaresque Parochi* sunt adscripti, immediate vi solius hujus applicationis (sive, ut hodie loquimur) dationis tituli Parochialis, consequuntur jus & authoritatem populo sibi credito omnia ad animarum salutem necessaria ministrandi. Hoc sensu jam pridem dixit Facultas Theologica Parisiensis, etiam Curatorum potestatem esse immediate a Deo.

Cum enim F. Joannes Sarasin ex Ordine Prædicarorum sustinuisset hanc propositionem; *Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive* CURATI, *esse immediate a Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodammodo repugnat*; id sub hac formula revocare jussus est: *Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi sive* CURATI, *esse immediate a Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati.*

Eodem sensu dixit Joannes Gersonius, secutus dictam Facultatem Theologicam; *Domini* CURATI *sunt in Ecclesia minores Prælati & Hierarchæ* EX PRIMARIA INSTITUTIONE CHRISTI, *quibus competit ex statu jus prædicandi, jus Confessiones audiendi &c.*

Itaque Curati dicuntur Curam Animarum

rum aliaque ad eam ſpectantia ab Epiſcopo accipere, quia nimirum per Epiſcopum prævio ejus examine & approbatione Eccleſia Parochialis eis aſſignatur, & eorumdem authoritate tamquam proprii Presbyteri eidem intitulandi ſunt; uti juxta modernam diſciplinam, Epiſcopi authoritate Romani Pontificis confirmantis, Eccleſiam regendam accipiunt, & eidem adſcribuntur.

At poſtquam Canonice Eccleſiam regendam Presbyter ab Epiſcopo ſuſcepit, & obtenta ab eodem Cura Animarum tamquam proprius Paſtor intitulatus eſt, eam jure *proprio* & tamquam illius Eccleſiæ Minor Prælatus poſſidet, & in ſpiritualibus adminiſtrat.

Nequaquam ergo Prælati & Parochi reputandi ſunt Vicarii Epiſcoporum, quaſi eorum poteſtas ſit vicaria ſeu delegata pro Epiſcoporum arbitrio revocabilis, ſed tamquam inferiores Prælati ſeu Paſtores, una cum Epiſcopo, jure *proprio*, populi curam agentes, cum quadam tamen ad Epiſcopos Hierarchica ſubordinatione.

Quapropter cum ſub finem ſeculi 15. Joannes Angeli ex Ordine Minorum ſuſtinuiſſet: *Featres Minores præſentati Epiſcopo & admiſſi, ſunt proprii Sacerdotes & veri Curati, & melius quam Presbyteri Parochiales; quia facultatem ſuam habent a Summo Pontifice, & dicti Presbyteri ab Epiſcopo duntaxat*: hanc propoſitionem ita cenſuravit Facultas Pariſienſis die 5. Februarii 1482. *Quidquid ſit de prima parte, propter æquivocationem illius termini proprii*, dicit tamen Facultas, *quod propoſitio in ſe & quoad omnes reliquas partes & probationes partis ultimæ, in qua dicitur* AB EPISCOPO DUNTAXAT, *eſt ſcandaloſa, in fide erronea, Hierarchici ordinis deſtructiva, & pro conſervatione ejuſdem ordinis publice revocanda.*

Quia ergo Presbyteri Eccleſiis Parochialibus præfecti jure proprio & ordinario Curam Parochiæ agunt, jam pridem dicti fuere Presbyteri *Cardinales*. Sic legitur in Capitulis Synodalibus a Waltero Epiſcopo Aurelianenſi anno 858. promulgatis *Capite* 2. *Ut per Archidiaconos vita, intellectus & doctrina* CARDINALIUM *Presbyterorum inveſtigetur*. Ad quæ verba ita notat Ludovicus Cellotius e Societate Theologus *num.* 5. *Cardinales Presbyteri, ſunt addicti & incardinati Eccleſiis, in quibus moventur quidem ut omnibus provideant: ſed ita tamen ut ab illis non moveantur. Et quia Cardo rerum omnium pæcipua pars dicitur, præcipui & Primarii earum Eccleſiarum Peesbyteri ſunt, quos* PAROCHOS *ſeu* CURATOS *dicimus.*

Et ſimiliter in *Cap.* 2. ✠ *De Officio Archipresb.* injungitur Archipresbytero *ut provideat vitam Sacerdotum* CARDINALIUM, quos antiquus Gloſſographus vocat Sacerdotes *principales*: & in nota marginali ex Antonio Auguſtino dicitur: *Sacerdotes* CARDINALES *hoc loco non Urbis tantum Romæ, ſed aliarum etiam Civitatum primos interpretamur; quibus tituli, id eſt,* PAROCHIÆ *committuntur.*

His conſonant recentiores Canoniſtæ, uno conſenſu docentes: *Quando diſtinctæ ſunt Parochiæ, & in qualibet Parochia adeſt* PROPRIUS *Rector, tunc Epiſcopus non eſt Rector totius Diœceſeos, ſed ſolius Eccleſiæ Cathedralis, & Prælatus ſuper omnes ſuæ Diœceſis Rectores, & ideo non habet juris communis aſſiſtentiam in percipiendis decimis Parochialium ſuæ Diœceſis, ſed potius reſiſtentiam ſi agit contra Rectorem*, uti loquitur Hieronymus Gonzales ad *Reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 6. *num.* 83. Et Barboſa, de officio Parochi *Part.* 1. *Cap.* 1. *num.* 22. id ipſum iiſdem verbis expreſſit, addens, *ita & Rotam reſolviſſe*.

§. X.

Quomodo Epiſcopi uti debeant ſua Authoritate in Parochos.

Parochis jure ordinario ſive tituli & Beneficii Parochialis, Curam Animarum incumbere, eodemque titulo ipſis competere jus obeundi functiones huic Curæ annexas, abunde oſtenſum eſt; ac inſuper probatum, Parochos hanc Curam eatenus ab Epiſcopo accipere, quia ab eodem, examine prævio, Eccleſiæ ſibi commiſſæ tamquam Parochi & Sacerdotes proprii applicantur ac intitulantur.

Inſuper eodem paragrapho oſtenſum eſt, Parochos ab Epiſcopo Eccleſiis Parochialibus adſcriptos, merito dici & reputari

minores Prælatos ac Pastores ordinarios: eo quod jurisdictionem fori pœnitentialis habeant & exerceant jure proprio, nempe jure proprii tituli ac Beneficii.

Una tamen dictum est, Parochos quidem esse ordinarios Ministros in Cura Animarum, sed cum quadam subordinatione ad Episcopos, etiam in his, quæ pertinent ad eandem Curam.

Licet enim Parochi tamquam proprii Presbyteri constituti sint ad regendum populum sibi commissum, atque eo sensu inter ordinarios Prælatos & Hierarchas merito numerentur, nihilominus & illud scimus, *Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad Hierarchicum ordinem præcipue pertinere & positos a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*, uti docet Synodus Trid. *Seff.* 23. *De Ordine Cap.* 4.

Igitur Episcopi ut præcipuum & superiorem locum in ordine Hierarchico obtinentes, prævalent superioritate & authoritate in Parochos tamquam inferiores Hierarchas.

Ita tamen se Superiores reputare debent, ut una meminerint, se Pastores Ecclesiæ & Ministros esse, non dominos; animo alte infixum retinentes illud Principis Apostolorum, ad Episcopos præcipue directum monitum: *Pascite qui in vobis est Gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut* DOMINANTES *in Cleris, sed forma facti gregis* EX ANIMO.

Quantumvis se talem respectu totius sibi commissi gregis exhibere teneatur Episcopus, singulari tamen ratione, omnis vel in speciem dominatus in Parochos cavendus est; utpote qui tamquam minores Prælati & secundi Ordinis Sacerdotes, una cum ipso sollicitudinem & curam populi agunt, *pondus diei & æstus sustinentes*. *Attendite* (inquiebat in Constitutione sua anno 889. cap. 1. Riculfus Suessiorum Episcopus ad Parochos sibi subjectos) *quia nobiscum sollicitudinem gregis Dominici percepistis, & in Sacerdotali Ministerio, secundi Ordinis & dignitatis locum possidetis*. Extat *Tomo* 9. *Concil. General. col.* 416.

Procul igitur a spiritu Ecclesiæ abest, ut Episcopus Parochos reputet quasi suos in Animarum Cura delegatos sive *Vicarios*, qui illam tamquam a nutu & arbitrio ipsius dependentem exerceant, eamque Parochis adimere aut interdicere in totum vel in parte valeant pro suæ voluntatis arbitrio. E contra vult Ecclesia, ut Parochos tamquam suos in Ministerio Coadjutores, & secundi ordinis Hierarchas jure proprio curam populi sustinentes honorent & Paterno prosequantur affectu.

Quod si forte quem minus recte Ministerium suum implere existimet, vel iis vitiis aut defectibus obnoxium, ob quæ a Pastoralibus muniis suspendendus sit aut privandus, Episcopus eum non pro suo arbitrio, quasi dominans in Cleris, removeat aut deponat, sed juxta leges & regulas ab Ecclesia præscriptas, præviis monitionibus & suavioribus mediis, contra eum agat, ut Minister Christi, Superior & Pater; ac tandem ut Judex, sed non nisi coactus.

Si ergo Episcopus contra Parochos quasi suos in Officio Pastorali Vicarios & in usu Clavium, quatenus ad Curam Animarum necessario, a suo nutu dependentes, eoque quasi precario utentes, tentet procedere; plane a mente & spiritu Ecclesiæ recedit, nihilque agit.

Voluit enim Ecclesia, ut abunde probatum est, Parochos aliosque vere Beneficiatos esse perpetuos; id est ut vita sua durante Ecclesiæ, cui Beneficii collatione, & Canonica institutione adscripti sunt, serviant, & rite functiones Ministerii sibi incumbentis exerceant, nec dicto titulo seu Beneficio vel officiis illi annexis, aliter quam servato juris ordine, vel in toto vel in parte spolientur.

Ex his perspicitis, Viri Amplissimi, Parochos jure ordinario sive jure suorum titulorum Curam Animarum & functiones ad eam pertinentes obire; ipsosque in jure has functiones obeundi non magis dependere a nutu & arbitrio Episcoporum, quam dependeant in suis titulis vel Beneficiis Parochialibus; sive quod non minus jure perpetuo ac proprio competat ipsis Parochis jus dictas functiones obeundi, quam jus retinendi & possidendi ipsum titulum seu Beneficium Parochiale.

Cum igitur D. Archiepiscopus in sua advertentia sive exceptione declinatoria in quæstionem non trahat pacificam possessionem

nem Supplicantis obeundi functiones Pastorales suo Beneficio Parochiali annexas, hinc sufficienter huic Regio Senatui probatum creditur primum fundamentale requisitum Regiæ *Manutenentiæ*, scilicet *pacifica possessio* Supplicantis.

Hanc autem pacificam Supplicantis possessionem *via facti* turbatam esse per D. Archiepiscopum, suspendendo Supplicantem ab omni officio Pastorali (quod est alterum Manutenentiæ fundamentale requisitum) non minus dilucide demonstrare conabitur Supplicans capite sequenti.

CAPUT SECUNDUM.

De Suspensione.

§. I.

Variæ Species Suspensionis.

MUltiplicem esse suspensionis significationem, variasque ejus species notant passim Doctores: atque præ cæteris eas enumerat fuse *Franciscus Suarez e Societate Theologus*, *Tract. De Censur. Disput.* 25. *n.* 2. & *Marius Alterius Romanus*, Canonicus & Theologus Vaticanæ Ecclesiæ S. Petri, in suo opere de *Censuris Tomo* 2. *Disput.* 1. *Cap.* 1. qui explicatis variis, sed impropriis ac minus usitatis suspensionis nomenclaturis & speciebus, notant, binas esse ejusdem species usitatiores & famosiores.

Loquendo de propria suspensione Ecclesiastica (ait Suaresius) *dividi potest in eam, quæ proprie est Censura, & eam, quæ est pure pœna.*

Eamdem divisionem amplectitur *Alterius*, aliique ab ipsis citati.

Suspensio, quæ est *pure* pœna, infligitur ob peccatum præteritum in solam punitionem peccati, ideoque *vindicativa* nominatur.

Ab hac distinguitur suspensio, quæ proprie est *Censura Ecclesiastica*, quod nempe hæc non feratur in solam vindictam & pœnam delicti ante commissi; sed vel præcipue, ut a contumacia in delicto suspensus recedat, atque resipiscat; ideoque hæc non *vindicativa*, sed *medicinalis* appellatur.

Ex dicta utriusque suspensionis differentia resultat & hæc, quod prior, quæ est in *meram pœnam*, imponatur ad certum & determinatum tempus, eo ordine ut quo major est culpa, etiam ipsa suspensio sit diuturnior, debita inter delictum & pœnam gravitatis proportione servata.

Posterior, quæ proprie est censura, ad certum ac præfixum tempus imponi nequit ex ratione propria omni Censuræ; quia nempe talis suspensio, uti & omnis alia Censura *præcipue fertur ad reprimendam contumaciam, & ut homo a culpa recedat: ideoque non potest habere alium terminum, nisi donec recedat ab illa*. Sic loquitur Suaresius ibid. *num.* 3.

Ex hac differentia sequitur altera: quod suspensio, quæ est tantum pœna, non requirat præviam monitionem: quia fertur propter culpam jam commissam, etiamsi non habeat tractum successivum: at vero suspensioni, quæ est Censura, semper monitio præferenda est, saltem illa, quæ includitur in illa conditione, *si hoc feceris*, vel nisi *satisfeceris*, uti ibidem monet Suaresius.

Eamdem utriusque suspensionis differentiam pluribus exponit & probat citatus *Alterius*, *Tomo* 2. *Disput.* 7. *Cap.* 2. De admonitione autem præmittenda suspensioni, prout est Censura, infra latius dicetur.

Notum præterea est, suspensionem ad instar aliarum Censurarum distingui in eam, quæ est ab homine, & eam quæ est a lege seu ipso jure. Ac rursus in eam, quæ ab homine in certam personam pro delicto commisso ad resipiscentiam infligitur: & eam, quæ per modum præcepti promulgatur, idque contra indeterminatam personam, ut nempe hoc illudve fiat aut non fiat: inter quas nonnullæ quoque differentiæ a Do-

a Doctoribus allegantur, præsertim quoad necessitatem præviæ monitionis.

Sed cum in præsenti casu occurrat sola suspensio ab homine lata in certam & determinatam personam Supplicantis, etiam de sola hac quæstio instituenda est, & inquirendum, quæ in hac ferenda Canones observanda præscribant.

§. II.

Suspensio est actus jurisdictionis & servato juris ordine proferenda; & quæ sunt hujus Ordinis essentialia?

Ante omnia ad infligendam suspensionem, prout est species *Censuræ*, requiri authoritatem jurisdictionis contentiosæ sive fori externi nemo ambigit.

Omnis quippe Censura est pœna spiritualis fori externi, quæ nonnisi a Judice infligi potest: *unde si Censura sumatur active, sic actionem Judicis significat*, (inquit Suaresius *de Censuris Disp.* 1. *sect.* 1. *num.* 5.) *quæ est punitio activa*. Ibidem addens *actum esse jurisdictionis, & potestatis coactivæ: & numquam vel imponitur, vel incurritur nisi ratione criminis*.

Id ipsum tamquam indubitatum asserit post alios Canonistas Navarrus in Manuali *Cap.* 27. *n.* 151. notans, quod in definitione suspensionis ponatur Censura tamquam genus *ad significandum quod non possit ferri nisi ab habente jurisdictionem Ecclesiasticam* EXTERIOREM *ad quam pertinet Censuras ferre*.

Quare & ab eadem jurisdictione procedere debet suspensio infligenda in meram pœnam peccati commissi.

Cum enim agatur de externa, eaque admodum gravi pœna, nemo eam potest imponere, cui non sit potestas sive jurisdictio in foro externo, ad quod similis pœna externa spectare dignoscitur.

Præterea cum hic agatur de pœna eaque gravi & infamante, Judex in hoc processu essentialia processus criminalis observare tenetur.

Porro primum essentiale processus criminalis, imo basis ejus & fundamentum, est informatio prævia super delicto commisso; ut communiter docent Canonistæ & Pragmatici.

Et quidem si Judex sine prævia *informatione*, quæ *præparatoria* dicitur, contra reum quidquam attentet, imo vel ipsum processum inchoet, acta illa sua nullitate corruent & omni prorsus firmitate carebunt.

Quapropter cum Officialis quidam processum criminalem contra Presbyterum suspectum de Simonia ab *interrogatione* ipsius suspecti inchoasset, nulla super crimine *informatione* præmissa; ac in vim confessi criminis ipsum Beneficio privasset, interjecta appellatione tamquam *ab abusu* per Arrestum Curiæ Normandiæ declaratus fuit processus *nullus*, & omnia inde sequuta *abusiva*, ipse Officialis condemnatus in mulctam 25. pattaconum, uti refert Joannes Tornetius in sua Collectione Arrestorum *Litt. A. Cap.* 125.

Refert quoque Carolus Fevretius, *Tract. de abusu lib.* 8. *Cap.* 3. *n.* 2. quod cum quidam Prior Claustralis excommunicasset unum e suis Religiosis, nulla præmissa super crimine informatione, appellatione tamquam ab abusu per dictum Religiosum interposita declaravit Parlamentum Diense, perperam nulliterque judicatum, & processum, cassaveritque omnia acta, condemnato Officiali in mulctam abusus & expensas.

Hæc autem prævia seu *præparatoria* informatio fieri debet authoritate Judicis, ut recte monet Damhouderus in praxi rerum criminal. *Cap.* 8. *num.* 1. addens *n.* 2. *Nemo enim nisi solus Judex, aut Judicis potestatem habens, de crimine efficaciter inquirere potest*.

Requiritur autem hæc informatio, ut Judici ante sententiam, causa suspensionis juridice innotescat.

Cum enim tamquam Judex contra Reum in hac causa procedat, non sufficit gravitas causæ suspensionis, ejusve privata judicis notitia, sed requiritur ut Judici in judicio fuerit probata, uti notat *Glossa ad Cap. Sacro* 48. ✠ *De sent. Excommunicat.* ubi Concilium Lateranense sub Innocentio III. monet Judices, *ut caveant diligenter ne ad excommunicationem cujusquam absque* MANIFESTA *& rationabili causa procedant*. Hic ad verbum RATIONABILI CAUSA, addit Glossa, CORAM IPSO PROBATA.

Quam-

Quamvis de excommunicatione in specie loquatur Concilium, id tamen ex identitate rationis de omni generaliter censura Doctores intelligunt.

Unde de Censuris generaliter agens Suaresius sine ulla hæsitatione asserit, ad eam requiri ex Decreto dicti Concilii causam *rationabilem* & *manifestam*; subjungens: *Manifesta autem, si sit non solum Judici privatim nota, sed etiam* JURIDICE PROBATA *juxta varia Decreta, quæ habentur 6. quæst. 2. & in Cap.* NEMO 2. *q.* 1. cujus Canonis posterioris hoc est summarium: *Antequam causa probetur, aliquis excommunicari non debet.*

Et rursus *Disput.* 7. *Sect.* 7. agens de causa necessaria ad Censuram, notat quod si causa quidem subsit, non tamen in judicio probata, sententiam *esse nullam ex defectu substantialis ordinis: Nec enim satis est* (ait) *quod causa in re subsit, si sit occulta: quia Judex humanus non potest de sibi occultis judicare. Est autem occulta quoad effectum ferendi sententiam, quamdiu* JURIDICE *probata non est, etiamsi alioqui privatim nota sit illi homini, qui Judex est.*

Similiter Marius Alterius de Censuris *Tomo* 1. *lib.* 3. *Cap.* 1. asserit, ordinem necessarium & essentialem in ferenda excommunicatione censeri prætermissum, si causa Judici *in Judicio* non fuerit probata; tametsi revera fuisset causa sufficiens, & Judici privatim nota. Monet præterea *Tomo* 2. *Disput.* 7. *Cap.* 2. jam a se dicta de excommunicatione, de processu formando etiam circa *suspensionem esse servanda.*

Requirit insuper processus criminalis, ut sit actor, qui reum de crimine coram Judice accuset & ultionem criminis prosequatur. Omne enim judicium requirit actorem & reum: Judex enim per sententiam seu Decretum Judiciale, pœnam publicam in aliquem decernere non potest, nisi actore instante & urgente.

Notum autem est, moribus hodiernis nullum admitti ad accusandum quemquam de crimine ad fines Judiciales & vindictam *publicam*, nisi sit Officiarius Publicus: *Qui ex officio* (ait Gudelinus de Jure Noviss. *Lib.* 5. *Cap.* 14.) *nomine Fisci seu Reipublicæ ultionem criminum prosequitur, atque is in Tribunalibus Regiis Procurator Generalis seu Regius, in Tribunalibus autem Episcoporum, nec non hujus Universitatis Promotor vocatur.*

Cui consonant Statuta Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis quibus ordinatur *tit.* 7. *cap.* 1. *De Promotoribus. Omnia & singula delicta ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectantia, investigabunt, & ut puniantur, prosequentur.*

Denique omni Judicio præsertim criminali, substantialis est *citatio* partis sive Rei; recteque notat citatus Damhouderus *in praxi rer. Crvil. Cap.* 54. *n.* 2. quod citatio sit fundamentum & principium Ordinis judiciarii. Monetque *n.* 4. eam Jure Naturali & humano ad judicii ordinem adeo necessariam, ut ipsius omissio judicium omne reddat *nullum*: nam parte non vocata & inaudita nihil legitime statui potest.

Quapropter inter essentiales defectus ordinis judiciarii in ferenda Censura servandos, referunt uno consensu Doctores, omissionem citationis.

Unde quærens Suaresius *De Censuris Disput.* 4. *Sect.* 7. utrum defectus seu error in sententia debeat esse expressus, ut sententiam reddat *nullam*, ait *num.* 37. *Quando sententia est nulla ex defectu jurisdictionis*, CITATIONIS, *aut alterius rei similis, pertinentis secundum jura ad* SUBSTANTIALEM *solemnitatem sententiæ: tunc verum est, sententiam esse* NULLAM, *etiamsi talis defectus in sententia non exprimatur.*

Quin sæpius citatus Marius Alterius asserere non dubitat, etiam sententiam declaratoriam, *quod aliquis inciderit in Censuram, non posse fieri sine* CITATIONE, *& antequam audiatur, vel contumax judicetur, & si fiat declaratio absque* ULLA CITATIONE *& auditione, est ipso jure nulla, & nullum impedimentum affert quo minus gesta per obstrictum censuris valeant.*

Similiter *Covarruvias ad Cap.* ALMA MATER, *parte* 1. *Cap.* 9. *num.* 5. monet declarationem juridicam de Censura ipso jure contracta non esse faciendam, nisi prius *citata* parte, *juridice* de crimine constet, & aliter factam declaratio-

tionem *nullam* esse ipso jure.

Præ cæteris hanc nullitatem ex defectu citationis latissime prosequitur *Sebastianus Vantius, de nullitatibus tit. De Nullitate ex* DEFECTU CITATIONIS, notatque eam *omnium nullitatum* esse *potentissimam*.

§. III.

Suspensio ut Censura, requirit præviam monitionem.

Suspensio, ut est Censura, tendit non tantum ad peccantem puniendum, sed vel præcipue ad corrigendum, & medendum; inde appellatur pœna *medicinalis*: ut jam pridem monuit Concilium Lugdunense, sub Innocentio IV. *in Cap.* 1. *De Sent. Excom. in VI.* ubi de omni specie Censuræ dictum est: *Quod cum* MEDICINALIS *sit, non mortalis, disciplinans non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit non contemnat, caute provideat Judex Ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit & medentis.*

Licet enim sub initium de excommunicatione loquatur, postmodum tamen expresse monet, *& hæc eadem in suspensionis & Interdicti sententiis velle observari.*

Quare uno consensu docent tam Canonistæ, quam Theologi, hæc non de sola excommunicatione, sed de omni specie censuræ dicta esse, quodque nec minus in suspensione ferenda Judex ostendere debeat *se prosequi quod corrigentis fuerit & medentis*, quam in ferenda excommunicatione.

Et licet omnis pœna Ecclesiastica aliquo modo tendat ad correctionem, vel ipsius criminosi vel aliorum, qui occasione inflictæ pœnæ a peccato retrahuntur, nihilominus Censura longe alio modo est medicinalis pœna, uti monet & exponit *Suaresius, de Censuris, Disput.* 4. *Sect.* 5. *num.* 10. *Nam* (ait) PER SE *intendit non solum præcavere futura peccata, sed potius* PER SE *primo curare peccatorem a peccato commisso, & liberare illum a statu in quo* PERMANET, *ratione talis peccati.*

Hinc sequitur, censuram ferri non posse in aliquem nisi in peccato suo hæreat; indigeatque severiori remedio, ut a peccato sanetur, atque resipiscat.

Deinde cum Judex in ferenda Censura ostendere debeat se prosequi quod *corrigentis fuerit & medentis*, inquirendum est, priusquam infligatur Censura, num delinquens in suo peccato aut inobedientia *contumaciter* hærere præsumat: neque suaviori modo in viam salutis reduci possit, ac corrigi.

Hinc uno consensu tradunt Doctores, Censuram ab homine ferri non posse, nisi præcedat *contumacia* in peccato, cui per Censuram mederi Judex intendit; nec posse Censuram *validam* esse, si hoc ordine omisso feratur, uti pluribus adductis tam Canonistis, quam Theologis probat Suaresius, citata *Sect.* 7. *num.* 6.

Ut autem de hac contumacia ante Censuram Judici constet, jam pridem receptum fuit, monitionem præmittere, eamque *trinam*; ut hoc pacto certius contumacia convincatur.

Sic Dioscorus ante latam in ipsum a Synodo Chalcedonensi excommunicationem, *ter* vocatus dicitur, idque secundum *Sanctos Canones*; uti legitur in Actis dictæ Synodi *Tomo* 4. *Concil. General. Col.* 421.

Quapropter apparet, disciplinam de præmittenda *trina* monitione ex Apostolica traditione, atque ex præcepto Christi de fraterna correptione descendere; uti non male advertit Suaresius, de *Censuris Disput.* 3. *Sect.* 6. & observat, *Quod jura, quæ de illa loquuntur, non significent se illud* DE NOVO *statuere, sed illud supponere ut perpetuo in Ecclesia observatum.*

Hæc est monitio, quæ in jure nostro vocatur *Canonica* vel competens; atque hanc sat patenter supponit Concilium Lugdunense, sub Gregorio X. in Cap. 9. *de Sentent. excomm.* in *VI.* volens, *Ut inter monitiones Canonicas, quas statuunt jura præmitti, Judices, sive monitionibus* TRIBUS *utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla: nisi facti necessitas aliter suaserit moderanda.*

Et quidem sicuti prævie ante omnem Censuram requiritur contumacia ex parte rei, ita & requiri præviam monitionem, qua ejus contumacia probetur, indubitatum est.

Licet

Licet enim plerique textus, quibus forma monitionis præscribitur, de excommunicatione tamquam de graviore & famosiore Censura loquantur, nullus tamen ambigit qnin & reliquis Censuris præmittenda sit.

Martinus Navarrus in suo Manuali Cap. 27. num. 159. tamquam indubitatum asserit, quod *sicut excommunicationem debet præcedere* MONITIO, *ita quoque præcedere debeat* SUSPENSIONEM.

Et sæpius allegatus Marius Alterius, *Tomo* 2. *De Censuris*, *Disput.* 6. inquirens, quæ spectent ad formam ferendæ sententiæ suspensionis, sine hæsitatione pronuntiat: *Ante suspensionem* CERTUM EST MONITIONEM *præcedere debere*.

Atque post alios Suaresius sine ambiguitate docet, Canones requirentes præviam monitionem, *omnes Censuras a quocumque homine latas comprehendere*. *Disput.* 3. *Sect.* 8. *num.* 6. additque, se id pluribus non prosequi, *quia res est clara*.

Et quidem dum ab homine fertur Censura, *ejus monitio præcedere debet*, *ut ita etiam* CONTUMACIA *probata sit respectu ejus*, *a quo censura manat*, ait Suaresius, citata Disput. 3. Sect. 11. num. 20. *Quod etiam jura disposuerunt* (ait) *propter majorem suavitatem in Censuris ferendis*; *& ideo servanda sunt cum moderatione*, *quæ ab ipsis adhibentur*, *scilicet*, *si necessitas aliquid moderari coegerit*.

Licet enim Judici jura permitant temporum intervalla moderari pro necessitate occurrente, tamen ea ita moderanda sunt, ut Judex tempus sufficiens ad resipiscentiam largiatur, uti rursus notavit Suaresius, dicta Disput. 3. num. 4. dicens: *Non videri permissum*, *ut propter ullam necessitatem admonitio omnino prætermittatur*, *nullumque tempus ad resipiscentiam concedatur*.

Dum enim Censura fertur ab homine ob delictum commissum, non fertur absolute ad puniendum illud, sed ut Reus ab illo *resipiscat*, & ex hac parte jam respicit futurum: *Et ideo ferri non potest sine aliquo genere admonitionis*, *quia non potest absolute ferri*, *sed conditionali modo*, *scilicet*, *nisi intra tale tempus resipueris vel satisfeceris*, *talem Censuram incurres*. *In hac autem forma ferendi Censuram intrinsece includitur admonitio*. Ita Suarez, dicto loco num. 7. Quapropter licet jura permittant Judicis prudentiæ pro casuum circumstantiis numerum monitionum & temporum intervalla moderari; *tamen monitio simpliciter seu* SALTEM UNA *ita necessaria est*, *ut nulla sit adhibenda exceptio*: *quia* INTIME *includitur in ratione pœnæ* MEDICINALIS: *& ad minimum necessarium est*, *ferri sub ea conditione*, *nisi satisfeceris*, *resipueris*, *hoc vel illud feceris*, *quæ forma* INTRINSECE *admonitionem includit*: ut ibidem loquitur Suaresius, Sect. 10. num. 24.

Itaque una saltem admonitio adeo necessaria est, ut ejus omissio reddat Censuram non tantum injustam, sed etiam invalidam ET NULLAM, uti late probat idem Suaresius, Disput. 3. Sect. 12. & Disput. 4. Sect. 5. num. 6. plurimis citatis Authoribus de omni Censura asserit: *Eam non ferri pure & absolute pro peccato commisso*, *nisi intercedat* PRIUS CONTUMACIA *contra Ecclesiæ preceptum*, *nec posse Censuram* VALIDAM *esse*, *si aliter feratur*; & Sect. 7. num. 7. id ipsum refert, notatque quod *si nulla monitio præmissa sit*, *nec contumacia præcedere possit*: *& consequenter nec vera ac sufficiens causa Censuræ*; *& ideo* (ait) *talis Censura* SEMPER *est* NULLA, *ex defectu causæ*. Monetque Disput. 28. Sect. 5. quod quæ de necessitate monitionis præmittendæ dicta sunt circa censuras in genere, observanda sint in *suspensione* lata ab homine per modum Censuræ.

Similiter supra citatus Marius Alterius, Tomo 2. Disput. 7. num. 2. proposito dubio: *An reperiatur aliquis casus in quo censura* SUSPENSIONIS *ferri possit a Judice sine* PRÆVIA MONITIONE, *resolvit*, *simpliciter esse respondendum ad dubitationem*, NUMQUAM *posse imponi ab homine pœnam* SUSPENSIONIS *aut excommunicationis*, *quæ revera novum vinculum & novum nocumentum inferat in eum*, *qui non fuerit* PRÆMONITUS.

Quin & addit, post Suaresium, quod monitio hæc prætermitti nequeat sub prætextu quod contumacia sit *notoria*. *Intelligi enim non potest* (inquit) *quo pacto possit esse contumacia notoria contra Ecclesiam*, *si non fuerit monitus*, *nisi recuset agere quod* præ-

præcipitur. His consonat Stephanus Avila, e Societate Theologus, *de Censuris*, part. 3. Disput. 3. dub. 1. scribens: *Quando suspensio fertur ob contumaciam, debet* PRÆCEDERE MONITIO CANONICA: *quia non potest constare Ecclesiæ de inobedientia & CONTUMACIA alicujus, nisi prius moneatur*.

Utque in re clara ac indubitata concludam, dicam cum Antonio Diana, Part. 5. Tract. 9. Resolut. 55. *Certum est, censuram non posse* VALIDE *ferri ac proinde* NEC INCURRI, *nisi ob peccatum exterius inobedientiæ* SEU CONTUMACIÆ *respectu Ecclesiæ. Unde dicendum est, excommunicationem Majorem*, SUSPENSIONEM *& interdictum non posse* VALIDE *ferri ob peccatum exterius præteritum factum, absque inobedientia, seu* CONTUMACIA *respectu Ecclesiæ, seu Ministrorum ejus, id est quando non præcessit aliqua* JURIDICA MONITIO, *qua monuerint opus illud peccaminosum non esse faciendum*.

§. IV.

Non qualiscumque monitio sufficit ut valida sit Censura.

Censuram esse actum Jurisdictionis;& nonnisi servato Juris ordine posse a Judice decerni supra ostensum est. Cumque monitio præcedere debeat, ut Judici inobediens probetur & contumax, sequitur hanc monitionem fieri debere authoritate & nomine *ipsius Judicis, qui censuram laturus est*, ut recte notat Suaresius, *de Censuris, Disp. 3. Sect. 11. num. 1. Ratio est manifesta* (ait) *quia admonitio talis esse debet, ut si quis non pareat, contumax & inobediens existat: quod esse non potest, nisi admonitio authoritate* SUPERIORIS *facta sit*.

Id non tantum Theologi sed & Canonistæ asserunt, qui dum hanc monitionem, vim citationis habere asserunt, eam non secus ac citationem, ut sit legitima & competens, Judicis authoritate fieri debere contendunt; ut late exponit Abbas Panorm. ad *Cap. 1. De Judiciis*, num. 33.

Quapropter ut supra vidimus, Antonius Diana asserit tamquam *certum*, quod suspensio *valide* non possit ferri, quando non præcessit aliqua *Juridica* monitio.

Nullatenus proinde extrajudicialis & amica seu fraterna aut Paterna monitio privatim facta, sufficit ut quisquam *in judicio* contumax habeatur, ac tamquam talis a *Judice* Censura feriatur, quemadmodum similis admonitio non sufficeret, ut quis pro citato in judicio habeatur.

Dein supra notavimus, Censuram esse pœnam *medicinalem*, quodque Judex in ea ferenda ostendere debeat se prosequi, quod *corrigentis fuerit & medentis*, ideoque inflictione Censuræ uti non debere, nisi suavioribus ægrum medicinis tentaverit.

Hinc concluditur, non tantum simplicem *Juridicam* monitionem præmittendam; sed addendam comminationem Censuræ; sive monendum, sub expressa *comminatione Censuræ*: ut hinc appareat; quod nec Censuræ comminatione corrigi possit; sed ita ut contumacia perseveret, & nonnisi per inflictionem Censuræ corrigendus appareat.

Hæc itaque comminatio Censuræ, licet de jure expresse & nominatim non præscribatur, in monitione exprimenda: quia tamen ipsa ratio Censuræ, in quantum est pœna *medicinalis*, eam apparet exigere, consuetudo, quæ est optima legum Interpres, eamdem videtur postulare; uti inter alios censet Suaresius *Disp. 3. Sect. 11. num. 7.* dicens: *Consuetudo esse videtur, ut admonitiones fiant sub* EXPRESSA COMMINATIONE *talis Censuræ: quoniam* (ait) *ex sola transgressione simplicis præcepti Ecclesiastici absque comminatione Censuræ, non censetur homo sufficienter contumax, ut absolute statim censura feriatur: alioqui pro transgressione cujuscumque legis Ecclesiasticæ præsertim sæpius repetita, posset quis statim excommunicari, vel interdici, quod non est in usu Ecclesiæ, nec Jure ordinario fieri potest*.

§. V.

Suspensio Supplicantis est inflicta per modum Censuræ, & non in meram pœnam.

Supra notavimus duplicem esse Censuræ speciem, unam quæ mere in pœnam commissi delicti infligitur, diciturque *vindicativa*; alteram quæ non tam ad vindictam quam

quam ad delinquentis resipiscentiam ordinatur: vocatur idcirco suspensio *medicinalis*.

Si tenor Epistolæ, qua D. Archiepiscopus Supplicantem ab officio Pastorali suspendit, propius attendatur, manifestum est, prætensam hanc suspensionem non esse inflictam in *meram* pœnam delicti commissi, sed eam præcipue ad resipiscentiam, & frangendam contumaciam ordinari, & consequenter per modum Censuræ Ecclesiasticæ ac medicinalis inflictam esse.

Dicit in primis D. Archiepiscopus, quod *necdum D. Supplicans satisfecerit punctis sibi a D. Vicario Generali die 6. Novembris ultimo præteriti in materia Doctrinali, notanter quoad errores Bajanos & hæresim Jansenianam propositis, sed iis conatus sit sese subducere responso callido & vago, atque suspensionem errorum non tantum non minuente, sed potius augente &c.*

Supponit hic D. Archiepiscopus, supplicantem adhuc erroribus suis, aut saltem suspicione eorum in materia doctrinæ circa puncta sibi proposita inhærere, neque hactenus super propositis a D. Vicario articulis satisfecisse, sed potius suo *responso vago* & *callido suspicionem auxisse*.

Ut ergo ad debitam satisfactionem & expurgationem suspicionis errorum urgeat Supplicantem, ipsum ab omni Pastorali functione suspendit.

Et id quidem non ad *certum* & *determinatum* tempus (quod proprium est suspensioni in meram pœnam) sed *donec nobis* (ait) *vel S. Sedi Apostolicæ quoad doctrinam suam super præfatis propositionibus satisfecerit, seseque ab errorum suspicione debite expurgaverit*: quæ est evidens & indubitata formula suspensionis inflictæ per modum Censuræ.

Ut ergo de hujus suspensionis validitate & invaliditate ejusque effectu judicetur, expendendum, num forma a jure præscripta in ferenda hac suspensionis Censura servata sit.

§. VI.

Suspensio Supplicantis est nulla & invalida ex defectu ordinis Judiciarii.

Censuram Ecclesiasticam, qua Clericus ab exercitio sui Beneficii vel Ordinis suspenditur, esse actum jurisdictionis contentiosæ supra hoc Capite §. 2. ostendimus: idque sive infligatur in meram pœnam criminis, sive per modum Censuræ ad correctionem delinquentis.

Porro ex proposita facti specie, ipsiusque suspensionis tenore, constat, hanc suspensionem non processisse a jurisdictione fori exterioris, sive a Judice ut Judice; cum nullius actus Juridici vestigium occurrat, aut umbra.

In primis nullæ præviæ jussu Judicis informationes captæ memorantur, nec in Epistola, qua suspensus est Supplicans, ullius informationis mentio occurrit.

Est tamen moris & stili quod in Decreto, quo Judex quidpiam contra aliquem provisionaliter decernit, ante causam plene instructam, exprimat, se ita disponere ob vehementem suspicionem ex præviis informationibus resultantem.

Exempli causa: si contra Parochum ex præviis captis Juridicis informationibus vehemens sit nata suspicio de crimine Simoniæ, aliove graviter infamante, indubie talis Parochus *provisionaliter* suspendi potest: at Judex juxta receptum morem Judiciarium uteretur hac similive formula: attenta vehementi suspicione &c. resultante *ex informationibus præparatoriis* &c.

Indubie si similes Juridicæ informationes ad onus Supplicantis captæ fuissent & ex his resultasset vehemens suspicio hæreseos, hæc in suspensione non fuisset omissa: utpote quæ speciem actus *Juridici* præ se tulisset, ipsique suspensioni colorem servari ordinis Justitiæ dedisset.

Cum autem, ut supra diximus, informatio prævia sit fundamentum & basis processus criminalis, consequens est, quod hujus solius omissio suspensionem nullam reddat & invalidam.

Deinde notatum est, essentiam actus Judiciarii criminalis exigere, ut publicus Officiarius, qui in Curia Ecclesiastica Promotor

tor dicitur, pœnam sive publicam vindictam contra Reum postulet urgeatque.

Promotor autem in hac causa non dignoscitur, nec alius Officiarius publicus ut actor contra Supplicantem comparet, nec libellus per Promotorem oblatus nominatur, cujus tamen necessario in suspensionis sententia mentio fieri debuisset.

Numquam enim sententia sive civilis sive criminalis pronuntiatur nisi in ipsa pronuntiatione partes, id est actor & Reus, suis nominibus exprimantur.

Cum igitur in prætensa hac suspensione nullus actor compareat, nullus a Promotore libellus contra Supplicantem exhibitus, nulla capta conclusio; rursus ob hunc essentialem actus Judiciarii defectum, invalida est dicta suspensio, & nullius effectus, sive ut censura, sive ut mera pœna spectetur.

Captis deinde informationibus præparatoriis, atque ex his per Promotorem formatis ad onus ipsius Rei articulis & conclusione, offertur libellus Judici, cujus authoritate Reus citatur, ut respondeat articulis a Promotore propositis.

Quæ quidem citatio adeo essentialis est processui criminali, ut ejus omissio quemcumque processum reddat nullum & invalidum, in tantum ut nulla necessitas aut authoritas hunc defectum excuset aut suppleat, prout supra notatum est.

In proposito casu constat, nullam Supplicantis citationem a Judice fuisse decretam, nec a Promotore ad onus Supplicantis formatum libellum, aut captam conclusionem, multo minus citationem a Promotore fuisse petitam, nedum Supplicanti insinuatam; sine qua insinuatione etiam petita & decreta citatio caret omni robore & effectu.

Hinc rursus exurgit hujus suspensionis evidens irregularitas, & indubitata ac omnimoda nullitas; sive illam ut censuram, sive ut meram pœnam considerare lubuerit.

Nemo quippe ambigit, quin omnis qualiscumque pœnalis sententia, contra non citatum, nec auditum lata, nullius effectus sit, & manifesta invaliditate laboret.

§. VII.

Nullitas Suspensionis ex defectu Causæ.

Num Supplicans ex satis gravibus causis ab Officio Pastorali suspensus sit, & an hæ sufficienter fuerint D. Archiepiscopo *privatim notæ* & probatæ, non est hujus fori discutere, neque illas vult Supplicans hujus Senatus examini subjicere. Hoc sufficit, D. Archiepiscopo nullam suspensionis causam, nullam suspicionem erroris in doctrina hæresis Jansenianæ aut alterius, servato juris ordine fuisse probatam.

Ut enim supra dictum, nullus umquam ad onus Supplicantis processus Judiciarius institutus est; nullus est a Promotore oblatus libellus; nulla hæresis, cujus Supplicans esset suspectus, allegata, nulla probata suspicio.

Si autem nullum in individuo crimen ejusve vehemens suspicio In judicio propositum sit, nullus super illis formatus libellus, nulla conclusio, nulla monitio, nulla citatio, qua fronte dicetur crimen sive causa suspensionis juridice fuisse probata?

Hinc enim manifesta, nulloque colore tegenda, resultat hujus suspensionis nullitas: quia, ut supra §. 2. notatum est, defectus essentialis ordinis judiciarii omnimodam sententiæ invaliditatem inducens, est, si causa Judici debito ordine probata non sit, tametsi vera causa subsisteret, & Judici privatim nota fuisset.

§. VIII.

In hac Suspensione contraventum est Brevi Innocentii XII. ad Episcopos Belgii.

Contentiones & quæstiones in materia de Gratia Christi acerrimas, gravissimasque fuisse, primum in Gallia ac dein in Belgio excitatas, inter Theologos occasione Libri Jansenii Episcopi Iprensis, Lippis & Tonsoribus notum est.

Ad hæc notum est, anno 1664. ab Alexandro VII. missum fuisse in Galliam famosum illud Formularium juramenti, quo quinque damnatæ Propositiones Jansenianæ abjurari & damnari jubentur in sensu ab Au-

Authore intento, prout eas Sedes Apostolica damnat.

Quos motus hæc Formularii exactio excitaverit in Gallia, ipsosque ibi Theologos, imo & Episcopos, quin & Regnum totum in partes diviserit, donec tandem anno 1668. pax Ecclesiæ Gallicanæ reddita est, notius est quam ut probari debeat.

In Belgio vero occasione hujus Formularii, quod soli Galliæ præscriptum erat, vix turbatio aliqua fuisse scitur.

In primis enim in Lovaniensi Universitate, quæ præcipuum est Theologorum in Belgio Seminarium, nulla erat hujus Gallicani Formularii exactio: sed ab omni nota erroris circa damnatas quinque famosas Jansenii Propositiones exempti censebantur Theologi, qui juxta Formulam a Facultate Theologica anno 1660. conceptam, & ab ipso Alexandro VII. probatam articulos illos hæreticos simpliciter ejurarent; nec alia contra dictos errores fidei professio a Theologis in Belgio petebatur, nec scitur ulla super dicta Formula fuisse contentio, eratque in hac materia Belgium labii unius.

Donec anno 1690. ab Episcopatu Brugensi ad Archiepiscopatum Mechliniensem translatus modernus Archiepiscopus, cœpit a Theologis ad Pastoratus aut Sacros Ordines promovendis, etiam ab illis, qui Lovanii pro suscipiendis gradibus Academicis juxta dictam Formulam ibidem usitatam damnatas quinque illas Propositiones medio juramento damnaverant, exigere memoratum Formularium Gallicanum, idque non simpliciter prout ab Alexandro VII. mandatum erat, sed cum additionibus.

Vix dici potest quam graves acerbæque contentiones ac dissidia hinc inter Theologos excitata sint.

Neque aptior modus hæc componendi visus est, quam ut utraque pars dissentientium Theologorum, quosdam e suis ad Sedem Apostolicam deputarent; ut ipsa, partibus utrimque auditis, quæstiones has sua authoritate decideret, ac tempestatem, reddita Belgio tranquillitate, sedaret.

Itaque anno 1692. nomine Theologorum exactionem Formularii cum additionibus D. Archiepiscopi improbantium, Romam ivit Doctor *Hennebel*, quem secutus jussu D. Archiepiscopi & quorumdam Belgii Episcoporum P. *Desirant*, Doctor Theologus ex Ordine Eremitarum S. Augustini, qui Romæ Formularium cum additionibus tueretur.

Quæstio hæc ab Innocentio XII. ad Congregationem S. Officii remissa est, ubi per annum & amplius, utrimque auditis partibus scriptisque hinc inde magna copia oblatis maturo examine, pluribusque habitis Cardinalium Congregationibus discussa est; ac tandem anno 1694. 6. Februarii ad sopiendas contentiones, tam occasione hujus formularii quam damnatarum propositionum exortas, prodiit Breve Apostolicum ad D. modernum Archiepiscopum & alios Belgii Episcopos missum.

Hoc Brevi primum additiones Formulario Alexandri VII. factæ rejiciuntur; vetaturque omnibus, ne quidquam sub quocumque prætextu addere præsumant, aut demere.

Eodem Brevi. Sua Sanctitas Archiepiscopo Mechliniensi cæterisque Belgii Episcopis inter alia saluberrime præscribit in verbis: 1. *Ut contra omnes & quoscumque, cujuslibet status, gradus, & conditionis existat, qui ausu temerario quinque propositiones* (scilicet Jansenii) *sic damnatas in Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. publice vel privatim tam in scholis quam in Concionibus, verbo vel scripto, defendere præsumpserint, servato tamen juris ordine, procedant.*

Secundo prosequitur Pontifex: *Præterea Fraternitatibus vestris injungendum duximus, prout per præsentes injungimus, ut pro vestra pietate & prudentia facultate illa, qua per Constitutionem illam muniti estis, ita formularii subscriptionem seu juramentum ad praxim reducatis, ut in exigendo prædicto zelus vester & charitas quam maxime eluceat, ne alicujus fama indebite lædatur, aut detractionibus & murmurationibus locus detur.*

Tertio monet Episcopos; *Demum ad extinguenda Theologorum jam pridem inter sese excitata dissidia Fraternitatibus vestris, quantum in Domino possumus, præsentibus nostris mandatis injungimus ne ulla ratione quemquam vaga illa accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinant*

finant, nisi prius suspectum esse LEGITIME *constiterit aliquam ex his propositionibus* (Jansenii) *docuisse aut tenuisse nec quem quam sub hoc prætextu repelli ab officiis aut muniis, Beneficiis, gradibus ac Concionibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiastica permittant, nisi servato juris ordine eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est commeruisse probatum fuerit*. Extat Breve sub litt. P.

Qui supra narratam speciem facti, nec non tenorem controversæ suspensionis, contulerit cum his, quæ D. Archiepiscopo in hoc Brevi præscribit Pontifex, facile perspiciet, quam parum Archiepiscopus sese Optimi Pontificis monitis ac mandatis conformaverit: mandat enim Episcopis, *ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari finant, nisi prius suspectum esse* LEGITIME *constiterit aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse*.

Tantum vero abest ut D. Archiepiscopus impedierit, ne Supplicans vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduceretur, aut nuncuparetur, priusquam ipsum suspectum esse *legitime* constitisset aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse; ut e contra eumdem palam illo nomine traduxerit, & sua suspensione tamquam de hæresi Janseniana suspectum proclamaverit, priusquam *suspectum* esse *legitime* constiterit, Supplicantem aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse; imo priusquam super hac suspicione legitime accusatus, vel citatus, vel auditus sit: & quod amplius, priusquam vel paterne super hac suspicione umquam monitus fuit, tametsi sæpius D. Archiepiscopum rogasset, ut si quid crederet in ejus doctrina aut moribus corrigendum, dignaretur exponere, promittens corrigenda corrigere, ejusque mandatis obtemperare.

Præterea D. Archiepiscopus ignorare non potuit Supplicantem priusquam gradu Licentiæ in Theologia Lovanii donaretur, tertio quinque illas damnatas propositiones abjurasse.

Si ergo Pontifex injungat Episcopis, ne quemquam finant vaga illa accusatione & *invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari, nisi suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex damnatis his propositionibus docuisse aut tenuisse*, quanto minus fincere debuisset D. Archiepiscopus eo nomine traduci Supplicantem, post dictas propositiones trino Juramento damnatas?

Mandat eodem Brevi Pontifex, *nec permittant quemquam sub hoc prætextu* (Jansenismi) *repelli ab Officiis aut muniis &c. nisi servato juris ordine eam pœnam commeruisse probatum fuerit*.

Quam hæc Pontificis æquissima mandata modo procedendi D. Archiepiscopi contraria! Nec enim solum permisit D. Archiepiscopus Supplicantem ab officiis contra tenorem Apostolici Brevis excludi; sed ipse eumdem sub hoc prætextu ab officio Pastorali ejusque exercitio, turbata viginti circiter annorum pacifica possessione, suspendit, *priusquam servato juris ordine eam pœnam commeruisse probatum fuerat:* imo priusquam de Jansenismo accusatus, citatus, vel auditus sit.

Non immerito proinde scripsit idem Pontifex in altero Brevi ad D. Archiepiscopum de 20. Novembris 1696. mala quæ quotidie ex Jansenismo renasci conquerebatur Archiepiscopus, *non procedere ex eo, quod dicto Brevi de 6. Februarii 1694. satis ipsis non sit consultum, sed potius quia idem Breve executioni fortasse, ut par esset, non mandetur*. Extat Breve, Litt. Q.

Sane si D. Archiepiscopus circa Supplicantem aliosque suæ Diœcesis Ecclesiasticos regulas & mandata hujus Brevis, ordine in illis præscripto, exequi voluisset, facile omnes illos motus & scandala occasione prætensi Jansenismi exorta sedasset; comperissetque verissime dictum ab eodem Pontifice in citato Brevi de 20. Novembris 1696. prius Breve aptum esse, *ubi in ipso præscripta adimpleantur, efficax afferre remedium*, ad omnia illa mala sedanda & scandala præcavenda.

At prob dolor! multi amant sub vaga accusatione Jansenismi Adversarios posse traducere, & Ecclesiam dissensionibus lacerare; quam *servato juris ordine* larvam Jansenismi detegi & abstergi.

Su-

§. IX.

Suspensionis hujus nullitas ex defectu prævia monitionis.

Præcedentibus quatuor paragraphis probatum fuit; primo suspensionem unde quæstio, non esse inflictam in *puram* pœnam delicti commissi, at per modum *Censura* Ecclesiasticæ.

Secundo; quod suspensio per modum Censuræ nec licite nec valide ferri possit, nisi ob ipsius suspendendi contumaciam, quæ omnem censuram præcedat, necesse est.

Tertio, quod hæc contumacia Judici probanda sit.

Quarto, quod quis contumax probari nequeat; nisi monitus parere recuset monitioni, eaque ad suspensionis, alteriusve Censuræ valorem prærequiratur juridica, & quidem juxta stilum sub comminatione Censuræ, ut ita Judici constet contumacia suspendendi.

Porro ante inflictam suspensionem Supplicantis, nec trina, nec una pro tribus cum temporum intervallo, sed nec ulla ejusdem monitio super hæreseos Jansenianæ aut alio perversæ doctrinæ errore præcessit: nec umquam tempore sexdecim annorum a D. Archiepiscopo aut alio, ejus nomine, ne extrajudicialiter quidem, de ullo morum defectu vel doctrinæ errore correptus est, licet corrigi & doceri ab eodem plus semel per se & per alios postulaverit.

Quod plus est, quindecim ab inflicta suspensione diebus Supplicans accessit D. Vicarium *Van Susteren*, ab eoque petivit scire rationes, aut errores, ob quos suspectus hæreseos cum tanta injuria & infamia notaretur; qui eos indicare noluit licet iterato rogatus illos aperire, perstitit recusando, ac tandem respondit, se eosdem in judicio probaturum. Numquid belle? Profecto si ulla umquam suspensio seu censura fuerit nulla, invalida & nullius effectus, ob neglectum monitionis Canonicæ, & defectum contumaciæ, indubie hæc talis habenda.

Dicitur quidem in litteris suspensionis, quod Supplicans *necdum satisfecerit punctis sibi a D. Vicario Generali die 6. Novembris anno* 1705. *in materia doctrinali, notanter, quoad errores Bajanos & hæresim Jansenianam propositis*: Verum hæc propositio ne umbram præ se fert monitionis antè omnem Censuram præmittendæ.

Primo enim hæc propositio facta est per Epistolam familiarem absenti in exilio missam, cujus hæc erat inscriptio, *Eruditissimo Domino van de Nesse Pastori S. Catharina Bruxellis.*

Secundo; facta est a Domino *Van Susteren* Vicario Generali D. Archiepiscopi, nulla fori *contentiosi* jurisdictione munito: cum hanc solus Officialis exerceat.

Tertio; hæc propositio a D. Vicario Generali facta non est, ut D. Supplicans sua ad articulos 46. responsione sibi a Censuræ inflictione caveret, sed ut illa mediante, *apud D. Archiepiscopum eam gratiam obtineret, ut is pro paterna sua bonitate apud sacratam Regis Personam intercedere dignaretur, pro obtinenda a Regia benignitate licentia ad Pastoratum suum revertendi.*

Quid huic amicabili propositioni commune cum admonitione Canonica, quæ ad convincendam in judicio alicujus contumaciam, eamque Judici probandam, omni juri præmittitur? Et tanta quidem necessitate, ut ejus omissio omnem Censuram nullam reddat & invalidam?

§. X.

Supplicans se plus quam satis ab omni contumacia purgavit ad quadraginta sex articulos responsione.

Ex præmissis luce meridiana clarius innotescit, Supplicantem ne vel per umbram posse argui reum cujusdam contumaciæ, ad quam domandam, ut & ad delinquentis resipiscentiam, juxta Statuta Canonica Censuræ Ecclesiasticæ adhibentur.

Quam procul vero ab hac contumacia absit Supplicans, docet responsum ejus 28. Novembris 1705. ad Dominum *Van Susteren* missum, pro plena ad 46. interrogatoria responsione & satisfactione, ubi profitetur, se *omnes & singulas propositiones ab Apostolica Sede damnatas, damnare, eo prorsus modo ac sensu quo eas damnat Sedes Apostolica; seque tanta cum veneratione Constitu-*

tio-

tiones ejus omnes ac Decreta semper suscepisse, ut nec verbulum, nec apicem, aut interpunctionem addiderit illis umquam aut dempserit; nec aliud unquam optarit, quam vel ab Illustrissimo D. Archiepiscopo, vel a S. Sede ejusque Ministris corrigi, si hac in parte a veritatis tramite deviasset.

Quid hac professione submissius? Quid ad purgandam omnem hæreseos suspicionem efficacius?

Si Concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. *Cap.* 2. ✠ *de Summa Trinitate*, etiam post damnatas aliquot Abbatis Joachim assertiones, eumdem tamen ab hæresi liberum declaravit *eo quod omnia scripta sua nobis* (ait Innocentius) *assignari mandavit, Apostolicæ Sedis judicio approbanda seu etiam corrigenda*:

An non potiori ratione ab omni hæreseos suspicione liber est Supplicans, cujus, licet nulla assertio damnata sit, nulla accusata, nullus ei error, cujus reus esset ad corrigendum propositus, tamen erga omnes & singulas Sedis Apostolicæ Constitutiones eam profitetur submissionem, qua major excogitari vix potest: addens se *nihil adeo optare, quam vel a D. Archiepiscopo vel a S. Sede ejusve Ministris corrigi, si hac in parte a veritatis tramite deviasset*.

At, quod stupendum, tantum abest, ut Supplicans se per hoc tam Catholicæ & filialis submissionis responsum, ab errore & hæresis suspicione circa proposita sibi puncta, purgaverit, ut & contra asserat D. Archiepiscopus in litteris suspensionis, *quod punctis sibi a D. Vicario propositis non satisfecerit, sed iis conatus sit sese subducere, responso callido & vago, atque suspicionem errorum non tantum non minuente, sed potius augente, ut fert judicium plurimorum Theologorum quos desuper consuluimus*.

Quo ducit hominum præventio! responsum tanta reverentia plenum & apertum, judicatur *callidum* & *vagum*, idque in illo, qui de nullo errore accusatus, nedum convictus est; qui de errore, si quis subesset, moneri, etiam iteratis precibus, postulavit? Professio autem, qua de hæresi, legitimo & servato juris ordine accusati & convicti, se solent ab illa nota purgare, in Supplicante suspicionem non *tantum non minuit, sed potius auget. Idque, ut fert judicium plurimorum Theologorum.* Illorum indubie qui 46. interrogatoria ex officina Monastica fabricarunt.

Relegantur a capite ad calcem articuli Supplicanti propositi; & facile palpabitur, eos ad sensa & placita Molinistarum esse compositos ac Apostolicas Constitutiones ad eorum opiniones & sensa detortas. Hæc Theologis discutienda relinquimus.

Hæc Molinistarum dogmata dictis articulis expressa Vicarius pro punctis fidei vult Supplicanti obtrudere, ut nisi ad illa *affirmative* respondeat, hæreticus habeatur, & D. Archiepiscopi gratia & intercessione privatus, in exilio putrescat.

Haud incertus erat D. Vicarius, Supplicantem numquam hisce articulis assensurum. Neque enim ignorabat D. Vicarius, Supplicantem a juventute in Scholis Lovaniensibus instructum, & ibidem *tutissimis & inconcussis SS. Augustini & Thomæ dogmatibus* imbutum, numquam assensum fuisse articulis ad firmanda Molinistarum (in quorum schola D. Vicarius instructus fuit) artificiose compositis: & tamen in illis assentiri velit, ipsum ut hæreseos labe notatum in exilio oppressum mansurum denuntiat. Quæ sinceritas!

Quod amplius est, id vafritiem, ne dicam malitiam adversariorum Supplicantis prodit, quod non posset Supplicans ad propositos sibi a D. Vicario articulos *affirmative*, ut volebat D. Vicarius, respondere, nisi una fateretur, quod sese *decretis Regiæ Majestatis opposuisset, eamque ac illius ministros in pluribus offendisset*: ita enim sonant articuli 45. & 46. *An agnoscat* (Supplicans) *quod male fecerit opponendo se Decretis Regiis adversus Jansenismi & novitatum propugnatores ac de iis suspectos latis, quæ 7. Novemb. 1695. a Serenissimo Bavariæ Electore missa fuerant & præscripta?* Item, *an etiam a Rege desideret veniam suo nomine rogari de omnibus, quibus sacratam ejus Personam aut ministros offendit*.

Ut ergo Supplicans D. Vicarii gratiam sibi conciliet, fateri deberet, quod sese Decretis Regiis opposuisset, & in pluribus sacratam ejus Personam aut ministros

ftros offendiffet : hoc eft, reipfa agnofcere deberet, fe illorum criminum, quæ illi in utroque libello per D. Archiepifcopum Duci Bavariæ oblato calumniofe affricantur (de quibus in fpecie facti) effe reum, & exilii pœnam, aliasque graviores promeritum.

Hæc eft illa vafrities & calliditas illorum, qui prædictos 46. articulos fabricarunt. Simulant offerre fuam opem & intercesfionem apud D. Archiepifcopum, qua Supplicans ab exilio & oppresfione liberetur, hac horrenda, & omni fideli Regis fubdito execranda conditione, ut prius agnofcat, *Decretis Regiis fefe oppofuiffe, ac facratam ejus Perfonam & miniftros in pluribus offendiffe.*

Denique, cui bono tota hæc 46. articulorum congeries? Quid huic cum officio Paftorali? An huic fedulo incumbere, & plene defungi non poterit, nisi de his articulis plenarie inftructus? quorum vix unus ad fidem pertinet, nullus formandis Chriftianis moribus utilis eft. Et tamen nisi ad fingulos eorum Supplicans *affirmative* refpondeat, de hærefi fufpectus proclamatur.

§. XI.

Ipfe tenor fufpenfionis evincit, eam effe actum extrajudicialem.

Qui formulam in concipiendis & pronuntiandis fententiis in Curia Ecclefiaftica ufitatam vidit, aut regulis in illis ferendis per Statuta Curiarum Ecclefiafticarum præfcriptis attenderit, videbit, fufpenfionem Supplicantis, ne umbram habere judicialis fententiæ.

Quis nefcit, fententiam a Judice, publice, id eft, pro tribunali fedente ex Canonum & Legum præfcripto, effe proferendam? quibus confonant ipfæ Ordinationes Curiarum Ecclef. Provinciæ Mechlinienfis *tit.* 11. *art.* 571. ftatuentes, *ut Judex pro tribunali fedens in loco confiftoriali die juridico definitivam fententiam proferat.*

Et licet Epifcopi, utpote ampliori honore digni, posfint alteri fententiæ pronuntiationem demandare, ut dicitur in *Cap. fin.* ⚹ *De Sent. & re jud.* nihilominus, fententia per quemcumque enuntietur publice & in loco confiftoriali die juridica in fcriptis proferenda eft.

Præterea Legibus præfcriptum eft, eftque ftilus in Curiis Ecclefiafticis ufitatus, ut fententia pronuntietur partibus præfentibus, aut faltem ad audiendam fententiam legitime citatis, licet non compareant; modo Judici de hac citatione conftiterit.

Nil fimile in hujus fufpenfionis or[illegible] ne fervarunt; imo nec ulla vel [illegible] ciem fententiæ pronuntiatio contra Supplicantem umquam facta fcitur, aut allegatur.

Si folita formula concipiendæ fententiæ in Curiis Ecclefiafticis infpiciatur, nomen & qualitas Judicis præmisfa invocatione Divini nominis in ipfo proœmio fententiæ apparebit; nomina partium, id eft, Actoris & Rei fpeciatim cum fuis qualitatibus expresfa; ac dein hanc folitam; *Vifis & examinatis actis & actitatis, Dei nomine invocato, ac folum Deum & juftitiam præ oculis habentes, dicimus &c.*

Nihil eorum omnium in hac Supplicantis fufpenfione confpicitur; ut nec fpeciem judicialis fententiæ præferat. Integer contextus evolvatur, evidens erit, non effe nisi merum actum extrajudicialem per Epiftolam familiarem Supplicanti intimatum.

Quid nisi talem fignificat hoc ejus exordium: *Dilecte fili. Cum intelligamus Reverentiam veftram hefterna die circa vefperam in hanc civitatem reverfam effe* &c.

Familiaris Epiftolæ evidentisfimum argumentum eft, ejusdem conclufio. Poft enim inflictam Supplicanti fufpenfionem ab officio Paftorali donec fefe ab errorum fufpicione purgaverit concludens ait: *In quem finem R. V. uberrimos Divinæ caritatis & Eucharifticeæ folemnitatis fructus apprecati, paterne fubfcribimur, Dilecte fili D. V. affectisf. Servus H. G. Archiepifcopus Mechlinienfis.*

Omnis Jurisprudentiæ & Forenfis praxeos plane ignarus fit oportet, qui hæc effe judicialis fententiæ formulas credat; aut fimilibus verborum exordiis & conclufionibus refertam Epiftolam actus judicialis umbram præferre crediderit.

Neque in animum inducere posfum, D. Ar-

Archiepiscopum ejusve Ministros vel Consiliarios, existimasse hanc suspensionis formam aliquid judiciale redolere.

At verisimile est, Theologos, quorum in Epistola fit mentio, credidisse, nimia adversus Supplicantem passione præventos, ipsum extrajudicialiter, ac per simplicem ac familiarem Epistolam a functionibus Pastoralibus valide posse suspendi, non secus ac simplices Sacerdotes ad munia illa pro tempore aut usque ad revocationem ex gratia & beneplacito Episcoporum admissos.

Juvat hanc conjecturam, quod in dicta Epistola dicat: *Reverentia Vestra ad interim facultatem concionandi, & fidelium confessiones excipiendi revocandam duximus, & revocamus per præsentes*. Hæc enim est ipsissima formula, qua soliti sunt uti Episcopi in revocatione facultatis concionandi aut confessiones excipiendi, datæ Presbyteris, quibus jure sive titulo Beneficii similis authoritas non competit: sed eam ex speciali approbatione & delegatione Episcopi obtinent & exercent.

Ex his abunde perspectum esse credit Supplicans huic Regio Senatui, suspensionem, a D. Archiepiscopo sibi inflictam habendam pro turbatione *facti*: ideoque sibi nihil ulterius pro obtinenda manutentia probandum crederet, nisi D. Archiepiscopus prætenderet, hic agi de materia manutenentiæ non subjecta, quod quam infundatum sit capite sequenti ostendetur.



CAPUT TERTIUM.

De cognitione Judicii Possessorii rei spiritualis Conciliis Regiis competente, ejusque effectu.

§. I.

Ubique receptum est, Regios Judices de possessorio cujuscumque rei spiritualis, tamquam meri facti, cognoscere.

Superfluum esset, coram hoc Regio Senatu multis velle probare possessorium rei spiritualis Conciliis Regiis esse subjectum: cum id non tantum quotidiana praxis, sed & ipsæ Ordinationes Principum supremis Curiis præscriptæ, *de modo & forma in judicio possessorio* servandis evincant.

Neque hanc authoritatem Senatui denegat D. Archiepiscopus; sed prætendit eam se ad res *mere spirituales*, uti sunt Officia Pastoralia, non extendere. Sed non attendit D. Archiepiscopus, Supplicantem non velle, ut Regius Senatus cognoscat de ipsa *re mere spirituali*, puta de ipsis functionibus Pastoralibus; sed duntaxat de quasi possessione rei spiritualis: id est, utrum Supplicans fuerit in possessione vel quasi possessione *pacifica* exercitii dictorum munium annexorum suo Parochiali Beneficio, & utrum extrajudicialiter in ea possessione turbetur; quæ cum sit *meri facti*, Senatus de his cognoscens, sibi non adscribit rei mere spiritualis judicium, nec manum ad Thuribulum mittit, uti pleno ore passim buccinant adversarii Exponentis.

Idcirco a seculis ubique passim gentium obtinuit, ut possessorium rei spiritualis indistincte ad Regii Magistratus judicium deferatur, sine ulla inter res pure, aut non pure spirituales differentia.

Neque hujus distinctionis ullum apud Authores, hanc materiam tractantes, vestigium occurrit; at generaliter possessorium rei spiritualis, Regiis Judicibus attribuunt hoc solum fundamento, quia possessio rei spiritualis ejusque violenta turbatio sunt *meri facti*: neque aliquid spiritualitatis intervenit. Testatur Andreas *Gail. lib. 1. observat. 35. Clericum posse conveniri coram Judice Laico, quando agitur super possessorio vel quasi, etiam in causis* SPIRITUALIBUS: *Hac ratione, quia possessorium non est quid spirituale, sed temporale.*

Eodem Motivo *Mynsingerus*, *Cent. 2. observ. 67.* postquam dixit, vulgati juris esse, Laicum non posse Judicem agere in causis

causis *spiritualibus*, nec inter personas Ecclesiasticas, mox addit pro limitatione: *si tamen versaretur in* MERO POSSESSORIO, *etiam Laicus dicitur Judex competens*, UTCUMQUE *sit* SPIRITUALIS, *ut tradunt Innocentius*, *Joannes*, *Andreas & Ant. de Butrio*, *in Cap. fin. de Judiciis*.

Hæc *Mynsingerus*, aperte supponens, *possessorium* rei *utcumque spiritualis*, non esse causam spiritualem a potestate judicis Laici exemptam, sed temporalem, ejusque cognitioni subjectam.

Pariformiter *Guido Papæ*, qui a ducentis circiter annis scripsit, testatur *Decis.* 1. quoad possessorium, in causis spiritualibus, Judicem Laicum esse competentem. *Et ratio est* (inquit) *quia possessorium non est quid spirituale*, *sed* TEMPORALE. *Nec est inconveniens*, *quod respectu ejusdem rei*, *petitorium sit spirituale & possessorium temporale*, *cum nihil commune inter se habeant.*

Recte proinde notavit D. *Christinæus* ad Bugnonium *lib.* 3. *Cap.* 7. citatis omnium Nationum Authoribus: *Hodie seculares Judices cognoscunt de* OMNI *possessorio judicio*, *etiam Beneficiorum*, *& rei Ecclesiasticæ*.

§. II.

Quis hujus judicii præcipuus scopus?

Scopus judicii possessorii, præsertim *retinendæ possessionis* (quod juxta hujus Curiæ stilum *manutenentia* dicitur) est pacificum possessorem in sua possessione, contra violentias quaslibet & facti turbationes defendere, quoad usque per Judicem Superiorem & competentem, servato juris ordine, possessione sua excidisse declaretur; uti recte advertit famosus ille Flandriæ Pragmaticus Judocus *Damhauderus*, *in Praxi rer. Civil. Cap.* 41. ibidem notans, *Interdicto*, UTI POSSIDETIS, *hodie successisse judicium possessorium*, *quod* MANUTENENTIA *appellatur*; *qua possessorem pacificum*, *ait*, *in possessione sua conservat*. Deinde subjungit: *Est igitur manutenentia quadam provisio*, *imo verius quoddam Principis vel Consilii sui Beneficium*, *quo aliquem* PACIFICUM POSSESSOREM, *metuentem tamen ex ea ejici aut exturbari*, *in eadem sua quieta possessione tenet*, *servat & quasi sua* MANUTENENDO, *sua authoritate tuetur*.

Ex quo infert *n.* 2. *Unde est aptum ei*, *licet recens vocabulum est inditum*, *quod Possessor in possessione sua per Principem* MANUTENEATUR *& in ea manere jubetur*, *cum interdictione omnium*, *qui ad hanc quietam possessionem contradicere velint*; *& id donec per justitiam alius potius jus habens*, *inferatur*, *& manutentus iterum ejiciatur*.

Ulterius *num.* 4. ostendit, huic judicio non repugnare, quod Judex secularis non debeat immiscere se rebus spiritualibus, *quia in isto casu* (inquit) *non immiscet sese rebus spiritualibus*, *nec spirituales res tractat*, *nec exercet*, *sed tantum quod est* MERE SECULARE, *dum lites*, *contentiones*, *& turbationes a sua Republica subditis arcet & prohibet*. *Unde dicunt Franci quod Judex secularis optimo jure possit decernere & dare hanc provisionem*, *& per eam cognoscere de materia Beneficiali*; *quia licet ipsum Beneficium & functio sit mere spiritualis*, *& ad spirituales potissimum spectans*, *tamen tranquillitatis Republicæ defensio secularis est*.

Manifestum est hunc peritissimum Pragmaticum supposuisse, non tantum possessorium in Beneficiis, sed etiam in functionibus Beneficio annexis, sive quasi possessione exercendi dictas functiones, Regio Tribunali competere: *quia licet* (inquit) *ipsum Beneficium &* BENEFICII FUNCTIO *sit mere spiritualis*, *& ad spirituales potissimum spectans*, *tamen tranquillitatis Reipublicæ defensio secularis est*.

Quidquid ergo protestetur D. Archiepiscopus, se nolle Supplicantem in possessione sui tituli seu Beneficii Parochialis turbare; tamen hoc ipso quo illum turbat in pacifica possessione functionum Pastoralium, aperitur ei via manutenentiæ, qua in pacifica possessione a Rege teneatur, uti *Damhauderus* evidenter supponit.

Et sane cum fundamentum hujus manutenentiæ sit violentias a suis subditis, ac contentiones facti, *& turbationes a Republica arcere*, *& publicam tranquillitatem pacemque servare*, uti recte monet *Damhauderus*, non minus ad tuendam publi-

cam possessionem exercendi functiones Beneficio annexas, quam ad ipsius Beneficii possessionem, hoc manutenentiæ judicium se debet extendere.

Nec enim minores turbationes & contentiones oriri natæ sunt, neque minor oppressio subditorum, si violente in exercitio functionum Beneficii quam si in ipsius Beneficii possessione pacifica turbentur.

Et consequenter Regis est, non minus illam, quam hanc violentiam arcere, & pacificum Possessorem contra omnem violentiam & facti turbationem tueri & protegere: unde manutenentia proprie species est protectionis Regiæ, ut Capite sequenti ostendetur.

§. III.

Manutenentia præcipue cadit super possessione Rei Spiritualis, & functionum ei annexarum, & turbatio super hac possessione, secum trahit turbationem in temporalibus., etiam respectu Supplicantis.

Beneficii pacifica possessio potissimum consistit in pacifico & libero exercitio ipsius Beneficii; quemadmodum pacifica possessio rei temporalis in libero usu rei illius.

Porro exercitium Beneficii præcipue spectare functiones Ecclesiasticas illi annexas, indubitatum est.

Ipsa quippe temporalia, sive jus ad illa, *consequenter* solum ad ipsa spiritualia sese habent: functiones autem sive Officium Ecclesiasticum ipsi Beneficio essentiale est, & principaliter spectandum est, juxta vulgatum illud: *Beneficium datur propter Officium.*

Itaque sine fundamento contendit D. Archiepiscopus in sua Advertentia, non esse hic locum manutenentiæ, quia quæstio vertitur super suspensione *ab Officio Pastorali*

Cum enim hoc sit essentialiter ipsi Curæ Animarum & Parochiali Beneficio annexum, evidens est, non posse quempiam in exercitio illius turbari, quin simul in pacifica & libera Beneficii Parochialis & Curæ Animarum illi annexæ possessione turbetur.

Quare sicuti hujus Senatus est, cognoscere de turbatione *facti* in Beneficii Curati possessione, ita & ad ipsum spectat cognitio de turbatione in quasi possessione Pastoralium functionum.

Quod ulterius D. Archiepiscopus prætendit in sua Advertentia, Manutenentiam requirere turbationem in percipiendis temporalibus Beneficio annexis, plane erroneum est, & hactenus inauditum.

Uti enim supra vidimus, & quotidiana praxi notissimum est, manutenentia Regia pacificos possessores liberat ab omni oppressione; qua possessio aut quasi possessio cujuscumque rei spiritualis, & etiam functionum Beneficii violente impetitur; eo quod Rex pacificos possessores nolit *via facti* (quæ altercationibus & rixis ac oppressionibus obnoxia est) a sua possessione removeri aut quomodolibet inquietari.

Sed supponatur, licet erronee, manutenentiam fundandam esse super turbatione temporalitatis Beneficio annexæ, nullum inde exceptio declinatoria accipit adjutorium.

Quid enim notius, quam Parochum in Pastoralis Officii possessione violente turbatum, simul etiam temporali utilitate privari, puta honorariis, quæ fidelis populus Pastoribus suis in Sacramentorum administratione Christiana caritate largitur, quæque in Urbibus conficiunt magnam partem competentiæ seu sustentationis Pastoribus debitæ.

Deinde qua fronte, Parochus Pastoralia munia non exercens, non assistens Matrimoniis, neque baptizans, nec extremam Unctionem aut Viaticum administrans, recipiet oblationes a Fidelibus tum offerri solitas?

Quo titulo Parochus a functionibus suspensus, oblationes has Presbyteris munia Pastoralia obeuntibus subtrahere, sibique arrogare præsumat? *Cum operarius mercede sua dignus sit.*

Ad hæc, Parocho ita ab officiis suspenso, indubie substituendus est alter Vicarius, qui, suspensione durante, functiones Pastorales exerceat, & populo spiritualia ad Curam Animarum spectantia administret.

Cui Deservitori non tantum oblationes, seu incerta accidentia, cedere debeant, sed etiam ex Pastoralis Beneficii fructibus liberalior

lior portio sustentationis offerri ; quod sine Pastoris suspensi gravi præjudicio fieri non posse manifestum est.

Ut proinde evidens sit, suspensionem hanc ab officio saltem indirecte involvere turbationem seu gravem jacturam temporalium dependentium ab exercitio muneris Pastoralis.

Quod plus est, nemo ambigere potest, quin si quis potiatur Beneficio fructibus & emolumentis temporalibus vacuo, ac in illius vel functionum annexarum pacifica possessione turbetur ; eadem illi Senatus Regii manutenentia seu protectione, servanda sit aut reddenda.

§. IV.

Judex Regius in judicio Possessorio non cognoscit nec judicat de re mere spirituali, nec de validitate Causæ suspensionis.

Sæpe repetitum est, Senatum Regium in judicio Possessorio sibi rei spiritualis judicium non assumere, puta de ipsis functionibus Pastoralibus.

Exempli causa ; in casu proposito, non est Supplicantis intentio, ut Senatus cognoscat aut judicet, an bene vel male Officium Pastorale exerceat ; vel ut Regius Senatus Supplicanti munia Pastoralia obeundi potestatem impertiat ; sed ut judicet de pacifica possessione Supplicantis exercendi dicta munia Pastoralia Beneficio Parochiali jure ordinario connexa ; nec non de turbatione *facti*, quo hæc pacifica possessio violatur.

Ubi autem Senatui de possessione & turbatione constiterit, concludit Supplicans in sua possessione contra turbationem illam, manuteneri ; seu contra extrajudiciales vexationes Regia authoritate defendi.

Impertinens proinde est, quod in sua advertentia asserit D. Archiepiscopus, Judici Ecclesiastico, non vero huic Senatui, competere judicium, num causæ suspensionis Domini Supplicantis ab Officio Pastorali fuerint satis graves.

Nec enim vel per somnium Supplicanti incidit, D. Archiepiscopum cogere, ut coram hoc Senatu prætensæ suspensionis causas edat : aut hunc Senatum constituere Judicem sufficientiæ aut insufficientiæ earumdem causarum.

At unice contendit, authoritate Regis tolli omnem turbationem illegitimam, sibique sui Beneficii cum annexis servari usum integrum seu pacificam possessionem, donec servato juris ordine probetur Beneficio excidisse, aut a functionibus illi annexis meruisse suspendi.

§. V.

Per manutenentiam non impeditur Judex Ecclesiasticus contra Beneficiatos judicialiter procedere.

Ostensum est, hujus Possessorii judicii unicum scopum esse, ut authoritate Regia subditis Regis, cujuscumque sint status aut conditionis, contra quamcumque violentiam, pacifica sua possessio conservetur.

Ut ergo locus sit manutenentiæ, probanda Supplicantis possessio pacifica, ejusdemque indebita vexatio.

Si vero turbetur dicta possessio, sed ordine judiciali, puta si Judex Ecclesiasticus servato juris ordine, agat contra pacificum possessorem, hæc turbatio viam manutenentiæ non aperit ; neque Senatus judiciarium hunc processum impediet.

Dum enim pacifico hactenus Possessori super sua possessione, vel ob defectum tituli, vel ob incapacitatem, aliamve causam, coram legitimo Judice, & ordine juris, quæstio movetur, Senatus Regius nequaquam contra similem judicialem turbationem concedet manutenentiam ; utpote qui unice intendit, beneficio manutenentiæ pacificum Possessorem contra omnem *facti* turbationem tueri, ac prospicere ut omnia, servato juris ordine, agantur.

Itaque si quis Pastor de mala conversatione aut perversa doctrina probatus suspectus, criminaliter coram legitimo Ecclesiastico Judice convenitur, quamdiu Promotor juxta formam ac servato juris ordine procedit adversus eundem, nullus poterit esse locus manutenentiæ aut possessorii ; nec enim Pastor hic *via facti* in sua possessione turbatur, sed judicialiter & via juris ; nullaque illi infertur violentia, sed

ſed omnia ſecundum formam juris peraguntur.

Nequaquam ergo hoc judicio poſſeſſorio impeditur Epiſcopus aliuſve Eccleſiaſticus Judex contra ſubditum ſuum criminaliter procedere, eumque ſervato juris ordine reum probatum ex ſua poſſeſſione dejicere, vel pro criminis qualitate ſuſpendere; ſed unice vetatur, poſſeſſorem *via facti* ſive per violentiam in ſua poſſeſſione turbare. Itaque effectus manutenentiæ ac etiam pleni poſſeſſorii eſt, Beneficiatum in pacifica ſui Beneficii & annexorum poſſeſſione ſervare, quoad uſque, ſervato juris ordine, declaratus fuerit per legitimum Judicem ſua poſſeſſione excidiſſe, vel ad tempus aut in perpetuum privandus eſſe.

Id dilucide & compendioſe nuper expreſſum fuit in quadam Theſi *de judicio poſſeſſorio in cauſis Eccleſiaſticis* Lovanii in actu Licentiæ die 27. Julii noviſſimi publice propugnata, ſub Præſidio Clariſſimi D. de *l'Hamayde*, Juris Utriuſque Doctoris, & Anteceſſoris Primarii, cujus Theſeos Concluſio 4. erat: *Effectus hujus judicii ſive manutentiæ, eſt manutenere ipſum Poſſeſſorem in ſua poſſeſſione tam quoad temporalia, quam ſpiritualia ſuo Beneficio, ſeu Officio annexa, contra turbationem facti; puta Canonicum in functionibus Canonicatus, Parochum in muniis & exercitiis Paſtoralibus, quoad uſque, ſervato juris ordine, in petitorio hiſce functionibus excidiſſe fuerit declaratus.*

§. VI.

Senatum Regium, Parochum manutenendo in quaſi poſſeſſione functionum Paſtoralium, non dare ipſi poteſtatem Clavium aut Curam Paſtoralem.

Senatus Regius in judicio poſſeſſorio duo præcipue diſcutit & probari deſiderat, priuſquam poſſeſſorium Beneficiato adjudicet.

Primo examinat, num qui manuteneri rogat probet ſe hactenus fuiſſe ſui Beneficii poſſeſſorem.

Secundo, num dicta pacifica poſſeſſio extrajudicialiter ſeu *via facti* turbetur. Supponit ergo Senatus Regius illum, cui manutenentia conceditur, fuiſſe hactenus in Canonica & pacifica ſui Beneficii alteriuſve juris poſſeſſione.

Nequaquam igitur dat, aut dare prætendit Senatus Regius novam poſſeſſionem, aut jus quod ante ipſi manutenendo non competeret: ſed duntaxat manutenendum declarat Supplicantem in hactenus habita pacifica poſſeſſione contra turbationem facti.

Neque in præſenti caſu contendit Supplicans, petendo a Regio Senatu manuteneri in quaſi poſſeſſione functionum Paſtoralium, ab eo accipere curam animarum, aut jus aliquot functiones Eccleſiaſticas exercendi: ſed unice conſervari rogat in pacifica poſſeſſione ſui Beneficii, & curæ animarum, functionumque & jurium ad illam pertinentium; idque contra turbationem facti, qua D. Archiepiſcopus eumdem, nullo ſervato juris ordine, ſua poſſeſſione dejicit.

Curam enim animarum & jus exercendi functiones ad eam ſpectantes accepit Supplicans authoritate Eccleſiæ; quando juxta leges ab Eccleſia præſcriptas prævio examine & Canonica inſtitutione, Eccleſiæ Parochiali tamquam ejus proprius ac peculiaris Parochus fuit adſcriptus, uti ſupra *Capite* 1. probatum eſt.

Hanc autem Curam animarum & authoritatem functiones ipſi annexas obeundi, jure *tituli* Parochialis & *ordinario* ei competentem extrajudiciali ſuſpenſione auferri Parocho non poſſe, neque in ejus exercitio via facti turbari, ſimiliter ibidem probatum eſt.

Ex quibus evincitur, quod nihil ſpirituale aut redolens Curam Animarum Supplicans ab hoc Senatu ſibi concedi poſtulet: ſed juxta receptum morem, petit in poſſeſſione ſui tituli illique annexo exercitio protegi, ac contra omnem indebitam vexationem manu Regia defendi ſeu manuteneri.

§. VII.

Per recurſum ad Senatum Regium non intendit Supplicans declinare Judicium legitimi Judicis Eccleſiaſtici in materia correctionis, morum, aut doctrinæ.

Aliquoties in hujus Motivi decurſu, repetiit Supplicans nolle ſe titulo Poſſeſſorii,

rii, in correctione morum aut materia doctrinæ, Tribunal Ecclesiasticum declinare, vel judicium super iisdem hujus Senatus Authoritati adscribere.

Verum & hoc supra fuse ostensum est, neminem prætextu correctionis morum aut perversæ doctrinæ posse *via facti* ac violenter in pacifica Beneficii sui vel munium eidem annexorum possessione turbari; at contra id generis vexationes patere recursum ad Senatum Regium; ut suprema Authoritate tollatur violentia, & pacificus Possessor contra illam Regia protectione muniatur.

Quod si D. Archiepiscopus visitans suam Diœcesim, aut Parochiam Supplicantis, quidquam ordinasset ad correctionem morum, aut Divini Cultus augmentum, vel aliqua minus recte hactenus observata emendari voluisset, nequaquam Supplicans se illis tentasset opponere, vel hujus Senatus Patrocinium contra ejus ordinationes implorare: qui nihil adeo cordi habuit, quam a D. Archiepiscopo intelligere quid corrigendum, quid mutandum pro bono animarum, pro feliciore Parochiæ directione, & meliore Cleri institutione judicaret.

Sciebat Supplicans, quod *nec in his, ubi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam, interposita, executionem eorum, quæ ab Episcopis mandata, decreta aut judicata fuerint, quomodo impediat aut suspendat*, uti declarat Synodus Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 10. *de Reformat.*

Verum & hoc novit Supplicans, hic non agi de *correctione morum*, quæ, sine strepitu judicii, per Episcopos visitantes fieri solet, de qua loquitur Synodus Tridentina; sed de pœna *ordinaria*, eaque gravissima, nimirum Censura suspensionis, qua Supplicans ab omni Officio Pastorali suspenditur, & in Beneficii Parochialis possessione turbatur, quod nequaquam ad morum correctionem, sed ad pœnæ inflictionem spectare dignoscitur.

Correctio enim politiam respicit, *quam qui curant magis exequendo, quam judicando & cognoscendo procedunt. Ita Ædiles Romani, politiæ curandæ præfecti, si quid eam læderet, e medio tolli, frangi, emendari jubebant, magis facti, quam juris rationem servantes. Igitur correctio illa fit sine forma judicii, sola veritate perspecta, & olim sine scripto, ac, ut nunc Abbas procedit contra Monachum, Pædagogus contra Discipulum, & hodie in dies videmus fieri in visitandis per Prætores & Magistratus viis & ageribus, qui in loco oculis subjecto, mox decernunt & exequuntur.*

Hæc ex *Zypæo* in Analysi Juris novi, *tit. De Accusat. ibidem num.* 9. ita concludente: *Ergo correctioni locus maxime est in visitatione, dum Episcopi, sicut Ædilitii Magistratus, Civitatem vel Diœcesim obeunt, & quidquid inordinatum inveniunt, reformant, nec ordinarium modum procedendi servantes, ita* (ait) *non nisi correctiones, non* PŒNAS ORDINARIAS *infligentes: hoc enim non potest fieri nisi processu plenarie instructo.*

Rationem subjungit *Zypæus*: *Nam ex processu summario & cognitione uti convenit Judicibus pedaneis, non potest imponi pœna* ORDINARIA: *sed ea* (ait) *solemnem & plenam cognitionem requirit, qua instituenda est, dum contra aliquem* ORDINARIA *punitio intenditur.*

Hinc & S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum resolvit die 24. Aprilis 1595. *Episcopum non posse imponere in visitatione pœnas* ORDINARIAS, *sed tantum extraordinarias, quæ magis morum emendationem & correctionem, quam* DELICTI VINDICTAM *respiciant*, uti ibidem refert *Zypæus*.

Cum igitur hic agatur de pœna ordinaria, eaque gravissima, ob pretensum crimen hæreseos, evidens est, quod D. Archiepiscopus ordinem judiciarium in ea infligenda servare debuisset; quo facto indubie fuisset Supplicanti liber recursus ad superiorem Judicem Ecclesiasticum via Appellationis, uti eadem Congregatio judicavit, & refertur in Declarationibus ad citatum *Cap.* 10. Concilii Tridentini. Ubi vero D. Archiepiscopus *via facti* & extrajudicialiter hanc pœnam inflixit; ipsumque Supplicantem *via facti* in sua pacifica possessione turbavit, liberum illi fuit, hujus Senatus patrocinium via possessorii implorare, quo in sua possessione manuteneatur, donec, servato juris ordine, probitum

tum fuerit, illum hanc ordinariam & graviſſimam pœnam ſecundum Statuta Canonica meruiſſe.

Ne per umbram igitur de Correctione morum quæſtio eſt; ſed de pœna *ordinaria*, nimirum ſuſpenſionis *via facti* inflicta, qua Supplicans in ſua pacifica poſſeſſione turbatur, & de qua coram hoc Senatu conqueritur, & protectionem Regiam ac manutenentiam deprecatur.

Nec dubitat, quin defuiſſet querelæ locus, ſi D. Archiepiſcopus inhæſiſſet conſilio Synodi Tridentinæ *Seſſ.* 13. *Cap.* 1. *de Reformat.* ubi primum admonendos cenſuit Epiſcopos, *ut ſe Paſtores, non percuſſores eſſe meminerint, atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, ut non in eos dominentur, ſed illos tamquam filios & fratres diligant, laborentque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur.*

Si enim D. Archiepiſcopus tamquam Pater dignatus fuiſſet, Supplicantem ut filium hortando & monendo ab illicitis, quum Supplicantem reum credebat, deterrere, omnino confidit Supplicans, quod ea veneratione & ſubmiſſione his hortationibus & monitis paruiſſet, ut reipſa comperiſſet D. Archiepiſcopus, gravi hac pœna ſuſpenſionis ipſum coercendum non fuiſſe.

Sicuti autem nemo ſub prætextu correctionis morum, *via facti* puniendus eſt pœna ordinaria, eaque graviſſima, ita nec titulo perverſæ doctrinæ ſive hæreſeos aut ſuſpicionis illius.

Quapropter jam pridem Arcadius Imperator in *l.* 2. §. 1. *Cod. de Hæreticis*, cenſuit pro hæreticis non eſſe habendos, neque pœnis in hæreticos decretis puniendos, *niſi qui a judicio Eccleſiaſticæ Religionis, & tramite* DETECTI *fuerint deviare*; id eſt, probati ſint a judicio Eccleſiæ in cauſa Religionis deviare.

Hanc æquiſſimam juris naturalis regulam, quæ neminem puniri patitur niſi eam pœnam commeruiſſe juridice probatum ſit, ſervari ab Epiſcopis Belgii mandavit Innocentius XII. in Brevi ad eos directo die 6. Februarii 1694. in hac de qua præcipue agitur Janſeniſmi materia, ipſis injungens ne ſub prætextu Janſeniſmi quemquam *repelli ab Officiis aut Muniis, Beneficiis, Gradibus ac Concionibus habendis, vel alia quacumque functione Eccleſiaſtica permittant*, NISI SERVATO JURIS ORDINE EAM POENAM, *quæ viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, commeruiſſe probatum fuerit*, uti latius deductum eſt ſuperiori Capite §. 8. & oſtenſum, quam procul a præſcripto hujus Brevis D. Archiepiſcopus in Supplicantis ſuſpenſione deviarit.

Ex his perſpicuum eſt huic Ampliſſimo Senatui, nulla vel apparenti ſpecie, Supplicanti opponi poſſe litteras a Carolo II. ad hunc alioſque in Belgio Regios Senatus anno 1695. directas, quibus interdicitur huic aliiſque Regiis Conciliis, ne ſub prætextu protectionis aut poſſeſſorii impediant, quo minus Decreta & Ordinationes Epiſcoporum in materia correctionis morum vel doctrinæ ſuum ſortiantur effectum.

Ex integro enim illarum contextu colligere eſt, in hiſce redargui Eccleſiaſticos illos, eoſque duntaxat a Tribunalibus Regiis repellendos, qui prætextu protectionis aut Poſſeſſorii ſe conabantur judicio Epiſcoporum in moribus ac doctrina ſubducere, & vim Decretorum Epiſcopalium impedire. Habetur ſub litt. R.

Quod cum nullatenus intendat Supplicans, ſed unice petat Regia protectione a violentia & facti turbatione vindicari, non apparet, qua æquitatis forma, eam a Clementiſſimo Rege per dictas litteras negatam eſſe dicamus.

Sciebat optimus Princeps, nihil adeo Regibus eſſe naturale, nihil tam glorioſum, quam ſubditis ſuis oppreſſis protectricem manum porrigere; eamque a ſe non poſſe niſi cum ipſa Regia Corona abdicare: uti latius Capite ſequenti oſtendetur.

Nec mentem fuiſſe Clementiſſimi Regis eam protectionem negare ſubditis ſuis, aut permittere, ut *via facti*, prætextu correctionis morum aut doctrinæ, in ſua pacifica poſſeſſione turbentur, evincunt ejus litteræ de 10. Junii 1697. ad D. Archiepiſcopum alioſque Belgii Epiſcopos datæ, quibus ſignificat ſe velle executioni mandari Breve Innocentii XII. de 24. Nov. 1696. *relativum* (ait) *ad illud de 6. Feb.* 1694. quo præſcribitur *ut nemo ſub prætextu Janſeniſmi a functionibus Eccleſiaſti-*

cis

eis repellatur, nisi servato ordine juris eam pœnam commeruisse probatum fuerit, uti latius supra. Epistola habetur sub litt. S.

Insuper in iisdem litteris declarat quidem Clementissimus Rex, quod juxta priora mandata non patietur materias correctionis morum aut doctrinæ trahi ad tribunalia laica, sed addita hac clausula, *modo nostra Edicta & antiquus patriæ usus observentur*. Quod non fiet si manutenentia Regia & protectio subditis etiam Ecclesiasticis via facti oppressis, denegetur; cum usus antiquus, usque in hæc tempora continuatus, probet protectionem illam oppressis omnibus concedendam, & Regia Edicta, quæ leges in danda manutenentia servandas præscribunt, usum illum manifeste supponant.

Hæc abunde evincunt, Viri Amplissimi, Supplicantem nequaquam prætendere, sub prætextu Possessorii sive manutenentiæ, se judicio Judicis Ecclesiastici subtrahere in materia doctrinæ aut correctionis morum; sed unice postulare, via manutenentiæ contra turbationem facti se manuteneri Regia authoritate in pacifica possessione exercitii Beneficii sui Parochialis, quoadusque probatum fuerit, servato juris ordine, pœnam suspensionis a suo Officio Pastorali meruisse.

Imo si quam Regiam protectionem ulterius requirat Supplicans, unice prætendit per eam contra violentias & facti turbationes sibi inferendas se muniri, non judicio Superiorum suorum se subducere, uti Capite sequenti ostendet.



CAPUT QUARTUM.

De Protectione Regia.

§. I.

Rex subditis suis Oppressis protectionem tenetur concedere.

Singularem ac præcipuum Regiæ dignitatis ac politici Regiminis scopum & objectum esse, ut subditi quietam & tranquillam vitam agant, nemo ambigit. In commune enim ac publicum subditorum bonum, Regia omnisque secularis potestas a Deo ordinata est.

Nihil porro tam necessarium & efficax ad bonum illud procurandum, quam si imbecilliores, & minus potentes a potentiorum violentiis & oppressionibus vindicentur, illisque contra easdem refugium, & protectio solatiumque præstentur.

Cum vero violentiæ illæ vix, nisi validiore manu, comprimi possint, idcirco hæc protectio Regibus eorumque Ministris propria est; illis enim Deus gladium, ejusque usum commisit, ut pœnarum timore subditorum suorum saluti ac securitati consulerent. *Non enim sine causa gladium portat* (ait Apostolus): *Dei enim Minister est: vindex in malum ei qui male agit.*

Si Dei Minister est, hoc illi præcipue ad ejus imitationem satagendum ut infirmiores ab oppressione potentiorum liberet, cum ipse Deus maxime in hoc potentiam suam justitiamque manifestet, *ut pauperes de manu potentis eripiat, & adjutorem ac protectorem eorum se in tempore tribulationis ostendat*.

Unde ad Principes præcipue pertinet illud Jeremiæ Cap. 22. *Facite judicium & justitiam & liberate vi oppressum de manu calumniatoris*. Ad quæ verba scribit S. Hieronymus apud Gratianum *Caus.* 23. *q.* 5. *Can.* 23. *Regum officium est proprium facere judicium & justitiam, & liberare de manu calumniatoris vi oppressos*.

Quare Principes Christiani nihil sibi duxerunt gloriosius, nihil Regiæ dignitati convenientius, quam Dei & Regis Regum exemplo, oppressorum Protectores & Defensores nuncupari: suaque Auditoria & Tribunalia, pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum opportuna asyla esse voluerunt. Id Magno Constantino ita fuit infixum ut publica Sanctione declaraverit in *L. Unica Cod. Quando Imperator inter pupillos &c. Quod si pupilli* vel

vel viduæ, aliique fortunæ injuria miserabiles, judicium nostræ serenitatis exaverint, præsertim cum alicujus POTENTIAM *exhorrescunt, cogantur eorum adversarii examini nostro, sui copiam facere.*

Hinc & pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum, sub violentia potentiori gementium est perpetuum, etiam his temporibus privilegium, ut adversarios suos, in prima quoque instantia ad Curiam Principis, in jus vocent: *Ubi & innocentia profugium, & calumniatores jus possunt invenire districtum*, uti loquitur Theodoricus Rex, apud Cassiodorum *lib. 4. Cap. 9.* Quapropter recte notat Franciscus Salgado *in Tract. de Protectione Regia, parte 1. Cap. 1. Prælud. 5. num.* 310. quod cognitio de violentia & oppressione subditorum, eorumque defensio & protectio *non competat Regibus supremis ex Privilegio Romani Pontificis, sed ex juris naturalis instinctu, ratione, & principio. Naturale attributum est* (ait) *propriumque Regis Officium, inhærens regimini, a quo avelli non potest, nisi simul ex iis causis, quibus Regimen & Regnum tolli potest; & tunc non per se tollitur, sed tamquam substantia, medulla, anima, & qualitas totius sui subjecti.*

Non immerito proinde Principes hanc subditorum suorum protectionem, tamquam proprium, imo primum numerant sui Diadematis Regalis ornamentum, uti bene notavit Annæus Robertus *lib. 3. Rerum Judicat. Cap. 1.* ita scribens: *Hoc jus* (protectionis) *tanta dignitate commendare voluerunt Majores nostri, ut licet nomen* Regaliæ *generale sit, multaque sua universali appellatione comprehendat, tamen huic uni rei, præter cetera Regii Sceptri jura, eximia quadam speciali prærogativa, Regalia appellationem tribuere, visum est.*

Hinc citatus *Salgado* in Supplicatione ad Sanctissimum *parte 1. Cap. 1. num. 109.* notat post Cancerium, Covarruviam aliosque ibi citatos, quod Regalias, quæ competunt Regi, in signum supremæ jurisdictionis, ut ad ipsum appelletur, & per *Oppressos* ad eum recurratur, Princeps a se abdicare non potest, & sic sunt impræscriptibilia: additque *num. 110.* ex citatis ibidem Doctoribus: *Regem non posse sibi auferre supremam Regaliam recurrendi ad eum, nisi Regiæ Sedi renuntiet.*

§. II.

Protectio Regia etiam Ecclesiasticis concedenda.

Clerici aliæque personæ Ecclesiasticæ licet specialiter Dei & Ecclesiæ obsequio, vi suæ vocationis, sint adstricti, nihilominus manent Reipublicæ membra, ac tenentur Regibus ac sublimioribus potestatibus obedientiam fidelitatemque præstare.

Hinc & Principes ipsis tamquam subditis non secus ac Laicis obligantur officium suæ protectionis impendere; uti bene monet Franciscus *Salgado*, de Protectione Regia, *part. 1. Cap. 1. Prælud. 2. num. 76. Rex tenetur tam Clericos & Ecclesias, quam Laicos tueri, cum sint pars, membra, & Cives Reipublicæ temporalis, quæ sub tutela Regis est.*

Imo, uti recte citatus *Salgado* ibidem reflectit *num. 72. Defensio Regia potius convenit Ecclesiæ & Ecclesiasticis personis quam aliis, quia arma non ferunt.* Aitque ibidem ex Belluga *n. 77. Manus Regia murus est Ecclesiæ, pax Clericorum, salus populi, vita vasallorum, caput subditorum, tutor Reipublicæ, propugnaculum, & Præsidium Christianæ Religionis.*

Pluribus probat dictus Author, *Præludio 3.* quod *Princeps temporalis supremus omni jure naturali, divino & positivo & consuetudine immemoriali teneatur a violentiis personas Ecclesiasticas sibi subditas protegere*, uti sonat primum illius Præludii Summarium.

Hinc & tamquam indubitatum infert, Clericis fas esse, pro violentiis tollendis ad Regiam protectionem recurrere, & a Rege seu ejusdem Senatu remedium, quo liberentur ab oppressionibus, implorare.

Quod si violentiam Clericis ab ipsomet *Judice Ecclesiastico* inferri contigerit, tunc vel maxime necessarius sæpe erit recursus ad Regem ut ab illa liberetur oppressus, & potentiori defensione muniatur, uti bene notat citatus Salgado *Prælud. 4. num. 192. Ceteris enim violentiis* (ait) *hæc quæ a Judice fit, major est & atrocior, cum sub se-*

curo

euro, & superioritatis, ac jurisdictionis praetextu facillime deliberari possit, ad hujusmodi vim inferendam.

Et nonnullis in asserti sui probationem adductis concludit: *Igitur cum Judices tot intolerabiles violentias & oppressiones suae majoritatis & jurisdictionis occasione committant, justissime multo fortius poterit Rex illis resistere, & oppressis naturalem defensionem praestare, cujus proprium officium est.*

Et late deducit *Matta*, de Jurisd. *part.* 1. *Cap.* 48. *Attributum Principis in protegendo vi oppressos praesertim procedere in Ecclesiasticis personis*, addita hac ratione: *Quia res & Personae Ecclesiasticae nequaquam in tuto esse possunt, nisi eas & Regia & Sacerdotalis potestas regat.*

Non mirum proinde, hunc Clericorum adversus violentias, quas a Judicibus Ecclesiasticis patiuntur, ad Regios Senatus recursum, omnium pene Regnorum Catholicorum usu probatum esse.

Didacus *Covarruvias*, qui a 200. circiter annis scripsit, testatur, *Pract. qq. Cap.* 35. *num.* 3. quod *in Regia & Castellana Republica illud observantissimum sit, & diu obtinuerit, a tempore quod memoriam hominum excedit, posse ab his, qui a* JUDICIBUS ECCLESIASTICIS *vi & censuris opprimuntur, Regios Auditores, & Consiliarios, qui apud Regia suprema praetoria litigantibus jura reddunt; omnino adiri, ut vim auferant, & compellant Judices Ecclesiasticos, ab ea inferenda cessare.*

De consuetudine & praxi ejusdem recursus ad Regia Tribunalia a tempore *immemoriali* in Regno Aragoniae testatur Josephus *Sese*, J. U. Doctor, in Tractatu *De Inhibitionibus & executione privilegiata*, ac signanter *Cap.* 8. §. 3. ubi *num.* 69. recte advertendum monet, quod *Rex aut Regius Senatus non se intromittat in his oppressionibus, conditionaliter, & in modum ordinariae jurisdictionis; neque ut causam definiat, quae ad se forsan non pertinet, sed per modum extraordinariae defensionis, ut vim repellat, propulset, & oppressum sublevet, & Ecclesiasticum quodammodo reducat ad viam justitiae & tramites legitimos.*

Quin & testatur dictus Author citato *Cap.* 8. §. 4. *num.* 1. quod super justitia hujus recursus ad Regia Tribunalia pro comprimendis violentiis Judicum Ecclesiasticorum, *Consulti fuerint* MULTI *doctissimi viri, tam Theologi, quam Jurisperiti, in hoc Regno Aragoniae, quorum responsa, (ait) ipse vidi, legi & maxime notavi, &* OMNES *illi* UNO ORE *& lingua fatentur, & maximis authoritatibus fundatum relinquunt, hos recursus licite interponi ad effectum tantum ad tollendam violentiam . . . . . Et dicunt concludentes, fundamentum violentiae id solum operari & inducere, ut scilicet Judex Secularis vim tollat extrajudicialiter & per modum extrajudicialis & caritativae defensionis, aliqua tamen cognitione adhibita circa violentiam, non autem judicialis ordinariae cognitionis: ex hoc inferentes, eos, qui intra justos limites, recursus fecerint ad Judices Seculares pro manutentione suae possessionis, nullas incurrere Censuras, cum id fiat ad nudum auxilium duntaxat pro tollenda violentia, quod de jure naturali permissum est, immutabile & perpetuum.*

Testatur quoque post alios Ipse *Salgado*, de protectione Regia *parte* 1. *Cap.* 1. *Praelud.* III. *num.* 171. *in supremo Senatu Regni Galliciae dari recursus ad propulsandas per viam violentiae illationes ab* ECCLESIASTICIS *& Religiosis, non solum in profanis, sed &* SPIRITUALIBUS; *quam cognitionem* (ait) AUTOORDINARIO, *Pragmatici vocant.*

De Regno Galliae nihil est quod dicamus: quia notum nimis est, Regem, sive Parlamenta Regia, nihil habere antiquius, quam titulo *possessorii*, & appellationis tamquam *ab abusu* aliisque mediis subditos, tam Ecclesiasticos quam Laicos, a violentiis & oppressionibus, etiam Judicum Ecclesiasticorum, vindicare; eamque praxim jam a suo tempore consuetudine *immemoriali* in hoc Regno obtinuisse testatur, qui a 200. annis scripsit Guilielmus Benedicti, Parlamenti Tholosani Praeses, in Doctissimo suo Commentario ad *Cap.* RAYNUTIUS ☩ *De Testam.* verbo *& uxorem nomine Adelam*, *num.* 331. quem & a Martino Papa V. per Bullam asserit probatum fuisse: quod & testatur *Guido Papae Decisióne* I. ibidem integram hanc Bullam referens.

Nihil quoque notius, quam Principes no-

nostros, ac notanter hunc supremum Brabantiæ Senatum, ab omni ævo protectionem suam oppressis seu Laicis, seu Ecclesiasticis, summa Benevolentia concessisse; ipsosque Clericos omnis conditionis ac dignitatis, quantumvis eminentis, ad hunc vestrum Senatum, tamquam tutissimum, omnibusque expositum oppressorum asylum confugisse; idque juxta antiquissimas tabulas legum hujus Ducatus Brabantiæ, vulgo *Den Landt-chartre*, Joannis Ducis de anno 1312. quibus *art.* 17. declarat, quod velit *ut Monachi, Moniales, Presbyteri & qualescumque Religiosi, si quomodo* OFFENDANTUR, *ad ipsius Ducis Judices pertineant, nimirum* ut ab injuriis & violentiis liberentur.

Hanc protectionem unice coram hoc Senatu implorat Supplicans, neque vult doctrinæ suæ examen, aut morum correctionem ejusdem calculo subjicere, aut eo prætextu legitimum suorum Superiorum super illis Judicium aut Censuram evadere, sed de sola violentia illata cognosci postulat, seque contra illam hujus Regii Senatus authoritate muniri.

§. III.

Manutenentia Regia est species protectionis Regiæ.

Interdicto, *uti possidetis*, successisse judicium possessorium, quod *Manutenentia* dicitur, ex *Dambaudero* notatum est, Capite præcedenti §. 2.

Ac deinde ostensum, unicum hujus judicii Possessorii scopum esse, pacificos Possessores in sua possessione protegere, contra quamcumque turbationem *facti*, sive violentiam, quoadusque via juris sua possessione excidisse, aut ea merito privandi seu exuendi judicentur.

Unde uti ibidem ex *Dambaudero* observavimus, manutenentia revera est *quadam provisio, imo verius quoddam Principis vel Concilii sui beneficium, quo pacificum possessorem, metuentem tamen ex ea ejici aut exturbari, in eadem sua quieta possessione tenet, servat, & quasi sua* MANUTENENDO, *sua authoritate tuetur.*

Evidens est, *Dambauderum* nequaquam dubitasse, quin manutenentia esset species *protectionis Regiæ*, qua nimirum ipse Rex ejusve Senatus pacificos possessores contra turbationes *facti* sua authoritate protegit amovendo & tollendo omnem violentiam, qua dicti possessores contra juris ordinem, in sua possessione turbantur. (*a*)

Hæc enim protectio danda est contra omne id quod fit incompetenter vel contra regulas Justitiæ, quod omne sapit violentiam, ad quam arcendam Reges gladium portant, per quemcumque & quibuscumque subditis inferatur.

Hinc & uno consensu, Authores de protectione Regia tractantes, atque Regiis Senatibus cognitionem de *violentia*, etiam inter Ecclesiasticos, asserentes, huic protectioni adscribunt, tamquam illius speciem, judicium Possessorii; probatque *Salgado*, prædicto *Prælud.* 3. *num.* 175. consuetudinem cognoscendi de *violentia* inter Ecclesiasticos, in ordine ad eamdem, Regia authoritate tollendam, esse probatam in Bulla Martini V. Papæ, relata ut supra dictum per *Guidonem Papa Decis.* 1. tametsi hæc Bulla solum loquatur de Consuetudine immemoriali, qua Rex Galliæ de possessorio cognoscebat non dubitans, quin hæc cognitio possessorii eadem esset cum illa, qua Reges cognoscunt de *violentia*, in ordine ad protectionem suam subditis largiendam.

Perspicuum hinc est, hanc manutenendi authoritatem non ex aliquo privilegio, aut jure

(*a*) (*Additamentum propria manu Espenii in Exemplari impresso exaratum.*)
„ Id ipsum etiam sat clare docet *Covarruvias*, „ Pract. qq. Cap. 35. n. 2. sub finem, versu sexto; „ cum id probare nitatur quod Judices Regii ex„ traordinarie de causa possessoria in Beneficialibus „ cognoscant, *in qua* (ait) *de possessione Beneficii* „ *disputatur ad effectum ut quieta respublica, &* „ *ne fiat alicui injuria & violentia, aut ne debita* „ *possessione, quam obtinebat, expolietur.* Hoc enim „ etiam in Neapolitano Regno semper fieri testatur „ Matthæus de *Afflictis*, Decis. 24. scribens in „ hoc judicio potius agi de defensione extrajudi„ ciali, quam de judiciali ordinaria cognitione; „ quia tantum id agitur quod quis restituatur ad „ possessionem; qua inique & per violentiam fuerat expoliatus a Judice Ecclesiastico. „

jure mere positivo Regiæ authoritati, & huic supremo Senatui eamdem repræsentanti, fuisse concessam, sed Regibus propriam esse, ipsorumque Regali Officio naturaliter annexam: neque ab ipsa Regia Dignitate & Juribus Majestatis magis divelli posse ac abjici, quam possit ipsa oppressorum protectio, quæ præcipua & indivulsa ac inseparabilis supremæ & Regalis Majestatis est portio, uti supra ostensum est.

Proinde non minus vere de hac protectionis specie, qua pacificis possessoribus sua possessio asseritur, dici poterit, quam de simili specie protectionis Regiæ dixit Didacus *Covarruvias*, Pract. qq. *Cap.* 35. *num.* 3. *Quod si quis contendat a Principibus secularibus hanc tollere potestatem, statim, non quidem sero comperiet experimento* MANIFESTISSIMO, *quantum calamitatis Reipublicæ invexerit.*

Non est quod hæc veritas huic perspicacissimo Senatui pluribus persuadeatur: cum ipsum minime lateat, quantum Reipublicæ, notanter Ecclesiasticæ, calamitatis invexerint, quantaque Ecclesiasticorum oppressorum murmura, quantas rixas & contentiones excitarint, qui nuper variis fraudibus & artibus supremis potestatibus obrepentes, impedierunt, procuratis pluribus Interdictis, ne hanc suam authoritatem Vester Senatus Ecclesiasticis oppressis impenderet, eosque a sibi factis violentiis authoritate protegeret, & in sua possessione manuteneret.

§. IV.

Protectio Regia impendenda Ecclesiasticis contra violentias Judicis Ecclesiastici pendente recusatione procedentis.

Per recusationem Judicis suo tempore, debitaque forma propositam, non secus atque per interpositam appellationem suspendi jurisdictionem Judicis recusati, saltem quousque de causis recusationis secundum formam & Statuta Canonica judicatum fit, concors est Doctorum sententia, inviolabili praxi comprobata.

Unde & notant, ob hanc appellationis & recusationis consonantiam, unum & eumdem esse titulum Decretalium *de Appellationibus & Recusationibus*.

Hinc unanimi voto concludunt *quod cum sicut per appellationem ita & per recusationem Judicis suspendatur ejus jurisdictio, ne possit in causa, in qua recusatur, ad aliquem actum procedere, & si processerit, processus sit* NULLUS, uti loquitur *Andreas Vallensis*, in Paratitlis Decretalium, ad *tit. de Appellat.* §. 18. *num.* 1. monetque §. 19. *num.* 5. *Quod Judex recusatus non assimiletur ei a cujus* INTERLOCUTIONE *duntaxat est appellatum, sed ei cui post appellationem ab interlocutione per Judicem provocatum, facta est* INHIBITIO *ulterioris prosecutionis; quasi, uti ibi hominis, ita hic inhibitio sit juris: constat autem omnia acta post inhibitionem esse ipso jure nulla*. *Cap.* NON SOLUM, de appellat. in VI. Id ipsum iisdem pene verbis tradit *Wamesius*, ad *Cap.* CUM SPECIALI, 61. *X de Appellat.*

Et Petrus *Rebuffus*, in suo Tractatu de *Recusationibus art.* 6. ait, hodie indubitatum esse, *quod Judex post recusationem propositam non possit de principali cognoscere, & si cognoverit processum esse nullum: quia recusatus omni jurisdictione privatus censetur: ideo quidquid postea facit, censetur facere tamquam privatus non habens jurisdictionem*. Id ipsum latius prosequitur Hieronymus de *Cevallos*, *Tract. de* COGNITIONE PER VIAM VIOLENTIÆ *quæst.* 14. notans *num.* 28. *Rotam* sic sæpius judicasse.

Si igitur Judex recusationi deferre recuset, eaque non obstante procedat, censendus erit procedere *via facti*, & violentiam inferre, non secus ac Judex, qui appellatione legitime interposita, nihilominus in causa pergeret, & sententiæ executionem, pœnarum ac censurarum inflictione vel comminatione, promoveret.

Cum ergo Regi ejusque supremis Consiliis jus sit subditos suos etiam Ecclesiasticos, adversus quascumque violentias & attentata protegendi; indubie etiam contra hanc Judicis recusati violentiam & attentata protectio Regia danda, & Ecclesiasticis pandendus ad Regem recursus.

Et quidem recursum ad Senatus Regios con-

contra Judices Ecclesiasticos non deferentes appellationi interpositæ, in omnibus Regnis Hispaniæ receptum, & lege Regia firmatum esse, testantur illorum Regnorum Pragmatici; atque inter alios Didacus *Covarruvias*, *Pract. qq. Cap.* 35. *num.* 3. Citata enim lege Regia, qua modus præscribitur, qui in tollendis violentiis per Judices Ecclesiasticos illatis, a Senatu servandus est, subjungit: *Nam ubi lis agitur apud Judicem Ecclesiasticum etiam inter Ecclesiasticos, qui per sententiam condemnatus appellavit, Judexque non vult deferre appellationi, & ideo pro executione multis afficitur Censuris & gravaminibus, conqueritur simplici querela coram Regiis Auditoribus, ex eo quod non deferatur appellationi, quam ad Sedem Apostolicam proposuit: tunc sane statim ex sola simplici querela dantur litteræ Regiæ, quibus præcipitur Tabellioni sub certa pœna, quod intra breve tempus mittat ad Curiam acta causæ & processum: & rogatur Judex Ecclesiasticus, ut absolvat excommunicatum ad aliquot dies, qui sufficiant missioni & examinationi processus; quod si contumax Judex sit, dantur secundæ litteræ ac tandem tertiæ, & id agere cogitur pœnis quibusdam.*

De hoc recursu ejusque forma & effectu plenissime tractat Franciscus *Salgado*, in suo Tractatu *de Protectione Regia*, unice pene de hac protectionis specie conscripto, asseritque *parte* 1. *Cap.* 1. *num.* 5. *frequentiori* modo ad Regem & ejus Tribunalia suprema recurri ad tollendam hanc violentiam.

Ut autem de violentia Senatui Regio constet, solet hic mandare Judici Ecclesiastico, qui violentiam intulisse prætenditur, ut acta Originalia in Curia reponat, ex quibus cognosci queat, num violentia inferatur interpositæ interpellationi non deferendo, & contra eam attentando: quam actorum originalium exportationem, ad effectum cognoscendi ex eis, an violentia facta sit, licite per Principem imperari posse, post *Covarruviam* supra relatum, probat pluribus citatis Authoribus *Salgado*, in allegato Tractatu, *de Protectione Regia parte* 1. *Cap.* 2. *num.* 96.

Viso autem processu, & visis actis causæ TANTUM *illud agitur, an justa ille Judex deferre noluerit appellationi*, uti monet *Covarruvias*, loco citato; sive solum cognoscit de *violentia*, ut ubi de illa constiterit, Authoritas Regia *vim repellat, propulset & oppressum sublevet & Ecclesiasticum quodammodo reducat ad viam justitiæ, & tramites legitimos, deferatque appellationi justæ*, uti loquitur *Salgado*, citata *parte* 1. *Cap.* 1. *Prælud. V. num.* 194.

Nec enim ait citatus *Covarruvias*, *Regii Consiliarii cognoscunt de Justitia appellationis ad Summum Pontificem deferendæ, ad hoc ut ab illis sententia confirmetur vel revocetur, sed tantum ut* TOLLATUR VIS *illa, quæ a Judice Ecclesiastico injustissime fit appellanti, dum eum Censuris Judex opprimit pro Executione sententiæ, quæ nondum transivit in rem judicatam pendente appellatione ad Summum Pontificem proposita, cui tenebatur Judex omnino deferre juxta Canonicarum Sanctionum Decreta.* Id ipsum monet Josephus *Sase*, *De inhibitionibus Cap.* 8. §. 3. *num.* 70.

Si visis actis compertum sit, quod justa fuerit appellatio, quodque Judex ei non deferendo vim inferat, *tollitur illa vis & injuria, quæ adversus sacros Canones & authoritatem Sedis Apostolicæ fit Appellanti ad eamdem; & præcipitur illi Judici, quod appellationi deferat, & absolvat excommunicatum, omniaque acta post appellationem retractet ac reducat in eum statum, in quo erant tempore appellationis & sententiæ*, ait *Covarruvias* loco citato; ac pluribus in allegato Tractatu prosequitur *Salgado*.

Hic vero Forensis usus (ait *Covarruvias*) *non tantum in his Castellanis Regis Hispaniarum ditionibus & Principatibus, sed & apud Gallos, aliosque Christianæ Reipublicæ seculares Principes est receptissimus:* de quo generali usu etiam testatur Martinus *Navarrus*, ad *Cap.* CUM CONTINGAT *de Rescript. Remed.* 3.

Et omnium pene Catholicorum Regnorum, citatis Authoribus, eumdem ubique probatum docet *Salgado part.* 1. *Cap.* 1. *Prælud.* 3. *num.* 159. & sequentibus.

Idem *Salgado* recte probat *Cap.* 6. *num.* 19. quod ad hanc protectionem implorandam sufficiat sola denegata delatio appellationi sine ulteriori processu aut attentato, *quod ex denegata delatione justæ appellatio-*

lationi, *manifeſte deducta*, *dicitur Judicis deliberatio aut determinatio vim cum effectu inferendi; ac propterea*, & *quod ipſa denegatio ſit violentiæ pars integralis*, & *principium violentiæ ſufficiens ad auxilium* & *Regiam protectionem invocandam*.

Cum vero non minus attentet Judex procedendo in cauſa poſt recuſationem legitime propoſitam, quam procedendo ad executionem ſuæ ſententiæ appellatione interjecta, dubitari nequit, quin hæc attentata per Judicem recuſatum, huic recurſui ad Senatum Regium æque viam aperiant, quam attentata per Judicem poſt legitime interjectam appellationem.

Unde ſupra citatus Hieronymus *Cevallos*, dicta *quæſt.* 14. tamquam indubitatum tradit, violentiam illatam a Judice procedente poſt propoſitam *recuſationem* præbere recurſum ad Regium Senatum, non ſecus atque attentata poſt interjectam appellationem, altque *num.* 24. quod *Judices Regii in hoc caſu habeant cauſæ cognitionem*, *an recuſatio ſit juſta vel frivola*, *cum ſine hac cognitione articulus violentiæ examinari non poſſit*.

Verum, Ampliſſimi Viri, opus non erit moleſta aut longa indagine, num recuſatio non ſemel, ſed tertio per Supplicantem contra perſonam D. Archiepiſcopi propoſita, ſit juſta vel frivola.

Sola quippe facti ſpecies, & annexa, ipſeque libellus recuſationis huic Senatui exhibitus, adeo manifeſtam evincunt hujus recuſationis juſtitiam, eamque tam evidentibus ſolidiſque rationibus ſubnixam oſtendunt, ut auſim aſſerere, nullam umquam veſtro Senatui adeo gravibus tamque ponderoſis argumentis firmatam recuſationem fuiſſe propoſitam.

Manifeſtum & hinc erit perſpicaciſſimo Senatui, quam juſtus ſit fundatusque Supplicantis ad eum recurſus, ut Regia protectione contra violentiam Judicis recuſati, muniatur; omniaque violente contra ipſum, ab interpoſita recuſatione attentata, revocari & caſſari jubeantur; & contra ulterius metuendas violentias ſibi caveatur, facta D. Archiepiſcopo inhibitione quidquam contra Supplicantem attentandi, quouſque de recuſatione ſit Canonice judicatum.

§. V.

Protectio Regia etiam ſe extendit ad violentias occaſione Cenſuræ Eccleſiaſticæ illatas.

Sapientiſſime reflexerunt Patres Concilii Trident. *Seſſ.* 25. *Cap.* 3. *de Reformat.* *Quod quamvis excommunicationis gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ*, & *ad continendos in officiis ſubditos valde ſalutaris*, *ſobrie tamen*, *magnaque circumſpectione exerendus ſit*; *cum experientia doceat* (inquiunt) *ſi temere*, *aut levibus ex rebus incutiatur*, *magis contemni*, *quam formidari*, & *perniciem potius parere quam ſalutem*.

Quam frequentes levibusque ex cauſis excommunicationes, aliæque Eccleſiaſticæ Cenſuræ poſterioribus ſeculis emanarint, quantaque exinde & in Eccleſiam & in Rempublicam pernicies, atque in populo ſcandala, & etiam innocentium oppreſſio & injuria emanarint, evincitur ex ipſiſmet Pontificum & Conciliorum Decretis, quæ corpori Canonico inſerta leguntur, quæ limites, formamque in ferendis Cenſuris præſcribunt; ut vel ſic tantis, & tam multiplicibus abuſibus occurreretur.

Et ſane cum cenſurarum inflictio & uſus dependeat a poteſtate Clavium, quarum uſum Chriſtus Eccleſiæ ejusque Miniſtris commiſit, etiam ad hos præcipue pertinet formam & limites in eis ferendis præſcribere, & abuſus in iis ferendis ſenſim inductos corrigere, deque earum validitate judicare.

Nihilominus, quia Regi ejusque Supremis Senatibus ſemper ſalvum manet, ſubditos ſuos oppreſſos contra violentias protegere, ſi contingat Judices Eccleſiaſticos hac ſua poteſtate abutentes, ſubditos Regis his cenſuris violenter opprimere, aut Rempublicam turbare; nequaquam ab officio Regis alienum eſt, etiam illis contra has violentias Regiam protectionem annuere & manum auxiliatricem extendere.

Et quidem vidimus Paragrapho præcedenti ex *Covaruvia*, in Hiſpania uſum eſſe a tempore *Immemoriali*, quod ſi Judex Eccleſiaſticus rejecta appellatione rite interpoſita, ſententiam ſuam exequatur, condemnatum-

natumque & appellantem *Censuris* afficiat; tunc Senatus Regius, postquam de violentia cognoverit, præcipiat Judici, ut excommunicatum absolvat.

De eadem praxi in Regnis Hispaniæ, & quidem expressa lege Regia firmata, testatur Hieronymus de *Cevallos*, *Tomo* 3. *quæstionum practicarum*, *quæst.* 897. Et ibidem *num.* 126. huic praxi objicit hæc verba Concilii Tridentini, citato *Capite* 3. *Nefas sit seculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Judici ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet, sub prætextu quod contenta in præsenti Decreto non sint observata, cum non ad Seculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Respondet autem Cevallos, *Illa verba intelligenda esse, quando Judex Secularis intendit cognoscere principaliter vel incidenter in casu Appellationis de sententia lata a Judice Ecclesiastico, vel si potuit, vel non potuit Ecclesiasticus cognoscere vel excommunicare, secus vero quando ipse cognoscit* PER VIAM VIOLENTIÆ *in casu legis Regni: quia tunc de jure & consuetudine talis cognitio pertinet ad Judices Regios, & illud dicitur proprie officium Regis jure naturali concessum.*

Eamdem praxim, & legem Regiam praxim hanc firmantem, multis propugnat Franciscus *Salgado*, toto suo Tractatu de protectione Regia, respondetque *parte* 1. *Cap.* 1. *Prælud.* 5. *num.* 227. sub prædictis generalibus verbis *Concilii Tridentini non esse comprehendendum tam salubre remedium, & caritativum subsidium, miseris & oppressis specialiter a Jure Canonico ex ratione, & principiis juris naturalis, & Divinis permissum, longo usu immemoriali conservatum; super quo, cum Tridentinum nihil specialiter inducat, sed generaliter potius disponat, hanc limitationem a jure approbatam debet accipere.* Quam solutionem pluribus citatis Authoribus latius prosequitur.

De eadem praxi in Regnis Hispaniæ usitata late agit idem Author in Tractatu de Supplicatione ad Sanctissimum, ac signanter *parte* 2. *Cap.* 24. Enumeratis enim nullitatibus excommunicationis ex variis titulis resultantibus, puta ob defectum legitimæ promulgationis, vel jurisdictionis in excommunicante, ut quod Legatus aut Nuntius Apostolicus excommunicaverit in casibus, in quibus ostenditur dispositio Concilii Tridentini, reservantis primam instantiam Ordinario, vel ante præsentatas, aut intimatas litteras suæ commissionis; subjungit *num.* 53. & 54. *Quod in omnibus his casibus Senatus vim tollendo, & taliter oppressis occurrendo reiinet litteras monitoriales, & censuras tangentes & remittit causam principalem Ordinario, atque insuper acriter fert audaciam Tabellionum has intimationes facientium, atque eos & omnes participes, & agentes severe punit. Clericos* EXTRANEOS AB HIS REGNIS *declarat, eorum* TEMPORALITATES OCCUPAT, *laicosque gravibus pœnis afficit, atque partem ipsam, quæ attulit vel excommunicationem vel declarationem, vel cedulones etiam in forma probante in prædictis casibus, aut ea carentes,* AD CAUTELAM *compellit omni juris rigore, ut suis expensis afferat absolutionem excommunicatorum, etiam nulliter* AD CAUTELAM.

Hæc *Salgado*, qui ibidem *num.* 56. dicit ex Henriques Theologo e Societate Jesu, *quod generaliter in omnibus casibus in quibus violentia committitur per Judicem aut Executorem Romanæ Curiæ* EXCOMMUNICANDO PARTEM, *& in his partibus non reperiatur Judex ipse, qui absolvat; tunc Senatus Regius compellit partem vel ejus factores, ut suis expensis afferat dictam absolutionem a Romana Curia vel alias.*

Similiter si a Judice Ordinario violentia inferatur per excommunicationem aliasque censuras, puta si excommunicatio feratur a Judice post interpositam appellationem, aut pendente ejusdem recusatione; Senatum Regium pariter interponere suam authoritatem ad violentiam tollendam, ibidem notat *Salgado.*

§. VI.

Eadem praxis in Gallia.

De prædicta praxi & usu Regni Franciæ testantur, non tantum recentiores, sed & antiquissimi illius Regni Pragmatici.

Atque inter ceteros Joannes *Galli*, Advocatus Regius, qui a 300. & amplius annis

nis scripsit, refert *quæstione* 352. *Per arrestum fuisse condemnatum Episcopum Cenomanensem, ad faciendum filium* Ponceti *dehumari, qui fuerat* UT EXCOMMUNICATUS *per Officialem dicti Episcopi in campis humatus, nec non ad faciendum dictum* Poncetum *absolvi, quia pendente lite, & post inhibitionem Episcopo & ejus Officiali factam, ne contra ipsum procederent, in contemptum processus pendentis inter Episcopum antedictum coram Ballivo Cenomanensi, & appellationis in Parlamento pendentis, &* dictus Poncetus *Pater fuerat excommunicatus, & ejus filius ut excommunicatus in campis inhumatus.*

Et Arnulphus *Ruzæus*, in Curia Parisiensi Consiliarius, in Tractatu de Regalia, *Privil.* 26. *num.* 12. testatur quod suo tempore in Registris Curiæ Parlamenti reperiretur, *quemdam nomine De Perieriis, Auditorem Rotæ, qui citaverat provisum in Regalia in Curia Romana fuisse condemnatum in tribus, videlicet* AD REVOCANDUM CENSURAS, *& fulminationes authoritate Apostolica, tamquam contra legem sacram totius Regni, factas. Secundo ad delegationem impetrandam certis Judicibus in partibus Regni, pro absolutione eorum, qui sententia excommunicationis innodati erant. Tertio ad restituendum integre Beneficiorum fructus & interesse, quibus erant privati, propterea quia juri Regaliæ, & non provisioni Apostolicæ adhæserant, & donec omnia complerentur,* CARCERI MANCIPATUS EST: *volens Senatusconsultum Parif. quod adsit clausula, & Papa utatur hoc verbo,* REVOCAMUS; *& cetera inde secuta pro infectis habentes: quod arrestum pronuntiatum est anno* 1494. *pro præbenda Tornacensi.*

Imo praxim hanc inter libertates Ecclesiæ suæ referre non dubitant Galli, uti videri potest apud Pitheos in probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, cujus Caput sextum inscribitur: *Monitions & excommunications de diverses sortes, declarées abusives*, ubi plura variis temporibus prolata Parlamentorum Regiorum arresta proferuntur, quibus Episcopi aliique condemnati fuere, censuras suas revocare aut suspendere tamquam abusive aut nulliter prolatas.

Atque inter alia refertur *num.* 4. quod anno 1408. Episcopus Aniciensis (*Du Puy*) prohibuisset sub pœna excommunicationis, ne quis in die festo mercaretur, & cum ab hoc decreto per Status Patriæ appellatum esset ad Parlamentum Regium, dictum fuit, partes debere contestari ac rationes suas allegare, ac una dictum: *Que ledit Evêque sera contraint par la prinse de son temporel. Et defend ladite Cour audit Evêque, sur la peine dessus dite, qu'il ne fasse pendant ledit proces aucunes, telles ou semblables excommunications.*

Et *num.* 5. refertur, quod cum anno 1409. penderet lis inter Procuratorem Regium, & quemdam Guilielmum *Martroy* ab una, & Archiepiscopum Remensem ex altera partibus, coram Parlamento Regio, inhibitum fuisse dicto Archiepiscopo, ne pendente hac instantia prædictum Guilielmum alio in judicium trahat; *Et pour ce que pendant ledit procès ledit Archevêque à prins executoire de la sentence obtenue en Cour de Rome qu'il a fait executer, & a fait ledit Guillaume* DENONCER POUR EXCOMMUNIE, *ledit Archevêque sera contraint par prise de son temporel de surseoir de la dit execution, & de faire absoudre ledit Guillaume, & si condamne ledit Archevêque envers le Roy en amende de cent livrees Parisis.*

Ad hæc refertur *num.* 6. casus præsenti casui non plane absimilis. Cum enim quidam Gerardus *Oudet* obtinuisset sententiam super possessorio cujusdam Pastoratus contra quemdam Nicolaum *Menu* Presbyterum coram Præposito (*Prevost*) Parisiensi; atque dictus *Menu* impetrasset & publicasset citationes, monitiones, fulminationes & censuras Apostolicas contra dictum *Oudet*, hic recursum habuit ad Parlamentum Regium, concludens, ut dictus *Menu* cogeretur per corporis & bonorum apprehensionem facere revocare, cassare & annullare dictas citationes & fulminationes, idque suis expensis; & ut ipse *Oudet* restitueretur in possessione & exercitio dictæ Curæ, prout fuerat ante executas dictas censuras abusive factas. Regii Judices omnibus mature examinatis & discussis, *ont condamné & condamnent ledit* Menu *à faire casser, revoquer & annuller à ses propres cousts & de-*

& depens lesdites citations, monitions, fulminations & censures Apostoliques, qu'il a fait fulminer & executer contre ledit Oudet..... *Et au surplus ont ordonné & ordonnent iceux Presidens, que jusqu'es à ce que icelui* Menu *ait certifié deüement ladite* Cour, *ou lesdits Presidens d'avoir faire revoquer, casser & annuller lesdites citations, monitions, fulminations, & censures Apostoliques, il sera rendu à l'Official de Paris, pour lui faire & parfaire son procès à la charge du cas privilegié; & defendent iceux Presidens audit Official de ne proceder à la delivrance dudit* Menu, *sans appeller aucuns Conseillers d'icelle Cour, à ce commis pour assister audit procès, par devant lequel Official ledit* Menu *se pourra aider de ses lettres de rehabilitation, & autres lettres par lui produites. Et au surplus ont ordonné & ordonnent lesdits Presidens, qu'en suivant lesdits arrests & sentences données par ledit Prevost de Paris ou sondit Lieutenant au profit dudit* Oudet: *icelui* Oudet *sera remis en la possession & joüissance d'icelle Cure d'Autresche, en l'etat qu'il étoit au temps desdites citations, fulminations, censures Apostoliques & appellations par lui interjettées d'icelles, & condamnent ledit* Menu *à depens de cette instance, la taxation d'iceux reservée par devers eux.*

Similia ibidem servato ordine temporis exhibentur arresta, quibus non tantum coguntur Episcopi aliique ad revocationem censurarum, eæque abusive latæ declarantur; sed insuper mandatur similibus censuris non deferri.

Ita anno 1502. cum quidam *Du Quesne*, monitiones, fulminationes & censuras impetrasset in Curia Romana contra quemdam *Charmoluc*, cui adjudicatum fuerat possessorium Canonicatus & Præbendæ in Ecclesia Audomarensi, nec non contra Præpositum, Decanum & Canonicos dictæ Ecclesiæ, Parlamentum non tantum injunxit dicto *Du Quesne*, ejusque agenti, procurare revocationem dictarum censurarum, sed insuper *La Cour fait defenses aux dits Prevost, Doyen, Chanoines & Chapitre, de non obtemperer aux dites censures & fulminations, & de ne cesser le Divin Office soubs ou au moins d'icelles.*

Similis inhibitio facta legitur Præposito & Capitulo S. Justi in civitate Lugdunensi, mandatumque ut censuris non obstantibus permitterent Præposito (contra quem censuræ erant fulminatæ) *assister au divin service & autres actes & droits qui lui appartiennent à cause de sesdites Prevosté & Prebende.*

Hanc praxim in Gallia etiam post Concilium Tridentinum perseverasse probant ibidem prolata Parlamentorum arresta, ac notanter alterum anno 1627. contra censuras promulgatas per Episcopum Verdunensem, & alterum contra censuras per Episcopum Burdigalensem anno 1645.

Episcopus Verdunensis Franciscus Lotharingiæ (*De Lorraine*) die ultima anni 1626. publicari fecerat *Monitoriales*, quibus monebantur primo, secundo & tertio omnes & singuli, qui quidquam attentaverant super bonis, ædificiis, juribus, jurisdictione, reditibus & proventibus Ecclesiarum aut Monasteriorum, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, nisi similia attentata cessent, & cessare faciant intra sex septimanas; quas pro omni termino ipsis assignat. Ulterius injungens sub simili pœna excommunicationis, ut intra tres menses reparent dicta attentata. Inhibens præterea, sub eadem pœna excommunicationis, quidquam simile in posterum attentari, eam ex nunc prout ex tunc infligendo omnibus, qui posthac quidquam contra prædicta jura directe vel indirecte per se vel alios attentabunt, aut ipsis auxilium vel consilium occulte vel publice præstabunt.

Ab his Monitorialibus Procurator Regius appellans tamquam *ab abusu* ad Senatum Regium, pro appellante admissus fuit, & mandatum per provisionem, quod dictæ Monitoriales locis publicis affixæ tamquam indebite & contra formas ordinarias factæ tollentur; & in locum dictarum Monitorialium præsens arrestum in prædictis publicis locis affigetur, ne ullus illius ignorantiam prætendere queat.

Episcopus hujus arresti & affixionis conscius, mox dictum Procuratorem tamquam jurisdictionis & immunitatis Ecclesiasticæ manifestum infractorem declaravit excommunicatum, & sententiam excommunicationis publicavit; inhibens omnibus suis subdi-

ſubditis cum dicto Procuratore Regio jam excommunicato communicare ſine ſua ſpeciali licentia.

Ab hac rurſus declaratione excommunicationis appellatum tamquam *ab abuſu*; atque ob gravitatem cauſæ, facta ſpeciali per Regem commiſſione Præſidi & ſupremo Senatui Metenſi, habita omnium actorum inſpectione, & omnibus diſcuſſis & plene examinatis, tandem 13. Februarii 1627. prodiit ſententia a Senatu Regio in hæc verba: *Avons caſſé, revoqué, & annullé les actes des pretendus monitoire & excommunication, ſigné François de Lorraine, comme abuſifs, ſcandaleux, remplis d'impoſtures, & faux faits, prejudiciables a l'authorité du Roy, repos & tranquillité publique, & ordonné que leſdits actes des pretendus monitoire & excommunication, ſeront lacerez & brulez, en la place publique de cette ville, par l'Executeur de la haute juſtice; & que ſi deſdits actes il ſe trouve quelque choſe d'ecrit & mis és regiſtres & greffe au dit Evêché, il en ſera tiré & ôté, ou tellement rayé & biffé, que rien n'en puiſſe paroitre, ou être leu à l'advenir: Avons fait & faiſons inhibitions & deſenſes à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, de retenir aucune copie deſdits actes des pretendus monitoire & excommunication, ainſi leur enjoignons de les apporter pardevers nous vingt-quatre heures aprés la pronunciation du preſent arreſt, pour être ſupprimés; même à tous Curez, Vicaires, & autres Eccleſiaſtiques, de les recevoir, publier, ou ſouffrir publier, ſous peine d'être punis comme criminels de leze Majeſté.*

Quin & ulterius addit: *Et pour reparation de tel attentat commis par icelui François de Lorraine Evêque de Verdun, ordonnons qu'il ſera mené ſous bonne & ſeure garde en la ville de Paris, pour ſatisfaire ſa Majeſté: & juſques à ce, le revenu de tous ſes benefices, & autres biens, mis ſous la main du Roy, & regis par commiſſaires, comme auſſi tous les offices du temporel de l'Evêché & Comté dudit Verdun, & autres benefices, ſeront exercez ſous la main du Roy, ſelon la forme qu'il ſera par nous ordonnée: condamnons ledit François de Lorraine Evêque dudit Verdun, à dix mil livres d'amende envers ſadite Majeſté.*

Hæc latius referuntur in citato Capite 6. Probationum Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ *num.* 21. & 22.

Et *num.* 23. refertur quod anno 1645. Archiepiſcopus Burdigalenſis excommunicaſſet Juratos civitatis S. Macarii, & Apparitorem (*Sergent*) Regium, ac inſuper interdixiſſet celebrare Divinum Officium in dicta civitate, & juſſiſſet auferri Venerabile ex Altari S. Martini in quo Miſſa Parochialis celebrari conſueverat, illudque juſſerit per Vicarium perpetuum iſtius Altaris deferri extra civitatem ad Eccleſiam Cordigerorum.

Ab hac excommunicatione, interdicto, & translatione Venerabilis appellatum fuit ad Parlamentum Burdigalenſe, atque in primis per arreſtum de 20. Martii 1645. juſſæ fuere partes conteſtari & rationes ſuas deducere, & injunctum proviſionaliter Archiepiſcopo, ut intra triduum ab intimatione arreſti daret abſolutionem ad *cautelam* his, qui in ſua ordinatione erant comprehenſi, atque levaret ſuſpenſionem & interdictum per dictam ordinationem inflictam.

Poſt hæc 4. Aprilis ejuſdem anni Parlamentum pronuntiavit in hæc verba: *A declaré & declare qu'a été mal, nullement, & abuſivement procedé en la citation, interdit & excommunication dont eſt queſtion, a ordonné & ordonne, que dans trois jours ledit deſendeur ou en ſon abſence ſes Vicaires generaux, caſſeront, revoqueront, & annulleront le mandement de la citation, ledit interdit, & excommunication: autrement, & à faute de ce faire dans ledit delay, & icelui paſſé, ils y ſeront contraints par ſaiſie de leur temporel, & autrement procedé ainſi qu'il appartiendra.*

Hoc arreſtum rurſus confirmatum fuit 11. ejuſdem menſis; injunctumque Vicario perpetuo facere functiones Paſtorales in dicta civitate S. Macarii & ad Altare Parochiale S. Martini in Eccleſia S. Salvatoris: & quod ad id faciendum cogendus eſſet per apprehenſionem temporalium aut alias prout conveniens judicabitur; uti ibidem hæc latius exprimuntur.

Ex his apparet notorius uſus Parla-

mentorum Regiorum in Regno Galliæ providendi subditis via protectionis contra indebitas & nulliter latas censuras.

§. VII.

Conformis est praxis Belgii.

Quantumvis Principibus nostris semper curæ fuerit, fartam tectamque servare jurisdictionem & authoritatem Ecclesiasticam; neque ea, quæ Clavium Ecclesiæ sunt, sibi attribuere, nihilominus ipsis, non minus ac aliorum Regnorum Principibus, subditos suos a violentiis tueri, & a Republica sibi credita turbationes & scandala arcere curæ fuit.

Hinc & usus Belgii, non minus quam aliorum Regnorum jam pridem obtinuit, ut Principes eorumve supremi Senatus etiam circa censuras ab Ecclesiasticis promulgatas aut promulgandas invigilarent, ne sub prætextu similium censurarum subditi per violentiam opprimantur, aut Respublica indebite vexetur & turbetur.

Ita Carolus V. harum Provinciarum Princeps prævidens, non modica scandala atque incommoda & contentiones exoritura, si sui Consiliarii & Ministri in exercitio suorum Officiorum per Censuras Ecclesiasticas vexarentur aut impedirentur, cavit Edicto suo de 4. Octobris 1540. ne Judices Ecclesiastici uti possint Censuris contra dictos Ministros in his quæ eorum Officium concernunt.

Et quid plura? Usum hunc inveteratum totoque Belgio receptissimum, tamquam aptissimum, imo necessarium medium ad servandam subditorum quietem, & tranquillitatem publicam, asseruerunt harum Provinciarum Regii Senatus, ac signanter Brabantinus in sua ad Decreta Concilii Tridentini Consultatione.

Priusquam enim in Belgio Decreta reformationis hujus Concilii promulgarentur, missa illa fuerunt per Margaritam Parmensem, tunc Belgium nomine Philippi II. moderantem, ad Consilia Regia & præcipuarum Civitatum Magistratus, ut si quid in iis contrarium crederent consuetudinibus, privilegiis Patriæ, aut juribus Regiis, id annotarent.

Examine facto, singula Consilia per speciales litteras ad Margaritam suas ad dicta Decreta notas miserunt; quas in compendium contractas exhibet *Antonius Anselmo*, in suo Triboniano Belgico *Cap.* 32.

Et §. 48. exhibet notata ad præallegata verba Concilii Tridentini, *Nefas autem sit* &c. quibus verbis Magistratibus omnibus severe interdicitur, ne excommunicationes Ecclesiasticæ potestatis impediant, aut jam latas revocari mandent. *Hic rursus* (ait Anselmo) *plerique obloquuntur, Judices Regios hac authoritate* AB OMNI MEMORIA *in Belgio usos, ut censuras impedire possint, vel ad revocandum cogere Ecclesiasticos, remedio immissionis in eorum temporalia, quando excessus & abusus id postulant: alioquin tolli e medio remedia cassationis & aliarum provisionum Regiarum, veluti quæ dicuntur* PROVISIONS EN CAS D'ABUS, VOYE DE FAIT ET AUTRES, *quæ sua consultatione*, aiunt BRABANTII, *præcipua esse auxilia tuendæ Regiæ dignitatis & jurium subditorum.*

Quamvis nihil solidius nullumque fortius argumentum pro inveterato hoc in Belgio usu adferri queat; nihilominus pro usus illius continuatione annotanda credidit Supplicans duo, quæ nostra prope ætate occurrerunt exempla.

Primum occurrit occasione cujusdam *interdicti* promulgati per Episcopum Tornacensem anno 1662. Cum enim Magistratus Insulensis sua authoritate, absque Licentia Episcopi aut Pastoris, exhumari fecisset, & ad alium locum transferri cadaver cujusdam Pauli *Diedaman*, quod sepultum fuerat in Choro ad gradus summi Altaris in Ecclesia Parochiali S. Mauritii in civitate Insulensi, Episcopus Tornacensis de hac attentata exhumatione & translatione cadaveris rite informatus, & ratus per eam notorie infractam esse immunitatem Ecclesiæ & sepulturæ Ecclesiasticæ, declaravit 15. Maii dicti anni 1662. *Præfatam Ecclesiam S. Mauritii in quam, & in qua peccatum extitit, ac insuper Capellam cum oratorio Dominorum de Magistratu infra limites domus civicæ sitam, Ecclesiastico supponendas interdicto, prout* (ait) *per præsentes supponimus & interdicimus: inhibentes ne ibidem Missæ Sacrificium vel alia Divina*

Offi-

Officia celebrentur, donec & quouſque pro hujuſmodi immunitatis & ſepulturæ Eccleſiaſticæ infractione fuerit plene ſatisfactum, vel aliter per Nos ordinatum.

Addit præterea: *Si vero dicti Domini de Magiſtratu huic noſtro Interdicto non obedierint, vel illud (quod abſit) contempſerint, vel aliquid contra attentaverint, eo caſu ex nunc prout tunc omnes Eccleſias Parochiales, & alias tam Seculares quam Regulares, etiam Collegiatam D. Petri ac Patrum Societatis Jeſu, una cum Capellis omnibus & Oratoriis intra metas & pomœria Oppidi Inſulenſis, ac ſuburbiorum ſitis, pari Eccleſiaſtico ſupponimus Interdicto. Mandantes hanc noſtram Ordinationem per omnes nobis ſubditos Paſtores, locumtenentes, ac Vicarios, ac alios quoſcumque etiam exemptos, ac Regularium, etiam Societatis Jeſu Superiores publicari ac divulgari, nec non exacte obſervari, ſub pœnis a jure Decretis.*

Magiſtratus habita hujus ſententiæ notitia recurrit Bruxellas ad Conſilium Regium Privatum, expoſuitque quod ſibi ex commiſſione Regis incumberet juriſdictio in totam Civitatem & omnes Eccleſias Parochiales quoad ea, quæ temporalitatem & exteriorem cultum concernunt; quodque in prætacta exhumatione nihil egerit niſi quod ſibi ex officio incumbit; ideoque injuſtum eſſe præfatum Interdictum; præſertim cum Regiis Edictis cautum ſit, ne contra Magiſtratus per cenſuras procedatur in his, quæ officium eorum ſpectant; petuntque ut injungatur Epiſcopo *de promptement & ſans delay lever ledit Interdit, mêmes à ce le contraindre par le ſaiſiſſement de ſon temporel.*

Conſilium Privatum hanc reſcriptionem Magiſtratus communicavit Epiſcopo per Litteras de 24. Maii ejuſdem anni, ipſi injungens, ut ſummarie informaret Conſilium de jure & authoritate, quam in Eccleſias Parochiales dictus Magiſtratus prætendit; nec non de Edictis inhibentibus uſum cenſurarum Eccleſiaſticarum, idque infra ſex dies; ipſi præterea injungens, *de ne paſſàr cependant e aucuns ulterieurs Interdits.*

Dum autem Epiſcopus non reſponderet; atque ipſi de Magiſtratu per quoſdam de Clero tamquam etiam perſonaliter interdicti dicerentur vitandi & a Divinis arcendi; ac propterea vererentur a publica ſupplicatione etiam excludendi, rurſus pro ulteriori remedio recurrerunt ad dictum Regium Conſilium ſupplicantes, *qu'icelle ſoi ſervie de par proviſion faire tenir en état & ſurſeance ledit Interdit.*

Ad hanc ſupplicam ſcripſit Conſilium Epiſcopo, ut quod, quoaduſque viſo ejus reſponſo aliter fuerit ordinatum, conveniens judicet, quod præfatum Interdictum ſuſpendatur, ad effectum, quod dicti de Magiſtratu poſſint ſine ulla oppoſitione aut difficultate intereſſe ſupplicationibus inſtitui ſolitis in Eccleſiis Interdicto locali non ſubjectis.

Cum vero Epiſcopus nec his iteratis litteris reſponderet; atque Magiſtratus vereretur, ne ulterius Epiſcopus aliquid attentaret, per tertias litteras Conſilium monuit Epiſcopum ut præcedentibus Decretis prompte ſatisfaceret, *à peine que ſera fait droit ſur ce que leſdits de Lille ont requis, comme il appartiendra, en vous abſtenant cependant, & juſques à ce qu'ulterieurement ſoit ordonné, de toute ulterieure nouveauté ſoit d'interdit ou autre, tant contre les Egliſes de nôtre dite Ville de Lille, que les perſonnes de ceux dudit Magiſtrat, enſemble les manans & habitans d'icelle Ville.*

Alterum exemplum (*a*), idque recentius, occurrit in Curia Regia Montenſi in Hannonia. Quæſtio enim coram dicta Curia erat ſuper poſſeſſorio Paſtoratus Braniæ Comitis inter R. P. *Renon* & R. P. *Rauwez*: ac tandem die 6. Auguſti anni 1697. adjudicatum fuit dictum poſſeſſorium P. *Renon*. Poſt hanc ſententiam manutenentiæ a dicto Patre obtentam, Promotor Curiæ Spiritualis Cameracenſis obtulit libellum D. Officiali hujus Curiæ contra P. *Renon*, petens ipſi injungi ut intra brevem & peremptorium terminum exhibeat commiſſionem, vi cujus functiones Paſtorales dictæ Curæ exerceat, ſub pœna interdicti ab omnibus functionibus Clericalibus per ipſam Diœceſim, ſi intra præfixum terminum obtemperare detrectet.

Libel-

(*a*) Vide Tract. de Rec. ad Princ. Tom. IX. hujus edit. Neap. p. 580.

Libellus hic a D. Officiali die 14. Augusti 1697. Patri *Renon* communicari jussus est, cum mandato exhibendi petitam Commissionem infra octo dies peremptorie, sub pœna interdicti ab omnibus functionibus Clericalibus aliisque in dicta Diœcesi obeundis, in casum non exhibitionis termino præfixo.

Præfatus P. *Renon*, facta illi ejusdem libelli communicatione, respondit se ad similem exhibitionem, adjudicato sibi per sententiam Senatus Regii Possessorio, non teneri.

Procurator Officii e contra obtulit iteratum libellum Domino Officiali sustinens frivolum ac impertinens esse responsum, cum non foret quæstio, num obtinuerit sententiam in Senatu Regio, sed duntaxat, an Decreto D. Officialis de proferenda facultate seu exercendi functiones Pastorales, satisfecerit, concludens ut ipsi juxta prius mandatum, interdicantur functiones Pastorales saltem donec commissionem suam exhibuerit, seque debita facultate functiones Pastorales obeundi munitum esse probaverit. D. Officialis ad hanc Procuratoris instantiam petitum interdictum concessit.

Qua provisionali inhibitione dictus P. *Renon* credens se in adjudicato sibi possessorio sui Pastoratus esse turbatum, recurrit ad Senatum Regium, qui visis & examinatis ejus ac Procuratoris officii libellis, aliisque actis & actitatis in præfato processu coram D. Officiali, declaravit 28. dicti mensis Augusti sententiam judici Possessorii die 6. ejusdem mensis datam præfato P. *Renon*, debere sortiri suum plenum effectum, donec per sententiam *definitivam* in petitorio aliter fuerit judicatum.

Cum autem hac sententia non obstante memoratus P. *Renon* in exercitio functionum Pastoralium vexaretur, sibique ab Archiepiscopo suo & Ecclesiastico Judice graviora metueret, ad Senatum Regium iterato recurrit, qui viso illius libello die 5. Octob. 1697. decrevit dictum Libellum parti communicandum ut respondeat infra octo dies, *pendant lesquels les pieces resteront au gres, interdisant cependant au Pere* Rauwez *& tous autres de faire aucune function Pastorale dudit lieu, & de troubler en icelle ledit Pere* Renon, *à peine d'y etre pourvu ulterierement : au surplus la Cour prend ledit Pere* Renon *sous sa protection*.

Ex his perspicuum est, Viri Amplissimi, Supplicantem nihil alienum a patrio more, aut aliorum Catholicorum Regnorum moribus attentare, dum contra censuras *via facti* contra se latas, aut stante Judicis recusatione ferendas, Regiam protectionem ab hoc supremo Senatu implorat.



CONCLUSIO

Et Totius Motivi Brevis recapitulatio.

IN compendium contrahamus, quæ in hoc motivo latius deducta sunt ad probandum quam infundate in hac controversia conetur D. Archiepiscopus hujus Regii Senatus judicium declinare. Ac primo quidem hujus motivi Capite conatus est Supplicans ostendere, ab initio nascentis Ecclesiæ, Presbyteros particularibus Ecclesiis, quas Parochiales hodie dicimus, fuisse præpositos, illosque harum respective Parochiarum fuisse proprios Sacerdotes, qui curam illarum *jure proprio* gererent, eisque ex officio necessaria salutis pabula ministrarent. Deinde hos Presbyteros ex mente Ecclesiæ semper fuisse *perpetuos*, hoc sensu quod Ecclesiis illis præficerentur, ut tota vita durante, tamquam proprii Parochi, illis intenderent.

Ideoque Parochos non posse reputari Vicarios Episcoporum seu Delegatos, ad nutum eorum Curam Animarum exercentes, ac pro eorum arbitrio amovibiles, sed esse inferiores Prælatos seu Hierarchas; qui jure ordinario & stabili, id est vi suorum titulorum, sive Beneficiorum Parochialium, Curam Animarum functionesque ad eam spectantes exerceant.

Hinc consequenter ostensum est, Parochos

chos non posse per simplicem aut extrajudicialem prohibitionem sive revocationem, Cura Animarum aut exercitiis eidem annexis pro libitu privari, aut ab eis, etiam valide, ex sola voluntate suspendi, cum hæc Cura & jus dictas functiones obeundi, Parochis competant jure ordinario, seu jure *tituli*; adeoque eadem stabilitate, qua ipse titulus.

Aliter plane judicandum de Presbyteris, quibus facultas Confessiones audiendi & Divini verbi prædicandi, ex simplici Episcopi delegatione committitur.

Cum enim horum facultas non profluat ex aliquo titulo stabili atque perpetuo, etiam illa perpetua non est, sed pendet a nutu Episcopi delegantis, quam si revocet, nihil restat, in quo illa vel jus aliquod ad functiones easdem, vero & perpetuo titulo deficiente, fundetur.

Secus in Parochis accidere ostensum est, qui dum ab Episcopis semel cum cura animarum, Parochiali Ecclesiæ sunt adscripti, vi suorum titulorum curam illam & jus exercendi functiones ad eam spectantes, stabiliter possident, & eadem perpetuitate, qua ordinarii omnes, etiam Episcopi, Ecclesiis suis, quibus tamquam sponsi matrimonio spirituali junguntur, inserviunt.

Unde sequitur controversam suspensionem, plane extrajudicialem, & latam *via facti*, nulla juris forma adhibita, non potuisse, adimere Parocho curam Animarum, aut jus functiones ei annexas obeundi; eo quod hæc cura & jus illi competat vi sui tituli non revocabilis aut adimibilis, nisi per sententiam servato juris ordine latam.

Ex quibus omnibus conclusum est: quod tametsi similis extrajudicialis suspensio per se loquendo sufficiat ut Presbytero nullum titulum habenti, facultas audiendi Confessiones valide adimatur, tamen inefficax sit, ut eam auferat Parocho; sed respectu hujus judicatur pro mera turbatione facti reputanda.

Probatum deinde Capite 2. suspensionem, de qua agitur, esse veram Censuram, ac pœnam medicinalem, quæ infligi non potest, nisi servato juris ordine, ac adhibitis essentialibus hujus ordinis requisitis.

Quorum primum est fori exterioris authoritas seu jurisdictio, nec appellatione impedita, nec recusatione ligata.

Secundum est *Informatio prævia* facta authoritate Judicis, aut causa legitime probata, juridice eidem constet de crimine.

Tertium est persona Actoris, qualis in exigenda pœna seu vindicta publica debet esse Officiarius publicus seu Promotor, qui Reum accuset & ultionem criminis prosequatur.

Quartum est citatio partis seu Rei, quæ est fundamentum ac principium Ordinis Judiciarii tam necessarium, ut ejus sola omissio, omne judicium nullum reddat & invalidum, nec alius sit defectus, quo omnis quæcumque sententia efficacius enervetur.

Quintum est prævia monitio, ut peccator officii sui admonitus ad rectum ordinem redeat, & ab errore suo in moribus aut doctrina resipiscat; cum enim Censura hæc medicinalis ferri non possit nisi in contumacem, & contumax judicari nequeat, nisi qui debiti sui ab ipso Judice monitus obtemperare detrectat, manifestum est solum monitionis defectum, sententiæ omne suum robur auferre; hæc autem monitio talis sit oportet, ut fiat a Judice sub comminatione Censuræ, ut qui remedio suaviori non corrigitur ad meliorem frugem gravioris pœnæ inflictione reducatur.

Sextum est causa, quæ an D. Archiepiscopo privatim nota sit, non est hujus loci discutere, neque illam vult Supplicans Regii Senatus examini submittere; hoc constat quod causa, quæ allegatur scilicet hæresis aut ejus suspicio, servato juris ordine probata non sit: nullus enim contra Supplicantem est institutus processus, nullus a Promotore libellus oblatus, nulla capta conclusio, nulla citatio, nulla monitio, nullus notatus error: nulla hæresis nominatim expressa, cujus Supplicans reus sit aut suspectus, ex quibus omnibus resultat manifesta sententiæ nullitas & inflictæ Censuræ invaliditas.

Præter hæc ostensum est, suspensionem Supplicantis æquissimo Brevi Innocentii XII. ac ordini in illo præscripto esse contrariam, cum in eodem præter alia saluberrime Decreta, mandet optimus Pontifex, *Ne ulla ratione quisquam vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi* (eadem ratio

ratio est de aliis erroribus) *traducatur aut nuncupetur, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex damnatis Propositionibus* (Jansenii) *docuisse aut tenuisse; nec quisquam sub hoc prætextu repelli ab Officiis, Muniis, Beneficiis, Gradibus ac Concionibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiastica permittatur, nisi servato juris ordine eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit.*

Quam autem ab omni hæresi, alioque errore contra fidem cum pertinacia tuendo, alienus sit Supplicans, præter plura alia, evincit sola ejus ad D. *Van Susteren* Epistola, qua profitetur *se omnes & singulas Propositiones ab Apostolica Sede damnatas, damnare, eo prorsus modo ac sensu, quo illas damnat Sedes Apostolica; seque cum tanta veneratione Constitutiones ejus omnes ac Decreta semper suscepisse, ut nec apicem, nec verbulum aut interpunctionem addiderit illis umquam aut dempserit; nec aliud umquam optarit quam vel ab Illustrissimo D. Archiepiscopo vel a S. Sede, ejusve Ministro corrigi, si hac in parte a veritatis tramite deviasset.*

Post hæc Capite tertio probavit Supplicans, quam fundate contra turbationem hanc pro obtinenda manutenentia Regio Senatui supplicaverit; dum ostendit quam infundata sit Archiepiscopalis exceptio judicii hujus Senatus declinatoria; idque ex eo, ut ait, quod agatur de re mere spirituali, cognitioni Judicis Ecclesiastici privative servanda.

Monstratum est enim non agi coram hoc Senatu de ipsa cura animarum aut functionibus ad eam spectantibus, sed solummodo de possessione pacifica Supplicantis respectu tituli Parochialis & Curæ Animarum ei annexæ, & violenta ejusdem turbatione.

Hæc vero cum sint meri facti, nihil spiritualitatis habentia, cognitioni Regii Senatus juxta receptum ab immemoriali tempore, ubique gentium morem indubitanter competunt; hujus enim manutenentiæ scopus est & Regalis Officii debitum, omnem a suis subditis quibuscumque violentiam depellere, omnibus sua jura servare, & ne quis indebite in pacifica sua possessione turbetur, inhibere. Ita Authores omnes testantur, in toto Orbe Catholico, judicium possessorium, etiam in re quacumque spirituali, Regiis Tribunalibus reservari, cujus usus exempla aliquot cum utroque libello Civili, præsenti casui accommoda, exhibuit Supplicans.

Ac signanter sententiam hujus Senatus, qua anno 1676. manutenuit Pastorem Frigidi Montis in hac Civitate Bruxellensi in jure *Prædicandi Verbum Dei*, contra PP. Dominicanos. Item per Litteras manutenentiæ, quibus ipse Supplicans ab hoc Senatu manutentus fuit in eodem jure Prædicandi contra PP. Societatis: & alias, quibus manutentus est in jure Catechizandi in Sacello S. Cornelii contra eosdem Patres. Item exhibuit D. Alphonsum *De Berges*, Archiepiscopum Mechliniensem, supplicasse huic Senatui pro manutenentia in jure confirmandi Decanos Capituli S. Gudulæ, & dandi eisdem curam animarum.

Hæc aliaque, quæ exhibuit Supplicans, manifeste ostendunt, etiam in possessione rei mere spiritualis manutenentiam peti solitam.

Utrobique enim Senatus solum cognoscit de pacifica possessione & illegitima possessoris turbatione, quæ si utraque probata sit Supplicantibus concedit litteras manutenentiæ, quibus violentia sistitur & pacifica possessio continuatur; præterquam quod a veritate alienum sit, id quod in exceptione declinatoria D. Archiepiscopi asseritur, scilicet nullum temporale functionibus illis Pastoralibus esse annexum: quis enim nescit populum fidelem Pastoribus Sacramenta aliasque Ecclesiasticas functiones administrantibus, *Duplicia* honoraria solere Christiana liberalitate largiri; quæ in Urbibus, ubi decimæ desunt, magnam partem Pastoralis sustentationis efficiunt; quæ honoraria vel minuuntur, vel illis Pastores privantur, dum per se subditis suis salutis pabula non ministrant: adeoque D. Archiepiscopus Supplicantem via facti ab exercitio Officii Pastoralis impediens, eumdem in debitæ sustentationis ac commodi temporalis perceptione perturbat.

Monstratum est deinde hoc recursu ad Regium Tribunal non urgeri D. Archiepiscopum, ut coram eodem causas suspensionis alleget, sed ut Supplicantem in sua paci-

pacifica possessione non turbet, quoadusque ipsum servato juris ordine, coram Ecclesiastico Judicio competente, pœnam suspensionis ab Officio Pastorali meruisse probaverit.

Quin nec prætendit supplicans a Senatu tolli Censuram suspensionis; aut se ab eadem absolvi: sed judicio possessorio declarari suspensionem hanc *via facti* fuisse inflictam; qua declaratione ipsa censura non tollitur, aut Supplicans absolvitur: sed publica sententia probatur illum sine ordine juris in sua possessione fuisse turbatum, eamque violentiam Regia authoritate tollendam.

Denique ad nauseam repetitum est, nolle Supplicantem titulo Possessorii in correctione Doctrinæ aut morum, Tribunal Ecclesiasticum declinare, vel judicium de iisdem Regii Senatus authoritati committere, sed unice contendere, se non posse illis prætextibus violente ac via facti pro mero arbitrio Superioris Ecclesiastici in sui Pastoratus pacifica possessione turbari.

Probe novit Supplicans D. Archiepiscopo incumbere Paternæ correctionis officium, cujus suavitatem ac debitum etiam post iteratas preces, Pastor numquam expertus est.

Novit etiam Episcopis, Diœcesim suam & Parochias visitantibus, competere authoritatem disponendi & ordinandi ea, quæ pro bono animarum, abusuum extirpatione, correctione morum & Cleri institutione, ac totius Diœcesis ædificatione, judicaverint convenire: neque horum Decretorum executionem posse qualibet appellatione, inhibitione aut alio juris remedio impediri; verum hæc omnia fieri solent sine strepitu & forma judicii, nec in illis visitationibus infligi possunt pœnæ ordinariæ, sed tantum extraordinariæ, quæ magis morum emendationem & correctionem, quam vindictam respiciunt: pœna vero ordinaria & gravior non potest nisi cum plena causæ cognitione & juridica discussione decerni, verum nec de hoc correctionis modo est quæstio, dum nulla invenitur instituta visitatio.

At tantum agitur de inflictione Censuræ suspensionis ac pœnæ gravissimæ, quæ ferri non potest nisi a Judice ut Judice, seu agente partes Judicis, & procedente juxta præscripta ordinis Judiciarii, a quo quam procul aberraverit D. Archiepiscopus supra probatum est, & ostensum ne unum quidem requisitum essentiale in ferenda sententia fuisse servatum.

Atque inde clarescit nulla æquitatis specie huic recursui Supplicantis ad hoc supremum Consilium titulo possessorii, opponi posse litteras piissimi Regis Caroli Secundi, ad hunc aliosque Regios Senatus directas, & exhibitas sub littera S, quibus interdicitur ne Episcoporum Decreta in correctione morum aut doctrinæ, titulo possessorii aut protectionis impediant; verum has Regis litteras intelligendas esse dum Episcopi procedunt ordine judiciario, & juxta Regulas Ecclesiæ ac Statuta Canonica, evincunt aliæ ejusdem Regis litteræ ad Episcopos Belgii datæ 10. Junii 1697. prout latius §. 7. Capitis 3. probatum est.

Quarto denique Capite monstratum est Supplicantem merito pro protectione Regia supplicasse, qua a violentiis sibi nomine D. Archiepiscopi illatis & adhuc timendis servetur immunis; ad hoc enim Regia omnisque Secularis potestas ordinata est, ut minus potentes a potentiorum injuriis & oppressionibus vindicentur, pax & tranquillitas publica firmetur, & omnibus sua jura serventur illæsa; quod quam sit Regibus proprium, necessarium ac essentiale eorumdem officium vel inde patet quod sit ab ipsa Corona & dignitate individuum, inhærens Regimini, ac ab illo inseparabile. Quod locum habet non tantum respectu subditorum Laicorum, sed etiam Ecclesiasticorum, hoc ipso quo hi manent Reipublicæ membra, ac tenentur Regibus & sublimioribus potestatibus, obedientiam, fidelitatemque præstare. Unde concluditur fas esse Clericis ad Regem ejusque Senatus contra violentias, pro remedio salubriori, recurrere, quod vel tunc maxime licet, cum illæ ab ipsomet Judice Ecclesiastico inferuntur, quia hujus authoritas est ad vim inferendam potentior, & ad nocendum, sub nomine & justitiæ colore, fallacior.

Hoc autem casu Rex aut Senatus ejus non se intromittit spirituali regimini, non sibi

sibi adscribit de moribus Clericorum ac doctrina judicium, non jura immunitatis Ecclesiæ violat, non Episcopos in correctione Clericorum aut animarum salute procuranda, vel Diœcesis suæ directione & ædificatione perturbat, sed id unice studet ut cunctis subditis sive Clericis sive Laicis sua jura serventur, & omnia debito ordine peragantur; quo jure Rex vindex Canonum est, murus Ecclesiæ, pax Clericorum. Quam vero hoc sit Regibus proprium, non ex consuetudine vel indulto, sed jure Coronæ, omnium Authorum & Regnorum consensus ostendit.

Eodem jure & titulo Regi competit judicium possessorium, utpote species protectionis, qua pacificus possessor contra quamcumque violentiam in sua possessione servatur illæsus; donec debito ordine justitiæ eadem privatus aut privandus de jure probetur. Hæc enim protectionis species, quæ manutenentia dicitur; danda est contra id quod fit incompetenter seu contra Justitiæ Regulas; & contra omne id quod violentiam redolet, ad quam arcendam Reges gladium portant, a quibuscumque & per quoscumque eadem inferatur: ut proinde, neque hæc protectionis species per Regem possit abjici, vel ab ejus dignitate divelli.

Sicut autem sunt plures violentiæ species, quibus Clerici etiam a suis Judicibus Ecclesiasticis possunt opprimi, ita plura Regiæ protectionis officia, quibus oppressi debeant sublevari. Inter has una est, dum Judex Ecclesiasticus debita forma & secundum Statuta Canonica recusatus, pendente recusatione indecisa, vult adhuc Judicis partes agere, & detrectans recusationem Arbitrorum, hinc inde assumendorum, judicio submittere, pergit recusantes pœnis, Censuris, aliisque id genus molestiis divexare.

Cum recusatio proposita, æque ac appellatio, Judicis ligat manus, quidquid hic jam recusatus agit, attentare censendus est ut privatus, qui cum omni jurisdictione careat, Regia authoritate comprimendus, ne quibuscumque modis vexet aut noceat.

Cum vero nulla umquam proposita sit recusatio gravior ac fundatior ea, qua Supplicans recusavit D. Archiepiscopum suum, qui decisionem illius juxta Canonum præscripta, arbitrorum judicio, licet quarto ad hoc a Supplicante interpellatus, noluit committere, atque interim officium Judicis pergit agere & vexare Censuris, quid æquitati naturali, quid omnium Nationum moribus, legibusque conformius, quam contra talem violentiam, auxilium Regis exposcere? Quid huic gloriosius, quam sic oppressi protectricem manum Judicis tali recusatione ligatas manus habentis & adhuc nocentis, fortius easdem ligando, præstare?

Atque hoc est quod a Senatu Regio Supplicans sibi concedi petiit, & ab ejusdem æquitate negari non posse, confidit.

Nec minor est aut minus efficax Regalis protectio & Regii Senatus authoritas, qua subditos contra violentias Judicis Ecclesiastici tueatur, dum hic illos terret, comminatis Censuris indebitis, quam dum contra Canonum Statuta, contra justitiæ regulas, vexat inflictis; his namque solet Rex ex muneris sui debito providere vel prohibendo ne injustis Censuris violente noceant, vel si illas tulerint, jubendo easdem revocare, ne subditos opprimere pergant. Recursus autem Clericorum in hoc casu ad Regiæ protectionis auxilium eodem fundamento Regalis officii nititur, quo Regem in aliis oppressionis generibus procedere ante monstratum est, prout variorum Regnorum ac signanter Belgii nostri exempla, & immemorialis usus evincunt.

Ex his omnibus non dubitat Supplicans manifestum fore huic Amplissimo Senatui, quam fundata sit Supplicantis Conclusio, qua petit se manuteneri in pacifica possessione obeundi functiones Pastoratui suo annexas, nec non protectionem Regiam adversus violentiam sibi concedi, atque inhiberi D. Archiepiscopo, ne quid pendente recusatione contra Supplicantem ut Judex agat.

MO-

MONUMENTA.

Quorum in hoc Motivo fit mentio.

A.

Litteræ quibus Dux Bavariæ Causam Supplicantis ad Concilium Brabantiæ remittit.

Maximilien Emanuel par la grace de Dieu Duc de la Haut & Basse Baviere, & du haut Palatinat, Comte Palatin du Rhin, Grand Eschanson du St. Empire & Electeur, Gouverneur des Pais-bas, &c.

Tres-Chers & bien-Aimez. Comme l'Archevêque de Malines dit que l'hyver passé le Pasteur de S. Catherine a commis des actes seditieux & prévarications en cette ville, qui auroient été publicqs, que le même Pasteur par une continuation, auroit au mois d'Aoust voulu induire le Magistrat & les Nations de cette Ville de ne pas consentir à l'Imposition d'un liard sur le pot de biere, qu'à condition que nous leverions & ferions cesser nos Decrete donnez contre les Jansenistes & Novateurs; que les Pasteurs de cette Ville qui étoient lors de la Congregation, en pourront dire les circonstances, & que le Magistrat & les Nations pourront aussi deposer les pernitieuses instances que ledit Pasteur leur a fait de même que les Doyens des Nations pourveu qu'on les y oblige sous serment: Nous vous faisons la presente, afin que vous fassiez incessament informer sur ce subjet par un Conseillier & le Procureur General, & Nous adviser de dix en dix jours, ce qui resultera des devoirs, qui seront rendus, comme aussi, pourquoy vous n'avez pas pris les informations sur tous ces excès sitôt qu'ils sont venus à vôtre connoissance, puisque l'on Nous represente presentement qu'ils auroient étez publicqs; attendu qu'il étoit de vôtre devoir de prendre cet Informations & chatier ces excès, & de nul autre juge en Brabent. A tant, tres chers, & bien-aimez. Nôtre Seign. Dieu vous ait en sa sainte garde. De Bruxelles le 19. d'Octobre 1696. Etoit Paraphé: *Coxvt*. Signé: M. Emanuel. La superscription: *A Nos tres-chers & bien aimez les Cancellier & Gens du Conseil du Roy ordonné en Brabant.*

B.

Altera Littera Ducis Bavariæ, quibus Concilio Brabantiæ Causam Supplicantis dijudicandam permittit.

Maximilien Emanuel par la grace de Dieu Duc de la Haute & Basse Baviere, &c.

Très-Chers & bien-Aimez. Ayant veu vos representations au subjet des Informations que vous avez pris a la Charge du Pasteur de Sainte Catherine, Nous vous faisons cette pour vous dire que si vous trouvez ledit Pasteur innocent, ou point convaincus des excès dont on l'avoit accusé, vous pourrez le declarer tel, & lui en faire depescher acte comme trouverez convenir pour la reparation de son honneur; & quant aux conclusions que ledit Pasteur a pris à charge de l'Archevêque de Malines, Nous en avons remis la connoissance à Ceux du Conseil Privé, & par tant vous pourrez renvoyer vers eux ledit Pasteur en ce regard. A tant très-Chers & bien-Aimez. Dieu vous ait en sa Sainte Garde. De Bruxelles le 24. de May 1697. Etoit Paraphé: *S. J. Pol. vt.* Signé: M. Emanuel, & contresigné: *P. De Rivanegra.*

C.

Sententia Concilii Brabantiæ qua Supplicans ab omnibus Accusationis capitibus absolvitur.

Veu au Souverain Conseil du Roy ordonné en Brabant, la lettre de son Altesse Electorale du 19. Octobre 1696. ou le Pasteur de

de Sainte Catherine se trouve denoncé d'avoir commis des actes seditieux & prevarications en cette Ville qui auroient étez publicqs, & que par une continuation, il auroit au mois d'Aoust de la même année, voulu induire le Magistrat & les Nations de cette Ville da ne pas consentir a l'Imposition d'un liard sur le pot de biere, qu'avec condition, qu'on leveroit, & feroit cesser les decrets donnez contre les Jansenistes, & Novateurs; veu aussi les Informations prises ensuite de la dite Lettre de sadite Altesse Electorale du 24. *de May dernier, le tout consideré la Cour declare ledit Pasteur exempt & libre des excès a lui imposez. Ainsi fait en la Ville de Bruxelles, le* 8. *Juillet* 1697. Etoit Paraphé: *Ro.vt.* signé: *A. V. Ghindertaelen*.

D.

Memoriale Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis Regi oblatum contra Supplicantem & quatuor alios Theologos. (*a*)

E.

Responsum D. Supplicantis contra praecedens Memoriale D. Archiepiscopi. (*b*)

F.

Quo Supplicans recusat D. Archiepiscopum.

Infrascriptus Pastor S. Joannis in Molenbeca & Sanctæ Catharinæ in hac Urbe Bruxellensi, declarat, per præsentem actam, se inhærere suspectationi Illustrissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis, eidem intimatæ 19. Mensis Maii 1696. per Notarium *Cats*, adhuc pendenti indecisæ post monitionem ad eligendos arbitros factam per eumdem Notarium 23. ejusdem mensis, qua suspectatione præfatum Illustrissimum Dominum recusat infrascriptus, in omni causa ipsum quomodolibet concernente, & ut probet prædictam recusationem esse fundatissimam, præter rationes ibidem allegatas, subdit sequentes ad majus robur primæ suæ suspectationis.

Primo quod præfatus Illustrissimus Dominus Archiepiscopus 19. Octob. 1696. infrascriptum denuntiaverit apud Serenissimum Bavariæ Ducem, quasi hieme præcedenti commiserit diversos actus seditiosos & prævaricationes, quodque idem, illas continuans etiam mense Augusto, tunc ultimo elapso, voluisset inducere Magistratus & Nationes hujus Urbis & impedire ne in obsequium Regis consentirent quadrantem in poculum cerevisiæ, nisi Rex revocaret decreta sua data contra Jansenistas & Novatores; quod Pastores, qui tum fuerant congregati, possent exprimere circumstantias, & Magistratus & Decani Nationum, perniciosas instantias quas fecerat dictus Pastor. Hæc est in substantia accusatio Illustrissimi Archiepiscopi contra Pastorem, Superioris contra subditum, Patris contra filium, numquam super istis, aut aliis defectibus correptum, imo nequidem monitum. Causa hæc remissa est per suam Celsitudinem Bavaricam ad Concilium Brabantiæ ibidem diligentissime examinata & discussa auditis plusquam 50. testibus & in favorem suprascripti decisa 8. Julii 1697. Patet ex copiis additis numeris 1. 2. & 3.

2. Quod Idem Illustrissimus Dominus Archiepiscopus eundem infrascriptum Pastorem contra omne privilegium exemptionis Ecclesiasticæ, & non obstante periculo irregularitatis, sub idem tempus iterato denuntiaverit cum aliis quatuor Viris honestissimis, scilicet RR. DD. *Huygens* S. Theol. D. *Baerts* Plebano Mechliniensi, *Bacx* Plebano Antverpiensi, & *Van Geet* Plebano Gandensi, idque apud præfatum Serenissimum Bavariæ Ducem, de gravissimis criminibus, quæ nonnisi morte potuissent expiari, si vera fuissent. Crimina illa sunt tam gravia, tam enormia & terminis tam atrocibus expressa, ut necessarium judicaverit infrascriptus exhibere copias tum libelli oblati suæ Serenissimæ Celsitudini Bavariæ, tum Responsionis infrascripti & aliorum accusatorum Num. 4. & 5.

(*a*) Hoc Memoriale invenitur in Appendice ad *Concordiam Immunitatis Ecclesiasticæ & juris regii*. T. IX. hujus edit. Neap. N.IV. & V. p. 191. & seqq.

(*b*) Hoc Responsum reperitur ibidem ut supra, N. VII. p. 203.

& 5. quorum omnium criminum ne unum quidem vel per umbram probare potuit Illustrissimus Dominus Archiepiscopus nec adhuc probare posset cum mica veritatis.

3. Quod non obstante memorata prima suspectatione anni *1696.* Illustrissimi Domini Archiepiscopi (quæ illi ligabat manus) aliisque rationibus supra allegatis & infra allegandis pergat, idem Illustrissimus Dominus infrascripti Judicem agere, capiendo contra eum informationes & significando se in ejus personam attentaturum, si informationes materiam subministrent, idque ob evasionem Rev. Patris *Quesnel* ex domo Archiepiscopali, ad quam infrascriptum allaborasse suspiciatur sæpe dictus Illustrissimus Dominus, tametsi ille abfuerit & per Flandriam ac Brabantiam ad Schaldim obambulaverit, cum Dominis *Vercauwen*, & *Verschueren* ac duabus suis Sororibus, a die 1. Septembris proxime elapsi usque ad 15. ejusdem inclusive; prout paratus est per testes probare, & hæc absentia nota fuit Reverendo Admodum Domino *Van Susteren* Vicario Generali, qua durante e carcere liberatus est dictus Pater *Quesnel*.

4. Veritas est, quam infrascriptus extrajudicialiter profitetur ut toti mundo innotescat ejus innocentia, cujus veritatis puncta sequentia paratus est infrascriptus coram quocumque legitimo & non suspecto Judice affirmare solemni juramento, 1. quod non discesserit eo fine ut interea dictus Pater *Quesnel* e carcere evaderet ac aufugeret, sicque prætextum absentiæ aut ignorantiæ prætendere posset: prout tamen suspicatus est & significavit præfatus D. *Van Susteren*.

2. Quod infrascriptus nullum eorum, qui dictum Patrem *Quesnel* suo carcere liberarunt, noverit vel viderit, vel audiverit, nulli eorum locutus sit aut alloqui jusserit per se vel per alium directe aut indirecte, nec mandatum aut auxilium aut pecunias dederit, aut dari jusserit, vel promiserit, nec ad dandum fuerit requisitus. 3. Quod unum illorum, qui pecunias petiit (scilicet quadraginta pistolas, quas afferebat sibi fuisse promissas) & iterato ad illas habendas institit etiam cum minis se, nisi ipsi satisfieret, idem totum in Episcopatu proditurum, durius rejecerit & ne quidem alloquio dignatus sit, idque priusquam ullus illorum captus esset. 4. Quod infrascriptus ne quidem fuerit requisitus ad pecunias illis vel ulli eorum numerandas. 5. Quod si quæ pecuniæ Reverendo Patri *Quesnel* numeratæ sint; in domo infrascripti, id ipso absente & nullatenus conscio accidisse, & ab ipso improbatum fuisse, eo quod prævideret sibi ob præventum Illustrissimi D. animum, illa imminere incommoda, quibus involutus est.

Quinta Ratio suspectationis est, quod communi omnium fere judicio, tanta sit Illustrissimi D. Archiepiscopi ac Consiliariorum ejus præventio, etiam Lippis & Tonsoribus nota, contra infrascriptum, ut communis opinio sit dictum Illustrissimum Dominum ac Consilium ejus esse infrascripto totique Clero ejus in omnibus contrarium, nullamque ipsos sperare posse promotionem, quam præfatus Illustrissimus Dominus impedire poterit: quod eadem sors maneat omnes infrascripti amicos, aliosque & adhærentes, ac si excommunicatis & hæreticis pejor esset; sic ut propterea ejus consortium, domum, alloquium, & amicitiam publicam erubescant plurimi.

Sexta Ratio est quod suum Vice-Pastorem Dominum *Verschueren* incarceraverit, ac idem attentaverit in famulum & ancillam infrascripti, de quibus certum est quod ad evasionem Rev. Patris *Quesnel* nullo modo cooperati sint, licet famulus & ancilla innocentissime ad instantiam præfati Patris *Quesnel* jam liberati, dederint simul inter se quatuor aut quinque pistolas, rati se facturos opus caritatis, D. autem *Verschueren* captus est sine Decreto & innocentissimus; si vero capti sint, ut testes, id factum est contra omnem juris formam, stilum, praxim & ordinem justitiæ, nulla prævia ratione, aut monitione, quæ omnia notant extraordinariam memorati Illustrissimi Domini & Consiliariorum ejus contra infrascriptum, omnesque ab eo dependentes, præventionem.

Cum vero plures ex rationibus deductis tam in prima quam hac secunda suspectatione, concernant non tantum infrascriptum, sed etiam vice-Pastores ejus ac omnes ab illo dependentes, hinc est quod in-

infrascriptus præfatum Illustrissimum Dominum Archiepiscopum ac Tribunal ejus suspectet & recuset in omni causa ipsum quomodolibet concernente, idque non tantum pro se, sed etiam pro suprascriptis, aliisque ab ipso dependentibus tam conjunctim quam divisim: plures alias rationes paratus est allegare infrascriptus coram arbitris ubi ad illos ventum fuerit, quod si de sufficientia & veritate rationum enarratarum, inter Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Mechliniensem & infrascriptum non conveniat, petit hic iterato procedi ad electionem arbitrorum; & ut omnia conformiter stilo Ecclesiastico fiant, committit infrascriptus Notarios Apostolicos *Cats*, aut N. *Vander Elst*, & eorum quemlibet in solidum; & in eorum defectu quemlibet alium Notarium Apostolicum & Regium, ut recusationis actam insinuet, responsum desuper petat, in casum denegationis protestetur prout moris & stili. Actum hac 8. Octob. 1703. *Signatum erat*: Guil. *Van de Nesse*, Pastor S. Joannis in Molenbeca & S. Catharinæ.

Infrascriptus Notarius Apostolicus & Regius publicus Bruxellis residens declarat se ad instantiam Reverendi Domini *Van de Nesse*, Pastoris Sancti Joannis in Molenbeca, & Sanctæ Catharinæ Bruxellis, insinuasse in originali die 12. Octobris 1703. hora octava ante meridiem hanc actam suspectationis cum quinque Copiis annexis signatis in fronte A B C D & E (cujus hic suprascripta est copia) Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo Mechliniensi in suo Palatio Bruxellensi per manus Reverendi Admodum Domini *Van Susteren* Vicarii Generalis præfati Illustrissimi Domini, & acceptavit. Actum ut supra, præsentibus ibidem Adriano *Hellinx* & Vincentio *Van Turnhont* Civibus hujus Civitatis Bruxellensis, & testibus ad hoc specialiter habitis atque rogatis. *Signatum erat*: Joannes *Van der Elst* Notarius Apostolicus & Regius.

Infrascriptus Notarius Apostolicus & Regius Publicus declarat quod ad instantiam & requisitionem supra memorati Reverendi Domini Guilielmi *Van de Nesse*, Pastoris Sanctæ Catharinæ accesserit personam Reverendi admodum Domini *Van Susteren*, Vicarii Generalis, & ab eodem petierit nomine præfati Domini Pastoris, an Illustrissimus Dominus Archiepiscopus Mechliniensis dignatus sit eligere Arbitros ad dijudicandam suspectationem eodem die, scilicet 12. Octobris per me illi intimatam, qui præfatus Dominus *Van Susteren*, respondit in verbis: *seght datter noch niet geintenteeren is tot synen laste tot nu toe*, id est, referas, nihil hactenus intentatum esse ad onus ejus: quod responsum infrascriptus acceptavit pro recusatione, protestans de expensis, damnis & interesse prout juris. Actum 12. Octobris 1703. quod attestor, *& signatum erat*: Joannes *Van der Elst*, Notarius Apostolicus & Regius Publicus.

G.

Libellus supplex supplicantis oblatus D. Archiepiscopo.

A Monseigneur l'Illustrissime & Reverendissime Archevêque de Malines Primat &c.

Remontre très-humblement Guillaume Van de Nesse *Pasteur de la Paroisse de Sainte Catherine à Bruxelles, qu'ayant plû à Sa Majesté & à S. A. E. de lui accorder, à l'instance de la vefve Anna* Van der Elst *sa Mere, pour lors accablée de sa maladie mortelle, dont elle est decedée le* 20. *de ce mois, la permission de se rendre en cette ville, pour huit jours, il a eu la sensible affliction, de ne pas avoir pû y arriver avant sa mort; & son devoir l'obligeant à observer exactement les ordres de Sa Majesté, qui ne lui permettent pas de sortir de la maison mortuaire, il a encor le deplaisir, de ne lui pas être permis d'avoir l'honneur de se mettre aux pieds de vôtre Grandeur, pour l'asseurer de son obeissance filiale & de sa disposition à lui témoigner tout le respect & la veneration qu'un Pasteur est obligé de rendre à son Archevêque, ne doutant pas que Vôtre Grandeur en auroit tout appaisement qu'elle pourroit souhaitter, & qu'elle regarderoit d'un œuil favorable le Remontrant, qui n'a rien de plus à cœur que de pouvoir, sous ses ordres, repren-*

reprendre le foin de fon Troupeau, dont il eft éloigné depuis 20. *mois par lettre de Cachet de Sa Majefté. C'eft pourquoy le Remontrant fe retire d'une humilité profonde vers Vôtre Grandeur.*

La Suppliant très-humblement d'interpofer par fes bontés paternelles, l'honneur de fa protection & fon grand credit vers fa Majefté, afin que Sa Royale Benignité veuill permettre qu'il retourne à fes fonctions Paftorales. Quoi faifant &c. Etoit figné: *Guill.* Van de Neffe, *Paft. S. Catherina.*

H.

Epiftola D. Van Sufteren, *Vicarii Generalis ad Supplicantem cum adjunctis interrogatoriis.*

Cum D. Guilielmus *Van de Neffe*, Paftor S. Catharinæ Bruxellis, a Rege noftro Catholico e ditione Hifpanica ablegatus, per D. Confulem Bruxellenfem & per aliquot Primores Parochiæ fuæ infrafcriptum Vicarium Generalem Illuftriffimi ac Reverendiffimi Domini Archiepifcopi Mechlinienfis rogaverit, urferitque, ut eidem Illuftriffimo D. Archiepifcopo offerre & commendare non gravaretur libellum fuum fupplicem, quo humillime fupplicat ut Illuftriffima ejus Gratia, pro paterna fua bonitate apud facratam Regis perfonam intercedere dignetur, pro obtinenda a Regia Benignitate licentia ad Paftoratum fuum revertendi: infrafcriptus Vicarius ad hoc caritatis officium fructuofe præftandum, opportunum faltem effe judicavit, fi non abfolute neceffarium, ut dum libellum illum offeret, paternamque Illuftriffimi D. Archiepifcopi præmemorati implorabit Clementiam, de filiali Domini Supplicantis Reverentia, & quæ Superioribus, eorumque Decretis, debetur, integra fubmiffione, certitudinem fimul exhibere poffit, & authenticam purgationem a fufpicione, quam in materia Religionis D. Supplicans, apud Illuftriffimam Gratiam incurrit, quod non dubitat futurum, fi D. Supplicans infrafcripto fubmittat Chirographo fuo munitam refponfionem fimpliciter affirmativam, ad hæc puncta interrogatoria, quæ in veritate & caritate fubjungit. Hac 6. Novembris 1705. fignatum erat: H. J. *Van Sufteren*, Vic. General.

Puncta Interrogatoria.

1. An recipiat Bullam: *Ex omnibus afflictionibus*, qua Pius V. Kalendis Octobris 1567. condemnavit 76. Propofitiones Bajanas?

2. An agnofcat quod illæ 76. Propofitiones fint recte damnatæ in rigore & proprio verborum fenfu ab Authoribus intento?

3. An improbet quod nonnulli fuftineant aliquas ex præfatis Propofitionibus effe damnatas *ad tempus*, aut poffe modo in aliis fimilibus aut in fenfu Baii fuftineri?

4. An agnofcat quod Gregorius XIII. per Bullam fuam: *Provifionis noftræ* datam 4. Kal. Februarii 1579. confirmaverit dictam Bullam Pii V. *Ex omnibus afflictionibus?*

5. An recipiat Bullam Urbani VIII. *In Eminenti*, datam pridie Nonas Martii 1642.?

6. An admittat Auguftinum Janfenii continere & defendere multas ex Propofitionibus a Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatis?

7. An cenfeat quod nomen Janfenii non infertum fuerit Bullæ: *In Eminenti* contra mentem Urbani VIII.?

8. An arbitretur in eadem Bulla Urbani VIII. *non perperam* appofitum fuiffe famofum comma, poft verbum *poffent?*

9. An fimiliter recipiat prælaudati Urbani VIII. Decretum editum feria 5. die 6. Junii 1644. in confirmationem Bullæ: *In Eminenti?*

10. An agnofcat omnes difficultates contra Bullam: *In Eminenti*, male motas per Decretum in fuperiori articulo memoratum, decifas fuiffe?

11. An agnofcat libellum Gallicum: *Catechisme de la grace* ab Innocentio X. feria quinta die 6. Octobris 1650. condemnatum, continere quam plures fententias per Pium V. Gregorium XIII. & Urbanum VIII. damnatas?

12. An recipiat Conftitutionem: *Cum occafione*, qua Innocentius X. pridie Kal. Junii 1653. damnavit ut hæreticas famofas quinque Propofitiones?

13. An

13. An agnoscat per illam Constitutionem Innocentium X. damnasse in quinque Propositionibus doctrinam Cornelii Jansenii contentam ejus libro, cui titulus, *Augustinus?*

14. An admittat quod Liber ille Jansenii complectatur quinque famosas illas Propositiones, quoad sensum hæreticum, quo damnatæ fuerunt?

15. An credat hæreticam esse hanc Propositionem: *Aliqua præcepta Dei interdum sunt justis impossibilia, quia destituuntur gratia, qua illa possibilia fiant.*

16. An credat Deum velle æternam omnium hominum salutem?

17. An credat Christum pro æterna salute, non solorum prædestinatorum, sed etiam reproborum sanguinem suum obtulisse & mortuum esse?

18. An recipiat Constitutionem Alexandri VII. *Ad sacram* 17. Kal. Novembris 1656. datam in confirmationem Constitutionis *Cum occasione?*

19. An agnoscat quinque Propositiones in sensu libri Jansenii sive in sensu a Jansenio intento, merito damnatas esse?

20. An agnoscat causam libri Jansenii discussam esse ea diligentia, qua major desiderari non posset?

21. An agnoscat foliis inscriptis: *Tredecim Theologorum ad examinandas quinque Propositiones ab Innocentio X. selectorum suffragia, seu, ut appellant, vota Summo Pontifici scripto tradita*, tamquam Apocryphis nullam fidem esse adhibendam, nec a quoquam illa allegari posse?

22. An agnoscat quod falsum patensque mendacium sit asserere, quod tempore Innocentii X. inquisitum non sit, an quinque Propositiones, ex Augustino Jansenii extractæ essent, & ita in sensu ab eodem Jansenio intellecto damnatæ?

23. An censeat libros omnes, in quibus damnata Jansenii doctrina defenditur vel adstruitur, damnatos itidem esse atque prohibitos?

24. An improbet quod aliqui non velint subscribere Formulæ ab Alexandro VII. per Bullam: *Regiminis Apostolici* 15. Kal. Martii 1664. præscriptæ, nisi distinguendo inter jus & factum, aut quod subscribere nollent, nisi existimarent, vel nisi supponerent quod subscriptio non cadat in illud, quod ipsi vocant *Factum Jansenii?*

25. An agnoscat Clementem IX. nullam exceptionem seu restrictionem in negotio dictæ Formulæ Alexandrinæ re ipsa admisisse?

26. An recipiat Decretum Alexandri VIII. adversus 31. Propositiones datum 7. Decembris 1690.?

27. An improbet quod aliqui sentiant prænominatas Bullas aut Decreta esse subreptitia, aut ullum ipsorum esse subreptitium, aut quod alio modo ulli ipsorum obtrectent?

28. An admittat Innocentium XII. in Decreto suo dato 28. Januarii 1694. quoad Formulam Alexandrinam & in Brevibus desuper ad Episcopos Belgii datis voluisse, ut quinque famosæ Propositiones damnentur in obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus; ac ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatus fuit?

29. An admittat Summorum Pontificum Constitutionibus in quinque Propositiones Jansenii latis, non deferre eum, qui Augustini Jansenii sensum, illis in Propositionibus damnatum, interius, seu corde non damnet ut hæreticum, vel qui interius non judicat prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri?

30. An paratus sit Juramentum Formulæ Alexandrinæ præstare juxta declarationes contentas in confirmatione Constitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. quas modernus Pontifex fecit 16. Julii anni hujus 1705. per Bullam quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth?*

31. An improbet quod aliqui dicant, librum Jansenii non continere nisi Doctrinam Sancti Augustini?

32. An admittat judicium Romani Pontificis in rebus fidei & morum, etiam extra Concilium Generale, esse infallibile?

33. An famosum casum conscientiæ a 40. Doctoribus Sorbonicis 20. Julii 1702. approbatum & a Sanctissimo Domino Nostro Clemente XI. 12. Februarii 1703. damnatum, ipse damnet tamquam multiplici noxiæ doctrinæ veneno abunde refertum, quo plures damnati errores, perniciosæque novitates adstruuntur, ac Constitutiones contra

tra Jansenianam hæresim per cuniculos impetuntur?

34. An quoad Libros Sacræ Scripturæ, idiomate vulgari traductos & alios prohibitos, recipiat Constitutiones Pontificum ac potissimum Pii IV.?

35. An improbet quod acta Congregationum *de Auxiliis* postquam S. Sedes declaravit iis nullam fidem adhibendam esse, nec a quoquam allegari posse, adhuc ab aliquibus allegentur?

36. An agnoscat Rituale Alethense a Clemente IX. 9. Aprilis 1668. proscriptum continere nonnulla ab ipso Rituali Romano, jussu Pauli V. edito aliena, & propositiones falsas, singulares, in praxi periculosas, erroneas, & consuetudini in Ecclesia communiter receptæ, atque Ecclesiasticis Constitutionibus oppositas?

37. An admittat Novum Testamentum vulgo nuncupatum *Montense* 20. Aprilis 1668. ab eodem Clemente IX. proscriptum, temerarium esse, damnatum a nostra vulgata editione difforme, & offendicula simplicium continens?

38. An admittat opus: *l'Année Chrétienne pour toutes les Messes des Dimanches, Feries, Festes de toute l'année* &c. primum ab Alexandro VII. sub pœna excommunicationis, dein ab Innocentio XII. denuo prohibitum fuisse?

39. An improbet quod libri prohibiti distrahantur, aut legantur, vel retineantur absque licentia legitima?

40. An spondeat se numquam immiscere venditioni, aut distractioni similium librorum, aut non legitime approbatorum?

41. An spondeat se nunquam immiscere ulli rei aut negotio ad munus suum Pastorale non pertinenti?

42. An promittat nullam instituere aut frequentare congregationem, invito Illustrissimo Domino Archiepiscopo, multo minus collationes, qualem unam exhibet causa Quesnelliana p. 264.?

43. An promittat familiaritatem aut necessitudinem quam cum Quesnello, Gerberonio aut similibus habuit plane abrumpere, nec ulterius habere vel cum ullo illorum directe vel indirecte commercium?

44. An D. Supplicans ab Illustrissimo ac Reverendissimo D. Arhiepiscopo humiliter veniam petat de omnibus, quibus novit se Illustrissimum suum superiorem offendisse?

45. An agnoscat quod male fecerit opponendo se Decretis Regiis adversus Jansenismi & Novitatum Propugnatores ac de iis suspectos latis, quæ 7. Novembris 1695. a Serenissimo Bavariæ Electore per Belgium missa fuerunt & præscripta?

46. An etiam a Rege desideret veniam nomine suo rogari de omnibus, quibus sacratam ejus personam aut Ministros ejus offenderit?

I.

Extractum ex Decreto Episcopi Leodiensis quo Supplicans tamquam suspectus de heresi proclamatur.

Joseph Clement, par la grace de Dieu Archevêque de Cologne, Prince Electeur du Saint Empire Romain, Archichancellier par l'Italie, & du Saint Siege Apostolique Legat né, Evêque & Prince de Liege, de Ratisbonne, & de Hildesheym, Administrateur de Bergtesgade, Duc de deux Bavieres, du Haut Palatinat, Westphalie, Engeren, & Bouillon, Comte Palatin du Rhin, Landgrave de Leichtenberg, Marquis de Franchimont, Comte de Looz & Horne, &c.

A tous ceux qui ces presentes lettres verront, liront, ou lire ouiront, Salut, &c. Hic omittuntur *quæ ad hanc causam non spectant.*

Qu'on agisse avec vigeur . . . contre ceux qui traitent & ont communication avec les Sieurs Quesnel *jadis Prêtre de l'Oratoire evadé des prisons de Monseigneur l'Archevêque de Malines, Ernest Ruth d'Ans Chanoine de S. Gudule, Guillaume van de Nesse Curé de S. Catherine à Brusselles, & plusieurs autres qui sont aussi chassez de France & des Pays-bas comme suspects d'heresie. Donné en nôtre cité de Liege du sceu & aveu & sous la signature de nôtre Coadministrateur dans le spirituel & Vicaire General, & sous nôtre seel accoutumé ce 15. d'Avril 1704. signé Guillaume Bern. de* Hi-

Hinisdael, Coadministrateur & Vicaire General de Liege.

K.

Epistola Supplicantis ad Pontificem, in qua querelas deponit contra praecedens Decretum.

BEATISSIME PATER,

Nova me iterum tempestas ad Beatitudinis Vestræ pedes prosternit (*a*). Jam quiete aliqua in exilio frui cœperam, cum ecce Decretum emanat a Coadministratore & Vicario Generali Serenissimi Principis Leodiensis, quo per universam illam Diœcesim a Pastoribus & Concionatoribus omnibus palam e suggestu proclamari jubeor tamquam de hæresi suspectus, additis etiam minis in eos qui mecum communicarent.

Dura, Beatissime Pater, fuit mihi ista proclamatio, & qui exilium utcumque tuleram, hæresis de me suspicionem ferendam non esse putavi. Serenissimi Principis Coadministratorem & Vicarium Generalem cum Aquisgrani esset, adii; quod suspicionis de me tam gravis fundamentum, quæ Decreti infamantis ratio, postulavi: sed cum aliud non reponeret, quam ita sibi mandatum a Principe, protestationem quam potui, atque ad Sedem Apostolicam appellationem interposui.

Filiali non ita pridem fiducia in paternum Clementiæ Vestræ sinum questus meos effudi, quoties ab Archiepiscopo Mechliniensi per calumnias atrocissimas, quas æmuli mei ipsi obtruserant, impetitus; quoties ab iis aut solemniter per sententiam, aut per impeditum ab Archiepiscopo justitiæ cursum, tacite absolutus fuerim; quibus tandem machinationibus obreptum Majestati Catholicæ, ut Litteris sigillatis quas vocant, Exilium mihi non solum non convicto, sed ne audito quidem, vel citato, nullo servato juris ordine, decerneret, enarravi. Nunc vero quod ne in Litteris quidem suis expressit Rex Catholicus, me tamquam de hæresi suspectum, ideoque e Patria pulsum esse Coadministrator & Vicarius Generalis Leodiensis, nullo præmisso causæ examine, solemni Decreto proclamat.

Non mea hic tantum, Sanctissime Pater, sed & Sedis Apostolicæ causa agitur. Decrevit Sanctitatis Vestræ Prædecessor Innocentius XII. in Brevi ad Episcopos Belgii die 6. Februarii 1694. directo, *Ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupare sinerent, nisi prius suspectum esse legitime constiterit aliquam ex quinque Propositionibus docuisse, aut tenuisse, nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, ac Concionibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiastica permittant, nisi servato juris ordine eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse, probatum fuerit*. Sed adeo præscriptam hanc sibi judicii formam non servat Coadministrator Leodiensis, ut eam etiam aperte contemnat atque proculcet.

Enim vero super suspicione hæresis, ne in judicium quidem umquam vocatus sum, nec sane vocari potui, qui coram Urbe & Orbe palam declaraverim sæpius me tamquam obedientem filium paratissimum semper esse Sedem Apostolicam, Ecclesiarum omnium Matrem ac Magistram audire, ejusque me judicio humillime subjicere. Quod si post hæc possit adhuc aliqua de me suspicio hæresis superesse, jam nullus est in Orbe Catholicus, cui non eadem possit suspicio impingi. Nulli enim, fidenter dico, in sincera erga Sedem Apostolicam reverentia ac obedientia cessi umquam, nec Deo dante, cedam dum vita supererit. De iis vero, qui mihi suspicionem hæresis contra Decreta Apostolica impingunt, etsi forte non iniqua prorsus foret suspicio, ipsius tamen Sedis Apostolicæ judicium expectabo.

Possem etiam meæ, Beatissime Pater, in fide ac doctrina integritatis testes adducere plura hominum millia, qui me per annos circiter viginti e suggestu docentem audierunt: libros vero nullos scripsi, qui scri-

(*a*) Alias Epistolas Summo Pontifici scripserat D. van de Nesse; nominatim 15. Martii 1704. occasione sui Exilii; quam ultimam videre est in Appendice Monumentorum Lucubrationis cui titulus: *Defense de la justice, de la souveraineté du Roi &c.* dans la cause de M. G. van de Nesse &c. p. XI.

scribendis aut edendis me immiscui: possem in testimonium vocare ipsos æmulos, qui in tanta turba non defuere ut docenti insidiarentur & aucuparentur aliquid, quo doctrinam meam in suspicionem vocarent: possem pro me dicere, quod nec ipse Mechliniensis Archiepiscopus, quantumvis mihi semper adversatus fuerit, nunquam tamen vel unum doctrinæ meæ apicem allegarit, quem de hæresi suspectum redderet. Verum his opus non est, ubi non tam mihi fidei ac doctrinæ meæ integritas, quam Coadministratori Leodiensi, hæresis adversum me suspicio probanda est. Interea monente S. Petro, cujus Sedem Sanctitas Vestra tenet, paratus *semper ad satisfactionem omni poscenti me rationem de ea, quæ in me est* fide ac doctrina, præcipue vero Sedi Apostolicæ, ad cujus nutum libens corrigam, quidquid in iis corrigendum judicaverit, atque hac obedientiæ meæ professione, iterum coram Sanctitate vestra emissa, etsi homo sim, & errare me posse profitear, ab hæresi tamen me liberum esse, & ab hæresis suspicione liberandum securus affirmo.

Hac fiducia, Beatissime Pater, non jam tantum ob causam, quam ignoro, per decretum publicum diffamatus, ad justitiæ vestræ tribunal recurro, hoc unum humillime Supplicans, ut Coadministrator Leodiensis, qui contra formam judicii a Sede Apostolica præscriptam, prius me de hæresi suspectum proclamavit, quam me de ea suspectum esse, legitime constaret, ad Brevis Apostolici obedientiam compellatur, probata legitime, quam mihi affricuit, suspicione hæresis, aut revocato, per quod eandem illegitime affricuit, Decreto. Pax enim nulla aut securitas innocentiæ, nisi quod tanta sapientia ad pacem Ecclesiæ Belgicæ decrevit Innocentius XII. id pari fortitudine post tot demum annos, executioni mandari præcipiat, qui in Sanctitate vestra est, zelus pro pace Apostolicus, quo ut Ecclesiam quam diutissime ac felicissime gubernet, mea ab exilio ad Deum Opt. Max. vota non intermittam. *Inferius habebatur:* Beatissime Pater. Sanctitatis Vestræ, humillimus cliens ac devotissimus filius. *Signatum:* Guil. van de Nesse, Pastor S. Joannis & S. Catharinæ Bruxellis.

(Mense Maii 1704.)

L.

Alterum Decretum Episcopi Leodiensis, quo prius de mandato Pontificis revocatur.

JOSEPH CLEMENT par la grace de Dieu Archevêque de Cologne, Prince Electeur du Saint Empire Romain, Archi-Chancellier par l'Italie, & du Saint Siege Apostolique Legat né, Evêque & Prince de Liege, de Ratisbonne & de Hildesheym, Administrateur de Bergtesgade, Duc des deux Bavieres, du Haut Palatinat, Westphalie, Engeren & Bouillon, Comte Palatin du Rhin, Lantgrave de Leichtenbergh, Marquis de Franchimont, Comte de Looz, & Horne &c.

A tous ceux qui ces presentes lettres verront ou lire ouiront, Salut. *Le profond respect & l'obeissance filiale, que nous devons & portons aux intentions de nôtre très Saint Pere le Pape nous a fait trouver bon d'executer, sans delay, ses volontez au sujet de la revocation, qu'il nous demande de certain mandement portant date le 15. d'Avril* 1704 *particulierement en ce qui concerne les personnes de trois Ecclesiastiques y nommez, a sçavoir le Chanoine Ruth D'ans*, van de Nesse, *&* Quesnel: *lequel mandement, quoyque publié sous nôtre nom & seel, n'étoit pourtant pas émané selon nos veritables intentions, & partant sera par les presentes tenu comme non arrivé: ce pourquoi nous ordonnons à tous les Curés & autres Predicateurs, qui auront publié ledit mandement du* 15. *d'Avril* 1704. *dans nôtre Diocese de Liege, de publier aussi nôtre presente declaration & revocation dans leurs premiers Prones & Sermons; exhortant tous les fideles tant Ecclesiastiques que Seculiers d'entretenir selon leur pouvoir & devoir la paix & la charité dans le Diocese, & de montrer par des effects l'obeissance & la soumission qu'ils professent envers la Sainte*

Eglise & envers leurs Superieurs. Donné à Bruxelles du sceu & aveu de nôtre Coadministrateur & Vicaire General in spiritualibus, *& sous nôtre seel acoutumé ce* 22. *May* 1705. JOSEPH CLEMENT *Electeur.* plus bas, *Guill. Bern. De Hinnisdael Coadministrateur & Vicaire General de Liege.* lieu [†] du seel, signé. *H. Martini.*

M.

Epistola Supplicantis ad D. van Susteren, qua respondit ad interrogatoria sibi proposita.

ADM. REV. AC AMPLIS. DOMINE,

Ad puncta interrogatoria die 6. Novembris mihi transmissa simpliciter & affirmative respondere urgebat me filialis mea observantia, cui a Paterna Illustrissimi D. Archiepiscopi benignitate tam uberes gratias in suis ad me Litteris, spondere dignatur benevolentia Vestra: verum id præstare serio meditantem timor subiit, ne forte ita respondendo limites a Sancta Sede præscriptos excederem, Constitutionibus ejus addendo aliquid, aut demendo, aut nonnullis me quæstionibus implicando, quas tempore 20. annorum, quos Curæ Pastorali consecravi, non tractavi, non discussi, ac ne quidem legi.

Re tamen tota maturius excussa, mox vidi timere me ubi non erat timor, omniaque hæc nullo negotio posse componi, cum tanta sit Vestra erga S. Sedem Reverentia, ut satisfacere illi nequeam, quin & vobis satisfaciam, ac proinde nihil aut vobis gratius, aut mihi tutius fore, quam si ad interrogatoria Vestra, non meis, sed ipsis Constitutionum Apostolicarum verbis respondeam.

Patere itaque Amplissime Domine, ut, quod semper professus sum; iterum hic profitear, me nempe omnes & singulas Propositiones ab Apostolica Sede damnatas, damnare eo prorsus modo ac sensu, quo eas damnat Sedes Apostolica, meque tanta cum veneratione Constitutiones ejus omnes ac Decreta semper suscepisse, ut nec verbulum, nec apicem, aut interpunctionem addiderim illis unquam aut dempserim, nec aliud unquam optarim, quam vel ab Illustrissimo D. Archiepiscopo vel a S. Sede, ejusve Ministris corrigi, si hac in parte a veritatis tramite deviassem.

Patere quoque ut vigilantiæ in me Vestræ hoc testimonium perhibeam, quod, si in hac similibusque causis muneri meo defuissem, vos non defuissetis, Vestro, & Constitutionibus vel Apostolicis vel Episcopalibus obtrectantem, aut ea de re legitime suspectum, juxta Constitutiones Canonicas corripuissetis, maxime cum in Aula Vestra sat frequens fuerim.

Prorsus existimo Amplissime Domine, eorum optime memorem fuisse Illustrissimum D. dum nuperrime Libellum Supplicem nomine meo ipsi obtulit D. Consul Bruxellensis, hic enim retulit, præfatum Libellum, uti & filialem quam in eo erga Illustrissimum Dominum testabar, observantiam ipsi perplacuisse, nec aliud ad concedendam quam postulabam gratiam exegisse, quam ut sepositis deinceps non spectantibus ad me negotiis, totum me functionibus Pastoralibus impenderem.

Eia ergo Amplissime Domine, tam æquam ac paternam Illustrissimi Domini resolutionem, suffragio tuo confirmare digneris, & pro ea, qua apud Illustrissimam Suam gratiam polles, authoritate, effice, ut omni tandem obice sublato, Patriæ ac Parochiæ meæ restituar. Deus Amplitudinem Vestram diu servet incolumem, uti voveo. Admodum Reverende ac Amplissime Domine, Amplitudinis Vestræ, humillimus servus. Guill. *van de Nesse*, Past. S. Catha. *Superscriptio*: Adm. Rev. ac Amplis. Domino *van Susteren*, Juris Utriusque Licentiato, Canonico & Vicario Generali Mechliniensi Bruxellas.

Ex loco Exilii 28. Novembris 1705.

N.

Epistola D. Archiepiscopi, qua suspendit Supplicantem.

DILECTE FILI:

Cum intelligamus Reverentiam Vestram hesterno die circa vesperam in hanc Civitatem reversam esse, necdum vero satisfecerit

cerit punctis sibi a Domino Vicario Generali die 6. Novembris ultimo præterito in materia doctrinali, notanter quoad errores Bajanos & hæresim Jansenianam propositis, sed iis conata sit sese subducere responso callido & vago, atque suspicionem errorum non tantum non minuente, sed potius augente, ut fert judicium plurimorum Theologorum, quos desuper consuluimus. Hinc nos, qui Gregi Curæ nostræ Pastorali commisso, sollicite invigilare debemus, de iis quibus vices nostras committimus, severam aliquando judicanti Domino rationem reddituri, Reverentiæ Vestræ ad interim facultatem concionandi, & fidelium Confessiones in hac Diœcesi excipiendi, revocandam, atque ab omni eam functione Pastorali suspendendam duximus; quemadmodum revocamus & suspendimus per præsentes, donec nobis vel Sanctæ Sedi Apostolicæ quoad doctrinam suam super præfatis propositionibus satisfecerit, seseque ab errorum suspicione debite expurgaverit, in quem finem reverentiæ Vestræ uberrimos Divinæ caritatis & Eucharisticæ solemnitatis fructus apprecati, Paterne subscribimur. Dilecte Fili R. V. Affectissimus servus. *Erat signatum*: H. G. Archiepiscopus Mechlin. Bruxellis 4. Junii 1706. *Superscriptio*: Erud. Domino D. Guilielmo *van de Nesse*; S. Theol. Licentiato &c. ad S. Catharinam Bruxellis.

O.

Advertentie van den Heer Artsbisschop van Mechelen waer mede hy den Raedt van Brabant recuseert als incompetent in dese saecke.

Den Heere Artsbisschop van Mechelen gesien hebbende de Requeste met de nombreuse stucken annex by den Suppliant aen desen Hove gepresenteert op den 31. Augusti lestleden, heeft wel willen voorhouden aen den selven Hove, dat de questie ofte verschil, waer van den Suppliant de kennisse tracht te brengen aen desen Hove, suyverlyck toucheert het Spirituel, als is het prediken van het Woort Godts, ende het Biech-hooren, ende andere pure Pastorele functien, maer van den Suppliant uyt juste ende Canonicke redenen by syne Hooghw. provisionelyck is gesuspendeert geweest, sonder dat daer aen eenigh het minste temporeel geannexeert is, waer op nochtans diergelycke provisie van manutenentie als den Suppliant ten desen is versoeckende, soude moeten gebauwtwesen, synde eene saecke, weer van de kennisse in allen gevalle soude competeren aen den Geestelycken Rechter: Utrum scilicet Causæ illæ, ob quas facta fuit dicta Suspensio, fuerint satis graves, nec ne? *Ende welcken aengaende den Suppliant sal vermogen te doen by den Geestelycken Rechter (den genen by selfs alreede daer in herkent heeft) 't gene hy te raede soude mogen vinden, Allen d'welck syne Hooghw. heeft goet gevonden desen Hove te adverteren onder protestatie &c.* onderteeckent, *Vaes*.

Copye van den Appointemente: *Rapport geda en in den Raede sy gecommuniceert aen partye om daer tegens te seggens binnen acht daeghen naer de Communicatie. Actum* 14. *September* 1706. onder-teeckent, *Ghindertaelen*.


Advertentia sive exceptio declinatoria proposita per D. Archiepiscopum Mechliniensem.

Dominus Archiepiscopus Mechliniensis viso Libello Supplice cum numerosis instrumentis annexis, per Supplicantem Pastorem S. Catharinæ, huic Senatui oblato 31. Augusti novissimi, judicavit eidem Senatui exponendum; quod quæstio seu controversia, cujus cognitionem Supplicans conatur ad illius cognitionem deducere, pure concernat spiritualia, uti sunt Prædicare Verbum Dei, Confessiones audire, & aliæ functiones pure Pastorales, a quibus Supplicans per Illustrissimum D. Archiepiscopum ex justis & Canonicis rationibus provisionaliter suspensus est, absque eo quod eisdem annexum sit vel minimum temporale, super quo tamen ejusmodi manutenentiæ provisio, quam Supplicans hic requirit, fundari deberet, cum sit talis causa cujus cognitio in omnem eventum competit Judici Ecclesiastico: *Utrum scilicet Causa illa, ob quas facta fuit dicta suspensio, fuerint satis graves, nec ne?*

Ac

Ac proinde poterit Supplicans apud Judicem Ecclesiasticum (cujus Tribunal jam inde agnovit) agere prout judicaverit expedire. Quæ omnia Illustris. D. Archiepiscopus huic Senatui advertenda voluit sub protestatione &c. *Signatum*, Vaes.

Apostilla erat: Relatione facta in Consilio, communicetur parti ad contradicendum infra octiduum post communicationem. Actum 14. Sept. 1706. *Signatum*, Gindertaelen.



P.

Breve Innocentii XII. ad Archiepiscopum Mechliniensem & reliquos Episcopos Belgii de 6. Februarii 1694.

Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Nuper ex Litteris Fraternitatum Vestrarum primum accepimus, orta esse aliqua inter Theologos Belgii dissidia, dum alii alios incusant tamquam Novarum Opinionum Sectatores, qui cum verbo, tum Scriptis Constitutiones felicis recordationis INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. Prædecessorum Nostrorum, in quibus quinque Propositiones ex Libro Cornelii Jansenii, cui titulus AUGUSTINUS, excerptæ & damnatæ una cum Formulario Juramenti in earumdem condemnationem præstandi, continentur, variis interpretationibus inutiles & inefficaces quodammodo reddere, non sine gravi animarum detrimento conantur. Cumque maxime nobis curæ esse debeat pro debito Pastoralis Regiminis Nobis ex Alto commissi, ut semper firmæ Prædecessorum Nostrorum Constitutiones permaneant in rebus, quæ ad Orthodoxæ Fidei integritatem conducunt, ad dissidia omnia, quæ Ecclesiæ & Fidelium Pacem perturbant, compescenda; In primis prædictis Constitutionibus INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. exemplo Prædecessorum Nostrorum firmiter inhærentes, easque in suo robore fuisse, & esse declarantes, Fraternitatibus Vestris, de quarum zelo, & pietate plurimum in Domino confidimus, Mandamus, ut contra omnes, & quoscumque cujuslibet Status, Gradus, & Conditionis existant, qui ausu temerario prædictas quinque Propositiones sic damnatas in Constitutionibus INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. publice vel privatim, tam in Scholis, quàm in Concionibus verbo, vel scripto defendere præsumpserint, servato tamen Juris ordine procedatis, eosque debitis pœnis in eisdem Constitutionibus contentis puniri curetis, cum ad comprimendum tam grave malum, quod jam diu Catholicam Ecclesiam vexat, efficacius remedium adhiberi non posse videatur. Præterea Fraternitatibus Vestris injungendum duximus, prout per præsentes injungimus, ut pro Vestra Pietate, & Prudentia, facultate illa, qua per Constitutionem Apostolicam muniti estis, ita Formularii Subscriptionem, seu Juramentum ad praxim reducatis, ut in exigendo Juramento prædicto Zelus, & Caritas Vestra quam maxime eluceat, ne alicujus Fama indebite lædatur, aut detractionibus, & murmurationibus locus detur. Quare præcipimus, ut quemadmodum, ii qui ad Juramentum adigendi sunt, illud præstare debent sincere absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas Propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet Propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt a Christi Fidelibus; ita per Fraternitates Vestras ab iis, qui Formulario prædicto subscribent, ac Juramentum præstabunt, præter formulam ipsam traditam, verbaque in Constitutione Apostolica præscripta quidquid aliud vel minimum, declarationis, interpretationis aut explicationis verbo, vel scripto non exigatur, etiam sub prætextu quod additiones ad nos transmissæ comprehendantur, seu contineantur in Formulario ALEXANDRI VII. Ceterum ad præcavendas omnes dissidiorum causas, quæ Christianam Pacem dilacerant, Nos quoscumque alios sensus Formularii præter eum, quem ipsius verba exhibent, affer-

afferri vel usurpari, aut de his disputari interdiximus, & prohibuimus, ac super ejusdem Formularii interpretatione, sicut & prædictarum Propositionum in alios sensus præter eum, quem ipsa verba per se exhibent, perpetuum silentium imposuimus, ut ex Nostris Decretis tam super ipso silentio, quam super prohibitione omnium Librorum editorum, & edendorum in hac materia plenius innotescet; cum ad Summum Pontificem duntaxat pertineat, sensum, quem in his Propositionibus damnaverit, & ut damnatum a Fidelibus credi censuerit, declarare. Demum ad extinguenda Theologorum jam pridem inter sese excitata dissidia, Fraternitatibus Vestris, quantum in Domino possumus, præsentibus nostris mandatis injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex his Propositionibus docuisse, aut tenuisse, nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab Officiis, Muniis, Beneficiis, Gradibus, ac Concionibus habendis, vel alia quacumque Functione Ecclesiastica permittatis, nisi servato juris ordine, eam pœnam, quæ Viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit. Hæc ad Fraternitates Vestras rescribenda decrevimus, non de Vestra Voluntate, & Studio erga Ecclesias Fidei Vestræ creditas diffidentes, sed animi nostri affectum, & omnium Ecclesiarum sollicitudinem testificantes, ut tandem qui Pastor Pastorum est, vigilasse Vos in Gregis vestri custodia Divino suo Judicio comprobare dignetur. Fraternitatibus interim Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 6. Februarii 1694. Pontificatus nostri anno tertio. *Et erat signatum* Marius Spinula.

Superscriptio erat: Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Mechliniensi, Episcopis Antverpiensi, Brugensi, Gandavensi, & Ruremundensi.

Q.

Alterum Breve Innocentii XII. ad eosdem Episcopos de 20. Novemb. 1696.

Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Litteras quas decima nona Julii ad Nos dedistis, libenti animo accepimus, cum in illis vestras ad hanc S. Sedem preces intellexerimus, quibus Nostrum judicium pro sana doctrina vestris in Diœcesibus regulanda postulatis. Ex iisdem autem Litteris aperte deprehendimus mala, quæ quoad Jansenismum exponitis, non procedere ex eo, quod Brevi a Nobis 6. Februarii anni millesimi sexcentesimi nonagesimi quarti ad Vos dato, satis ipsis non sit consultum, sed potius quia idem Breve executioni fortasse, uti par esset, non mandetur: cum illud nulla prorsus indigeat explicatione, aptumque sit, ubi in ipso præscripta adimpleantur, efficax atque opportunum afferre remedium. Quod si prætensi Jansenistæ interne, & absque eo quod deveniant ad ullum actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnent quinque Propositiones, quam in sensu obvio, non habito respectu obvii sensus dicti Formularii, suoque arbitrio effingant ejusmodi sensum obvium, Ecclesia non judicat de occultis, quæ soli Deo cordium scrutatori innotescunt. Sin vero iidem prætensi Jansenistæ voce aut scriptis edant proprios sensus, Apostolicarum Constitutionum, prædictique Brevis sensui dissentaneos, debent Episcopi, prout de jure, contra eos procedere non tantum authoritate ordinaria, sed etiam speciali facultate ipsis indulta a Constitutionibus Prædecessorum Nostrorum fel. record. INNOCENTII. X. & ALEXANDRI VII. quas Nos quoque confirmavimus; ita ut, servatis servandis, congrue puniantur, cum ea omnia facile probari possint, quia agitur de actibus externis.

Non sine admiratione intelligimus, nonnullos in Diœcesibus reperiri, qui verbis & calamo ausi fuerint affirmare, supradicto Nostro Brevi alteratam, seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. decima

cima sexta Octobris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti editam, nec non Formularium ab ipsomet pronuntiatum, cum dicto Brevi utrumque specifice confirmetur, & omnino intenderimus & intendamus iisdem adhærere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur, vel dematur a prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, sed quod in omnibus & singulis ejusdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam ad amussim observari. Quod attinet ad Libros Sacræ Scripturæ idiomate vulgari traductos, & alios prohibitos, patent Constitutiones Prædecessorum Nostrorum & potissimum fel. record. PII IV. a quibus satis superque abusibus providetur: ut etiam confugia ad Laica Tribunalia a consimilibus Constitutionibus inhibentur, quarum Episcopi suis in Diœcesibus observantissimi Executores esse debent. Quod pertinet ad pendentes controversias circa administrationem Sacramentorum, donec aliquid specialius decernatur, ab iisdem Episcopis advigilandum est, ut juxta Sanctiones Canonicas, Statuta Conciliorum, & praxim Ecclesiæ administrentur, habita casuum atque eorum circumstantiarum ratione. Etenim in præsens magna sollicitudine discussioni Propositionum, quæ inter alias abunde delatas, ad hoc argumentum spectant, adlaboratur a Consultoribus & Qualificatoribus supremæ hujusce Inquisitionis, qui omnes sunt pietate ac doctrina præstantes. De vestra autem in hanc S. Sedem observantia adeo præclare sentimus, ut plane confidamus, non omissuros Vos ejusdem mandata debita caritate & prudentia exequi, firmam in spem venientes restituendam tandem isti Provinciæ tranquillitatem qua ceteræ omnes fruuntur. Fraternitatibus interim Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 24. Novembris 1696. Pontificatus Nostri anno sexto. *Subsignatum erat;* MARIUS SPINULA,

Subscriptio erat: Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Mechliniensi, Episcopis Antverpiensi, Ruremundensi, Brugensi, Gandavensi.

R.

Epistola Regis, qua præcipitur Conciliis Regiis, ne sub prætextu Possessorii *turbent Episcopos in his, quæ doctrinam aut correctionem morum spectant.*

MAXIMILIEN EMANUEL par la grace de Dieu Duc de la haute & basse Baviere, & du haut Palatinat, Comte Palatin, du Rhin, Grand Eschanson du S. Empire, & Electeur, Landt-Grave de Leichtenbergh, Gouverneur du Pais-bas, &c.

TRES-CHERS & BIEN-AIMEZ,

l'Experience ayant fait voir qu'il arrive plusieurs inconveniens dans la Direction des affaires spirituelles, de ce qu'en prejudice de l'Authorité competante aux Evêques & Diocesains au fait de la Doctrine, & des Mœurs des Predicateurs, & Confesseurs, Ceux-cy auroient embarassé, & fait flater les Effects des Dispositions des Evêques par le recours qu'ils ont pris aux Conseils & Tribunaux de Justice & de l'ouverture qu'ils y ont trouvez à Titre de Possessoir, Nous Vous faisons cette pour Vous interdire, comme Nous Vous interdisons serieusement de recevoir, Vous mêler ny proteger aucune instance ou pretension, que l'on voudroit former par devant Vous, soit à Titre de Possessoir, ou autrement contre les Dispositions & Ordonnances que les Evêques ou Diocesains pourroient avoir faits ou feroient cy-aprés pour cause de Doctrine & Mœurs desdits Ecclesiastiques. Tres-chers & Bien-aimez Nôtre Seigneur Dieu Vous ait en Sa Sainte Garde. De Bruxelles le 7. de Novembre 1695.

S.

Litteræ Regiæ ad Episcopos Belgii super executione Brevium Innocentii XII. ad eosdem Episcopos.

DE PAR LE ROY:

Tres Reverends Peres en Dieu, tres-cher & feal, chers & feaux. Aiant veu la Lettre par Vous écrite, à nôtre Gouverneur General le d'Avril dernier, par laquelle Vous l'in-

l'informez du resultat des conferences, que Vous aviez eus emsemble, pour l'execution des ordres de Sa Sainteté & les Nôtres, afin d'extirper les Nouveautez & controverses qui troublent la Religion: Nous vous faisons cette, à la deliberation de nôtre dit Gouverneur General, pour Vous dire que Nous avons pour agreable la resolution par Vous prise, pour l'execution du Brevet de Sa Sainteté du 24. Novembre dernier, relatif à celui du 6. Fevrier 1694. *& que Nous esperons, que par cette execution une grande partie des dissensions qu'il y a entre les Theologiens viendront à cesser; & dans cette confiance, Nous appuierons de nôtre protection Royale l'execution du Decret, & ne permettrons pas, que les matieres qui concernent les mœurs & la Doctrine, qui se doivent traiter par devant les Tribunaux Ecclesiastiques, conformement aux Canons & à Nos ordres, soient tirées par devant les Tribunaux Lays, à quel titre que ce soit,* pourveu que Nos Placcarts & l'ancien usage de ce Pays soient observé en ce regard. *A tant tres Reverends Peres, tres-cher & Feal, Chers & feaux Nôtre Seigneur Vous ait en sa sainte Garde. De Bruxelles le* 10. *de Juin* 1697. Et étoit paraphé: *M. Pol.*^vt & plus bas: *J. A. Snellinx.* La Superscription étoit: *A Tres-Reverends Peres en Dieu, Nôtre tres-cher & Feal, Nos Chers & Feaux, l'Archevêque de Malines, & Evêques de Nos Pays-bas.*

APPENDIX AD MOTIVUM JURIS

Pro Rev. D. Guilielmo van de Nesse, Pastore Sanctæ Catharinæ apud Supremum Brabantiæ Senatum Supplicante.

C O N T R A

Illustr. ac Rev. Dominum Archiepiscopum Mechliniensem Intimatum & Excipientem.

In qua ostenditur Justitiam suspensionis non posse fundari in recusata a supplicante subscriptione famosi Formularii contra V. Propositiones Jansenii, neque hac de causa posse Supplicantem de hæresi notari suspectum.

Illustrissimi ac Amplissimi Viri,

Subaudiit Supplicans quod D. Archiepiscopus, qui illum de hæresi suspectum reddidit, nulla expressa causa, nullo speciali errore designato, nulloque servato Juris ordine, nunc eidem notam hæreseos aut suspicionis illius apud Regem ejusque supremos Senatus affricare conetur, debili isto & frivolo prætextu, quod modo (post sibi inustam via facti tantam infamiam) recuset subscribere famosæ Formulæ Alexandrinæ contra quinque Propositiones Jansenii præscriptæ.

Deinde quod Supplicans renuendo hanc Formularii subscriptionem memoratam suspicionem augeat ac refractarium se & inobedientem Ordinationibus Superiorum & Bullis Pontificum, ac signanter SS. D. Clementis XI. quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, palam & sufficienter ostendat.

At concipi non potest, quo titulo vel colore justitiæ D. Archiepiscopus possit Supplicantem in suspicionem hæresis vocare; aut ut refractarium & inobedientem Ordinationibus Pontificiis traducere ob denegatam subscriptionem Formularii ad abjurandos dictos errores emanati, cum nec ante nec post inflictam suspensionis pœnam hæc subscriptio fuerit eidem a D. Archiepiscopo legitime proposita, nullusque in ea proponenda caritatis ordo, nulla juris forma servata sit.

Agnoscit quidem Supplicans inter 46. articulos sibi propositos per Epistolam familiarem a D. Van Susteren, Vicario Generali fuisse petitum: *An paratus sit juramentum Formulæ Alexandrinæ præstare juxta* decla-

declarationes contentas in confirmatione Constitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. quas modernus Pontifex fecit 16. Julii anni hujus 1705. per Bullam, quæ incipit: Vineam Domini Sabaoth.

At huic petitioni, uti & ceteris abunde satisfecisse Supplicantem in sua ad D. Van Susteren Epistola profitendo, *se omnes & singulas Propositiones ab Apostolica Sede damnatas, damnare eo prorsus modo ac sensu, quo eas damnat Sedes Apostolica*, ostensum est in Motivo *Capite* 2. §. 10.

Neque D. Archiepiscopus ejusque Vicarius post datam hanc a Supplicante Responsionem quidquam amplius ab eodem vel circa subscriptionem Formularii aut condemnationem articulorum, nisi post inflictam pœnam suspensionis exegit.

Sed hac jam *via facti*, omnique violato ordine justitiæ contra Supplicantem decreta, ut aliquo saltem colore apud vulgus hunc inordinatum & irregularem procedendi modum adumbrent D. Archiepiscopi Consiliarii & justificare videantur, hanc negatam Formularii subscriptionem, tamquam inflictæ Censuræ causam evulgant & ubique proclamant.

Sed neque in ipsa suspensione ulla hujus recusatæ subscriptionis mentio fit, unde concluditur argumento certo, hanc recusationem non fuisse hujus suspensionis causam.

Scitur enim districte mandasse generale Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. *in Cap.* 1. *de sent. Excommunicat. in VI. Quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat*: addens: *Et hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis volumus observari.*

At ponamus, Supplicantem etiam a D. Archiepiscopo interpellatum, recusasse Formularii subscriptionem, nequaquam tamen ob hanc solam recusationem de doctrina erronea aut de inobedientia erga Constitutiones Pontificias suspectus redderetur.

Certum quippe est, debitam Decretis Apostolicis, etiam super memorato Formulario editis, reverentiam & obedientiam posse præstari, tametsi in certis circumstantiis subscriptio recusetur; neque ideo de doctrina erronea quemquam suspectum reddi, si justa de causa subscriptio recusetur.

Quod autem hæc justis de causis recusari possit indubitatum est; idque in suo ad Episcopos Belgii dato Brevi die 6. Februarii 1694. significat Innocentius XII. mandans ibidem Episcopis, ita Formularii subscriptionem ad praxim deducere, *ut in exigendo juramento prædicto zelus & caritas Episcoporum quam maxime eluceat, ne alicujus fama indebite lædatur, aut detractionibus & murmurationibus locus detur.*

Constat igitur, mentem esse Pontificis, conformem omnibus caritatis & Justitiæ Regulis, juramentum hoc non exigendum, ubi per hoc *alicujus fama indebite læderetur, aut detractionibus & murmurationibus locus daretur*: per consequens petitum juramentum posse recusari, si is a quo petitur, probet, per hanc exactionem *famam suam indebite lædi, aut detractionibus & murmurationibus locum dari.*

Porro hanc Formularii subscriptionem a Supplicante exigi non posse, inflicta jam suspensionis ab Officio Pastorali Censura, nisi una *Supplicantis fama indebite lædatur, aut detractionibus & murmurationibus locus detur*, manifestum erit, si ante omnia attendatur.

Hanc subscriptionem a Supplicante exigi ut se a suspicione hæresis, qua eum via facti Archiepiscopalis suspensio maculavit, expurget; quamque tollere renuit D. Archiepiscopus, nisi prius inustam sibi maculam præstito juramento eluat, & aspersos sibi errores, quos hactenus ignorat, vaga & indebita purgatione retractet.

Evidens ergo est, hanc Alexandrinæ Formulæ subscriptionem in præsentiarum a Supplicante requiri in modum purgationis Canonicæ, ut nimirum ea mediante se a suspicione hæresis expurget: unde sequitur, eodem titulo, quo Supplicans contendit sibi non posse tamquam de hæresi suspecto & infamato, per D. Archiepiscopum hactenus indici purgationem Canonicam, posse recusare subscriptionem Formularii, sibi vice purgationis Canonicæ, pro eluenda hæresis suspicione propositam.

In primis quippe expeditum est, purgationem Canonicam a Judice indici non posse, nisi infamato apud *graves* viros, & ex suspi-

ſpicionibus *veriſimilibus*, quæque ortum habeant ex probabilibus conjecturis *Cap.* 12. ✠ *De Purgat. Can.* ubi Innocentius III. non credidit purgationem Canonicam cuidam infamato indicendam, *quia infamatio credebatur ab inimicis & æmulis proceſſiſſe*, uti legitur in parte deciſa.

Ut igitur purgatio Canonica alicui injungatur prius conſtare debet Judici de infamia ex probabilibus & fundatis argumentis ac indiciis, orta, quod ut Judici innoteſcat, recte monet Henricus Zoeſius *ad titulum de Purgatione Canonica num.* 3. *Judicis eſſe præmittere cauſæ cognitionem ſuper infamia, ne quid temere attentetur, & viri boni vita in dubium revocetur.* Addens & hanc notandam & præſenti caſui opportunam rationem; *Contingit enim a malevolis infamia virum bonum aſpergi.*

Oportuiſſet igitur ante decretam per Formularii ſubſcriptionem purgationem, a Judice præmitti cauſæ cognitionem ſuper infamia Supplicantis, ut Judici conſtare potuiſſet, num ex probabilibus & veriſimilibus conjecturis infamia orta ſit.

Porro certum eſt, hactenus nullam ſuper infamia Supplicantis cognitionem a legitimo Judice fuiſſe inſtitutam, que ſi facta fuiſſet, ac ſine præventione diſcuſſa fundamenta & indicia hujus infamationis, qua Supplicans ad inſtar mille aliorum integerrimorum virorum *vaga accuſatione* & *invidioſo* Janſeniſmi nomine traducitur, dubium non eſt, quin Judici conſtitiſſet, hanc infamationem nullis probabilibus conjecturis inniti, ſed ab inimicis & æmulis proceſſiſſe, ideoque & inſufficientem ut purgatione Canonica ac Formularii ſubſcriptione fuiſſet eluenda.

Dicet forſan D. Archiepiſcopus, ſibi nota & probata eſſe veriſimilia & probabilia indicia, quibus Supplicans ei de hæreſi ſuſpectus eſt & ſufficienter infamatus, ut illi purgatio Canonica injungatur, qua ſe a macula ſuſpicionis expurget; priusquam ablati Paſtoralis Officii petita libertate donetur.

At infundatiſſima eſt hæc Archiepiſcopalis perſuaſio; ut enim indicatur purgatio Canonica, non ſufficit quemquam Judici privata notitia eſſe ſuſpectum; ſed requiritur, ut in judicio ſuſpectus reddatur; quemadmodum jam pridem monuit antiquus Annotator in Summam Cardinalis Hoſtienſis, Martinus Abbas Contemporaneus Azonis & Accurſii, qui in Annotatione ad dictam Summam titulo de Purgatione Canonica *Litt. B.* ait, *Quæri poteſt, an is, qui judici tantum ſuſpectus eſt, an ad purgationem compelli debeat? Et eum non cogendum, reſponſum eſt, niſi fuerit coram eo accuſatus, & Accuſatore probare nequeunte* (ſcilicet ad plenam accuſati convictionem) *reus remaneat ſuſpectus, & infamis apud Judicem, aut Epiſcopum, tunc poterit illi purgatio indici.*

Præterea, ut Judex alicui purgationem Canonicam indicat, requiritur ut ipſius jurisdictio reſpectu illius, cui indicenda eſt, non ſit ſuſpenſa aut ligata, uti uno conſenſu docent Canoniſtæ ad *Cap.* 15. ✠ *de purgat. Can.* ubi reſpondit Innocentius III. nullius effectus fuiſſe purgationem ab Ordinario Judice cuidam infamato indictam, ipſa cauſa coram Judicibus delegatis pendente: Rationem ibidem ſubjungit Gloſſographus: *Cum cauſa illa delegatis Judicibus commiſſa fuiſſet, & ſic Epiſcopus nullam habeat jurisdictionem quantum ad cauſam, ea pendente.*

Ex quo indubitatum eſt, D. Archiepiſcopum non eſſe Judicem competentem, ut ejus authoritate Supplicans ſuſpectus & infamatus habeatur, eique purgatio Canonica ad abſtergendam hanc maculam indicatur.

Conſtat enim omnem Jurisdictionem D. Archiepiſcopi reſpectu Supplicantis fuiſſe & eſſe iterata ipſius recuſatione legitime interpoſita ac indeciſa pendente, ſuſpenſam; ut latius in Motivo oſtenſum eſt.

Et ſi ſola ſpecies facti ipſi Motivo præfixa, nec non Libellus recuſationis eidem annexus ſub Litt. *F.* Inſpiciantur, patebit D. Archiepiſcopum nequaquam poſſe reputari Judicem ſat integrum & indifferentem, qui de ſufficientia aut inſufficientia ſuſpicionis recte judicet, & argumenta & rationes in ſtatera æquitatis examinet, & verum a falſo nimia contra Supplicantem, ut ſæpius probatum eſt, commotus præventione, diſcernat.

Si in omni generaliter materia Judicis integri & non ſuſpecti cognitio præmittenda

 ſit

sit de sufficientia suspicionis, priusquam purgatio Canonica indicatur, ne alicujus fama temere & indebite lædatur, hæc præ cæteris in casu hæresis necessaria est.

Scitur enim, quam leviter & infundate sæpius viri etiam maxime Catholici hæresis nota ab æmulis jam pridem aspersi fuerint & etiam hodiedum aspergantur, si non in omnibus eorum sensis consentiant: præsertim dum apud supremas potestates authoritate prævalent: hisque sua sensa ut fidei Catholicæ dogmata instillare noverunt. Ita viros maxime Catholicos, & fidei Catholicæ Defensores acerrimos hac nota maculatos, etiam ab Episcopis legimus; uti de Sanctis Athanasio, Basilio, Chrysostomo aliisque non paucis manifestum est.

Sed ut extra præsentem casum hæresis Jansenismi non evagemur, quanta cautela & circumspectione Judici utendum est; quantaque in eo integritas requiritur, ut in hac materia de suspicionis sufficientia rite judicet; & cuipiam uti de illa suspecto, medium Canonicæ purgationis injungat?

Notum quippe est, millenos, eosque integri nominis & inculpatæ vitæ viros tam Ecclesiasticos, quam Laicos omnis Status & Conditionis Jansenismi macula per sexaginta & amplius annos publice fuisse aspersos, ac ut hæreticos aut saltem de hæresi suspectos fuisse traductos, nec tamen ullum, quod scitur, de Jansenismo legitime fuisse convictum; imo nec ut suspectum ad purgationem Canonicam per ullum Judicem servato Juris ordine fuisse compulsum: ut non minus vere, quam lepide dixerit aliquando Doctor Steyartius de Jansenismo: *Est crimen omnium, nullum crimen habentium.* (*a*)

Hinc prudentissime & sapientissime monuit Episcopos Belgii in suo ad ipsos Brevi Innocentius XII. (ut supra notatum) ita Formularii subscriptionem ad praxim deducere, *ut in exigendo juramento prædicto zelus & caritas eorum quam maxime eluceat, ne alicujus fama indebite lædatur*; puta, illud sine suspicione legitima per modum purgationis Canonicæ alicui indicendo.

Quin & edoctus Sanctissimus hic Pontifex infinitos viros apprime Catholicos sine ullo verisimili fundamento tamquam de Jansenismo suspectos traduci, & eo nomine palam proclamari, mandavit D. Archiepiscopo aliisque Belgii Episcopis, *ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinant, nisi prius suspectum esse legitime constiterit aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse.*

Si Episcopi ex præcepto Pontificis pati non debeant, *ut quisquam vaga illa accusatione & invidioso nomine Jansenismi traducatur, nisi ipsum suspectum esse legitime constiterit aliquam ex his propositionibus docuisse aut tenuisse*, quanto minus, quemquam ad purgationem Canonicam ipsimet condemnare, nisi prius illum suspectum esse *legitime*, sive servato Juris ordine, constet.

Imo post hoc datum Breve, continuo magis magisque cognoscens hic Sanctissimus Pontifex, quam leviter fama virorum de Ecclesia optime meritorum hac vaga accusatione & invidioso nomine *Jansenismi* de hæresi redderetur suspecta, quin & hi pene soli essent, qui *Jansenistarum* nomine indicarentur; præcavere volens, ne utendo hoc nomine aliquos infamaret, quasi ipse revera pro Jansenistis haberet, quibus vulgo hoc nomen tribuitur & apud ipsum pro talibus traducebantur, in altero suo Brevi ad D. Archiepiscopum 24. Novembris *1696.* noluit illos, qui ab Episcopis Jansenismi accusabantur, dicere Jansenistas; sed *prætense Jansenistas*; id est qui tales esse prætenduntur; ut ita palam significaret, sibi nequaquam probari, illos esse vere Jansenistas, qui vaga illa accusatione & invidioso nomine traducuntur.

Persuadet sibi Supplicans, sufficienter huic Regio Senatui perspectum esse, quam infundate in recusationem subscriptionis sæpe dicti Formularii refundere contendat D. Archiepiscopus Justitiam suæ suspensionis in Supplicantem via facti vibratæ.

Præterea sat probatum esse, Supplicantem nulla forma Justitiæ in suspicionem hæresis vocari posse, licet in hisce circumstantiis dictam Formularii subscriptionem recusaret, antequam *legitime* servato Juris ordine probatus sit, eam hæresis suspicionem

(*a*) In Epistola Facultatis Theologicæ Lovaniensis ad Alexandrum VIII. Anni 1690.

nem & notam incurrisse, quæ Canonica purgatione diluenda sit.

Credit itaque Supplicans, hanc Formularii subscriptionem in his circumstantiis merito posse recusari, nisi prius probatum sit *legitime*, ipsum sufficienter esse suspectum, ut ei purgatio Canonica indicatur: imo existimat quod hac a se postulata Formularii subscriptione & errorum abjuratione non tantum de hæresi, sed etiam perjurio suspectus reddatur.

Cum enim Supplicans ante susceptum Lovanii Licentiæ gradum, tertio, idque diversis temporibus, dictos errores abjuraverit juxta Formulam a Facultate Theologica anno *1660.* præscriptam, & ab Alexandro VII. probatam, nonne palam suspectus redditur, quod contra tertio iteratum juramentum abjuratos errores docuerit, aut tenuerit, dum per modum purgationis Canonicæ subscriptio Formularii & abjuratio illorum ipsi iterato indicitur: & nisi ea mediante se ab illa suspicione purgaverit, maneat ab omni functione Pastorali suspensus?

Nonne in Supplicantem insurgent Parochiani, dum intelligent, quod etiam post trinam errorum illorum abjurationem adhuc se de erroribus illis reddiderit ita suspectum, ut tandem se ab ea suspicione & infamia solemni abjuratione & purgatione Canonica lavare debuerit?

An non hinc concludent, pœnam suspensionis, quin & exilii in Supplicantem juste fuisse decretam?

Hinc & facile intelligitur, quod tametsi Supplicans Formulario hisce in circumstantiis subscribere renuat, nequaquam pertinaciæ & obstinati animi argui possit, cum Pertinax dicendus non sit, qui Christiana Constantia & zelo vere Sacerdotali amat potius adversariorum calumniis & vexationibus opprimi, quam famæ suæ, præsertim in materia Religionis & fidei jacturam pati, fatendo se de hæresi & perjurio ita suspectum, ut eam notam mediante purgatione diluere debeat.

Neque credit Supplicans, ad hoc juramentum se movendum exemplo DD. Pastorum hujus Urbis Confratrum suorum, qui feruntur, declarasse, se paratos Formulario subscribere ac iterato errores Jansenianos abjurare, si & quando D. Archiepiscopo videatur.

Quid DD. Pastores D. Archiepiscopo adduxerint, vel qua ratione commoti sint, ut eam D. Archiepiscopo subscriptionem promitterent, non est Supplicantis inquirere, neque super eo Confratres suos arguere.

Hoc sibi persuadet Supplicans, quod illi numquam hanc Formularii subscriptionem D. Archiepiscopo obtulissent, si hæc ut medium purgationis Canonicæ ab illis, uti a Supplicante, exigeretur; qui de illis meliora sentit, quam ut crederet tam famæ suæ prodigos ut vellent se hac oblatione juramenti a suspicione & nota hæreseos, qua injuste & illegitime maculati fuissent, sine ulla necessitate purgare; idque ut vel D. Archiepiscopo complacerent, vel se ab æmulorum injusta vexatione liberarent.

Deinde Fraterna Caritas cogit Supplicantem de Confratribus suis credere, quod hanc subscriptionem & abjurationem nequaquam solo placendi studio obtulerint. Cum supponat illis tamquam in Theologiæ principiis versatis notum esse, præstari juramentum non posse solo hominibus placendi studio, sed jurandum in justitia & judicio.

Quo autem motivo ducti sint, non intendit Supplicans curiosius indagare, protestans se nolle in hac, quam obtulerunt, subscriptione suos Confratres redarguere aut accusare.

Verum probe novit, factum hoc DD. Pastorum vel aliorum, qui forsan idem offerrent, non esse regulam, quam ipse sequi in doctrina, aut morum vel propriæ vitæ directione teneatur.

Notorium est enim quam infirmum, ne dicam perniciosum trahatur argumentum ab exemplo aliorum, pro discernenda veritate doctrinæ vel morum sanctitate.

Nam ut pridem dixit S. Cyprianus apud Gratianum *dist.* 8. *Can.* 9. *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei Veritatem.* Et Can. 8. *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est, propter quod relicto errore, sequamur veritatem.*

Imo

Imo nullum est argumentum perniciosius, nullumque quo frequentius zelosissimos fidei Christianæ & veritatis ac justitiæ defensores ac Athletas tentavit mundus, & princeps mundi pater mendacii, quam hoc ab exemplo multitudinis & consuetudinis desumptum. Cum enim pauci reperiantur, qui arctam Evangelii & veritatis viam teneant & veritatem ac justitiam ea sinceritate ac fortitudine diligant, ut eam omnibus, quæ mundus blandiens promittit, vel terrens minatur, præferant, nihil solet esse frequentius, quam veritatis & justitiæ amatores & defensores, tamquam singulares & multitudini adversos, traducere, & eo nomine odiosos explodere.

Nonne hoc pernicioso argumento tentatum vidimus per Constantium Imperatorem Arianum, ipsum Liberium Papam ut S. Athanasii condemnationi subscriberet, *Nam hoc*, ait Constantius, *recte se habere censet totus terrarum orbis, & eum sententia Concilii ab Ecclesiastica communione segregandum judicavit.... Totus terrarum orbis non de ejus impietate solum, verum etiam quod semper tempus ludere conatus est, sententiam tulit ... Tantane vobis terræ pars, Liberi, in te residet, ut tu solus homini impio subsidio venire & pacem orbis ac mundi totius redimere audeas?* Hæc & plura una cum generosis ac Pontifice dignis responsis ex Theodoreto referuntur *tomo 2. Concil. General. col. 775. edit. Labeanæ.*

An non hoc Diabolico sophismate circa idem tempus non solum tentatos, sed & tandem dejectos scimus duos Sanctissimos Viros Fægadium & Servatium Tungrorum Episcopum? Ex 400. Episcopis Concilii Ariminensis, nonnisi *viginti* tandem superant, qui nefario & subdolo Arianorum formulario subscribere constanter recusabant. Cum enim per Imperatorem Constantium Arianorum fautorem mandatum, sciretur Præfecto, *ut Synodum non ante laxaret, quam conscriptæ fidei consentire se omnes subscriptionibus profiterentur;* ac si qui pertinacius obstiterent (dummodo is numerus intra quindecim esset) in exilium pellerentur, tunc major *rerum & Consiliorum perturbatio orta est*, ut testatur Sulpitius Severus lib. 2. Hist. addens: *Dein paulatim plerique nostrorum, partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti, dedere se adversariis: factaque semel inclinatione animorum, catervatim in partem alteram concessum: donec ad* VIGINTI *usque nostrorum numerus imminutus est.*

Pergit Sulpitius, *Sed hi* (viginti) *quanto pauciores, tanto validiores erant. Constantissimusque inter eos habebatur noster Fægadius, & Servatius Tungrorum Episcopus.*

Sed quam exitiosa atque periculosa sit hæc a multitudine petita & sub specie pacis delitescens tentatio, evincit quod sequitur. Qui enim minis & terriculis non cesserant, eos tandem preces ac lacrymæ Præfecti Commissarii Imperatoris inflexerunt hoc specioso, ac modo admodum vulgato argumento, quod tempori cedere atque mitiora amplecti oporteret. *Clausos intra unam Urbem Episcopos jam septimum mensem agere, injuria hiemis & inopia confectis, nullam spem revertendi dari.* QUIS TANDEM ESSET FINIS? SEQUERENTUR PLURIUM EXEMPLUM, AUTHORITATEM SALTEM EX NUMERO SUMERENT.... *Ut quis discordiarum finis foret, si qua* (Formula fidei) *Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret?*

His aliisque fallacibus argutiis sub pernicioso pacis ac unionis prætextu delusi hi fortissimi fidei Athletæ, tandem dejecti subdolo fidei Formulario subscripsere: *Atque hoc modo Concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu est consummatum*, ait Sulpitius.

Simili argumento Episcopi Occidentales sub idem tempus Seleuciæ congregati, Formulæ Arianæ subscripserunt, unico pene Hilario Pictaviensi Episcopo *extremum fidei periculum animadvertente*, seque inflexibiliter opponente; qui & propterea tandem per Imperatorem Constantium, *quasi discordiæ seminarium, & perturbator Orientis redire in Gallias jubetur absque exilii indulgentia*, teste Sulpitio: Hic scilicet Hilarius, de quo idem Sulpitius: *Illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas.*

Pluribus hunc Regium Senatum, de exitioso hoc argumento sat persuasum, fatigare superfluum est: unum addit Supplicans, id argumenti genus jam pridem a Facultate Theologica Parisiensi ut *Diabolicum* fuisse explosum, in Epistola anno 1444.

Præ-

Prælatis & Capitulis Eccleſiarum Franciæ traſmiſſa, ad deteſtandum & omnino abolendum quemdam ſuperſtitioſum & ſcandaloſum ritum, quem *Feſtum fatuorum* vocabant, ibi de hoc argumento ita ſcribunt: *Nolite ſubdolas hominum voces audire ſic dicentium: Prædeceſſores noſtri, qui erant notabiles viri reputati, iſtud feſtum permiſerunt, ſufficiat nobis vivere ut ipſi. Procul dubio* (ait Facultas) *iſtud argumentum Diabolicum eſt, & infernalis hæc perſuaſio*. Habetur integra in Appendice operum Petri Bleſenſis pag. 782.

Credit itaque Supplicans, ſibi nequaquam exemplum multorum ut regulam actionum ſuarum, in re tanti momenti eſſe ſervandam, ſed ipſam veritatem pro qua defendenda nequaquam metuendum eſt ſubinde a communi tramite ad ſingularitatem deflectere, exemplo Sanctorum *quorum plurimi* (ut ait magnus ille Archiepiſcopus Braccarenſis Bartholomæus de Martyribus, Concilii Tridentini Decus in Stimulo Paſtorum p. 2. c. 6.) *niſi ad Apoſtolicas declinaſſent ſingularitates numquam neque Sancti fuiſſent, neque noſtra Calendaria ſuis nominibus ornaſſent, neque Breviaria geſtis ſuis impleſſent: qui autem tritam ſecuti ſunt viam, vel ignorantur eorum nomina, vel ſordent, nec ſemen Sanctum poſt ſe reliquerunt.*

(N. B. Vide ſententiam Senatus Brabantiæ pro manutenentia Paſtoris S. Catharinæ Bruxellis, die 27. Octobris 1707. datam, in Appendice Tractatus *De recurſu ad Principem* &c. Litt. G.)



VII.

REFLEXIONES (a)

Ad aliquas regulas Juris.

[*Nunc primum editæ.*]

REFLEXIO PRIMA.

Quid ſit regula Juris, & qua ratione dicatur quod omnis regula Juris ſit pernicioſa.

Regula eſt, ait Juris-Conſultus in lib. primo ff. *de Regulis juris*, *quæ rem, quæ eſt, breviter enarrat: non ut ex regula Jus ſumatur, ſed ut ex jure, quod eſt, regula fiat;* quo oſtendit J. C. regulas Juris eſſe quædam generalia principia ex particularibus caſibus in jure deciſis deſumpta. Unde ſubjungit: *per regulam igitur brevis rerum narratio traditur*, & ut ait Sabinus, *quaſi cauſæ connexio* &c. hoc eſt regula breviter & compendio plures caſus enarrat, & in unum quaſi conjungit; quare regula ex conſtituto anteà jure tanquam præexiſtenti, ut ita loquar, materia ſua; non vero e contra jus ex regula natum & perfectum dicitur. V. G. Cum alibi traditum eſſet, *perjurum ad dicendum teſtimonium minime admittendum eſſe, propter ſuſpicionem perjurii*, Cap. 15. *de teſtibus:* item, *marito ſævienti non facile reddendam uxorem ab eo digreſſam propter metum ſævitiæ:* Cap. 13. ✕ *de reſtit. Spoliatorum:* item, *ſemel negligenti: non poſſe tuto iterum negotium committi* Cap. 9. ✕ *de præſumptionibus;* occaſio ſumpta eſt condendi hanc regulam; *ſemel malus ſemper præſumitur eſſe malus*. Ut igitur breviter dicam, regulæ juris nihil aliud ſunt quam multarum rerum jure definitarum velut in unum collectarum narrationes, ſeu breviaria, ſeu ſententiæ caſuum particularium deciſioni ſubſervientes. Circa has regulas juris hoc notandum quod plerumque exprimi ſoleant per verba, quæ de ſua natura omnia comprehendunt, ut notat Gloſſa, ad proœmium tit. 1. *de regulis juris*, in 6. quia vero in rebus agendis

(a) Has Reflexiones Juris, pro Lectione Canonica ſex ſeptimanarum dictavit D. van Eſpen, J. U. D. Lovanii, poſt annum 1686.

dis difficulter assignari possunt regulæ generales, quæ in generali sua expressione sint adæquatæ, eo quod intellectus humanus sit nimium limitatus, ut unica regula queat adæquate adeo multa particularia facta, qualia solent sub generalibus terminis contineri, circumscribere, natum est fieri ut regula verbis indefinitis vel quædam non includenda includat, vel non excludenda excludat; quod ipsi Juris Consulti intellexisse videntur; dicit enim unus eorum: *omnis definitio, id est regula, in jure civili, est perniciosa; rarum est enim ut subverti non possit*. L. 202. de regula juris; quasi diceret aliqua verbis generalibus regula comprehendi, quæ comprehendi non possunt; ac proinde ex eo capite subverti possunt; quia, ut dicit citata lex. 1., regula *semel cum vitiata fuerit perdit officium suum*.

Dum igitur in omnibus pene regulis sub terminis generalibus aliqua contineantur, quæ excipi debent, nec tamen quænam illa sint in regula exprimatur, non difficulter intelligitur qua ratione factum sit ut in talibus multi errores de regulis juris originem sumpserint; quia nimirum regulæ illæ applicatæ fuerunt aliquibus casibus, quibus applicandæ non erant, ut ex sequentibus patebit.

REFLEXIO SECUNDA.

Ad regulam 27. in 6. *scienti & consentienti non fit injuria*; & leg. 145. ff. *de reg. Juris*: *nemo videtur fraudare eum, qui scivit & consentivit*.

* Regulas jam traditas in sua generalitate acceptas, admodum periculosas esse non difficulter intelligi potest, ex his enim facile persuadebitur homini litigioso sibi licitum esse accipere pecunias via transactionis ab eo, qui sciens & consentiens, imo ultro ei eas offert ut se ab injusta litis vexatione redimat; Advocati quoque & Procuratores intelligentes causam suæ Partis non esse fundatam, credent sibi licitum esse inducere alteram partem ad transactionem, nullam nimirum parti illi fieri injuriam, quia sciens & consentiens summam pecuniæ dare videtur.

Similiter Receptores Regii civitatis alteriusve Communitatis aut Principis*, creditoribus suorum principalium non solventes aut saltem solutionem notabiliter differentes, nisi a creditoribus munera aliqua offerantur, per hujus regulæ generalitatem, munerum illorum susceptionem justificant; quasi creditoribus nulla fiat injuria, tamquam scienter & voluntarie illa offerentibus. Idem esto judicium de aliis Officialibus Laicis sive Ecclesiasticis, qui in expediendis negotiis sibi creditis se morosos ostendunt, quoadusque ultroneam munerum oblationem incitent & extorqueant. Hujus quoque regulæ generalitate securos autumant qui res suas justo carius vendunt, scientibus & volentibus, qui necessitate res illas habendi ipsos premi noverunt, aut sciunt illas emptoribus esse admodum necessarias, commodas ac utiles, tametsi nec in se nec in ipsis vendentibus res illa tanti valeat.

Reperiuntur etiam nonnulli, qui cum operariis & famulis indigeant, credunt se tutos, si vilissima qua possunt mercede operas conducant, modo operarii in illam condescendant, quasi scientibus & volentibus non fiat injuria.

Nihil denique usitatius quam hac regulæ generalitate se ab injustitia & simonia securos credant collatores beneficiorum, aut ea resignantes, qui titulo gratitudinis accipiunt; quasi scientibus & plane consentientibus operantur.

Porro licet hi omnes casus sub generalibus regulæ terminis contineri videantur, minime tamen in eorum mente comprehenduntur; verba enim illa, scienti & consentienti, intelligenda sunt proprie; nimirum de plene sciente & libere consentiente, nimirum quando sponte & libero animo quis sciens consentit.

Quod vero in allegatis casibus dantes & offerentes non plane sponte & libere consentiant, facile est videre, quippe prioribus casibus pecuniam per metum iniquæ litis, aut injuste recusatæ, aut dilatæ solutionis vel prolongationis negotiorum a partibus extorqueri clarum est; similiter duobus subsequentibus casibus, ipsi emptores vel operarii in pretium illud vel mercedem, non magis libere ac spontanee consen-

ſentiunt quam in uſura conſentiat ille qui in neceſſitate conſtitutus illos promittit & ſolvit alias mutuare nolenti.

In poſtremo denique caſu, tametſi munera illa ultro aut ſpontanee collatoribus aut reſignatoribus offerri videantur, ſi quis tamen munerum quantitatem, perſonas dantis & accipientis, modumque offerendi leviter attenderit, illa non ſponte & libere, ſed ex quadam inuſitata obligatione & pactione ſolvi manifeſte deprehendet, ut latius in *Tractatu de ſimonia* circa Benef. ptc. 1. Cap. 2. §. 8. oſtendi.

REFLEXIO TERTIA.

Ad reg. 46. in 6. *qui tacet conſentire videtur.*

Hanc regulam ſi nude inſpiciamus in ſua generalitate defendi non poſſe, ac proinde ad certas ſpecies coarctandam eſſe recte obſervarunt interpretes. Multis quippe caſibus accidit ut tacens nec poſitive nec interpretative conſentire videatur. Varia enim & frequenter occurrere poſſunt, ob quæ aliquis ſilentio diſſimulet, quæ tamen nullatenus probare, nec illis conſentire intendit, quæ rationes tacendi ſi juſtæ & legitimæ fuerint, tacens ne quidem interpretative dicendus erit conſentire, hinc Juris C. leg. 8. ff. *quibus modis pignus ſolvitur*, dicit, *non videtur conſenſiſſe creditor, qui ſciente eo debitorem hypothecæ obligatæ vendiderit*, cum ideo paſſus eſt venire quod ſciebat ſibi ubique pignus durare; quaſi diceret, non videtur creditor tacendo conſenſiſſe, quia rationem tacendi ſive non contradicendi habuit.

Cum igitur hæc regula plures patiatur exceptiones, quæ tamen terminis indefinitis & univerſalibus ſit definita, quid miri ſi plures inde errores originem ſumpſerint, dum nimirum in ſua generalitate aſſumpta illis caſibus applicata fuerit, quibus ex mente conditoris & Legiſlatoris applicanda non erat: utque plura omittam hoc unum notandum generali applicationi hujus regulæ merito adſcribendum eſſe peſſimum & perniciosum illud argumentandi genus, quo nonnulli Superiorum omnium maxime ipſius Romani Pontificis non contradictionem ſeu ſilentium pro conſenſu interpretantur, hoc ſimilive modo argumentando: iſtud illudve publice practicatur in Italia aut etiam in Curia Romana, & Pontifex tacet, ergo conſentire videtur; ex quo ulterius conficiunt: ergo licitum eſt. Hoc argumentum etſi admodum debile multiſque titulis defectuoſum non tamen ab heri aut nudius tertius, ſed a multis retro ſeculis in defenſionem abuſuum ſumptum fuiſſe conſtat: ſeculo enim XI. ſcribente Ivo Carnutenſi, quod cum repugnaret & interdiceret Decano, Cantori aliiſque miniſtris Eccleſiæ, quædam pro conſuetudine antiqua publice exigentibus ab his, qui Canonici fiunt, ipſius Romanæ Eccleſiæ conſuetudine ſe defenderent, in qua dicunt Cubicularios & Miniſtros ſacri Palatii multa exigere ex conſecratis Epiſcopis vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliant, cum nec calamus, nec charta ibi gratis, ut aiunt, habeatur; & hoc quaſi lapide atterunt frontem meam cum non habeam quod reſpondeam niſi Evangelicum illud, *quod dicunt ſervate & facite, ſed ſi id non faciunt, ſecundum opera eorum nolite facere*. Epiſt. 133. A ſexcentis proinde annis SS. ac vigilantiſſimo Præſuli, ſimoniarum pravitatem penitus extirpare ſtudenti, prætactum argumentum objici videmus, ut una intelligamus quam parum illi eruditus ille Antiſtes detulerit. Et merito; multis enim ex capitibus vitioſum eſſe facile oſtenditur. Certum eſt in primis, ut jam notavimus, tacentem non videri conſentire ne quidem interpretative, ſi juſtæ rationes ipſum ad tacendum ſeu ad non contradicendum moverint. Quis vero ambigat quin ex parte erroris etiam Romanis Pontificibus interdum poſſint eſſe juſtæ rationes, ob quas aliqua pro tempore diſſimulent ut mala majora præcaveant: quid enim ſi ea ſit temporum conditio, ut ſi omnia reformare velint periculum ſit ne omnia perturbentur? Quis credat his circumſtantiis occurrentibus Superiorem pro bono Eccleſiæ ad tempus diſſimulantem habendum eſſe pro conſentiente? Ad hæc quis dubitet quin revera Romano Pontifici hujuſmodi temporis durities occurrere queat, ut etiam in ſua ipſa Curia aliqua pro tempore tolerare tenea-

tur, ut majora mala evitet? Certe talem calamitatem seculo proxime elapso reperisse, alteque deplorasse Adrianum VI. plura probant, & inter alia constat ex illis, quæ Francisco Delegato suo ad Principes Germaniæ injunxit. Dices, inquiebat ad Legatum suum, *nos ingenue fateri quod Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferri permittit propter peccata hominum, maxime Sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum . . . scimus in hac sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum, si ægritudo a capite in membra, a Summis Pontificibus in alios inferiores* (Ecclesiæ) *Prælatos descenderit . . . . Qua in re quod ad nos attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, ut primum Curia hæc, unde forte omne hoc malum processit, reformetur, ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet . . . . Quamquam nemo mirari debebit si non statim omnia errata, & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus est, nec simplex sed varius & multiplex; pedetentim in ejus cura procedendum est; & prius gravioribus magisque periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformare volentes omnia perturbemus* (a). Nec tantum Adrianus, sed & ipsa Generalis Tridentina Synodus similem temporis difficultatem ostendit. Quare plura non probanda ad tempus dissimulare debuerit, quod licet in plurimis locis obscure insinuet, apertius tamen in ultimis SS. expressit; cum enim desideraret Monasteria, quæ ex mala administratione Prælatorum tam in spiritualibus quam in temporalibus non levia erant passa incommoda, ad congruam monasticæ vitæ disciplinam revocare, ingenue fassa est, *verum adeo dura difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus nec commune ubique quod optaret remedium possit adhiberi* ss. 25. de Ref. Cap. 21.

Nullatenus proinde sequitur, hæc illave Pontifex aut Concilium Generale tacendo dissimulat; ergo consentire etiam interpretative videtur. Insuper prædictum argumentum ex ipsa Superioris taciturnitate, non tantum consensum interpretativum, sed positivam illius approbationem & consensum importat. Manifestissimo rursus ex hoc capite laborat defectu; verum namque est Prælatos Ecclesiæ dissimulantes nec corrigentes abusus, consequenter illos consentire interpretative censeri, quia enim ex officio impedire & extirpare abusus tenentur, si id ex aliqua humana timiditate aut hominibus placendi studio, adeoque perverso affectu prætermittant, quis dubitet quin ipsi abusus sæpius sint voluntarii in causa & consequenter illos interpretative approbare censeantur. Unde tamen nullatenus sequitur, quod illi iidem Prælati positive illos abusus approbent; imo sæpe contingit ut illos eodem tempore positive improbent, quod interpretative probant, quia nimirum tolerant quos corrigere & extirpare tenentur. Quis enim ambigat, quin plures ex prædecessoribus Adriani VI. sub quibus in Curiam Romanam plura abominanda, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, intraverant, non se opponendo aut nimium connivendo interpretative in illa consenserint, qui tamen illa nullatenus approbarant aut approbare voluissent. Invalida proinde est hæc consequentia: Prælati Ecclesiæ tenentur ex officio suo huic aut illi praxi se opponere, & tamen tacent & dissimulant; ergo positive illam approbant.

Denique ut demus aliquam praxim a Prælatis Ecclesiæ imo & a Summo Pontifice ut particulari homine; non tantum interpretative sed positive etiam probari, male tamen infertur: Ergo praxis illa licet; consequenter illo ex capite prædictum argumentum id inferens, manifesto laborat defectu. Quis enim ambigat, quin Ecclesia non tantum in Cathedris Episcopalibus, sed etiam in ipsa Petri Sede interdum conspicere & tolerare coacta fuerit Lupos & mercenarios, cujus rei utpote manifestæ ut plura testimonia omittam, unicum Cardinalis Baronii calamitosum Ecclesiæ statum seculo 10. describentis sufficiet: *Vix aliquis credat*, inquit, *imo nec vix quidem sit crediturus nisi suis inspiciat oculis manibusque contrectet, quam indigna, quam turpia, deformia, execranda, insuper & abo-*

(a) Hanc Adriani instructionem videre est T. 2. Fasciculi rerum expetendarum, pag. 343. & seq.

& abominanda sit coacta pati Sacrosancta & Apostolica Sedes, cujus cardine universa Ecclesia vertitur, cum Principes seculi hujus quantumlibet Christiani hac tamen ex parte dicendi tyranni sævissimi, arrogaverunt sibi tyrannice electionem Romani Pontificis quod tunc ab iis, proh dolor! in eandem Sedem, Angelis reverendam visu horrenda intrusa sunt monstra. Quot ex iis orta sint mala consummatæ tragædiæ ad initium anni 900.?

Dicemusne forsitan licitum quidquid veri quidem sed indigni Petri successores, verbo vel facto in particulari probarunt?

Quis denique unquam credidit illam Sedis Apostolicæ prærogativam, ut ii qui eam legitime ascendunt omnibus humanis affectibus & passionibus ita dominentur, ut nunquam illis indulgendo, illicitum aliquo facto aut verbo probarent? Quod Romanorum Pontificum humilitas frequenter publice professa est. Utque iis plura silerem exempla, obvium illud Clementis quinti in Extravag. 2. *de Præbendis*, in communibus, in qua palam profitetur plures Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum commendas ex humano quodam affectu & carnali amicitia erga quasdam personas a se fuisse concessas, quas omnes ibidem tanquam Ecclesiæ valde perniciosas revocat & annullat. Ut igitur concludam tribus potissimum titulis argumentum prædictum vitiosum est, 1. quia nullatenus sequitur: Superior tacet, ergo consentire videtur, etiam interpretative: 2. non sequitur: Superior tacendo consentire videtur interpretative? ergo positive actum probat: 3. denique ex positiva Superiorum etiam Romanorum Pontificum approbatione, non recte concluditur, ergo licet.

Hinc una intelligere licet quam parum sit fundatum illud a quibusdam Jurisperitis traditum principium: actus omnis justificatur propter scientiam & patientiam Superiorum. Barbosa in principiis & locis communibus utriusque juris, littera A. principio 64.

REFLEXIO QUARTA. (a)

Ad Reg. 15. in 6. *odia restringi & favores convenit amplificari.*

Veritate ac utilitate magna gaudet hæc regula, modo quid per odia, quidque per favores intelligatur rite perspectum fuerit. *Odia* sive *odiosa* in hac Regula proprie dicuntur illa, quæ juri communi sive sacris Canonibus opponuntur; præcipue tamen illis, quibus Ecclesia adhuc florens & libera, id est necdum abundantia vitiorum aggravata, aut filiorum suorum fragilitate aut duritia inclinata, melioribus temporibus libere declarare potuit, quam in Ministris suis eruditionem, & morum puritatem, quam erga Superiores, & præsertim Episcopos obedientiam, quam erga divina mysteria, reverentiam, & in eorum receptione vitæ sanctimoniam, quam in peccatoribus pœnitentiam, quem vitæ rigorem contra vitia, quamque in ceteris servatam disciplinam desiderat; quos Canones Sanctus Leo, Epist. 84. appellat *Canones spiritu Dei conditos & totius Ecclesiæ reverentia conservatos*. Hoc modo sumendo *odia* sive *odiosa*, recte dicit Regula: *odia restringi convenit;* quia sive ipsum usum sive interpretationem consideremus, semper restringi oportet, quidquid a jure communi sive sacris illis Ecclesiæ Decretis, quibus verus Ecclesiæ spiritus continetur & exprimitur, recedit. Continua Ecclesiæ fuit consuetudo, ut nunquam, nisi necessitate cogente, a Canonibus illis recederetur, eorumque rigor seu authoritas labefactaretur. Brevitatis causa illius explicationem omittam, quæ partim in Thesibus *de dispensationibus* pro repetitione juris jam pridem (b) defensis; partim in libello *de simonia circa Beneficia* parte prima, Cap. 10. para-

 gra-

(a) Reflexio quarta hujus Tractatus, quæ erat ad Regulam 65. in Sexto: *In pari delicto vel causa melior est conditio possidentis;* & ad Leg. 128. ff. de R. J. *in pari causa possessor potior habetur*, typis data fuit anno 1700. ad calcem juris Ecclesiastici universi, sub hoc titulo: *Expositio Regulæ juris: In pari* &c. Hinc eam Reflexionem hic omittimus; & quæ fuit in Tractatu *Reflexio quinta*, nunc erit *Reflexio quarta*.

(b) Anno 1684.

grapho quarto, videri possunt.

Quod vero attinet ad interpretationem eorum, quæ sacris Canonibus contrariantur, in primis omnium Canonistarum sententia receptum est, nihil unquam sacris Canonibus contrarium esse admittendum, nisi clare probetur per authoritatem legitimam pro tempore & ex causa, contrarium esse indultum sive concessum; secundo omnium Doctorum calculo probatum est illa, quæ sacris Canonibus adversantur, ita explicanda esse, ut nunquam ultra tenorem, eorumque proprium sensum extendatur; ita ut quantum fieri potest maneat Canonum illibata authoritas. Ex his certissimis principiis plures non inutiles in variis materiis conclusiones elicere possemus; sed ob brevitatem temporis aliquas tantum elucidandæ materiæ admodum hodie intricatæ & controversæ, nimirum exemptionum Capitulorum, Universitatum, Monasteriorum a jurisdictione Ordinariorum subservientes hie proponemus.

Exemptiones illas a spirituali Episcoporum jurisdictione sacris Canonibus contrariari nemo dubitat. Hinc ex prædictis principiis fit conclusio.

CONCLUSIO.

Episcopus jure communi fundatur, ut jurisdictionem in Capitula, Universitates & Monasteria exerceat, quousque de legitima sua exemptione plene docuerint. Habetur expresse in Cap. 7. *de privilegiis*. in 6.

Secundo: In iis, in quibus jurisdictio dubia, Episcopus sua jurisdictione uti potest.

Tertio: Exemptiones utpote odiosæ ultra expressum & proprium verborum tenorem non sunt extendendæ: quam regulam in hac materia sedulo ab Episcopis observatam voluit Synodus Tolosana, anno 1590. parte 4. Cap. 16. §. 1.

Quarto: Exemptiones de persona in personam, vel de loco ad locum, vel de re ad rem, extendi non possunt.

Quinto: Si in eandem personam concurrunt duæ diversæ qualitates, exemptio competens in una qualitate, non concurrit ad ea, quæ augentur in alia qualitate. Conformiter ad has conclusiones respondit Innocentius tertius in Decreto, *Cum Capella*, Extra, *de privilegiis*, probato per Concilium Tridentinum ss. 24. Cap. XI. de reformatione. Non obstante exemptione competente Canonicis Episcopum posse officii sui debitum in eosdem libere prosequi, in quantum Parochianarum Ecclesiarum, vel alias Jurisdictionem ipsius despicere dignoscentur. Cui conforme est quod Sta Synodus Tridentina ibidem declarat: *privilegia, residentibus in Curia Romana rigore Eugenianæ Constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium, competere solita*, in iis *qui Beneficia Ecclesiastica obtinent, ratione prædictorum Beneficiorum minime intelliguntur, sed Ordinarii jurisdictioni subjecti permaneant*.

Eodem pari fundamento declaravit Synodus Lugdunensis, in Cap. 1. *de privilegiis*, in 6. Monachos exemptos, si ad Prioratus Monasteriorum suorum non exemptos mittantur, ut ibidem eorum curam gerant, ratione eorundem Prioratuum Ordinarii Jurisdictioni esse subjectos.

Hæc si recte expenderentur & observarentur, non dubium quin plurimæ quæstiones in materia exemptionis, quæ hodie non exiguam in Ecclesia turbationem excitare solent, facile sopirentur.

Hinc enim apparet, quod Academicis, Religiosis aut Canonicis indulta exemptio restringenda sit ad ea, quæ Academicos ut Academicos, Religiosos ut Religiosos &c. concernunt, & consequenter non esse extendendam ad ea, quæ eosdem in qualitate alia disparata, præsertim quæ ipsi certius Episcopo subjiciuntur, tangunt. V. G. si in Academico simul concurrat qualitas Sacerdotis, Confessoris, librorum Censoris &c. exemptio concessa Academiæ, nullatenus ad functiones in hisce qualitatibus exercitas pertinet. Similiter de Regularium ac Canonicorum exemptione ratiocinandum: nimirum ut intra limites disciplinæ Regularis & Canonicalis contineatur. Ex prædictis quoque apparet quod si casu aliquo dubitaretur, num Regulares, Canonici &c. Ordinario subjiciantur, pro authoritate Episcopi potius esset judicandum; utpote jure communi fundata, quousque plene probetur exemptio.

RE-

VIII.

REFLEXIONES (a)

Ad nonnullas Extravagantes inter Communes.

[*Nunc primum edita.*]

REFLEXIO I.

AD Extravagantem: *Super. De Consuetudine.* Inter Extravagantes Communes, una notabilis occurrit sub nomine Joannis Papæ XXII. sub titulo: *de Consuetudine.*

In hac Constitutione in primis tanquam indubitatum asseritur, quod Romanus Pontifex *super gentes & Regna a Domino sit constitutus.*

Post hæc asserit, quod *cum personaliter singulas regiones circuire non possit, nec circa gregem sibi creditum curam Pastoralis sollicitudinis exercere* &c. Hic non obscure significat Pontifex suam curam Pastoralem se extendere ad omnes totius orbis Ecclesias, adeoque universum orbem Catholicum suæ Episcopali curæ esse subjectum, eoque titulo omnem authoritatem Episcopalem a plenitudine potestatis in Romano Pontifice residente, reliquis Episcopis communicari; ita ut hi in partem duntaxat sollicitudinis censeantur vocati, ipse vero Pontifex Romanus solus in plenitudinem ipsius potestatis.

Cum igitur hanc generalem curam Pastoralem, sive plenitudinem potestatis, per seipsum omnibus personaliter impendere nequeat, infert, quod *necesse habeat interdum ex debito impositæ servitutis, suos ad diversas mundi partes (prout necessitates emerserint) destinare Legatos, qui vices ipsius supplendo, errata corrigant, aspera in plana convertant, & commissis sibi populis salutis incrementa ministrent.*

Deplorat autem quod *aliqui hujusmodi officium & potestatem ipsius Romani Pontificis, quam non ab homine, sed a Deo recepit, sub suo arbitrio redigere molientes, Legatos ipsos nisi ab eis petitum fuerit . . . ingredi non permittunt.* pag. 370.

Post hæc subjungit: *nos hujusmodi consuetudinem . . . decrevimus,*

Quin & addit, *nec eod. prætextu cujusvis consuetudinis impedire posse . . . in eisdem.*

Imo declarat, quod hi qui *de cetero præsumpserint impedire* &c. *persistendum* &c.

Denique declarat ita hæc observanda esse *non obstantibus quibuslibet . . . volumus suffragari.*

Evidens est in hac Constitutione Pontifici asseri Plenitudinem potestatis per totam Ecclesiam Catholicam, ut supra observatum est; ipsumque posse ad omnes Provincias & Regna Legatos suos mittere; idque sine assensu Principum: quam Constitutionem extra Italiam & Provincias temporales Pontifici subjectas, ac notanter in hoc Belgio, atque Regno Galliæ, ac vicinis Provinciis, non esse receptam, ostendi *jure Ecclesiastico* parte 1. tit. de Legatis Apostolicis. Et in Regno Galliæ ostendit Carolus *Fevretius*, in tractatu *de abusu* Lib. 3. Cap. 2. & novissime notavit D. Hericourt *in Analysi*, ad titulum Decretalium *de Consuetudine.*

REFLEXIO II.

Ad Extravagantem: *Injunctæ. De Electione.*

In hac Extravagante edicitur ne quis Episcopus aut Prælatus, qui Provisionem aut Confirmationem obtinuerit a Pontifice in Curia Romana, ad Ecclesiæ suæ administrationem, imo nec ad ejus dignitatis possessionem admitti queat, nisi obtentis Litteris seu Bullis in Curia Romana expediri

(a) Hæ Reflexiones inconsulto prætermissæ sunt in Editione Commentarii in Canones Juris veteris & novi, & in jus novissimum, facta Lovanii, anno 1753.

pediri solitis : iisque exhibitis : de qua Extravagante actum est in Supplemento juris Ecclesiastici parte II. tit. XXIV. Cap. 4. ubi & notavi quod occasione hujus Constitutionis adverterit Natio Gallicana, Provisionem Episcopatuum & Abbatiarum, aliarumque dignitatum reipsa non expediri, sive non habere effectum, nisi prius solutis temporalibus sive Annatis; eo quod Litteræ seu Bullæ Provisionis non relaxentur, nisi Annatæ fuerint reipsa solutæ; quia sine iis Litteris seu Bullis provisionis, non potest Provisus accipere administrationem, seu possessionem suæ dignitatis, conformiter ad hanc Extravagantem.

R E F L E X I O III.

Ad Extravagantem: *Unam sanctam. De majoritate & obedientia*; & Extravagantem: *Meruit. De Privilegiis.*

Admodum famosa & celebris est hæc Constitutio Bonifacii VIII. edita durante famoso ac diuturno dissidio, inter hunc Pontificem & Philippum Pulchrum Regem Galliæ.

In hac Constitutione primum adstruit Unitatem Ecclesiæ Catholicæ; ac dein hujus Ecclesiæ seu corporis unum a Christo esse constitutum Caput seu Vicarium, nimirum Petrum ejusque successores; ac proinde Pontifici Romano tamquam Petri successori, omnes omnino fideles, cujuscumque sint dignitatis, tamquam suo Pastori debere obedire; atque ipsum esse unicum Pastorem in terris, cui ovile Christi sit commissum. Ulterius asserit: *in hac, ejusque potestate, duos esse gladios, spiritalem scilicet & temporalem Evangelicis dictis instruimur*; in cujus asserti sui de duobus gladiis probationem subjungit: *nam dicentibus . . . sed satis.* &c.

Quin imo ulterius non dubitat tamquam indubitatum asserere, quod non tantum gladius spiritalis sed & materialis fuerit a Christo Ecclesiæ sive Petro concessus; imo & qui hoc negaret, textum Evangelii non recte intelligere dicit in verbis: *male verbum attendit Domini proferentis: converte gladium tuum in vaginam.*

Tandem multis probare contendit, potestatem temporalem debere subesse spiritali, atque ab hac dependentem esse, ac finaliter concludit *subesse Romano Pontifici. . . omnino esse de necessitate salutis.*

Quantopere hæc Bulla, sive Constitutio Bonifacii VIII. aliæque similes Constitutiones ab hoc Pontifice evulgatæ, quibus declarabat Reges & Principes, etiam quoad temporalia suorum Regnorum subesse Romano Pontifici, eorumque jura ab eo dependentia, Regem Galliæ ejusque Regnum turbaverint & irritaverint, ex historia ejusdem dissidii abunde liqueat, & latius ostendi in Dissertatione proœmiali ad sextum Decretalium; ubi una ostendi, occasione hujus dissidii hunc librum Decretalium, nomen Bonifacii VIII. præferentem, ægre fuisse admissum.

Ceterum & hoc certum est, hanc Extravagantem, aliasque Pontificum Bullas seu Decretales, quibus Principes in temporalibus Pontifici seu Ecclesiæ subjecti declarantur, nec in Belgio, nec in Gallia, neque in Regnis seu Provinciis extra Italiam, Sedi Apostolicæ in temporalibus non parentibus, recognosci. Et quidem singulatim de hac Extravagante notat Ludovicus Hericourt, in Analysi ad Decretales, tit. *de Majoritate & obedientia.*

Postquam enim compendiose hujus Extravagantis Analysim expressisset, & annotasset Bonifacium ex his omnibus conclusisse esse articulum fidei, omnes fideles subditos esse tam quoad *spiritualia*, quam *temporalia* Summo Pontifici subjungit: *Les François . . . .* p. 85. in Analysi ad Decretales; columna 1. *pour le temporel.*

Ad hanc Extravagantem spectat alia Extravagans, quæ incipit: *Meruit*, relata inter Extravagantes Communes, sub titulo: *de Privilegiis*, sub nomine Clementis V. per quam in favorem Philippi Pulchri Regis Franciæ, ejusque Regnicolarum, hic Pontifex, favore hujus Regis ad Pontificatum promotus, declarat per dictam Constitutionem seu Extravagantem Bonifacii VIII., quæ incipit *Unam sanctam*, Regem Galliæ ejusque Regnicolas, non magis subjici Romano Pontifici seu Sedi Apostolicæ quam fuerant subjecti ante hanc Constitutionem.

De hac Clementis Declaratione, seu Extra-

Extravagante & qua occasione edita fuerit, videri poterunt dicta, tum in Dissertatione proœmiali ad librum 6. Decretalium, tum in Dissert. ad Concilium Viennense sub Clemente V. ejusque Acta.

REFLEXIO IV.

Ad Extravagantem: *Docta. De vita & honestate Clericorum.*

Admodum sane notanda hæc Extravagans; seu Constitutio Joannis XXII. in qua in primis describitur modus, quo Divinæ laudes seu Divina Officia decantari seu persolvi debeant, ut debitus Deo Cultus exhibeatur.

Ut enim recte monet *in ore eorum dulcis resonat sonus*; dulcis quippe omnino sonus in ore psallentium resonat, cum Deum corde suspiciunt, dum loquuntur verbis. De hac interiori & pia dispositione in Resolutione Divini Officii latius egi in Dissertatione de Horis Canonicis Cap. VI. Et merito videndus libellus idiomate Gallico scriptus, sub hoc titulo: *Traité de la priere publique*.

Deinde ostendit per cantum seu solemnem persolutionem Divini Officii, si tute & cum ea reverentia, quæ oportet, persolvantur, fidelium corda ad devotionem inflammantur, *inde etenim* (ait) *in Ecclesiis psalmodia cantanda præcipitur* &c.

Hic habemus quod etiam ætate hujus Pontificis, scilicet Seculo XIV. non dubitaretur, quin Divinum Officium nocturnum & diurnum, quod hodie Officium Canonicum dicitur, non tantum ad Cleri, sed & fidelis populi devotionem excitandam persolveretur; quodque ad illud populus conveniret; & una cum Clero ad illud cantaret, prout id ipsum in allegata Dissertatione Cap. III. latius ostendi.

Ex hac insuper Extravagante seu Constitutione, habetur quod eo tempore in cantum ac signanter in Musicam talia irrepsissent, quæ magis audientes a Devotione avocarent, imo ad lasciviam invitarent, quam ad veram devotionem; quæ hac Constitutione ab Ecclesia sive Divinis Officiis auferri præcipiuntur: quos abusus (singulatim) expressimus in prævitata Dissertatione, uti & in *Jure Ecclesiastico*, parte II. tit. V. Cap. IX. Et quid contra eos abusus statuerit tum Synodus Tridentina, tum Synodi Episcopales post Concilium Tridentinum celebratæ, fusius deduximus.

REFLEXIO V.

Ad Extravagantem: *Ex superna. De Præbendis & Dignitatibus.*

Admodum notabilis est hæc Clementis V. Constitutio, qua hic Pontifex abusum *Commendarum*, ob multiplices abusus & enormia scandala, quæ ex earum concessione in Ecclesiam irrepsisse videbat & deplorabat, totaliter abolere visus fuit: de quibus abusibus, ut de earum Commendarum origine actum in Jure Ecclesiastico, parte I. tit. XXXI. Cap. VII. ubi & de Clementis V. Constitutione, seu Extravagante actum est.

REFLEXIO VI.

Ad Extravagantem: *Postulasti. De Præbendis & Dignitatibus.*

Certum est circa tempora hujus Pontificis Joannis XXII. usitatum fuisse, ut Pontifices sibi authoritatem vindicarent certos proventus vacantium Beneficiorum, pro certo tempore aut quantitate, reservandi, aut Cameræ Apostolicæ applicandi; hæc præsens Constitutio modum colligendi, & de quibus Beneficiis nec non proventibus essent colligenda, exponit. Una dubia nonnulla super his per Commissarios Apostolicos ad hanc collectionem destinatos proposita resolvens. Plures hujus Pontificis Constitutiones inter eas Extravagantes occurrunt, de hac collectione proventuum vacantium Beneficiorum; uti recte notavit d'*Hericourt*, in Analysi, Tituli de Præbendis & Dignitatibus: una tamen monens, quod in Regno Galliæ non excipiantur hujusmodi collectiones sive reservationes fructuum Beneficiorum vacantium; sed unice vigore Concordati inter Leonem X. & Franciscum I. vacantibus Dignitatibus Consistorialibus solvatur certa taxa Annatarum: verba ejus sunt: *on souffre en . . . . autres Benefices*, pag. 120.

RE-

REFLEXIO VII.

Ad Extravagantem : *Ratio recta* . *De Religiosis domibus*.

In hac Extravagante seu Constitutione recte advertit Pontifex, quod ratio recta non patiatur, ut innocentes ad paria cum nocentibus judicentur.

Post hæc exponit quod Clementi V. suo prædecessori de *Mulieribus*, *quæ Beguinæ vulgariter nuncupantur*, *nonnulla ei fuissent*, *præcipue de Allemaniæ partibus insinuata sinistra*.

Errores, de quibus hæ mulieres ut suspectæ apud Clementem erant delatæ & infamatæ, hic recensentur : atque ibidem enarratur quod ob has de mulieribus illis præsertim in Allemania degentibus, suspiciones Clemens V. Beguinas, seu earum statum generaliter damnaverit ; sive in illas, *quæ statum hujusmodi noviter assumptum*, *sectarentur ulterius* ; *aut quæ illum de novo assumerent Excommunicationis sententiam promulgavit*.

Hæc Clementis Constitutio refertur in Clementina : *Cum de quibusdam*. De *Religiosis domibus*; cujus occasione etiam Beguinæ Belgicæ, licet innocentes, plurima perpessæ fuerunt ; quasi de his erroribus suspectæ ; quæ & traductæ fuere : uti latius annotavi in Jure Ecclesiastico part. I. tit. XXXIII. Cap. III. Ibidem annotavimus, quomodo Episcopi, præsertim Cameracensis, Ultrajectensis & Leodiensis, scripserint ad Joannem XXII., Clementis V. immediatum successorem, mulieres, quæ vulgo dicebantur Beguinæ, & quæ plures erant in hoc Belgio, nullo ex illis erroribus esse infectas, aut de illis suspectas, sed vivendi Regulam admodum laudabilem sectari : quibus permotus Pontifex hanc edidit Constitutionem, qua declarat has mulieres sub Constitutione Clementis, quantumvis generali, non comprehendi : Estque hæc Constitutio, quæ in hac Extravagante refertur, & quæ statum Beguinarum in Belgio, aliisque Provinciis nonnullis conservavit ; uti in Jure Ecclesiastico allegato annotavimus.

REFLEXIO VIII.

Ad Extravagantem : *Vas Electionis*. *De Hæreticis*.

Joannes de Poliaco, Doctor Parisiensis, dicitur docuisse 1. *quod Confessi Fratribus*, seu viris Religiosis . . ; *tenentur eadem* . . . *confiteri proprio Sacerdoti*.

Istos Articulos in hac Extravagante, Joannes XXII. omnes & singulos . . . . reprobavit.

Primum Articulum, qui est quod *confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones*, *tenentur eadem peccata*, *quæ confessi fuerant*, *iterum confiteri proprio Sacerdoti*, sat aspere reprobaverat Benedictus XI. in sua Constitutione seu Extravagante, quæ incipit : *Inter cunctas*. *De Privilegiis*, inter communes.

In hac Extravagante expresse declarat, confessos Fratribus ad eadem peccata proprio Sacerdoti rursus confitendum non teneri : neque Lateranensis Concilii Canonem id postulare.

De his Extravagantibus plura dixi in Supplemento ad Partem 2. Juris Universi, Tit. VI. Cap. V.

REFLE-

IX.

REFLEXIONES

Circa jus Placiti Regii, sive Litterarum patentium, occasione Brevis Pontificii ad Facultatem Theologicam Lovaniensem, dati die 29 Nov. 1710.

In quo *Decretum*, 22. Septembris ejusdem anni, *quo veteri ac simplici juramento* (anni 1660. constituto) *standum esse constituitur, cum omnibus inde secutis pro non facto habendum esse, pristinam vero deliberationem* (anni 1706.) *de exigendo juramento* (*juxtra mentem in Constitutione*, Vineam Domini Sabaoth, *enuntiatam*) *omnino servandam esse*, præcipitur.

[*Nunc primum edita.*]

REFLEXIO I.

AB antiquo invaluit jus Principum non admittendi Bullas Romanas priusquam in Regis Auditoriis essent examinatæ & placetatæ. Omnium Nationum Authores, qui de hoc jure testantur, referuntur in *jure Belgarum* Cap. 2. Item apud Franciscum *Salgado*, in Tract. de *Supplicat. ad Sanctissimum*, parte I. Cap. 2.

Et specialiter de hoc jure & usu apud Hispanos, testatur *Covarruvias* Pract.qq. Cap. 35. num. 4.

Apud Belgas constans fuit usus istius Placiti, atque de eo testatur Ludov. *Guicciardinus*, in descriptione Belgii: verba ejus referuntur in Tract. *de Censuris*, Cap. I. §. 7.

REFLEXIO II.

Hoc Jus fundatur in jure Principis præcavendi omnia, quæ Statum ejus turbare, vel jura Regia aut Vassallorum, nec non inveteratos mores, & Provinciarum Privilegia lædere possent: quod præcaveri non posset, si novæ Leges ab exteris Potestatibus in suas ditiones, sine ejus consensu inferri & promulgari possent.

REFLEXIO III.

Ex infractione hujus Juris Respublica multis incommodis exponitur, uti reflectit author juris Belgarum Cap. 2. n. 19. citatis his verbis *Covarruviæ*: *si quis contendat a Principibus Christianis hanc tollere potestatem, statim comperiet experimento manifestissimo quantum calamitatis Respublica invenerit.*

REFLEXIO IV.

Princeps huic juri renuntiare non potest, nisi curam tranquillitatis Reipublicæ, Principatui essentialiter annexam, a se dimitteret, uti bene deducitur, in *Jure Belgarum*, Cap. 2. num. 18. Et refertur ibidem, num. 9. pag. 27. Editionis 2. Cap. 4. quod cum Lusitaniæ Rex huic juri renuntiare vellet, obstiterint Primores Regni.

REFLEXIO V.

Multum solliciti fuerunt Ministri Regii in Belgio, ut hoc jus integrum servaretur. Et quidem seculo præterito cum ageretur de publicatione famosæ Bullæ Urbani VIII. quæ incipit *In eminenti*; & huic Bullæ insertum esset Decretum Inquisitionis cum clausula: *quod Romæ publicatum absque ulteriori publicatione omnes ubique obligaret*: uti habetur parte 3. Edict. Brabantiæ pag. 32. ubi ipsa clausula habetur: „ Archidux „ *Leopoldus* post multas instantias & con„ sultationes, de Expresso mandato Regis, „ pu-

„ publicationem hujus Bullæ permittens, „ sollicite addidit litteris ad Concilia Re- „ gia, nec non ad Episcopos, se nolle „ hanc clausulam agnoscere, aut ullam „ illi vim tribuere; sed velle ut hac in „ re procederetur, prout ab antiquo. „ Habentur hæ litteræ ad Concilia cum hac clausula, part. 3. Edict. Flandriæ, pag. 69. & litteræ ad Episcopum Gandensem cum eadem clausula, pag. 70.

Hanc cautionem tamquam necessariam prævideat, & de ea monuerat ipsum *Leopoldum* Cancellarius Brabantiæ, in Litteris ad eum datis. Litteræ Cancellarii habentur integræ in tertio Memoriali Gallico, super usu Placiti pag. 31. ubi uma reflectit dictus Cancellarius, quod hic usus Placiti inviolabiliter hic in Belgio semper fuerit conservatus, & inviolabiliter conservari debeat, ne alias jura Regia evidenti periculo exponantur per prætensiones Curiæ Romanæ.

Concilium Privatum cum intellexisset prædictam Bullam *In eminenti* fuisse publicatam in Flandria per aliquos Episcopos, monuit Concilium Flandriæ, ut per suos Fiscales indilate inquireret, & contra promulgantes juxta Edicta Regia procederet; uti constat ex Consulta Concilii Flandriæ ea de re data ad Concilium Privatum, quæ integra exstat in prædicto 3. Memoriali pag. 43. ex qua similiter constat, quod Concilium Brabantiæ cassasset publicationem dictæ Bullæ, ob defectum Placiti; item quod rogaverit ut Concilium Privatum nullam Bullam placetaret nisi prius auditis Conciliis Provincialibus; item quod hoc tempore præcipue necessarium judicet hoc jus Placiti exacte servare, ob infractiones jurium Regis, quas continuo machinatur Curia Romana.

REFLEXIO VI.

Ex eadem Consulta Concilii Flandriæ habetur quod Jus hoc Placiti se extendat ad omnes Bullas, etiam Dogmaticas; *afin que sous ce voile de doctrine, il ne glisse quelque chose prejudiciable a l'autorité du Roi, & au repos du commun & public.* Et quod etiam Bullæ Dogmaticæ subjaceant Placito, bene ostenditur in *jure Belgarum*, pag. 41. num. 23. & seqq. Et in Memoriali tertio, pag. 50. item pag. 57. & 63. & quanta turbatio oborta fuerit in Imperio, ob publicatam per Nuntium Bullam *Cænæ Domini*, qua excommunicantur hæretici, nominatim Lutherani &c. atque ita sub prætextu conservandæ fidei, narratur in Litteris Legati Regis Galliæ residentis apud Imperatorem Rudolphum II. & habentur hæ litteræ Tom. 1. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. 7. ad num. 54., 323., & seq.

REFLEXIO VII.

Breve, de quo agitur, præcipit exigi Formularium. 2. cassat quidquid vi prioris resolutionis per Facultatem Theologicam Lovaniensem in negotio Formularii fuerat actum: 3. urget executionem Bullæ *Vineam Domini*, nequaquam hic publicatæ.

REFLEXIO VIII.

Dicta Bulla *Vineam Domini*, tametsi ad instantiam Regis Galliæ data, publicari non potuit in illo Regno, sine placito Regio, sive Litteris patentibus.

REFLEXIO IX.

Cum nonnulli Episcopi Galliæ in suis Instructionibus Pastoralibus mentionem injecissent Brevis Apostolici contra famosum Casum conscientiæ, dati die 12. Febr. 1703. sed nondum per Litteras Regias admissi, Procurator Generalis Regis, a dictis Instructionibus appellavit, tamquam ab abusu; ea ratione quod ante Placitum seu Litteras Regias, dicto Brevi usi fuissent, illud citando in suis publice datis Instructionibus, prout videre est *dans le Recueil des pieces*, ad calcem 1. tomi historiæ Casus Conscientiæ, fol. 273. & sequentibus.

REFLEXIO X.

Concilium Status non tantum dissimulavit sive neglexit executionem & usum dictæ Bullæ, sine Placito Regio, sed etiam positive, cum infractione Juris Regii, eam executionem & usum prohibuit, mandando

Fa-

Facultati sacræ, pergere cum exactione Formularii, juxta dictam Bullam.

R E F L E X I O XL.

Quam graviter hoc suo agendi modo Concilium Status læserit jura, præeminentias & jurisdictionem suæ Majestatis, abunde patet ex præallegatis; quibus plura alia addi possent, & nominatim Decretum supremi Concilii Luxemburgensis, in hoc ipso negotio datum 14. Junii 1706. ad petitionem Procuratoris Generalis in Ducatu Luxemburgensi; quæ petitio una cum Decreto per copiam hic jungitur.

AU CONSEIL (DE LUXEMBOURG.)

Remontre tres humblement le Proc. General du Roi, qu'il est venu à sa connoissance qu'il s'est repandu en quelques endroits de cette Province un Decret, Vineam Domini Sabaoth, *publiè a Rome le 16. Juillet 1705. que quelques uns même se présument de le faire executer, sans que ledit Decret ait été adressé au Conseil par sa Majesté; beaucoup moins été vu & examinè au Conseil de sa d. Majesté ou placeté, contre l'usage inviolablement observé jusqu'à present. Et comme tel procedé est contraire aux droits, Hauteurs & jurisdiction de sa d. Majesté, le Remontrant se trouvé obligé de s'élever contre telles entreprises. A ces causes, il supplie très humblement la Cour, que defense soit faite à tous Superieurs Reguliers & Seculiers, & à tous autres Ecclesiastiques de recevoir ou deferer au dit Decret; à peine qu'il sera procedé à leur charge, suivant que pour le maintien des droits & Hauteurs de sa Majesté, il sera trouvé convenir.* (étoit signé) *J. B.* Lauter.

D E C R E T.

Monseigneur le Gouverneur President, & Gens du Conseil du Roi nôtre Sire à Luxembourg; defendent à tous Superieurs Reguliers & Seculiers & à tous autres Ecclesiastiques, de recevoir ou deferer au Decret cimentioné; à peine qu'il sera procedé à leur charge; suivant que pour le maintien des droits & Hauteurs de sa Majesté il sera trouvé convenir. Fait à Luxembourg le 14. *Juin* 1706. (étoit signé) Du Chemin, avec paraphe.



X.
R E F L E X I O N E S

In animadversiones Domini *Deker*, Decani Metrop. Mechlin. in librum damnosum, cui Titulus: *Tractatus de promulgatione Legum Ecclesiasticarum* &c. Halleleti 1716. cum approbatione (DD. *Smet*, & de Quareux 1713.)

[*Nunc primum editæ.*]

FOlio 3. ponit hoc perniciosissimum principium ex Bellarmino, nimirum: *Fas esse Pontifici Clericos eximere a Potestate Principis: eaque ratione ipsi Principi partem sui Principatus adimere, non secus, atque alius quisquam Princeps posset jure belli ipsi eripere.*

Præterea ibidem ex eodem Bellarmino docet *Clericos* (idem esse de Monachis) *non obstringi legibus Principum, etiam Politicis nisi quoad vim* DIRECTIVAM; sive quod idem est, quoad conscientiam; quod in effectu aliud non est, quam Clericorum conscientiæ committere, utrum illis legibus parere debeant, nulla Principi relicta authoritate Clericos legum suarum transgressores puniendi, aut ad earum observantiam cogendi.

Denique cum Bellarmino asserit, Clericos tum demum Legibus Principum costringi, *si has Ecclesia approbaverit: Imo si lex Ecclesiastica, sive Pontificia esset contraria legi Principis, tunc Clericos nequidem* QUOAD VIM DIRECTIVAM *Legibus Principum parere debere.*

II.

Folio 7. contendit, quod Bullæ Pontificiæ obligare possint Belgas, etiam per solam publicationem Romæ factam; si ita Pontifici videatur, suamque mentem in Bullis expresserit: quo nihil perniciosius dici poterit. Et quantopere propterea huic Romanæ Curiæ prætensioni se opposuerint Magistratus Regii, & ipse Archidux *Leopoldus*, ostenditur in *Tractatu de Legum Promulgatione*.

III.

Folio 11. & seqq. impugnat usum Placiti generaliter; conaturque possessionem hujus juris evertere frivolis plane argumentis.

IV.

Folio 15. tamquam absurdum arguit quod Placiti usus extenderetur ad Ordinationes Episcoporum, cum tamen notorium sit Principem posse requirere inspectionem ordinationum, & Synodorum Episcopalium, antequam publicentur; constatque, quod Principes nostri interdixerint publicationem Synodorum, eorumque exemplaria supprimenda censuerint, eo quod sine eorum Placito essent publicata: uti pluribus exemplis probat D. *de Laury*, in sua Collectione Arrestorum.

V.

Folio 16. contendit per usum Placiti Authoritatem Episcopalem, & Pontificiam plane enervari.

VI.

Folio 18. & seqq. non obscure arguit Judices Regios, quod sibi attraxerint contra libertatem Ecclesiæ, possessorium in causis Beneficialibus, & Ecclesiasticis; contenditque, quod ob duritiam temporis Episcopi condescendere debuerint in Conconcordata vulgo Brabantina; cum tamen certum sit, Carolum V. multa de suo jure remisisse in his Concordatis, prout ipse Carolus id non obscure significavit in litteris Confirmatoriis suorum Concordatorum.

VII.

Folio 25, 26, 27. contendit Concilium Tridentinum hic fuisse simpliciter publicatum, & receptum, nullamque rationem habendam Clausulæ in Litteris Regiis ad Episcopos, & Magistratus Regios expressæ; neque attendendas notas, quas Magistratus Regii ad Decreta reformationis apposuerunt.

VIII.

Folio 34. & seqq. asserit authoritatem Pontificiam in temporalia Regum: Item dicit certum esse Pontificem posse derogare Juri Patronatus etiam laicorum.



XI.

FRAGMENTA

adjicienda ad *Jus Eccles. Universum* &c.

I.

FRagmentum (*a*) collocandum immediate post hæc verba Concilii Romani anni 904. *non est permissum*; ad Part. I. Tit. XV. C. V. n. XIII. To. I. hujus edit. Neap. p. 218. col. 2.

„ Ex actis contra Formosum, ob ejus „ ab Ecclesia Portuensi ad Romanam transitum, nec non ex verbis Joannis IX. „ sive Concilii Romani, intelligitur quod „ illis temporibus non dubitaretur quin Ecclesia Romana, non minus quam reliquæ „ Ecclesiæ, Conciliorum Canonibus & „ Decretis, disciplinam Ecclesiasticam concernentibus adstringeretur.

„ Insuper ex his quæ in eo Concilio „ decreta fuerunt &c. "

II.

Adjiciendum ad Cap. II. tertiæ partis *Juris Eccles. Univ.* Tit. 8. de *Institutione causarum criminalium*, post numerum XXXIX. To. IV. hujus edit. Neap. p. 292. col. 1. (*b*) In


(*a*) Excerptum ex Autographo Supplementi ad *jus Eccles. univ.* prælo dati anno 1729.

(*b*) Excerptum ex Autographo Supplementi ad *jus Eccles. univ.*

In textu notatum fuit, quod si quis in causa criminali *personaliter* citetur, sive contra ipsum decernatur a Judice *Citatio personalis*, hæc citatio citatum infamem reddat: An autem similis citatio facta a Judice Ecclesiastico de jure suspendat Clericum a suis functionibus examinat *Du Casse*, Tomo 2. Cap. 9. n. 2. ubi refert circa hoc punctum, diversa & opposita referri judicata: sed tamen recte advertit quod juxta mentem & spiritum Ecclesiæ, Ecclesiasticus, *personaliter* citatus, teneretur abstinere a functionibus Ecclesiasticis. Et num. 4. exponit quid Officiali sit agendum, si citatus *personaliter*, non compareat, & quæ excusatio sit sufficiens ad non comparendum. Et quidem (uti ibidem refert) ex ordinatione Regia hodie in Gallia sola excusatio proveniens ex morbo aut vulnere admittitur, & ne fraus committatur, multæ cautiones appositæ sunt.

Ceterum in hac quæstione distinguendum videtur, super quo crimine vel excessu citatio *personalis* contra Clericum per Judicem Ecclesiasticum decernatur. Si enim delictum vel excessus, de quo Clericus est suspectus, & occasione cujus citatio personalis contra ipsum decernitur, sit ex levioribus excessibus vel delictis, nullatenus dici potest, quod per hanc citationem censeretur suspensus a functionibus suis. Quandoquidem hæc suspensio subinde gravior esset pœna, quam ipsum delictum vel excessus plene probatus mereretur.

At si hæc citatio *personalis* decernatur occasione alicujus enormis criminis, cujus vel sola suspicio aliquo modo reddit hominem infamem, non dubium quin ex simili citatione personali contra citatum gravis suspicio, & ex hac suspicione gravis infamia oriatur: quandoquidem similis citatio *personalis* super enormi aliquo crimine per Judicem non præsumatur decreta, nisi ipsi constet de vehementi suspicione commissi delicti, ex præviis captis informationibus. Proinde ex hujusmodi causa *personaliter* citatus, ob infamiam ex ea citatione resultantem, merito a functionibus Ecclesiasticis juberetur abstinere: saltem quoad usque per responsionem personalem eam suspicionem purgasset.



XII.

Fragmentum (a) adjiciendum ad commentarium in Can. 2. distinctionis 22. primæ partis Decreti Gratiani, immediate post verba Can. 3. Concilii Constantinopolitani I.

(p. 49. col. 2. To. VIII. hujus edit. Neap.)

Interim notandum præsenti Canone solum secundi loci honorem sive prærogativam Episcopo Constantinopolitano attribui; manentibus, quoad reliqua, salvis juribus singularum Provinciarum & Diœcesium Metropolitanis; quemadmodum priore Canonis parte nominatim cautum est. At sensim, consuetudine potius quam edito Canone, Episcopi Constantinopolitani jura & jurisdictio ad Asiæ, Ponti & Thraciæ Diœcesium Ecclesias producta fuerunt, quæ & Concilium Chalcedonense firmavit, dicto Canone 28. ut ibidem ostendemus.

ARGU-

(a) Excerptum ex Autographo Authoris.

XIII.

ARGUMENTUM & MATERIA TRACTATUS (a)

De Ecclesiastica & politica potestate,

Ex Autographo Espenii exarata.

[*Nunc primo edita.*]

PARS PRIMA.

De Ecclesiastica potestate

CAPUT PRIMUM.

Ecclesia constat ex pluribus membris, conficitque unum corpus sive communitatem.

ECclesia sub duplici notione considerari & accipi potest; & ita tum in S. Scriptura, tum apud SS. Patres freqnenter exhibetur ac repræsentatur. Exhibet eam Scripturæ Sacræ textus *ut virginem castam* &c. (II. Cor. XI. 2.)

Igitur Ecclesia ut est cœtus seu congregatio hominum unam, eandemque fidem profitens, sub uno capite essentiali Christo comprehendens bonos & malos, atque omnis conditionis homines, Laicos & Clericos, duplicem potestatem Ecclesiasticam & politicam in se complecti dici potest; illam scilicet Ordini Hierarchico, alteram Principibus & Magistratibus secularibus, fidem Christi profitentibus propriam.

Certum enim est, Principes per professionem fidei Christianæ &c. nihil de sua authoritate amisisse, sed eam sibi integram servasse; & quam tamquam Ethnici & infideles exercebant, eam nunc tamquam fideles & Christi Ministri impendunt.

Nulla inter mortales Respublica sine directione esse potest; uti nec sine Ministris, qui eam dirigant. Directio vero omnis decenti & sibi propria potestate exercetur.

Itaque & Ecclesia Catholica & Christiana, tamquam quædam Respublica a Christo instituta, necesse est ut & suam habeat directionem, legesque directionis sui regiminis, nec non Ministros, qui eam dirigant.

Porro directio hæc cujusque Reipublicæ, ut decens & conveniens sit, ac propria, debet esse proportionata fini, ad quem hæc Respublica est instituta, & quem ipsa per se, principaliter & quasi unice intendit.

Cum autem planum & certum sit quod hæc Ecclesiastica Respublica, ut est Ecclesiastica, & a Christo ut hominum Redemptore & Mediatore instituta, non alium, nisi ut Fideles, qui hanc Rempublicam Ecclesiasticam simul constituunt, æternam beatitudinem supernaturalem consequantur, evidenter consequitur finem & scopum institutæ hujus Ecclesiasticæ Reipublicæ esse plane spiritualem, & solis spiritualibus mediis assequendum.

Hinc & exurgit potestatem etiam omnem, quæ homines hanc Rempublicam conficientes ad hunc finem duci debeat & juvari, non posse esse nisi omnino spiritualem.

Unde nec Christus ullam voluit in administratione temporalium partem habere: ideoque interpellatus per quemdam, ut arbiter esse vellet super dividenda hæreditate inter duos fratres, respondit; *quis me constituit judicem aut divisorem super vos* (Luc. XII. 14.). Et interrogatus a Pilato: *Rex es tu?* non negavit se Regem,

(a) Tractatus de Eccl. & polit. potestate, in scholis publicis Lovanii fuit dictatus, anno 1718.

gem, sed aperte confessus est, *Regnum suum non esse de hoc mundo* (Joann. XVIII. 36.). Vide Augustinum apud M. A. L. 6. Cap. 1. n. XXXVI. (*a*) & Fleury Disc. Tomo XIX. præfixo.

Quare Christus nullum exegit tributum, aut quidquam temporale; sed potius voluit solvere Gabellam, sive vectigal; ut ostenderet Regnum suum non esse de hoc mundo, nec temporalia spectans.

Totum quod Christus Apostolis (contulit) spiritualia sunt, & ad animas non corpora pertinet. Unde & quando dixit Apostolus: *obedite præpositis vestris*, (Hebr. XIII. 17.) satis ostendit non eis esse obediendum tamquam iis, qui temporalia & corpora nostra servare curant, sed tamquam qui *invigilant quasi rationem pro animabus nostris reddituri*. M. A. L. 5. Cap. 1. n. 2.

Hinc illud Bernardi ad Eugenium III. L. 1. de consid. Cap. 6. *Est ergo in criminibus non in possessionibus potestas vestra, & non propter has accepistis claves Regni cælorum*.

CAPUT SECUNDUM.

Potestas Ecclesiastica est mere Ministerialis.

Quandoquidem potestas Ecclesiastica & regimen Ecclesiæ primario tendat ad interna, & pro fine & objecto habeat hominem vere justum qui colat Deum, & circa interna versetur, consequens est quod externus Ministrorum influxus non possit esse per se nisi Ministerialis, ipsique Prælati nequeant considerari nisi meri & simplices Ministri, sine vero influxu in ipsum objectum potestatis.

Cum enim objectum potestatis Ecclesiasticæ sit anima & spiritus, omnino interna & spiritualia, non potest proprie dare influxum, nisi qui interiora, id est ipsam voluntatem & intellectum influere & movere potest, quod soli Deo competit.

Unde nec Apostoli unquam se consideraruat nisi tamquam simplices Christi & Ecclesiæ Ministros, qui plantarent, rigarent, baptizarent &c. Sed incrementum dare, ipsamque voluntatem convertere, vel intellectum in obsequium fidei inclinare nequaquam sibi attribuerunt.

Quare neque Episcopi, neque Romanus Pontifex nequeunt esse Capita Ecclesiæ, quasi ad instar capitis naturalis influxum darent aliis membris, sive corpus ipsum sive ejus membra vivificarent, & membra, deficiente hujus capitis influxu, exsiccarentur & morerentur; sed verum & essentiale caput Ecclesiæ est Christus, cujus spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur.

Hinc & Papa mortuo non deficit Ecclesia, eo quod semper maneat ejus naturale & essentiale Caput Christus; uti recte notavit Glossa, ad Clemen. *ne Romani* 5. *non consonam*. Verba refert Richer. Tom. 2. pag. 16. circa finem: una notans ex Gersonio, præceptum habendi Papam esse affirmativum obligans ad semper, sed non pro semper. Et etiam necesse non est ad essentiam Ecclesiæ, ut habeat semper caput visibile, quod per se videtur.; licet Christus vere etiam dici queat Caput Ecclesiæ *visibile*, tametsi actu non videatur nisi per suos Ministros & Œconomos, qui ejus nomine & vice operantur. Rich. T. 2. p. 17. probatque Ecclesiam non esse, Papa mortuo, in statu imperfecto.

S. Thomas 3. part. q. 8. docet Christum proprie dici posse Caput Ecclesiæ, eo quod influat per gratiam, & interius operetur, non autem Papa &c. Rich. T. 2. p. 19. & seq.

Et ibid. p. 20. reflectit quod primus omnium

(*a*) (Quod omnes actiones Christi in finem spiritualem, scilicet salutem tetenderint. Bene M. A. Lib. 5. Cap. 1. n. 1.) Author, hic & in decursu hujus operis frequenter citatus sub Litteris: *M. A.* est *Marcus Antonius de Dominis*. Notandum autem quod in censura 47. propositionum excerptarum ex *Republica Christiana* ejusdem authoris data a Facultate Theologica Parisiensi, sunt quædam propositiones, inter quas secunda de *jurisdictione coactiva*, quarum condemnationi non adhæserunt Edmondus Richer aliique Doctores. Has solas approbat Espenius in præsenti Tractatu, nec ullibi laudat propositiones Antonii de Dominis, quæ merito & unanimiter ab omnibus damnatæ sunt.

omnium S. Thomas usus fuerit verbo *influxus* respectu Papæ & Episcoporum; quodque totum quod Prælati exterius agerent, Patres dixerint *Ministerium*.

Et pag. 20. & 21. ex multis probat Papam duntaxat esse nudum *Caput Ministeriale*, ex Gabriele Biel, (Cardinali) Alliacensi; qui & asserit non alio sensu esse Caput, nisi quia est primus inter Ministros; & ex Gersone, qui & notat Ecclesiam non posse esse sine capite essentiali, ad instar corporis naturalis: sed corpus Mysticum, scilicet Ecclesiam, posse esse sine capite secundario, sive Ministeriali. Et pag. 22. profert eamdem in rem plura ex Joanne Majore, Cusano, Bellarmino, ac signanter ex Oratione habita in Concilio Basileensi, ubi id exacte edicitur.

Capitis acceptationem esse æquivocam probat, & exacte exponit n. 22. pag. 26. & n. 23. pag. 27. insibilat opinionem Vallii prætendentis Sede Apostolica vacante, provisiones Episcoporum fieri non posse &c. Et n. 24. pag. 28. notat & probat olim etiam per unum Episcopum varios Episcopos fuisse ordinatos; ibi de Eusebio Samosateno & aliis.

Et n. 25. pag. 28. & seq. post mortem Marcellini Sedem Apostolicam vacasse septem annis.

CAPUT TERTIUM.

Penes Ecclesiam ex Christi institutione & spectato præcipuo scopo institutæ potestatis, non est vera inspectio & imperium.

Ecclesiam non habere ex se potestatem seu inspectionem publicam & coactivam (nisi cum respectu ad forum pœnitentiale) satis videtur probatum sub titulo *de Pœnis*, Cap. I. (a) potestque addi quod notatur ad idem Cap. in libro nono; & signanter ex Canone Carthaginensi, qui extat, sed mutilatus, apud Gratianum, Causa 21. q. 5. Can. 3. & in comun. verb. p. 545.

Christus voluit duntaxat regnare in cordibus hominum, &c. Sat bene Fleury, pag. 2. in fine & seq.

Videtur quod etiam olim Ecclesia imposuerit pœnas carceris & exilii M. A. Lib. 5. Cap. 2. n. 35. 36. Locus Gregorii II. (ibid. n. 37.) habetur apud Richerium Apol. pag. 190.

Quod potestas politica omnino sit distincta ab Ecclesiastica, in primis probat ex Gelasio, in Tract. de planctu Ecclesiæ; nec subsit huic. M. A. L. 6. Cap. 2. (n. 15.) & apud authores Rot. ad Cap. I. tit. *de Pœnis*, in Libro nono.

CAPUT QUARTUM.

Potestatem datam Ecclesiæ non uni Petro, ex illo: DIC ECCLESIÆ. Richer. in Libello (de Eccles. & polit. pot.) Cap. 6. pag. 31.

CAPUT QUINTUM.

Exerceri Aristocratice.

Richerius Libelli Cap. 5. pag. 27. & seq. & eam fuisse Ecclesiæ praxim ostendit in Apol. axioma 29. pag. 134. ibi & exponit pag. 144. Can. 28. Carthag.

CAPUT SEXTUM.

Reflexiones ad propositiones (*denuntiatas*.) (b)

PROPOSITIO I.

Omnes Apostoli erant inter se & cum S. Petri jurisdictione pares. (c)

Hanc propositionem nequaquam his verbis expressi: neque dixi ipsos Apostolos cum S. Petro fuisse jurisdictione pares.

Verum est me dixisse, quod potestas data a Christo ad regendam & instituendam Ecclesiam, atque ad annuntiandum Evangelium,

(a) Vide jus univ. Part. III. Tit. XI. Cap. I.

(b) Vide hujus denunciationis narrationem in vita Espenii, Lib. III. Cap. 3. Art. X.

(c) Canone *Loquitur*. super unum ædificat Ecclesiam; & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam *Parem* potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me &c. Hieron. Lib. I. contra Jovinian. circa medium. *Et super omnes ex æquo*.

stium, nec non remittendi & retinendi peccata, omnibus Apostolis in communi fuisse datam; ipsosque a Christo pari authoritate instructos, fuisse missos per hæc verba: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

Ulterius dixi, quod quidquid dictum Petro, concernens regimen Ecclesiæ, aut potestatem Clavium, dicta fuisse in persona Petri ad omnes Apostolos: juxta illud S. Cypriani, in Can. *Loquitur* 18. Causa 24. q. 1. *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis.* Idem dicendum ex S. Augustino, in Can. *quodcumque* 6. Causa 24. q. 1. huic alius locus ejusdem serm. 118. de diversis, apud Richerium in libello de potestate Eccles. pag. 11. nec non ex sermone 106. de diversis, ibidem. Ibi quoque in priori videtur adstrui Primatus; & in posteriori quod Pastores sint *oves*, quod confirmat Richerius pag. 112. Et dein adducit locum Tostati, quo ostendit potestatem Clavium esse penes Ecclesiam, sed exercitium penes Prælatos. Et ibidem pag. 10. notatur locus Hieronymi, in quo dicit, quod & dicatur super Petrum fundari Ecclesiam, licet (ait) id ipsum in alio loco *super omnes Apostolos fiat.* Et tunc claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos fortitudo solidetur: tamen &c.

Notandum quod omnes quoque Apostoli ex æquo vocentur Vicarii Christi.

Cajetanus de Potest. Papæ & Concilior. Cap. 2. dicit: „ Apostoli dupliciter con„ siderari possunt: ut Apostoli; *& sic* „ *omnes fuerunt æquales: Alio modo in* „ *quantum oves Christi, ab eo hic corpo*„ *rali conversatione separatæ, & sic Pe*„ *trus solus est Pastor, & reliqui Apostoli* „ *oves sub illius cura.*" M. A. Lib. 1. Cap. 3. n. 17. & seq. ubi & Bellarminus. Vide hæc sat expressa in postremis annotationibus MSS. (*a*)

PROPOSITIO II.

Omnes Episcopi sunt inter se & cum Papa Romano jurisdictione pares.

Notandum quod expresse dixerim me duntaxat loqui de ipso regimine Pastorali; & de Episcopis ut curam populi habentibus; & eatenus esse in ea jurisdictione sive potestate pares, etiam cum Papa Romano, in quantum hic consideratur ut Episcopus; juxta illud Hieronymi in Can. *Legimus* 24. dist. 93. Et hoc ideo quia sunt omnes æque Apostolorum successores. Si ergo Apostoli fuerunt ut Apostoli pares in potestate, & amplissimam habuerint in regimine Ecclesiæ authoritatem, ut etiam Cajetanus & Bellarminus fatentur, quidni & successores; uti & Hieronymus argumentatur. Vidit & hanc consequentiam Bellarminus; & ideo negavit Apostolis alios Episcopos successisse. Hæc sat probantur in recentibus annotationibus MSS.

PROPOSITIO III.

Omnes hodie Episcopi & Papa illam suam jurisdictionem immediate accipiunt ab Ecclesia, mediate a Deo.

Hoc non dixi. Verum est me dixisse quod Christus potestatem Clavium immediate & formaliter ac radicaliter dederit Ecclesiæ, sive Ordini Hierarchico, ipsaque juri sdictio sive potestas quoad proprietatem ex Christi institutione sit penes Ecclesiam; ideoque ex sententia SS. Patrum, signanter SS. Cypriani & Augustini, quorum textus referuntur apud Grat. Causa 24. q. 1. Can. 6. & 18. Et revera ultimum tribunal esse penes Ecclesiam expresse docet Maldonatus e societate Jesu, his verbis: *voluit* (Christus) *Ecclesiæ tribunal ultimum esse, ad quod essent peccatores, cum aliud non esset emendationis remedium, deferendi*; ideoque summam illi tribuit potestatem. Sed quoad usum & exercitium Christus eam voluit esse penes Pastores, uti recte explicat Tostatus.

(*a*) Fortasse hic & pluribus aliis locis infra, dum opus MSS. citat Espenius, suum *in Jus Universum Supplementum* nondum typis datum, indigitare voluit; aut suum in Canones Commentarium.

Itaque Episcopi uti & Papa accipiunt suam potestatem & jurisdictionem immediate a Deo; sed per Ministerium ordinantium & eligentium nomine Ecclesiæ.

PROPOSITIO IV.

Episcopi omnes administratæ jurisdictionis rationem soli Deo reddere debent.

Hic duntaxat recitavi verba Cypriani, quæ dixit ad Episcopos in Synodo congregatos (eamdem sententiam habet Epist. 55. p. 110.) & expresse adjunxi moderationem ex S. Augustino, qui ea facta probat sententiam Cypriani.

PROPOSITIO V.

Episcopus quisque gravatus a Papa, appellare potest ad Ecclesiam, seu generale Concilium.

PROPOSITIO VI.

Papa tyrannico tumore (seu tenore) appellat se Episcopum Episcoporum.

PROPOSITIO VII.

Primatus Papæ non consistit in ampliore jurisdictione quam aliorum Episcoporum, sed in titulo privilegioque primæ Sedis, primique inter Episcopos ordinis, sedendi, ac docendi, aut loquendi, velut Cancellarii inter Consiliarios, aut Plebani inter Pastores ejusdem oppidi.

CAPUT SEPTIMUM.

De Primatu Papæ.

Pro certo intellectu & explicatione Primatus, notandum in Pontifice considerandas & attendendas quatuor, ut minus, qualitates seu gradus.

1. Considerandus ut singularis & particularis Episcopus urbis & populi Romani, & Ecclesiæ Romanæ, tamquam singularis Ecclesiæ, ab aliis Ecclesiis particularibus distinctæ; atque una cum reliquis Ecclesiis particularibus unam universalem Ecclesiam per modum partis integralis constituentis.

Episcopus Romanus hunc populum tamquam suæ curæ specialiter concreditum regebat; atque hæc erat ejus portio ei specialiter assignata, sive pars hujus Episcopatus, cujus pars a singulis Episcopis in solidum tenetur; ut loquitur S. Cyprianus, in Can. *Loquitur*.

Habebat Ecclesia Romana ita considerata, suam etiam singularem ac particularem Liturgiam; nec non Codicem Canonum &c.; regebatur ab ipso tamquam proprio Episcopo; non extendebat suam specialem curam extra suam Diœcesim; habebat suum specialem Clerum & dicebatur Episcopus Romæ; Coepiscopus, & etiam alii Episcopi ipsum vocabant venerabilem fratrem; e Clero, & per Clerum & plebem Romanam, more aliorum Episcoporum, eligebatur, & ordinabatur.

De Papa ut Metropolitano.

Romano Episcopo fuisse ut Metropolitano suam specialem Provinciam, certis limitibus circumscriptam probatur in MSS. ad Cap. 4. n. 3. quibus addi potest exemplum S. Gregorii, qui voluit se immiscere electioni, & ordinationi Episcopi Mediolanensis.

In hac qualitate etiam instar ceterorum Metropolitanorum censuit Synodos Provinciales convocandas; uti notatur in MSS. ad tit. 20. Cap. 1. n. 3. (a)

De Papa ut Patriarcha.

Nicolaus I. in responso ad Consulta Bulgarorum dicit Ecclesias Patriarchales esse quæ fuerunt fundatæ per Apostolos. Vide Fleury, Tom. XI. Lib. L. n. LI. pag. 123. (in 12.) Justinianus in Novell. 131. Cap. 2. ponit ordinem Patriarcharum juxta Concilium Chalcedon. In MSS. ad Can. 36. Trull. In Can. 28. Chalced. & 36. Trull. agitur duntaxat de jure Patriarchatus; cujus jura potissimum ex dignitate urbis profluebant.

De

(a) Vide Suppl. ad *jus Eccl. univ.* Part. I. Tit. XX. Cap. I. n. I. II. & III.

De Papa ut Primate & Capite Ecclesiæ.

De reprehensione Petri vide Apolog. Quesnellii, pag. 118. & seq.

CAPUT OCTAVUM.

De mutato regimine.

Usque ad inductas falsas Decretales usi fuerunt Codice Canonum. Tum introductæ falsæ Decretales, Decretum Gratiani, & corpus denique Decretalium.

De mutato regimine Ecclesiæ per falsas Decretales, & reliquas merces Isidorianas satis bene Fleury in Discursu IV. n. 2. & seqq.

Quomodo Romana Curia omnia ad se traxerit, ac dein reliqui Judices Ecclesiastici, sub variis titulis, etiam omnia attrahere studuerunt, Fleury, Discursu VII.

De excessu Judicum Ecclesiasticorum evocantium subditos ad sua Tribunalia, vide Edictum de anno 1447. in Tractatu de Placito, pag. 38. & seq. (Ed. in 4.) (a)

CAPUT NONUM.

De potestate politica.

Richerius in Libello, Cap. XI. sustinet Ecclesiam ex Christi institutione nullum habere territorium aut dominium temporalium: idque confirmat Lib. 5. Cap. 2. n. 6. p. 312. T. 2. & sat clare evincit Can. *Quoniam* Dist. 3.

Ibidem Cap. 3. n. 1. probat quod Princeps teneatur etiam veritatem agnitam palam defendere; idque ex Can. 36. Causa 11. q. 3. pag. 315.

Et num. 2. probat ex veteri Testamento, Reges exteriorem Ecclesiæ disciplinam curasse; & num. 3. agit de Appellatione S. Pauli ad Cæsarem, probatque veram fuisse appellationem; atque Paulum in hac causa ut legitimum Judicem agnovisse Cæsarem.

Num. 5. ostendit Aurelianum Imperatorem licet Ethnicum, ad instantiam Episcoporum Paulum Samosatensem in Synodo Antiochena hæreseos damnatum domo sua expulisse; ipsamque cedere voluisse iis, quibus Christiani, & signanter Episcopus Romanus judicarent cedere debere.

Num. 6. late exponit qua ratione Constantinus Magnus se dixerit Episcopum exteriorum Ecclesiæ.

Num. 8. id probat ex Pontificali Romano pag. 322.

De Edicto Honorii Imperatoris contra ambientes Episcopatum Romanum agit num. 9. & ibidem notat Theodoricum Regem Italiæ, licet Arianum, plures Synodos convocasse in causa Symmachi contra Laurentium; *quatenus pax in civitate Romana Christianis omnibus redderetur;* ut habent Acta 4. Synodi sub Symmacho.

Num. 10. pag. 323. de Codice Justiniani.

Et num. 15. & 16. de Capitularibus Regum Francorum; & notanter de submissione Leonis IV. in Can. *de Capitulis* 9. Distinct. 10.

De pragmatica S. Ludovici agit num. 18. pag. 330.

Res temporales Ecclesiæ subjectas esse Principibus ostendit Richerius in Apol. Axiom. 34. pag. 185. ibi & pag. 191. asserit ex liberalitate Principum Ecclesias dotatas, & signanter Caroli Magni; & quo motivo Carolus Ecclesiis dederit.

(a) Id est P. II. Cap. II. §. 2.



P A R S S E C U N D A.

De jure Principis in Sacra.

C A P U T P R I M U M.

De jure Principis in personas Ecclesiasticas.

§. I.

PRoœmium, in quo ostenditur regimen externum & coactivum proprie esse penes Principem ejusque Magistratus, qui idcirco gladium portare dicuntur.

De authoritate Principis circa externam Ecclesiæ disciplinam, sat bene Richerius Tom. 2. defens. lib. 5. Cap. 1. a pag. 303.

Penes Principem & non penes Ecclesiam esse jurisdictionem veram cum imperio & coactione per pœnas temporales, & corporis afflictivas ostendit M. A. L. 5. Cap. 2.

Christus quatenus homo, an habuerit a Deo jus in temporalia, examinat M. A. Lib. 6. Cap. 1.

§. II.

Exponitur radix sive fundamentum jurisdictionis Regiæ.

Ostendit M. A. Lib. 6. Cap. 2. n. 2. omnes Societates hominum, ex natura sua, opus habere Rectore & Gubernatore; atque inde concludit Reges & Principes ex quodam naturæ instinctu esse constitutos; & num. 4. asserit esse quasi naturale quoddam pactum inter populum & Principem, ut hic gubernet & imperet, populus autem pareat & obediat, applicatque illud Augustini, lib. 3. Confess. C. 8. *Generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis*, & n. 4. ex S. Chrysostomo Hom. 6. ad populum Antioch. bene exponit necessitatem Regum; & n. 5. ex S. Paulo ostendit quod illa naturalis (Lex) quæ *hominem civilem esse voluit*, & *civitates instituit*, *jussitque aliquos imperare*, sit ipse Deus; ex Epist. ad Rom. Cap. 13. atque inde concludit Regum authoritatem esse *immediate a Deo*.

Cap. 3. a num. 2. usque ad num. 10. ostendit ex verbis Gelasii I. ad Anastasium, & Nicolai primi ad Michaelem Imperatorem, potestatem Regiam & politicam omnino esse ab Ecclesiastica separatam; nec unam alteri esse subordinatam.

Et num. 11. & 12. ostendit ex fine utriusque potestatis, utramque per se sine altera posse esse perfectam, nec Christum voluisse inter se misceri.

Authoritas politica, sive homines in quantum politici, & hac politica potestate instructi, non conficiunt proprie Ecclesiam, sed duntaxat ut sunt fideles &c. num. 15.

N. 17. Recte exponit quod licet Imperator ut fidelis subjiciatur Sacerdotibus, in his quæ pertinent ad beatitudinem, tamen Potestas Imperialis non subjiciatur Ecclesiasticæ; quodque in Ecclesia materialiter considerata, sint duo corpora formaliter distincta: cui uni præsidet Imperator, & alteri Pontifex sine ulla subordinatione, notatque ex Cusano, Lib. 3. Conc. Cap. 3. olim scripsisse Glossam ad Can. *Hadrianus* dist. 63. 11. Patricium fuisse Patrem Papæ in temporalibus, sicut Papa est Pater ei in spiritualibus.

Et num. 18. asserit duo hæc corpora in Ecclesia posse comparari duobus amplissimis Magistratibus sub eodem Rege.

Similitudinem petitam a spiritu, & carne, item a sole & luna, qua utitur Innocentius III. refutat & explodit, num. 19. 20. 21. & 22.

Num. 23. explicat qua ratione usus sit Nazianzenus similitudine *carnis* & spiritus ad explicandam dignitatem Ecclesiasticæ potestatis supra politicam. Optime explicat quid agendum, si Ecclesiastica & politica potestas contraria præcipiat, & cui sit obediendum num. 25. & 26.

Prin-

Principi etiam curam Ecclesiæ & religionis incumbere, quantum ad externam politiam, bene exponit Lib. *6.* Cap. 5. num. 1. 2. 3. 4.

Ad Principes spectare authoritatem convocandi Concilia; eaque dirigendi, imo & dissolvendi late probat Lib. *6.* Cap. 5. a num. 4. ad 71. Et Patres eam convocationem per Principes factam laudasse, a num. 72. ad 77. & objectiones solvuntur a num. 79. ad 104. Et deinde ex pluribus aliis id probat.

CAPUT SECUNDUM.

De subjectione Clericorum.

De hac fuse agit M. A. Lib. *6.* Cap. 4. & notanter ex Apostolo & Gregorio I. n. 23. Et num. 90. & 91. inquirit, an Marsilius de Padua fuerit a Joanne XXII. damnatus, quia docuit Clericos Imperatori subjectos? Et quidem a num. 58. usque ad num. *63.* ostendit Cap. *6.* Clericos non tantum *directive*, sed & *coactive* legibus Principum quoad externa esse subjectos.

Hoc toto Capite *6.* ostendit & probat Principes Catholicos leges tulisse circa externam Ecclesiæ disciplinam.

CAPUT TERTIUM.

De Libertate Ecclesiastica.

Quantopere quidam fuerint abusi hac voce *Libertatis* Ecclesiasticæ, optime ostendit Author Tractatus de Libertate Ecclesiastica, apud Goldastum Tomo 1. Monarchiæ, pag. *674.* in procemio.

Deinde Cap. 1. pag. *676.* ostendit quam varia jam pridem fuerit hujus vocis *Libertatis*, item *Ecclesiæ* acceptio; notatque quod licet in Decretalibus, & earum commentatoribus frequens occurrat mentio *Libertatis* Ecclesiasticæ; nemo tamen eam definiat, aut describat: postmodum tamen definitionem ejus ponit, pag. *681.*

Pag. *676.* in fine, exponit quod omnes appetant naturaliter libertatem; Ecclesiam autem cuncti tamquam columnam veritatis & salutis portum colant; & tamen erga Ecclesiasticam libertatem non omnes Catholici eamdem esse putant. Aliqui enim unicam hanc quasi putant pietatis & religionis arcem; in ejusdem propugnatione & amplificatione summam totius Religionis positam credunt; & aliter sentientes, ut in errore pernicioso positos habent &c. Prætendunt alii illos multum falli; & vim hujus appellationis aut simpliciter ignorare, aut subdole dissimulare, utpote speciosum libertatis ab iis prætexi, qui alienum servitium & dominatum sibi concupiunt.

Pag. *677.* Nemo antiquitatis non omnino ignarus, nescit hanc Ecclesiasticam libertatem ab aliquot retro seculis, instar fomitis cujusdam & incentivi fuisse, quod in Europa populos Christianos inter se commisit &c.

Ibidem, versu *Liber*, ex Platone & Plutarcho notat *qui nomina recte novit, & res ipsas easdem noverit.*

Libertas proprie *personis* tribuitur. Interdum tamen & inanimatis rebus, pro immunitate aut peculiari jure ipsis indulto. ibid.

Hominis libertas dupliciter considerari potest; vel ut in singulis, vel ut in pluribus quasi unum corpus constituentibus. Ejus quæ singulis competit, tot sunt species, quot sunt rerum genera, ad quæ voluntas hominis se extendit; semper enim ratione voluntatis aut arbitrii dicitur hominis libertas aut servitus. Et quatenus est hominis triplex bonum, etiam & triplex est hominis libertas. Satis bene, pag. *677.* circa finem & seqq. Et ibidem notat unam fuisse hominis libertatem moralem, quam Philosophi gentiles veram asserebant libertatem, juxta illud Stoicorum effatum: *solum sapientem esse liberum; ceteros omnes esse servos.*

Hanc tamen non esse veram libertatem, sed eam esse a Christo tandem hominibus partam, sat bene ibid. pag. *678.* ostendit.

Etiam quæ piorum cœtui sive Ecclesiæ tribuitur libertas, multifariam distingui potest. Interdum Libertas Ecclesiæ appellatur libera conveniendi ad cultum Divinum facultas, a Principe peti & impetrari solita; ut Gregorius Nazianzenus ad Nectarium scribens dixit: quidam hodie vo-

vocant *Libertatem conscientiæ*; Optatus Milevitanus simpliciter *Libertatem*. Diversa est ab illa, quam Patres Ephesini datam a Christo Ecclesiæ pronuntiant, de qua Cap. 3. Hæc pag. 678. Adjicitque: *Hæ sunt Libertates Ecclesiæ, quarum partim SS. Scripturæ, & Patres meminerunt. Postea vero cum publice Christianismus fuit receptus, & Clerus per Imperatores & Reges opibus & dignitate fuit auctus, tum cœpit paulatim in Ecclesia Dei inter alia multa prius inaudita vox* LIBERTATIS *nova significatione usurpari. Honoris enim prærogativam, Privilegia, immunitates, & similia omnia jura,* LIBERTATEM ECCLESIASTICAM *aut numero multitudinis*, LIBERTATES *dixerunt; atque hodie hoc verbum in adeo frequentem usum venit ut nullum magis.*

Quid autem nomine Libertatis Ecclesiasticæ veniat, necdum hodie determinatum reperitur; uti ibidem pag. 678. sub finem deducit; & in quam diversa significatione sumpta sit prosequitur pag. 679.

Ibidem pag. 679. circa finem ostendit, quod sicuti vocis *Libertas* est multiplex significatio, ita & vocis *Ecclesiæ* fuerit; quodque ea voce hodie multi abutantur, & imperitis imponant. Ostendit pag. 680. & ibidem notat quod sub obtentu tuendæ Libertatis Ecclesiasticæ bella atrocissima inter Imperatores & RR. Pontifices fuerint; in quibus ab utraque parte obtendebatur *Libertas* Ecclesiæ. Et ibidem pag. 680. in fine & seqq. de Libertatibus Gallicanis.

Prima species hodiernæ Libertatis Ecclesiasticæ, est plenaria Clericorum ab authoritate & subjectione Principum exemptio; quam optime ex Caramuel ita describit pag. 681. & etiam exemptionem ab oneribus &c. optime.

Pag. 682. ponit quasdam conclusiones pro fundamento totius Dissertationis. Prima est: *Ecclesia & Respublica interdum re & ratione, interdum duntaxat ratione differunt*. Hic exponit qualiter Ecclesia sub Ethnicis & qualiter sub Christianis Imperatoribus fuerit in Republica.

Secunda est: *In omni societate, quæ diversos habet fines, quidam & præesse & subesse possunt diversis rationibus*. Hic nitide & breviter exponit quomodo Ecclesia & Respublica componant unam societatem; in qua sunt duo corpora, quæ diversos habent fines &c.

Quarta est: *A Christo Rege & Sacerdote potestatem accipiunt Princeps & Sacerdos: ille civilem, hic Sacerdotalem, sed diversa conditione*, pag. 685.

Hic probat utramque potestatem esse immediate a Deo; & licet Sacerdotalis ratione finis & administrationis sit dignior, non tamen civilis ei sit subjecta; neque inferat exemptionem Clericorum. Ibidem & ostendit quam turpiter Antiquorum dictis abutantur recentiores; & quod Episcopis proprie non competat jurisdictio coactiva; neque censura sit coactiva, pag. 685.

Ibi circa finem exponit illud Constantini: quod sit Episcopus ad externa. Et pag. 687. quod Reges, etiam jure Divino, habeant custodiam & protectionem Ecclesiæ. Et ibidem explicat quod Regalis Potestas indirecte se extendat ad spirituale regimen; uti Sacerdotalis ad temporale; quod Respublica cum omni Potestate esset ante erectam Ecclesiam. Ostendit pag. 688. omnia jura Principum mansisse salva post susceptum Christianismum sat bene. Notatque pag. 989. quod Princeps sit unicum *Caput* Reipublicæ, cui soli competat leges ferre; quodque olim non toleratum ullum generale Decretum fuisse evulgatum, & per modum legis promulgatum sine consensu Principis.

Exponit pag. 689. vers. *Enimvero*, quomodo primis seculis fideles fuerint in Republica tamquam peregrini & non cives. Et quare Deus hoc permiserit.

Cap. III. quod incipit a pag. 690. exponit qualiter Ecclesia postquam per 300. annos crudelissimis Tyrannorum persecutionibus fuit exposita, tandem sub Constantino Magno acceperit libertatem a Prophetis prædictam; & in quibus hæc talis optata libertas constiterit a tempore Constantini Magni, usque ad tempora Gregorii I. hoc Capite exponit.

Exponit hoc per distinctos Articulos quatuor distinctas species libertatis sive immunitatis, quam a Costantino, ejusque Christianis Imperatoribus successoribus accepit. 1. Libertatem Religionis. 2. Libertatem a publicis oneribus. 3. Liberta-

tem

tem sive exemptionem Clericorum a secularibus judiciis 4. Libertatem seu authoritatem cognoscendi de causis laicorum. Hæc §. 1. cujus hic est titulus: *Ecclesia Christiana Libertatem Religionis accepit a Principibus Christianis*. Ibidem breviter exponit in quo hæc libertas Religionis consisteret.

Hic notat quam periculose errent in multis qui non satis distinguunt inter libertatem, quam Ecclesiæ suæ dedit & acquisivit Christus, & eam, quam a Principibus Christianis accepit; quam distinctionem ibidem bene exponit.

§. 2. pag. 691. Cujus hic est titulus: *Ecclesia vetus sub Christianis Principibus solita Synodos cogere aut expresso Principis, aut tacito ejusdem consensu*. Synodos Provinciales sive particulares sine expresso Principis; universales cum expresso. Rationem diversitatis assignat.

Ibidem notat, quod dum quis Synodi Patres habebat suspectos, ad Principem recurrerit, ut ab eo Judices acciperet; quod primum attentarunt Donatistæ apud Constantinum, in causa Ceciliani; quam historiam ibidem narrat, pag. 692. ibidem recte reflectens quod Constantinus noluerit de causa principali judicare; sed duntaxat dedisse Judices non suspectos, qui de causa cognoscerent: quod tamen a Donatistis, & quidem sine justa causa attentatum ægre tulit Constantinus. Nihilominus cum Donatistæ recusarent Melchiadis & aliorum Episcoporum stare judicio; eorum victus contumacia & importunitate jusserit cogi Synodum Arelatensem. Et cum nec huic stare vellent, tandem Constantinus ipse de Causa cognoverit; in quo Constantinum excusat S. Augustinus, uti notat hic, pag. 693. ubi una monet hoc ultimum factum fuisse quasi *dispensatorie*: sed quod Judices dederit, qui & Romæ & Arelate de causa judicarent, id fecisse vigore Imperialis dignitatis.

Ibidem ostendit Synodos, præsertim œcumenicas, coactas fuisse authoritate Principis; licet nonnumquam contingeret ad suggestionem Episcoporum, notanter Romani, tamquam inter eos primi. Item late ibidem adstruit Decreta Synodorum non habere vim legis, nisi authoritate Principis fuerint probata.

Ibid. pag. 700. & seqq. exponit qua ratione omnes Episcopi dici possint *universales*; & curam suam queant & debeant etiam aliis Ecclesiis impendere quod ibidem & factis & exemplis Episcoporum probat.

Ex hac autem universali cura Ecclesiæ omnibus & singulis Episcopis ex æquo incumbente, & ex unitate Ecclesiæ & Episcopatus profluente, tandem invaluit consuetudo eorum, qui erant absenti, ad alias Ecclesias recursus, signanter ad Romanam, ut potentiorem & principaliorem pag. 702. & seqq. & pag. 704. monet quod absenti recurrerent ad alias Ecclesias, non tamquam *superiores*, sed tamquam quæ unam cum reliquis constituerent Ecclesiam; atque caritatis ab iis opem implorantes. Et ibidem dilucide exponit factum Felicissimi & Fortunati, qui a S. Cypriano & Episcopis Africanis absenti, ad Cornelium Roman. Episcopum confugerant; ostenditque quod non appellaverint, sed tamen quod Cornelius aliquantulum nutaret; quodque merito a S. Cypriano fuerit acriter monitus, ne unitatem scinderet.

De recursu Athanasii, Chrysostomi & Flaviani ad Romanum Pontificem & occidentales agit pag. 705. & seqq. & pag. 708. ostendit & nitidissime exponit quam absonum sit aliqua facta & sanctorum virorum, quæ ab his necessitas & durities temporum dispensative extorsit, adduci ad jus ordinarium. Meretur legi.

Pag. 709. exponit summatim quid de jure (Appellationis) cautum esset. In primis notat ante Concilium Sardicense, Ecclesiam Catholicam eum tenuisse usum, ut extra Provinciam non appellaretur. Hanc vim habebat observatio *Formatarum*; non enim solvi poterat qui censuræ vinculo fuerat innodatus, nisi ab illo ipso qui nodum adstrinxerat. Cui bono igitur appellatio? nisi forsan a Presbyterio unius Ecclesiæ ad plurium Episcoporum consessum provocaretur. Inde ad Comprovincialium Synodum, cui ille quoque intererat a quo appellabatur. Patriarchalia jura primis hisce seculis erant ignota. Romanæ Ecclesiæ nullum hac in parte jus eximium fuisse Marcionis factum probat. Fatetur quidem etiam eo tempore quosdam exti-

tisse

titiſſe, qui in ſuis Provinciis abstenti, exteras Provincias pererrantes Romam interdum venirent, quo pacem impetrarent; ſed adverſus hos eſt Canon. 33. vulgo Apoſtolorum; & in eos vehementi ſtilo invehitur S. Cyprianus in Epiſt. 54. ad Cornelium. Hæc pag. 709.

Pag. 710. & ſeq. agit de Concilio Sardicenſi; atque oſtendit quo motivo fuerit inductum; item (quod) non fuerit agnitum tamquam *Generale*; quod Canon de conſulendo Romano Pontifice fuerit novus; eorumque temporum durities, & innocentium evidens oppreſſio extorſerint.

Et pag. 711. probat Canonem Sardicenſem in oriente nec 'a Catholicis fuiſſe agnitum, nec ullum Epiſcopum eo fuiſſe uſum.

Can. 9. Chalcedonenſi vetitæ erant appellationes Epiſcoporum a ſententia Metropolitani; ſed Juſtinianus in Novella 123. Cap. 22. permiſit ad Patriarchas.

Pag. 711. & ſequenti oſtendit, horum Canonum Sardicenſium notitiam nullam habuiſſe Patres Africanos, neque ejus Concilii meminiſſe Auguſtinum.

Ibidem recitat Epiſtolam Africanorum ad Cæleſtinum in cauſa Apiarii; & pag. 712. aliqua notat in hanc Epiſtolam; atque in primis, quod Cæleſtinum tractent ut alios Epiſcopos. Notat inſuper quod eodem tempore Apiarius improbus Presbyter, nec non Pelagius & Cæleſtinus Romam confugiſſent; atque inde Zozimum occaſionem ſumpſiſſe ſtabiliendi jus appellationis ad R. Pontificem. Item Fauſtinum Epiſcopum fuiſſe hominem improbum. Multa ibidem admodum notanda adjicit: atque interea quanta modeſtia & moderatione uſi fuerunt Patres Africani; quodque nonnulla obſcurius fuerint expreſſa.

CAPUT QUARTUM.

De Immunitate Clericorum &c.

Pro Lectione 13. Octobris [1718.]

Quomodo Eccleſia ſive fidelium congregatio fuerit ſub Principibus ethnicis, & quomodo ſub Principibus Chriſtianis exponitur in tractatu de Libertate Eccleſiæ pag. 652. Et dein ibidem in expoſitione 2. propoſitionis, quod in omni ſocietate, quæ diverſos habet fines, quidam poſſint ſubeſſe, & præeſſe diverſo reſpectu.

Et in expoſitione 4. propoſitionis oſtendit, quod licet ex fine ſuo Eccleſiaſtica poteſtas ſit dignior non tamen propterea ei ſubjiciatur civilis; nec hæc dignitas ex fine petita aliquam inferat jurisdictionem, nec Clericorum exemptionem.

Quod Conſtantinus & ſubſequentes Imperatores judicia Epiſcoporum duntaxat habuerint pro *arbitriis*; quodque vim judicati & executionem ex ſe non habuerint, ſatis probatur in *jure Eccleſ.* parte 3. tit. 1. Cap. 1.

Et Cap. 3. num. 6. exponitur quod per Canones prohibitum fuerit Clericis cauſas ſuas civiles ad forenſes Judices deferre; ſed id nullatenus inferre exemptionem Clericorum latius probatur in *Supplemento* ad dictum Titulum; n. 6. (in Edit. anni 1753. Cap. V.)

In anterioribus probatum fuit imperium & poteſtatem coactivam, & omnem veram jurisdictionem, tum ſub Ethnicis, tum Chriſtianis Imperatoribus fuiſſe penes Imperatores, eorumque Magiſtratus; neque Eccleſiam aut Epiſcopos ullam habuiſſe veram jurisdictionem; neque Clericos ullam prætendiſſe exemptionem a foro ſeculari; neque Eccleſiam unquam eam Clericis dediſſe; ſed eam primitus ab Imperatoribus, ac ſignanter a Juſtiniano datam, ſub certis reſtrictionibus & modis: idque uſque ad inductas falſas Decretales; & poſtmodum per Reſponſa Pontificum hiſce Decretalibus & Decreto Gratiani annexa.

Quod Decretalium harum receptio, & Reſponſorum, potuerit quidem in multis articulis evertere & mutare Eccleſiæ per SS. Canones ſtabilitam diſciplinam: ſed ſicuti non potuerunt evertere, nec everterunt ipſam fidem; neque Principibus potuerunt imperium & ſummam poteſtatem gubernandi Rempublicam, & exercendi poteſtatem vindicativam eripere, utpote a Deo ipſis datam.

Notandum quod omnes paſſim Decretales ſub Titulo *de Reſcriptis* &c. ſint poſteriorum Pontificum, puta Alexandri III. & ſequentium.

Stu-

Studium juris Canonici, prout hodie traditur, non esse favorabile authoritati & juribus Regiis, neque etiam multum conducere ad notitiam disciplinæ Ecclesiasticæ.

Pontifices sat patenter indicarunt, omnem jurisdictionem etiam laicorum dependere ab Ecclesiastica; eo quod sustineant & declararint in Cap. XIX. *de foro competenti*, Judicem Ecclesiæ posse supplere negligentiam Judicis Regii. Vide Jus Eccles. univ. parte 3. tit. 2. Cap. 3. num. 28. & 29.

Sine Principis licentia non possunt erigi nova Monasteria. Item nec Religiosi aut Clerici sine ejus licentia, ingredi. Nuntii Apostolici non sine Placito Regio admitti.

Bona temporalia sunt sub directione & gubernatione Principis; cum enim temporalia præcipue dirigantur ad hanc vitam temporalem conservandam; & Principis officium sit juvare, ut subditi hanc vitam pacifice peragant, consequens est, ad eum spectare directionem & regimen bonorum temporalium.

Cum autem impossibile sit ut Princeps hæc temporalia rite gubernet & curet, nisi habeat convenientia media, quibus eorum debitum usum unicuique conservet, necessario consequens est, ipsi ea esse suppeditanda, e temporalibus his, media necessaria.

Quandoquidem autem bona temporalia usibus Ecclesiæ aut pauperum deputata nequeant salva esse, nisi Princeps eorum conservationi invigilet, sequitur quod plane æquum sit ut ea etiam oneri tributorum & vectigalium maneant subjecta.

Prima & notabilis lex est Theodosii, de anno 424. in L. 33. Cod. Theod. *De annonis & tributis*; & in L. 12. Cod. eod. Lib. 10. Tit. 16. Hic notanda addita clausula: *Et cum pars hæc*; Extat in L. 8. Cod. de SS. Eccles.

Notanda Novella Justiniani 37. ex qua patet tunc admodum exiguam adhuc immunitatem datam Ecclesiæ. Item ex Novella 43. ex qua habemus quod nec Orphanotrophiis &c. fuerit indulta immunitas; & additur notabilis ratio.

Ludovicus pius voluit unicuique Ecclesiæ liberam esse unam *Mansam*. num. 21.

Notandum quod tum apud Gratianum Causa 23. q. 8. Can. 2. tum in Cap. 1. Extra, de censibus, referatur quasi per Concilium Wormantiense, sive apud Guarmatiam, quod primitus erat constitutum authoritate Caroli M. &c.

Alexander III. & Innocentius III. in Cap. 4. & 7. ✠ *de immun. Eccles.* loquuntur generaliter de bonis, non tantum Ecclesiarum sed & Clericorum & virorum Ecclesiasticorum & pauperum; vetantque hæc a seculari quacumque potestate sub pœna anathematis gravari. Sed si Episcopus & Clerus judicaverint ob communes necessitates, & ob defectum seu non sufficientiam laicorum, aliquid contribuendum, id cum gratiarum actione recipiant.

Hinc conclusum fuit immunitatem hanc non a liberalitate & concessione Principum dependere, sed eam Ecclesiis & Clericis debitam; atque censendum quod bona hoc ipso Ecclesiis aut Clericis quocumque titulo obvenerint, ab omni laicorum potestate sint exempta.

Præterea ex his conclusum est, non tantum bona Ecclesiastica Clericorum, sed & Patrimonialia & plane laicalia esse exempta.

Notanda verba Concilii Coloniensis de anno 1266. quod vult, ut bona personarum Ecclesiasticarum sint & maneant in omni loco, tam in civitate quam extra, & transeant tam in terris quam in aquis absque telonio & qualibet exactione, & sine omni impedimento libera & penitus absoluta. Evidens est etiam mobilia Clericorum hic eximi.

Declaravit Bonifacius VIII. in Cap. 4. *de Immun. Eccles.* quod Ecclesia & Ecclesiasticæ personæ ac res ipsarum, non solum jure humano, quin jure *Divino*, a secularium personarum exactionibus sint immunes.

Immunitatem Ecclesiarum per Principes esse tuendam, nisi necessitas & Provinciarum mores aliter id exigant, judicarunt Concilia Belgica, in reflexionibus ad sess. 25. Cap. 20. de Reform.

Ab oneribus mere personalibus Clerus, in pluribus solet esse exemptus. Et jam pridem per Constantium legitur exemptus ab hospitio militum. Lib. 1. Cod. per Episc. & Cler. Et in Sabaudia *Ant. Faber*, in Cod.

Cod. Lib. 9. Tit. 30. Def. 26. *Chopin* de S. Pol. Lib. 3. tit. 2. num. 3. & eam confirmavit Maximilianus Dux Brabantiæ, Ed. de 13. Junii 1479.

Hæc immunitas intelligi debet excepto casu necessitatis, uti loco citato notat *Chopinus*, & etiam *Ant. Faber* monet quod merito laicis subsidio esse debeant Clerici in casum nimii oneris, sed ne hoc prætextu immunitas violetur, per indifferentes debet onus attendi.

Difficultates super immunitate non sunt resolvendæ ex Decretalibus nostris; sed ex Edictis Principum; neque de his cognoscunt Judices Ecclesiastici, sed Regii. Possunt exempla peti ex Zypæo & aliis.

Competentiæ Pastorales aut ejus domus non gravantur. Merito a militum hospitio eximuntur Clerici & Academici; quandoquidem nullum ex præsidio militum habeant emolumentum; sed id apud solos laicos remaneat.

Cum igitur immunitas proveniat a Principe, etiam in hac materia Principum Edicta sunt servanda, & Decretalibus præferenda. Item quæstiones super hac immunitate exortæ, per Principem veniunt decidendæ; neque his Judex Ecclesiasticus se immiscet.

CAPUT QUINTUM.

De Cura & superintendentia Principis circa res temporales Ecclesiæ. (a)

I.

De potestate Principum circa dispositionem rerum Ecclesiasticarum.

Dispensatio rerum Ecclesiasticarum jam pridem pertinuit ad Episcopos in suis respective Diœcesibus; etiam R.P. (*dispensationem*) sive curam habuit in sua Diœcesi. Sed sicuti labentibus seculis ad se traxit Beneficiorum omnium provisionem, & inde ortæ sunt Reservationes, Mandata de providendo, & Expectativæ, ita & sensim sibi attribuit dispositionem proventuum & bonorum Ecclesiasticorum. Principum authoritas & cura semper mansit salva. Cum enim res illæ in se maneant temporales, & ad vitam humanam & Reipublicæ tranquillitatem necessariæ, Principum officium est, sua authoritate providere, ne per illegitimum eorum bonorum abusum, jura internectantur; atque subditi & Respublica in notabilia incommoda incidant.

Hinc est quod Principes, eorumve Magistratus computibus Ecclesiarum interveniant; quodque de quæstione super his incidente, Princeps agnoscat. Item Princeps intendat, num bona illa impendantur in usum, ad quem sunt destinata. Inde de congrua portione, & reparatione Ecclesiarum. Item contra reservationes pensionum &c. De Edictis Principum de anno 1485. & 1497. illud Maximiliani & Philippi, & hoc solius Philippi Principes restrinxerunt decimarum exactionem. Habent quidem Ecclesiastici jus petendi necessarium subsidium; sed id imponendi laicis non habent.

Etiam modum exigendi Decimas præscripserunt: non per censuras nec juramentum. Hic & de Edicto Caroli V. aliquid dicendum, de ædificandis & reparandis Ecclesiis.

CAPUT SEXTUM.

Qua ratione Principes sint Episcopi exteriores &c.

Laici debent libere defendere veritatem, quam audiverunt a Sacerdote, fundatam in Scripturis; alias proditor est veritatis. Bene ex Chrysostomo Can. 76. Causa XI. q. 3.

Richer. Tomo 2. Def. Lib. 5. Cap. 3. num. 3. pag. 316. agit de Appellatione Pauli ad Cæsarem; probatque Paulum vere & legitime appellasse. Notanda sunt Augustini (verba,) quæ ibidem & ex Epist. 5. ad Bonif. Comitem profert.

De facto Aureliani contra Paulum Samosatensem agit num. 5. pag. 318.

Qua ratione Constantinus se dixit Episcopum exteriorum exponit num. 6. & num. 7. de Carolo Magno.

M. A. D. Lib. 6. Cap. 5. num. 1. 2. 3. & 4.

(a) Circa formam servandam in elocationem, vide *Jus. Eccl. univ.* II. Part. sect. IV. Tit. V. cap. 2. Tom. III. hujus Edit. Neap. p. 613.

3. & 4. optime ostendit Regis officium esse, etiam spiritualia curare per actus externos, & quantum ad externam pertinet politiam; non tantum habito respectu ad temporalem Rempublicam, & subditorum felicitatem, sed vel maxime etiam habito respectu ad veram Religionem & æternam beatitudinem, per actus tamen mere externos conformiter ad potestatem eis a Deo datam, exemplo Patris naturalis.

Hæc ita vera sunt, ut tamen sola externa sint ei commissa, etiam quoad pietatem & Religionem; & consequenter Regis ut Rex est, non est suos subditos ad æternam beatitudinem supernaturaliter dirigere; ad hoc enim Regia potestas, quæ tota naturalis est, non se extendit; sed ad solam naturalem; ita tamen ut adjumenta externa, quibus ad eam beatitudinem pervenire queat, suppeditare teneatur; sicut Patria potestas solam vitam temporalem filiorum de se respicit, ut rite & honeste educentur: nihilominus Pater ut Pater tenetur omnia externa adjumenta suppeditare filiis, quæ possunt ipsis prodesse ad æternam beatitudinem perveniendi.

Sicut ergo Deus tamquam omnium & singulorum Pater, vices suas Patriæ potestatis terrenis Patribus communicavit, ut hi filios non eis sed sibi, in quantum eorum potestas extendit, educent, ita quoque ipse ut Rex cæli & terræ vices suæ Regiæ potestatis Regibus terrenis communicavit, ut Reges non sibi, neque ad propriam suam utilitatem & Regni sui extensionem, vel temporalem felicitatem, sed Deo populum Dei regant, & gubernent, omnia adjumenta intra limites suæ potestatis subministrando; uti optime exponit M. A. D. Lib. 6. Cap. V. num. 3. Et num. 4. monet, quod ex hac Principum cura erga Religionem & sacra, potissimum dependent pax & tranquillitas Reipublicæ.

CAPUT SEPTIMUM.

Leges Imperatorum circa sacra.

In Novell. 6. in præfatione dicitur, Maxima quidem in hominibus sunt dona fidei a superna collata Clementia, *Sacerdotium* & *Imperium*. Illud quidem Divinis ministrans; hoc autem humanis præsidens ac diligentiam exhibens; & uno eodemque principio utrumque procedens.

De observatione Diei Dominicæ & Festorum Lex est Constantini in L. 3. Cod. de feriis & L. 1. Cod. Theod. eod. Et postea Leo VI. Novell. 54. M. A. D. Lib. 6. Cap. 6. num. 1.

Lex Honorii de electione R. P. notanda. Vide M. A. D. Lib. 6. Cap. 6. num. 22. Extat notanda L. 32. Cod. De Episc. & Cler. Leonis Imper. M. A. D. eod. loco num. 25.

Novell. 22. & 58. ne in privatis Domibus sacra Mysteria celebrentur. De debita impensa in funeribus Novell. 59. Nullus fabricet Ecclesiam sine licentia Episcopi, Novell. 67. Ne sacra ubique fiant, Novell. 31. De Litaniis & crucibus, Novell. 123.

Theodosius leges tulit de Monachis ne ad communitates venirent &c. M. A. D. Lib. 6. num. 20. Lex Theodosiana de Monachis publice de Religione disputantibus, aut conventicula tenentibus. Vide ibid. de Monacho, qui Monasterium diviserit, Novell. 5. Cap. 3. & 5. & 6. De creatione Abbatis & Abbatissæ, ibid. Cap. ultimo.

Est integra Novell. 5. de Monachis. 1. De Monasteriis & eorum ædificiis. De his qui ingrediuntur Monasteria & eorum bonis, Novell. 76. De Monachis non statim vestiendis, Novell. 5. Cap. 1. Novell. 123. Quomodo oporteat Monachos vivere, Novell. 123. & 135.

Theodosius legem tulit, qua posuit impedimentum dirimens inter consobrinos, cujus meminit S. Ambrosius Ep. 66.

De Nuptiis, impedimentis & dissolutionibus, Novell. 22.

De solutione Matrimonii per ingressum Monasterii, Novell. 123. Cap. 36.

De Censuris ante cognitam causam non ferendis. Novell. 123. Cap. XI.

Justiniani Novella 3. Cap. 3. & Novell. 16. præfixit numerum Clericorum Ecclesiæ Constantin. Et merito optandum esset ut Monialium & Monachorum numerus determinaretur. Eadem Novella statuitur, ne Clerici de minori ad majorem transeant Ecclesiam Novell. 3. Cap. 2. Ut Clerici surrogentur in locum Clericorum defer-

desertum. Novell. 57. Interdicitur, Novell. 123. Cap. 10. Clericis alearum usus. Sed notanda pœna in contravenientes.

Episcopi exilio damnarunt, Novell. 41. De ordinat. Episcopi & Clerici, Novell. 136. De Episcopi eligendi vita, moribus & fortuna; de ejus præmittenda examinatione; de promissione observandi sacras regulas; & de pœna depositionis ejus, qui per munera ascendit. Novell. 6. Cap. sat bene.

Anthimus aliique Episcopi deponuntur, & in exilium mittuntur, Novell. 42.

Proventus hi in pios usus impendantur. Novell. 3. Cap. 3.

Nicephorus Phocas, donationes ab Imperatoribus factas Ecclesiis & Monasteriis ademit, quasi illæ male impenderentur. M. A. D. Lib. 6. Cap. 6. num. 33.

Novell. 123. Cap. 10. præcipit ut singuli Archiepiscopi & Patriarchæ, suarum respective Provinciarum convocent Episcopos, semel aut bis in anno. Et omnes causas subtiliter examinare quas Episcopi aut Clerici aut Monachi ad invicem habeant; atque super eis disponere, & si contra regulas factum sit, emendare.

„ Qui legibus Imperatorum quæ contra „ veritatem feruntur obtemperare non vult, „ acquirit grande præmium. Quicumque „ autem legibus Imperatorum quæ pro „ Dei veritate feruntur, obtemperare non „ vult, acquirit grande supplicium. „ Augustinus ad Bonifacium Epist. 50. M. A. D. Lib. 6. Cap. 6. num. 62. & num. 57. profert insignem locum Cusani.

De quatuor Sanctis Conciliis, Novell. 131.

Cur Constantinus Concilium Nicænum convocaverit, & eidem interfuerit, significat in litteris ad Nicomedienses: *Non vos præterit Concilium Nicænum celebratum, cui interfui, sicut conscientiæ meæ munus postulabat, non alio sane animo.*

CAPUT OCTAVUM.

Annotata ex Guillelmo Barclaio.

[Apud Goldastum, Tomo III. p. 624.]

Cap. II. Solide ostendit quod potestas Temporalis & Ecclesiastica sint inter se plane distincta, nec una sit alteri subordinata; idque ex Epistola Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, apud Gratianum, quam ibidem recte exponit.

Cap. III. Solide ostendit primos Christianos & Apostolos fuisse subjectos Principibus ethnicis; neque Principes per suam ad Christum conversionem quidquam de suo jure amisisse.

Cap. IV. Ostendit quibus mediis tandem ad temporalem potestatem in Reges & Principes pertigerint, ac præsertim per metum Censurarum, & earum nimiam extensionem, & persuasionem, etiam injustas, esse metuendas. Item accesserunt Theologorum & Canonistarum adulationes, & Pontificum dominandi libido.

Cap. V. Probat quod eodem argumento, quo evincitur falsitas opinionis Canonistarum de *directo Dominio* Papæ in Temporalia, etiam refellatur opinio de *indirecto*.

Cap. VI. Proponit argumentum suæ opinionis, petitum ex praxi Ecclesiæ & Pontificum, qui per septem secula & amplius, hac potestate usi non fuerunt; & hoc & Cap. VII. respondet iis, quæ huic argumento opponuntur; & prosequitur Cap. VIII. & IX. & ostendit non minus debuisse ab excommunicatione & depositione Henrici IV. abstinere Gregorium VII. quam primos Pontifices; ostenditque Cap. IX. quod Gregorius VII. ob easdem rationes debuisset ab excommunicatione Henrici IV. abstinere, ob quas a simili abstinendum judicaverat per octo annos. Idipsum prosequitur Cap. X. & XI. Cap. XII. ostendit quod si Pontifici sit potestas *indirecta* in temporalia Principum, per necessariam consequentiam sequi quod omnia temporalia sint in ejus arbitrio, quodque de omnibus regnis dici queat quod de beneficiis dicunt Canonistæ; scilicet ea esse respectu Pontificis *manualia*.

Cap. XIII. Sat solide refutat rationem Bel-

Bellarmini petitam ex subordinatione Potestatum; ostenditque eas sibi non esse subordinatas, probatque ex *Diodore* & Glossa. Et Cap. XIV. id ipsum prosequitur circa principium, ex diversitare finis utriusque potestatis. Eodem Cap. XIV. solvit dilucide argumentum petitum ex eo quod utraque potestas simul conficiant unum corpus tamquam plura membra.

Cap. XV. Probat omnes, etiam Romanos Pontifices, politicæ potestati in civilibus parere debere; nullamque esse Clericorum exemptionem de jure Divino, sine privilegio Principum.

Cap. XVI. Optime ostendit, quod quia fatente Bellarmino, Imperatores Ethnici in politicis habebant imperium a nullo dependens, etiam idem habeant ad fidem conversi.

Cap. XVII. Solide respondet argumento, quod alias non esset perfecta Respublica Ecclesiastica, si non haberet potestatem in temporalia; & prosequitur Cap. XVIII.

Cap. XIX. Excutit locum S. Bernardi, quo indicare videtur Principem teneri, ad *nutum* Sacerdotis, stringere gladium materialem.

Cap. XX. Solide ostendit fallaciam argumenti: Christiani non possunt tolerare Principem hæreticum: ergo Pontificem posse illum deponere &c. Falsum est antecedens. Ulterius non sequi: non possunt eligere hæreticum; ergo possunt deponere.

Cap. XXI. Recte exponit locum Apostoli ad Corinth. Cap. V. atque contra Bellarm. probat Apostolum ibidem nullatenus constituere novos Judices; neque Christianos eximere a jurisdictione Judicum infidelium.

Ibidem agnoscit quod S. Thomas doceat penes Ecclesiam esse authoritatem deponendi Reges; sed eum falso fundamento niti ostendit.

Ex eo quod Bellarminus concedat omnes Christianos, etiam Romanos Pontifices fuisse & mansisse subjectos in politicis Principibus Ethnicis; atque idcirco Paulum recte appellasse Cæsarem, concludendum esse evincit, Christianos Ethnicos illos Principes non potuisse deponere, tametsi fuissent viribus sufficientes.

Cap. XXII. Solvit argumenta petita ex periculo perversionis, cui populus exponitur per Principem infidelem.

Cap. XXIII. Occurrit argumento Bellarmini quod petit ex licentia quam habet conjux fidelis deserendi conjugem infidelem.

Cap. XXIV. Respondet argumento, quod sumitur ex sponsione expressa vel tacita quam Principes Catholici faciunt de propugnanda fide Catholica &c.

Cap. XXV. Ostendit quod Petrus a Christo acceperit omnia necessaria ad pascendas ejus oves: & tamen nullam in temporalia authoritatem acceperit; imo nec Christus ut homo mortalis ullum in temporalia imperium habuit aut exercuit. Cum autem Petrus duntaxat sit Vicarius Christi, quatenus fuit homo mortalis, constitutus & vivens inter homines, etiam non potuit Petrus aliam potestatem habere.

Cap. XXVI. Sat bene notat, quam prudenter (agendum) in excommunicandis Principibus; & quod revera Prælati deberent strenue populum monere, ne Principum vitia imitarentur; sed quam segnes sint hodie ea in re Prælati recte reflectit; refertque ibidem ex *Turrecremata*, quomodo facta Pontificum non sint trahenda in exemplum.

Cap. XXX. Respondet argumento quod Pastoris sit lupos a grege suo arcere & ibidem recte ostendit quam frivola sit distinctio inter potestatem directam & indirectam.

Cap. XXXI. Solide probat eam in R. P. potestatem, nec Ecclesiæ, nec Reipublicæ, nec ipsis Principibus utilem esse, sed potius nocivam.

Cap. XXXII. Ostendit quod Princeps Catholicus possit quidem ob contumaciam in criminibus, pœnis spiritualibus, puta excommunicatione puniri; sed nequaquam pœnis temporalibus. Ibidem sat bene probat, penes Pontificem non esse authoritatem eximendi Clericos a jurisdictione Principis, sive in causis civilibus, sive criminalibus, neque Ecclesiam id unquam prætendisse.

Cap. XXXIII. Probat quod nec hodie Clerici sint a Principum jurisdictione omnino immunes,

Cap.

Cap. XXXIV. Ostendit Censuras non agere in bona temporalia &c.

Cap. XXXV. Excutit exempla, etiam veteris Testamenti & alia recentiora, usque ad finem operis.

Joannes Barclains, in Apologia pro Patre, apud Goldastum Tomo III. pag. 598. excutit locum Gelasii, & a cavillis Bellarmini vindicat; & pag. sequent. textum Nicolai I.

CAPUT NONUM.

Annotata ex Discursibus Domini Fleury.

Quanta solemnitate & reverentia, & concursu olim celebrabantur Divina Officia, & signanter Missæ Sacrificium; quam etiam eo tempore essent pretiosa ornamenta, & plures ministri assistentes deducit discursu 2. num. 7.

Discursu 2. n. 5. asserit quod Episcopi suas Diœceses regerent *per se*, ideoque & Diœceses essent exiguæ. Deinde quod eas regerent cum consilio sui Cleri & interdum populi & Synodaliter; ostenditque multis titulis (Regimen Aristocraticum) esse præferendum Regimini Despotico, licet corruptio hominis hoc magis appetat.

Ibidem num. 6. discurrit de Diaconis, & aliis inferioribus Ministris; notatque quod Diaconi fuerint instituti ante Presbyteros; quodque non legatur per Apostolos fuisse institutos Presbyteros, sed Diaconos; quia hos magis necessarios reputabant. Præterea sat bene ostendit quod etiam inferiores Ministri essent necessarii, quodque nullatenus mirum videretur, quod quis semper maneret Ostiarius &c.

Quibus cæremoniis; & quæ opera pœnitentiæ; & quæ fuerint exercitia pœnitentium &c. exponit breviter num. 8. & sub finem respondet iis, qui hunc usum arguunt, quasi homines in desperationem inducentem.

Quis esset modus studendi, & quæ præcipue scientia requireretur in Presbyteris, & Episcopis deducit num. XIII.

Discursu III. num. 2. Ostendit qua ratione, circa finem seculi VI. cœperunt flaccescere studia, invalueritque ignorantia, præsertim Critices (pag. 222. & seq.) eaque occasione multa scripta apocrypha & sub falsis nominibus invaluerint; ac inter alia confictæ Decretales; item superstitiosus SS. cultus & Reliquiæ falsæ, & Miracula falsa ad quæstum sæpius inventa. Notanda reflexio quæ habetur sub finem numeri 2. Vide & n. 3.

Num. 5. Agit de peregrinationibus, & eorum frequentia & abusu; & quam remotum a pristina Patrum disciplina eas in pœnitentiam imponere.

Num. 6. Tractat de variis superstitionibus, quas ignorantia in Ecclesiam introduxit; & quantopere essent eo tempore creduli ad accipiendas quascumque fabulas sine examine. (Hæc possent poni sub Titulo de Confraternit.)

Num. 7. Breviter deducit decadentiam Imperii Orientalis, & quibus mediis & artificiis Musulmanni regnum suum extenderunt, & suam Religionem stabilierunt.

De conjunctione utriusque potestatis, Temporalis & Ecclesiasticæ, in eamdem personam agit num. 10. & quæ consecuta mala, & inde Episcopi, etiam in Reges, authoritatem assumpserint. De utriusque potestatis confusione, num. 9.

De affluentia divitiarum, & inde secuta disciplinæ collapsione, num. 11.

De incontinentia Clericorum; item violentia & rapinis laicorum; item de simonia unaque de variis pœnitentiæ generibus, quæ seculo 10. & 11. invaluerunt, agit n. 12. 13. 14. 15. & 16.

De Censuris eorumque excessu; nec non de Censuris in Reges; & hujus occasione de arrepta potestate per Episcopos & Pontifices deponendi Reges &c. docte discurrit num. 17. & 18.

Num. 22. Tractat de Monachis; & quantopere a pristinis deflexerint recentiores; atque ad hoc servierint divitiæ & studia.

Num. 23. Ostendit quomodo per cæremonias & formulas confirmata fuerint Religionis Mysteria, & disciplinæ antiquæ memoria.

Num 24. sat fuse agit de Legatis, sive de Missionariis ad varias nationes, ad prædicandam eis fidem; multaque observat, in quibus hæ a pristinis distarent: quæ merito sunt notanda.

Di-

Discursu IV. num. 4. Ostendit translationem Episcoporum item Episcopatuum institutionem, nec non eorum unionem, ante exortas falsas Decretales fuisse factas authoritate Episcoporum; idque fuisse convenientius.

Num. 5. Ostendit qualiter per falsas Decretales inductæ sint appellationes ad R. P. & quod earum frequentia, etiam impediret executionem mandatorum Papalium; atque idcirco inventam tandem clausulam *remota appellatione*: ibidemque observat S. Bernardum non fuisse ausum negare hoc jus appellandi, quia ei nota non erat falsitas Decretalium.

Num. 7. pag. 418. Agit de Clericorum immunitate, observatque quod ea quæ de hac immunitate habet Gratianus, assumpta sunt ab Innocentio III. in Epist. ad Imperat. Constant. relata in Cap. *solita 6. de Majoribus*; ostenditque Innocentium turpiter abuti verbis S. Scripturæ.

Et num. 8. Observat quam esset ineptum similia scribere ad Imperatorem Græcum, cui similia principia toti antiquitati adversa hactenus erant ignota; neque falsæ Decretales, aut Decretum Gratiani Orientalibus notæ erant. At Principes Occidentis ea ætate plane ignari, facile in similibus recipiebant, quidquid Clerici ipsi dicerent; qui cum omnes passim soli Decreto Gratiani studerent, etiam hisce principiis erant induti. Sat bene Fleury; monetque quod ob non receptas in Oriente falsas Decretales, disciplina Patrum circa præcipua manserit integra; quodque ignotus ipsis esset recursus ad Papam pro translatione Epicoporum &c.; quod recentius esse dicit quam vulgo creditur.

Num. 9. Agit de temporalibus Ecclesiæ, monetque Donationem Constantini seculo VIII. & IX. usque ad seculum XV. fuisse generaliter ut genuinam agnitam ab omnibus; etiam a S. Bernardo, qui authoritate hujus Donationis dixerit: Pontificem non tantum esse successorem *Petri*, sed etiam *Constantini*: L. IV. Cons. C. 2. Ep. 243. & 244. ibidemque agnoscit non recte sensisse Arnaldum de Breisa, qui sustinebat quod Ecclesia non posset habere toparchias &c. quem confutavit S. Bernardus; sed ait Fleury, quod optaret fundamenta, quibus satisfieret argumentis Arnaldi: Epistolæ enim Bernardi sunt potius declamationes quam refutationes.

Num. X. Valde bene & fuse exponit mala, quæ ex hac temporalitate Ecclesiæ orta sunt; & quod sensim hinc contigerit, non tantum R. Pontifices, sed & Episcopos authoritatem in Reges assumpsisse; eorumque negotiis publicis immiscendi.

Et pag. 450. notat quod apud Græcos non legamus Episcopos simul esse toparchas.

Num. XI. Agit de Legatis Apostolicis satis bene; advertitque per hos Legatos tandem Synodos Episcoporum suam amisisse authoritatem cum summo disciplinæ detrimento; quodque ignari Episcopi ambierint titulum Legati; atque etiam ordinariam suam authoritatem deprimentes, & Pontificiam extollentes; denique sub finem monet quod sub idem tempus peteretur a Sede Apostolica confirmatio donationum &c.

Num. XII. Agit de subventionibus pecuniarum, quæ primum circa seculum XII. fuerunt voluntariæ; ac demum derivarunt in coactas; ibidem ostendens quanta inter antiquos & recentiores fuerit in hac re differentia.

Num. XIV. Ostendit modum, quo posterioribus seculis procedi cœpit contra hæreticos, esse omnino oppositum pristinæ disciplinæ, & contra spiritum Ecclesiæ.

Num. XV. & XVI. breviter & erudite agit de mutatione inducta circa Pœnitentias & Indulgentias.

CAPUT DECIMUM.

Notata ex Richerio, in Libello de Ecclesiastica & politica potestate. (a)

Capite 1. Ostendit potestatem Clavium immediatius esse datam Ecclesiæ, sive toti ordini Hierarchico, quam ulli singulari personæ, idque hoc argumento: Deum & naturam immediatius atque prius ad totum suppositum quam ad aliquam ejus partem etiam

(a) His addi possunt quæ habet Richer Lib 2. Def. Cap. 1. & 2. &c. Cap. 4. & 5 &c. Item locus citatus ad tit. de Cura Episcopi, ad pag. 148. Textus Cusani de anima in toto; & Tostati, de subministrat. materiæ reform. p. 7. 8. & 9. in libello Rich.

etiam nobilissimam intendere. Inde concludens Christum toti Ecclesiæ immediatius & principalius authoritatem contulisse quam Petro; itaque Petrum oculo corporis comparat, quo tamquam ministro visus, homo utitur. Hæc bene sub initium Tom. 2. Def. p. 1. & 2.

Et Cap. 2. Ostendit, quod eam potestatem tam jurisdictionis quam ordinis Christus contulerit ordini Hierarchico in communi per immediatam & actualem Apostolorum & discipulorum missionem; quod constare ait ex Cypriano & Augustino. Verbis apud Gratianum 24. q. 1. Can. *Quodcumque*; Can. *Loquitur*, & Can. *Alienus* pag. 3. 4. & 5.

Et in Demonstratione Capitis 2. quæ incipit pag. 5. num. 1. fusius ostendit quod per immediatam Missionem Apostolorum & discipulorum fuerit data omnibus in communi jurisdictio, non extraordinaria (ut prætendunt Turrecremata, Cajetanus, Bellarminus, & alii) sed ordinaria.

Deinde late probat usque ad num. 5. pag. 10. omnem potestatem atque jurisdictionem derivari a Sacerdotio Christi; atque illud in ordinatione Presbyterali integrum communicari in habitu; atque in omnibus inesse; quemadmodum anima est tota in toto, & tota in singulis membris; notatque ibidem quod Sacerdos, dum absolvit aut baptizat, non dicat, se id facere authoritate Episcopi aut Papæ &c.

Num. 5. a pag. 10. profert SS. Patrum & Doctorum (sententias), qui dicunt Claves & jus regendi Ecclesiam, prius toti Ecclesiæ esse datas quam Petro; & signanter id astruit ex S. Augustino, profertque verba ejus, quibus docet quæ Petro dicta non habere sensum illustrem, nisi de Ecclesia intelligantur.

Et pag. 12. postquam adduxit resolutionem Facultatis Parisiensis, adscribit notabilem textum Tostati Episcopi Abulensis, optime & dilucide hanc rem exponentis; nonnulla aliorum testimonia, ut Gersonis, Cusani, & finaliter Bellarmini adducit; & in fine addit hæc: *æqualitas Sacerdotii in omnibus Apostolis nihilo magis Primatui B. Petri officit, quam æqualitas Doctoratus Theologiæ in omnibus Doctoribus prærogativæ Decani Theologiæ detrahit*. Usque ad num. VI. pag. 15.

Num. 6. pag. 14. probat ex Gersonio & aliis, Christum Ecclesiam sive ordinem Hierarchicum in communi constituisse Tribunal, Matth. 18. per hæc verba: *Dic Ecclesiæ*.

Num. 7. pag. 16. exponit & vindicat Canones apud Grat. 24. q. 1. ex Cypriano & Augustino desumptos.

Num. 11. pag. 19. exponit quo sensu dixerit, adversus sacros Ecclesiæ Canones non currere præscriptionem.

In Demonstratione Cap. 3. num. 2. pag. 22. ostendit Regimen Ecclesiæ ex Aristocratia temperatum; & num. 3. Regimen Aristocraticum esse convenientissimum; & num. 4. pag. 23. Ecclesiam esse unam & integram Papa mortuo, utpote tantum Capite ministeriali & accidentali (privatam).

Num. 5. 6. & 7. probat Papam esse duntaxat Caput symbolicum, imo præceptum habendi Pontificem esse duntaxat affirmativum; & post mortem Marcelli, Sedem Apostolicam vacasse 7. annis.

Cap. V. n. 1. pag. 27. & 28. statum Ecclesiæ distinguit ab ejus regimine, atque hoc Aristocraticum esse.

Num. 2. pag. 28. Collegium Cardinalium ad regimen Aristocraticum spectare.

Num. 3. Nativum regimen Ecclesiæ esse Aristocraticum.

Num. 4. pag. 30. Presbyteros una cum Episcopis debere regere.

Cap. VI. p. 31. ostendit infallibilem decernendi facultatem non uni, sed toti Ordini Hierarchico collecto esse datam, ex textu Math. 18. & in Demonstratione pag. 33. exponit Can. *Majores*. Causa 24. q. 1.

Cap. VIII. Late demonstrat pro recto Ecclesiæ Regimine frequentem Synodorum celebrationem esse necessariam; neque Decretales RR. Pontificum obligare, nisi sint receptæ; eoque titulo Hincmarum Rhemensem & alios Episcopos Galliæ sustinuisse contra Nicolaum I. Decretales sub nomine Pontificum, ante Synodum Nicænam editas, non obligare; notatque in sexto Capite, quod reprehensio Petri facta per Paulum, fuerit, ex sententia Gersonis, species appellationis ad Concilium Generale pag. 34. sub finem.

Cap. IX. pag. 40. agit de plenitudine, pote-

potestatis Papalis; asseritque quod usque ad translationem Imperii in Francos, Pontifices se semper dixerint simpliciter *executores Canonum*.

In Demonstratione hujus Capitis ostendit cum vi, in quibus præcipue versetur *Plenitudo potestatis Papæ*.

Num. 2. pag. 41. & seqq. de natura legum, a quibus ferantur, & de earum vi & executione.

Num. 3. p. 43. agit de forma, quæ in Decretis Conciliorum (observatur) nova & antiqua.

Theodoretum non fuisse admissum ad communionem Ecclesiæ universalis, nisi ejus causa prius esset in Concilio Chalcedonensi examinata; tametsi esset in communionem Ecclesiæ Romanæ receptus per Leonem, probat Richerius in Hist. hujus Concilii Cap. 8. n. 22.

Ex verbis S. Leonis Ep. 107. eruere volunt, Petro, non aliis Apostolis, datam plenitudinem Sacerdotii; sed id ex his erui non posse probat in Nota 3.

Qualiter sit una Ecclesia & unus Episcopatus, repræsentatus per Petrum, exponit Quesnell. ad Epist. 10. Leonis, n. 7. & 8.

Romanum Pontificem non habere immediatam jurisdictionem in omnes Ecclesias ostenditur in App. 1. & 2. Protestationis assertæ Ecclesiarum (Belgii Fœderati) & confirmatur in *Protestatione denuo asserta*, §. 14. 15. 16. & seqq. & notanter §. 18. refert notabilem textum Costeri. Id ipsum ostendit Bellarminus Monachus, in Tract. de Principatu Papæ, apud Goldastum T. 1. Monarch. p. 243. adde locum S. Greg. L. 11. Epist. 37.

CAPUT UNDECIMUM.

Potestas spiritualis Ecclesiæ.

Potestatem Ecclesiæ totam esse spiritualem probat M. A. D. L. 5. Cap. 1. & Cap. 2. Eam esse ministerialem non coactivam; & Cap. 3. ipsam tamquam quamdam Rempublicam debere habere suos ministros, qui eam dirigant, & ad finem, quem intendit, perducant (a). Idem ostendit Richerius. T. 2. Def. p. 81. & seqq. Et quod potestas Ecclesiastica non possit influere in Caput Mysticum, sicut politica in corpus. Sat bene num. 1. 2. & 3. & num. 4. an aliqua sit Ecclesiæ jurisdictio.

De potestate Principis circa externam Ecclesiæ disciplinam & libertates Ecclesiarum &c. Richer. T. 2. Def. Lib. 5. Cap. 1. & seqq. a p. 303. Lib. 3. Tom. I. Cap. 1. & 2. respondet Richer. ad argumenta pro Monarchia Papæ, & signanter S. Thomæ, quem dicit primum e Scholasticis pro plenitudine potestatis Papalis pugnasse; & Cap. 3. respondet argumentis Cajetani.

M. A. D. L. 5. Cap. 1. num. 5. ut ostendat Ecclesiæ authoritatem esse omnino spiritualem, & omni coactione vacuam, exponit latius textum Evangelii *Reges gentium* &c. (Luc. XXII. v. 25.) ostenditque Christum ibid. loqui de legitima Principis authoritate, non autem de Tyrannica.

Et num. 12. ex Hieronymo ostendit quod Rex *nolentibus*, Episcopus *volentibus* imperet, ut late ex Chrysostomo num. 13. & 14. Et num. 17. ex S. Bernardo plura congerit eamdem in rem.

Num. 29. probat penes Ecclesiam non esse veram & coactivam jurisdictionem & authoritatem; eo quod possit per pœnas temporales & corporales cogere ad obediendum. Et num. 30. ostendit ad similem pœnarum inflictionem Prælatos habuisse recursum ad Principes.

Et num. 31. & 32. sat bene ex Cypriano & Chrysostomo.

Num. 35. idem probat ex Canonibus apud Gratianum relatis.

Num. 39. allegat loca S. Scripturæ quæ contrariari videntur, quibus num. 40. & seqq. respondet.

Num. 47. & seqq. ponit & respondet argumentis Bellarmini.

Regimen Aristocraticum.

Papam olim nihil gravis momenti egisse sine Concilio, probatur in Libello cui Titulus: *Deux actes d'Appel du P. Q.* pag. 24. & seqq.

(a) Vide Richer. L. 5. Cap. 1. T. 2. Def. & ibid. distinctionem ponit regimen inter Ecclesiasticum & politicum.

& seqq. Ibidem etiam dicitur Sedem Apostolicam non esse *solum Papam*.


Regimen Aristocraticum esse convenientissimum, quodque Papa non sit verum Caput Ecclesiæ sed Christus. Richer. Lib. 4. Cap. 1. n. 7. 16. &c. Tom. 2. pag. 9. & seqq.

Et ibidem Richer. num. 20. pag. 20. & seqq. monet quod primus, qui dixit Papam & Episcopos *influere* vel influxum dare, fuerit S. Thomas; quamvis revera cum antiquis conveniat. Ibidem sat bene ostendit Papam nec Episcopos proprie influere, sed duntaxat externum Ministerium exhibere.

Et num. 22. p. 26. ostendit variam esse Capitis significationem uti & influxus; contenditque quod Rex Franciæ moraliter influat in Magistratus, non ita Papam.

Num. 23. pag. 27. invehitur in Vallium prætendentem Sede Apostolica vacante Ecclesiam non posse condere Decreta.

Num. 25. p. 28. & seqq. agit de diuturna vacatione Sedis Apostolicæ post mortem Marcellini.



XIV.

DE JURE CIRCA SCRIPTURAS SACRAS

Communi ac speciali Sacerdotis, Principis & Plebis

T H E S E S

Cum Annotationibus

O P U S

A pluribus Theologis Belgicis compositum, & a Cl. D. Z. B. Van-Espen, J. U. D. & SS. Can. Professore, approbatum & adoptatum.

Approbatio sequentium Thesium a Cl. D. Z. B. Van-Espen.

I*Nfrascriptus sedulo examinavi & perpendi scriptum, cui titulus*, De jure circa Scripturas Sacras, communi ac speciali Sacerdotis, Principis & Plebis, THESES, cum Annotationibus. *In Thesibus autem illis per varia Capita concinne digestis & Corollariis appositis, reperi satis felix specimen juris publici circa Libros Sacros, quale non memini antehac ab ullo fuisse tentatum. Quod specimen sicut æquissimis rationibus subnixum est, ita non vulgarem erga Majestatem Divinorum Codicum spirat religionem, cum singulari observantia erga authoritatem Ecclesiasticam & Civilem: nec mirum, cum omnia ibi ex ipsis Scripturis, Conciliis & Patribus, aliisque monimentis idoneis conquisita, valde prudenter & modeste contemperata sint, nec minus solide constabilita: id quod satis demonstrant eruditæ annotationes, quibus Theses undique connexæ & communitæ sunt. Unde hoc scriptum Ecclesiæ perutile & luce publica dignum judico. Quin & futurum arbitror, ut ab omnibus doctis cordatisque Theologis, nec non a Canonistis aliisque intelligentibus, magno plausu suscipiatur. Ita faxit Dominus Deus, ad majorem Verbi sui Evangelici propagationem & gloriam. Datum Lovanii 6. Novembris 1726.* (Et erat signatum) Z. B. Van-Espen, J. U. D. & SS. Can. Professor.

Adoptio earumdem Thesium a Cl. D. Z. B. Van-Espen.

Sequens scriptum, quod inscribitur: De jure circa Scripturas Sacras communi ac speciali &c.

&c. *non solum magnopere probo & laudo, sicut jam feci per Declarationem meam de sexta Novembris 1726., sed idem etiam in meum accipiens lubenter adopto, & reliquis meis opusculis aggregari cupio: idque præcipue propter duas causas. 1. Ut Theologi Belgæ ex eo perspiciant, qua ratione facile componi queat tristis illa & noxia controversia, quæ inter ipsos adhuc superesse videtur circa lectionem Scripturæ Sacræ in lingua vulgari; quantique momenti res sit ut studium Divinarum Scripturarum in Clero, earumque veneratio cum salutari usu in populo, omni modo & cura instaurentur & augeantur. 2. Ut ipsi juris studiosi ac periti, nec non Magistratus civiles tandem intelligant Sacrarum Litterarum scientiam, non tantum ad Religionem vitamque Christianam necessariam esse, sed ad Professionis etiam eorum munera & officia, recte laudabiliterque obeunda, plurimum conducere; adeo ut celebris quidam Advocatus, ante annos aliquot, in schola nostra sustinere non dubitaverit »* Etiam in foro & praxi primas partes esse Sanctarum Scripturarum: *quod assertum audivi lætus multorum jam calculo & experientia cœpisse comprobari*. (Erat signatum) *Z. B. Van-Eespen*. (†)

(†) Propugnatas Theses adoptans, & suas faciens Espenius, vindicias dicere nititur pro Quesnelliana sententia, seu potius errore ab Ecclesia in Constitutione *Unigenitus* Clem. XI. confixo, qui impium pronunciavit quoscumque a Scripturarum lectione compescere. At ubinam Ecclesia libros sanctos suis Fidelibus intercipit? quinimo ad eorum lectionem singulos adhortatur, suadet; & si quando illas in vulgari lingua versos, eis legere inhibet, imperitorum bono consulere intendit, ne quædam Scripturarum sententiæ occasionem præbeant, aut in fide, aut in moribus errandi, veluti (*inquit. Morbes. Summæ Christianæ par.* 1. *quæs.* 59.) solicita Mater, quæ infantulos adhuc teneros, & imbecilles, non sinit panem desecare, ne se inter desecandum lædant, sed ipsamet concidit, imo sæpe mandit, & manum in os pusillorum inserit, qui gingiva adhuc inermi, ipsum frangere nequeunt.



CAPUT PRIMUM.

De S. Scripturarum causis, & proprietatibus, quatenus sunt fundamentum hujus Juris.

THESIS I.

Scripturæ Sacræ sunt Libri Divinitus inspirati (*a*), & ab Hagiographis, quasi Dei manu aut digito (*b*) ad omnem (*c*) creaturam perscripti; ut credamus quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeamus in nomine ejus. (*d*)

(*a*) II. *Tim.* III. 16. II. *Pet.* I. 21. *Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a verbo Dei & spiritu ejus dictæ*. S. *Iren. adv. Hæres. Lib.* 2. *Cap.* 47., nunc 28.

(*b*) *Exod.* XXXI. 18. *Psal.* XLIV. 2. II. *Reg.* XXIII. 2.

Isti cæli, id est, isti Libri opera sunt digitorum Dei; Sancto etenim Spiritu in Sanctis operante confecti sunt.

S. August. in Ps. VIII. Vide *ibid. num.* 7. & 8.

Non aliter accipiet, quod narrantibus Discipulis in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Idem de Cons. Evang. Lib. 1. *Cap.* 35.

Ipse hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Greg. M. præf. in Lib. Job.

(*c*) Scripturas S. scriptas esse omnibus, sive ad omnes communiter dirigi, evidens est cum ex sese, tum ex eo, quod omnis Scriptura spectet ad Christum & ad Evangelium ejus, omni creaturæ annuntiandum. Estque hic omnium Patrum ac Doctorum consensus, perpetuo Ecclesiæ Catholicæ usu manifestus.

Vide interim *Exod.* XIII. XXIV. *Lev.* I. *Num.* V. VI. *Deuter.* V. XXVII. 8. XXXI. 9 — 13. XXII. 1. ubi omnibus proponitur. Item *Psal.* XLVIII. 1. 2. ubi Propheta omnes omnino compellat; atque ita Prophetæ passim V. G. *Isai.* I. 2. XXXIV. 1. 16. Item *Prov.* VIII. ubi Sapientia ad omnes clamat; adde *Eccli.* XXXIII. 18. 19. Item *Marc.* XVI. 15. cum *Luc.* XXIV. 44 — 48. Etenim lex &

Evangelium Regni etiam erat scripto publicandum. Item *Rom.* III. 19. XV. 4. ubi omnia omnibus scripta esse, asseritur. Item I. *Cor.* I. 2. inscribitur enim omnibus Christianis, sicut & Epistolæ *Catholicæ*. Item *Apoc.* I. 1. 3. & 11. ubi in septemplici Ecclesia, universalis repræsentatur. Ibid. XXII. 6. 10. 16.

Hinc & unumquodque Scriptum S. primitus scriptum est idiomate gentis, ad quam dirigebatur. Vide infra Th. IV. VI. Consule insuper S. Basil. *Epist. ad Chil. Anach.* versus finem S. Hieron. in Psal. LXXXVI. vs. 6. S. Thomam *p.* 1. *Q.* 1. *Art.* 9. Item hujus Cap. Thes. IV. & V. ac Cap. II. Thes. III. V. IX. XI. XIV. ac speciatim, *Dupin.*, DISSER. PRELIM. SUR LA BIB. Lib. I. Cap. IX. §. 2.

Convenit etiam Scripturæ, QUÆ COMMUNITER OMNIBUS PROPONITUR (*secundum illud ad Romanos primo: Sapientibus & insipientibus debitor sum*) *ut spiritualia sub similitudine corporalium proponantur: ut saltem vel sic* RUDES EAM CAPIANT, *qui ad intelligibilia secundum se intelligenda non sunt idonei*. Ita S. Thomas loco citato.

(*d*) *Joan.* XX. 31. *Rom.* XVI. 25. 26. II. Tim. III. 15. *Rom.* X. 4 — 12.

THESIS II.

Universarum Scripturarum A. & Ω. (Alpha & Omega) principium & finis, (*a*) argumentum (*b*) & lumen (*c*) est Christus J. siquidem ibi omnia, verbo Dei firmata (*d*), referuntur ad mysteria, ad legem, ad bona, ad gloriam regni Christi & Dei. (*e*)

(*a*) *Apoc.* XXII. 13.

(*b*) Id est summa vel objectum. *Psal.* XXXIX. 11. cum *explan. Bellarmini*.

(*c*) *Matt.* XVII. 2. 3. II. *Cor.* III. 14. — 18. IV. 4 — 6. *Coloss.* II. 2. 3. 17. *Apoc.* V. 5.

(*d*) II. *Cor.* I. 20.

(*e*) II. *Reg.* XXIII. 1. *Luc.* XXIV. 44. *Rom.* X. 4 — 8.

Vide S. August. Tract. 2. in Epist. Joannis. N. 1. 2.

Christum sonant omnia quæ sunt in Scripturis & corpus ejus. Idem contra Faustum Lib. 22. Cap. 94. ejus declaratio est mirifica.

THESIS III.

Veteris quoque Testamenti Scripturæ, Christianorum in primis propriæ sunt, ipsorum causa ministratæ (*a*) & mirabiliter custoditæ, ipsis cooperantibus inimicis. (*b*)

(*a*) I. *Cor.* X. 11. II. Cor. III. 14. 16. I. *Pet.* I. 11. 12. His adde loca ubi adhibentur testimonia Veteris Testamenti ad stabiliendam Christi fidem aut doctrinam. V. G. *Matth.* XI. 5. 6. XXIV. 15. *Luc.* IV. 16 — 21. XXIV. 27. *Joan.* V. 29. 45. *&c. Act.* VIII. 35. XVII. 11. 12. II. *Pet.* I. 19. Vide etiam quæ de *Versione LXX.* docet Euseb. *de præp. Evang. Lib. VIII. Cap.* 1.

(*b*) *Matth.* II. 4 — 6. V. 17. 18. XXIII. 2. 3. *Psal.* CI. 19.

Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos .... codicem portat judæus unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant. *S. August. in Psal.* LVI. n. 9. Vide eundem *in Psal.* XL. n. 14. Item *de Civ. Dei*, *Lib. XVIII.* n. 46. 47. Item *de fide rerum quæ non videntur*, *Cap.* 6. Constat judæos, qui Romæ habitant, unicuique Papæ electo, dum solemniter deducitur ad Ecclesiam Lateranensem, offerre exemplar suæ Legis. Vide *Humbertum Morum*, *de S. Unctionibus L.* 1. *Cap.* 8. §. 58.

Item, *Sacrarum Cæremoniarum Sanctæ R. Ecclesiæ*, *Lib.* 11. *Tit.* 2. §. *de Judæis & Lege*.

THESIS IV.

Inenarrabili Dei clementia & dispensatione Codices sacri in omnium gentium linguas & terras translati atque vulgati sunt (*a*), tanquam salutare Dei, paratum ante faciem omnium populorum (*b*); lumen ad revelationem gentium (*c*), & gloria plebis ejus Israel

Iſrael (*d*) paſcuis, hortiſque communibus (*e*) menſæ (*f*) inſtructiſſimæ omnibuſque paratæ, pharmacopolio (*g*) atque armamentario (*h*) univerſali.

(*a*) Hujus rei proluſio dici poſſe videtur, titulus ſeu inſcriptio Crucis *Joan.* XIX. 20. omnis enim Scriptura prædicat Chriſtum Salvatorem & Regem: Item prodigium linguarum quod apparuit magno die Pentecoſtes, *Act.* II. 4. 5. 11. 20. adde, *Rom.* X. 18. cum *S. Auguſt. in Pſal.* VIII. n. 7. *Univerſa enim quæ eſt ſub ſole terra his ſermonibus referta eſt, & vox Hebraica non in Græcorum modo linguam verſa eſt, ſed etiam .... in linguas omnes, quibus ad hunc diem nationes utuntur. Theodoret. Serm.* 5. *curationis Græc. a Tect.* Vide *Le Long. Biblioth. Sacra præf. in fine*. S. Aug. Lib. 2. de doctr. Chr. C. V. Romæ cura Congregationis de Propaganda imprimuntur Biblia & libri liturgici linguis diverſis quadraginta.

(*b*) *S. Hilar. Pict. in Pſal.* CXVIII. *Lit.* 20. n. 5. *S. Auguſt. de doctr. L.* 11. *Cap.* 5.

Divinum hoc verbum a ſupremo rerum authore ac moderatore revelatum, a Prophetis vero & Apoſtolis primitus proprio ſuæ gentis, vel illius ad quam miſſi fuerant, idiomate deſcriptum, in varias deinde linguas translatum eſt; ut omnes agnoſcerent, quod ad omnium bonum ſalutemque traditum fuiſſet. Congr. de propag. in præf. verſionis Arabicæ, Romæ 1671.

(*c*) *Euſeb. de laud. Conſtant. Cap.* 17.

(*d*) *Rom.* III. 2. IX. 4.

(*e*) *Pſal.* XXII. *Ezech.* XXXIV. 13. 14.

Bona paſcua libri ſunt Scripturarum .... his paſcuis grex Domini ſaginatur.

S. Ambr. in Pſal. CXVIII. Serm. 14.

S. Auguſt. Serm. 46. *n.* 24. *N. Edit.*

Ad horti ſimilitudinem pertinet, *Eccli.* XXIV. 17. 29.

Ab omni ergo ligno Paradiſi eſcas manducabis, ait Spiritus Dei, id eſt, ab omni Scriptura Dominica manducate.

S. Iren. adv. Hæreſ. Lib. 5. *Cap.* 20.

Euſeb. Cæſ. vocat Scripturam S. *Paradiſum & pratum bonis omnibus repletum. Comment. in Iſai.*

Vide S. *Chryſoſt. Hom.* 50. *de utilit. Scripturæ S.* ac *S. Ambr. Lib.* 4. *Epiſt.* 31.

(*f*) Confer *Pſal.* LXVIII. 23. cum *Rom.* XI. 9. Item *Prov. Cap.* IX. cum *Luc.* XIV. 16. &c. *Scriptura Divina convivium ſapientiæ eſt; ſinguli Libri ſingula ſunt fercula.*

S. Ambr. Lib. 1. *de offic. Cap.* 32.

Divina autem epulæ ſacri eloquii verba ſunt. S. Greg. Lib. 2. *Epiſt.* 56. *ad Natalem Epiſc.* Vide eundem, *Lib.* 17. *moral.* Item *B. Chryſoſt. Hom.* 28. *in Gen.*

Scripturæ, ut ditiſſima fercula, habent quod omni ætati congruat, omni profeſſioni conveniat .... Ibi prorſus ad ſalutem conſulitur univerſis, quos Dominus ſalvare dignatur.

S. Fulgentius Serm. de Confeſſ. & diſpenſ. Domini.

(*g*) *Prov.* IV. 20 — 23. *Sap.* XVI. 11. 12.

Scriptura omnis, divinitus inſpirata & utilis, hac una ratione a Spiritu S. conſcripta aſtruitur, ut ex ea, haud ſecus atque e communi quapiam curandarum animarum officina, medelam ſuo quiſque morbo ſalutarem & accommodam queat ſeligere. S. Baſil. proœm. in Pſal.

Audite, obſecro ſeculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ Pharmaca. &c. S. Chryſoſt. in Coloſſ. Hom. 9.

(*h*) *Pſal.* CXVIII. 11. *Prov.* XXX. 5. I. *Reg.* XVI. 23. II. *Paralip.* XX. 20. 21. I. *Mach.* XII. 9. II. *Mach.* VIII. 23. *Matt.* IV. 4. 7. 10. VIII. 16. XXIV. 15. *Epheſ.* VI. 17. II. *Theſſ.* II. 10. 14. II. *Timot.* III. 14 — 17. II. *Petr.* III. 2. 16. 17. I. *Joan.* II. 14. *Judæ* 17.

Vide, *S. Athan. Epiſt. ad Marcellum* verſus finem. *S. Chryſoſt. Hom.* 3. *ſuper Lazar.* Hom. 31. in Joan. *S. Ephrem* Serm. 50. *pag.* 165. *S. Ambr. in Pſ.* XLIII. 9. & 10.

THESIS V.

Scripturæ divinæ merito aſſimilatæ ſunt firmamento (*a*), luci (*b*), aëri (*c*), fonti publico. (*d*)

(*a*) *S. Auguſt. Confeſſ. Lib.* XIII. Cap. 15. & alludit *in Epiſt. Joan. Tract.* 2. n. 1.

(*b*) *Eccli.* XXIV. 44. 45. *Pſ.* CXVIII. 105. *Prov.* VI. 23.

Nullis celatum eſt verbum, lux eſt communis, omnibus illuceſcit hominibus. Clem. Alex. Exhort. ad gentes.

(*c*) *S. Baſil. Orat. de moderandis diſput. Euthymius Zygabenus præf. in Pſal.* Hic locus *Euthymii* eſt inſignis.

(*d*) *Eccli.* XXIV. 39 — 43. *Iſai.* LV. 1 — 11.

Scripturarum latices Deus per Iſaiam promittit.

mittit &c. S. Cyrill. Alex. lib. *de recta in Deum fide*. Vide Clem. Alex. *apud Damasc. Tom.* 2. *in Paralel. pag.* 535. N. Edit. S. August. in Joan. tract. 124. *Rupertum* in Matt. L. 3.

THESIS VI.

Scriptura divina uti omnibus scripta, (*a*) ita universim omnibus accommodata (*b*) est, invitans omnes ad mensæ suæ delicias, atque suorum arcana penetralium: præcipue autem insinuat se ac blanditur parvulis (*c*) mansuetis (*d*), pauperibus (*e*) spiritu.

(*a*) Vide supra ad *Thesin I. in not.* c.
(*b*) Vide infra *Thes. VIII.* hoc Cap.
Ideo vero (Deus) *summa providentia carere fuco voluit ea quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur*. Lactan. instit. div. Lib. 6. Cap. 21. *Inclinavit Scripturas Deus usque ad infantum & lactentium capacitatem*. S. *August.* in Psalm. VIII. Vide eundem *de Civitate Dei Lib.* XV. *Cap.* 25. Item *de utilitate cred. Cap. VI.* Item *Clemens Alex. pædag. Lib.* 3. *Cap.* 8. *&* 11. Vide & S. *Basil. Regul. brev. interrog.* 95. *&* 232. Item *Origen. contra Celf. Lib. IV. & VII. S. Cyrill. Alex. in Jul. Lib. VII. S. Isidor. Pelus. Lib. IV. Epist.* 67. S. *Hieron. in Psal.* LXXXI. S. *Prosper. carm. de Apost. Doct.* S. *Fulg. Serm.* 1. *de disp. n.* 1. *Euthym. Zygab. præf. in Psal.* Item *Litt. Apost. Gregorii XIII. ad Philippum II. in Bibliis Reg. tom.* 1. *in principio*. *Nihil*, inquit de *Scriptura*, *omni hominum generi accomodatius*, Vide præclarum testimonium *Lupi* infra ad *Thes. VIII.* d.
(*c*) *Psal.* XVIII. 8. & passim in *Psal. CXVIII.* Item *Prov. IX.* 1—6. *Isai. XXVIII.* 9. *LXVI.* 12. 13. *Matt. XI.* 25. *XXI.* 15. 16. *Marc.* X. 13—16. S. *August.* in *Epist. Joan. Tract.* 3.
(*d*) *Psal. XXIV.* 9. *Eccli.* V. 13. L. 29—31. *Isai. LXI.* 1. *Jac.* I. 21.
(*e*) *Psal. XXI.* 27. *LXVII.* 11. & passim in *Psalmis*. *Isai. XXIX.* 18. 19. *LVI.* 11. *LXVI.* 2. *Matt.* V. 3. *XI.* 5. *Luc. IV.* 18. *XIV.* 21. I. *Cor.* I. 26. 28. *Jac.* II. 5.

THESIS VII.

Infinita & ineffabilis est S. Scripturæ sanctitas (*a*), dignitas (*b*), excellentia (*c*), majestas (*d*), sapientia (*e*), veracitas (*f*), authoritas (*g*), virtus (*h*), fœcunditas (*i*).

(*a*) *Deut. IV.* 2. *Psal. XL* 7. *XVIII.* 8. 10. *Prov. VIII.* 7—9. *XXX.* 5. 6. *Joan. XVII.* 17. *Rom. VII.* 12. *Apoc. XXII.* 18. 19.
(*b*) *Prov. VIII.* 12. &c. *Baruch. III.* 29—38. I. *Pet.* I. 21.
(*c*) *Isai. LV.* 8. 9. *Eccli. XXIV.*
(*d*) *Deuter.* X. 4. 5. *XXXIII.* 2. *Psal. XXVIII. Hebr. XII.* 22. 25.
(*e*) *Prov. VIII. Eccli.* I. 29. *Baruch. III.* 14. 15. I. *Cor.* I. 24. 25.
(*f*) *Matt.* V. 18. *Luc. XXIV.* 44. *Joan. X.* 35. II. *Cor.* I. 18—20. *Apoc. XXII.* 6.
(*g*) *Matt. IV.* 10. *Luc. IV.* 16—21. *XVI.* 29. 31. *XXIV.* 25—27. V. 29. *XII.* 45. *Rom. III.* 19. *II. Tim. III.* 15—17. *II. Pet. I.* 19. *III.* 2. 15. 16.
Vide *S. August. de Civ. Dei, Lib. XI. Cap.* 1. *Confess. Lib.* 6. *Cap.* 5. *in Epist. Joan. tract.* 2. *Major est Scripturæ authoritas quam omnis humani ingenii capacitas*. *S. August.* Lib. 2. *de gen. ad lit.* Cap. 5.
(*h*) *Psal. XVIII.* 8. *Isai.* LV. 11. *Jerem. XXIII.* 29. II. *Esdr. VIII.* 3—12. *Matt. VIII.* 16. *Luc. XXIV.* 32. *Rom.* I. 16. I. *Cor.* I. 18. 24. *Hebr.* IV. 12.
„ Sunt vere Sacræ Litteræ quæ sacros faciunt & deificant. „ *Clemens Alex. Exhor. ad gentes*. V. *S. Bernar. Serm.* 24. *de diversis*.
Huc spectant varia miracula; item conversiones infidelium aut peccatorum, victoriæ de tentationibus &c. quæ itidem leguntur in *Hist. Eccl.* & *Actis SS.* ut V. G. *S. August. Confess. Lib. VIII.*
(*i*) *Luc. VIII.* 11. 15. *Matt. XIII.* 8. *Coloss.* I. 6. *Jac.* I. 18. 21. I. *Pet.* I. 23. 25.
Cæterum de his omnibus consule *S. Chrysost. Hom.* 2. *in Matt.*

THE-

T H E S I S VIII.

Eadem est obscura (*a*) & clara (*b*), profunda (*c*) & simplex (*c*), sublimis (*d*) & demissa (*d*).

(*a*) *Psal.* CXVIII. 18. *Isai.* XXIX. 11. 12. *Matt.* XIII. 11.13. II. Cor.III.15. IV.3.4. II. *Pet.* III. 16. *Apoc.* V. 1.

(*b*) *Psal.* XVIII. 9. CXVIII. 18. 105. *Prov.* VI. 23. *Sap.* VI. 12 — 17. 24. *Isai.* XXIX. 18. 19.

S. *Chrysost. Conc.* 3. *de Laz.* S. *August. de doct. Chris. Lib.* 1. *Cap.* 6.

(*c*) *Matt.* XIII. 35. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis.* &c. S. *August.* Confess. *Lib. XII. Cap.* 14. S. *Aug. Ep. ad Volus.* 137. *alias* 3. *n.* 3. V. S. *Greg. Moral. Lib. XX. Cap.* 1.

(*d*) *Matt.* XI. 25 — 30.

Scriptura sic loquitur ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat. S. *August. de Gen. ad litt. Lib. V. Cap.* 3. *num.* 6. Ibid. *Confess. Lib. VI. Cap.* 5. ibid. *Lib. XIII. Cap.* 23. ibid. *Epist.* 137. *alias* 3. *ad Volus. n.* 18.

Est quasi quidam fluvius, ut ita dixerim, planus & altus, in quo & Agnus ambulat, & Elephas natat. S. *Greg.* Epist. ad Leandr. sive præf. in Job Cap. 4.

S. *Thomas* p. 1. Q. 1. A. 9. O. Dicit in Scriptura *quæ communiter omnibus proponitur*, ideo spiritualia sub similitudinibus corporalium proponi: *ut saltem vel sic* RUDES *eam capiant.*

Sacræ litteræ esse debuerunt omni Christiano communis liber, communis fons vitæ æternæ: ad ipsum non soli Doctores, sed & infima ac rustica plebs debuit familiariter accedere, familiariter legere: hinc habere debuit stilum omnibus communem, humilem & obvium; quæ omnia ample tradunt SS. Patres. Ita Doctor *Lupus de præscrip.* pag. 253. edit. Brux. 1675.

T H E S I S IX.

Nihil potest ea, in hoc genere esse suavius (*a*) aut admirabilius (*b*), nihil salubrius aut utilius (*c*), nihil solidius (*d*) aut firmius (*e*) nihil optabilius aut magis necessarium (*f*).

(*a*) *Deut.* VIII. 3. *Psal.* XVIII. 11. CXVIII. 103. 111. *Cant.* V. 6. *Eccli.* XXIII. 37. XXIV. 20 — 29. *Jerem.* XV. 16. „ Sint castæ deliciæ „ meæ Scripturæ tuæ!" S. *August. Confess. Lib.* 2. *Cap.* 11. De *melle cæli melleas, & de Dei Lumine Luminosas.* Ibid. *Lib.* 9. *Cap.* 4. Vide eundem *de vera Relig. Cap.* 51. S. *Hieron. Ep. ad Paulam inter criticas Tom.* 2. *N. Edit. pag.* 710. Locus eximius.

(*b*) *Psal.* LXXV. 5. LXXXVIII. 6. CXVIII. 18. 129. I. *Pet.* I. 10. & 12. secundum textum Gr.

(*c*) *Psal.* I. 2. XCIII. 12. CXVIII. passim. *Prov.* III. 18. *Eccli.* L. 29 — 31. *Luc.* VIII. 21. XI. 28. II. Tim. III. 16. *Apoc.* I. 3.

S. *Greg. Naz.* Carm. 33. S. *Chrysost.* Hom. 2. in *Matt.*

(*d*) *Matt.* VI. 24. 25. *Ephes.* II. 20 — 22. S. *August. Epist.* 132. al. 1. *ad Volus.*

(*e*) *Luc.* XXI. 33. *Hebr.* II. 2. VI. 17. 18. I. *Pet.* I. 25. II. *Pet.* I. 19. S. *August. Lib. de unit. Eccl. Cap. XIX. n.* 50. Locus est insignis. *Decret. dist.* 38. *Cap. sicut.*

(*f*) *Quæ scripsi, ut doceas eos. Exod.* XXIV. 12. *Deut.* VI. 6 — 9. XXXI. 26. *Psal.* CXVIII. passim. *Eccli.* XV. 3. *Isai.* VIII. 20. in quem locum vide & *Hieron. Baruch.* III. 9 — 37. IV. 1. I. Mach. XII. 9. 10. *Matt.* IV. 4. V. 18. *Luc.* I. 4. XXIV. 44. *Joan.* VI. 69. XX. 31. *Philip.* III. 1. *Judæ* 3. *Apoc.* I. 3. XXII. 6. 10.

S. *August. Confess.* Lib. VIII. Cap. 7. S. *Chrysost.* Hom. 3. super Laz. *Hieron.* procem. comm. in Epist. ad Ephes. idem in *Psal.* 127. S. *Cæsarius* Serm. 303. in App. S. *August. Tom.* V. *Lib.* de *Imit. Chris.* IV. Cap. 11.

Nihil ejus (Dei) Scriptura præstantius, nihil utilius, nihil necessarius. Greg. XIII. in Litt. ad Philipp. II. in Tom. 1. Bibl. Reg. *Quæ enim alia potest esse vita sine scientia Scripturarum; per quam etiam ipse Christus agnoscitur, quæ est vita credentium?*

S. *Hieron.* Ep. crit. ad Paulam Tom. 2. p. 710. novæ Edit.

Vide S. *Bernard.* Serm. 24. de diverf. ad hæc verba: *Beati qui audiunt verbum Dei.*

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De communibus erga S. Scripturam officiis, quatenus resultant ex variis ejusdem Scripturæ attributis.

THESIS I.

Scriptura S. donum est inæstimabile (*a*) e cælo descendens (*b*): thesauros continens sapientiæ & scientiæ Dei (*c*): neque enim est aliud quam ipsius summi Dei purum (*d*) verbum, atque infallibile ejus oraculum (*e*).

(*a*) *Psal.* CXLVII. 19. 20. *Joan.* IV. 10.
(*b*) *Exod.* XX. 22. *Act.* VII. 53. *Hebr.* II. 2. XII. 25. *Apoc.* I. 1. X. 9. XXII. 16.
De illa quippe superna civitate, ubi Dei voluntas intelligibilis atque incommutabilis lex est ... ad nos ministrata per Angelos Sancta Scriptura descendit. S. *August. de Civ. Dei* Lib. X. Cap. 7. Hinc S. *Chrysost. Scripturarum Lectio, cælorum est reseratio. De verbis Isaiæ* Hom. 2.
(*c*) *Psal.* CXVIII. 127. *Prov.* II. 1. 4. III. 14. 15. *Sap.* VII. 8. 9.
Thesaurus ergo est magnus Divinarum Scripturarum habens in se mirabilia præcepta multa; tanquam multas gemmas & pretiosa monilia & vasa ingentia, & magni metalli; sed quis potest scrutari thesaurum istum &c. S. *August. de Discipl. Christ. Cap.* 2.
(*d*) *Deut.* IV. 2. *Psal.* XI. 7. *Prov.* XXX. 5. 6.
(*e*) *Exod.* XXV. 21. 22. ubi in duobus Cherubim duo Testamenta figurari, ait S. *August. in Exod. Quæst.* 105. Adde *Hebr.* I. 1.
Diligenter inspicite Scripturas, Spiritus Sancti vera oracula. Attendite; nihil injustum neque perversum in illis scriptum est. S. *Clem. R. Epist.* 1. *ad Cor. num.* 45.

THESIS II.

Cæleste hoc munus & cimelion a fidelibus omnibus summa gratitudine amplectendum est (*a*), singulari cultu venerandum (*b*), religioseque custodiendum (*c*). Iidem Thesauri amorem (*d*) exigunt & studium (*e*) invictissimum. Oracula illa omni fide & submissione dignissima sunt (*f*): utpote in quibus ipse Patris Sermo, Deique Spiritus præsens adorandus (*g*) sit.

(*a*) Fluit hæc Thesis ex proxima. *Psal.* CXLVIII. 12. 20. *Psal.* XCIII. 12. *Apoc.* I. 4. &c. XXII. 7. 8.
(*b*) *Hebr.* IX. 19. *Apoc.* V. 8. collatum cum ritu, quo Ecclesia veneratur Librum & Lect. Evangeliorum. Vide *Bona rer. Liturg. Lib.* 2. *Cap.* 7. *Sancta & adorabilia Scripturarum verba! Conc. Carth.* 3. *Cap.* 31.
(*c*) *Deut.* XVII. 18. XXXI. 26. II. *Paral.* XXIII. 11. II. *Tim.* IV. 13. ex sensu Estii.
De veneratione & cultu, qui debetur ipsis Codicibus Sacris, multa occurrunt in monumentis Ecclesiasticis documenta; nempe 1. quoad ritum eos proferendi, recitandi, excipiendi, V. G. in Liturgiis antiq. librisque liturgicis & ritualibus. 2. quoad locum, quo collocabantur aut asservabantur, V. *Goar. in Euchol. p.* 66. & 216. *Consuet. S. Benig. Divio. Cap.* 57. S. *Paulin. Epist.* 32. *ad Sever.* n. 16. In Concilio Nicæno Lib. Evang. medium locum obtinebat sub throno: apud *Bin. tom.* 1. *part.* 1. Similiter *in Florent. ibid. tom.* 4. *part.* 1. item in *Ephes.* in *Chalced. Constantin.* &c. Similiter in tribunalibus judicum sec. Vide infra *Cap.* V. *Th.* VIII. b. 3. quoad ornatum in pingendo aut cooperiendo. Vide *Van Balingem Loci com. Scrip. S. præp.* part. 1. Cap. 1. *Ciampini Vetera monumenta Cap.* 16.
(*d*) *Psal.* XVIII. 11. passim. *Prov.* VI. 21. 22. VII. 14. *Matt.* XIII. 44.
Memoria Martyrum Librorum SS. *Martyrol. Rom.* 2. *jan.* & sæpe in *Actis* Martyrum, V. G. *Ruinart* p. 421. vel in Vitis SS. 1. April. Multi Sancti sepulti fuerunt imposito pectori codice Evang. V. G. S. Barnabas Junii XI. Eundem mulieres & pueri gestabant ex collo suspensum ante pectus, ut in Vulgat. Actis B. Cæciliæ. Vide *Baron.* ad *ann.* 232. n. 13. S. *Chrysost. Hom.* 74. *in Cap.* 23. *Matth. Hom.* 19. *ad popul. Anticob.*

tioch. S. *Hieron. in Matt. cap.* 23.

(*e*) *Ecclesiastici prolog. Luc.* II. 19. XI. 28. *Joan.* V. 39. *Act.* XVII. 11. I. *Pet.* I. 11. 12. *gr. Apoc.* X. 9.

S. *Chrysost. Hom.* 5. *in Gen. Hom.* 1. *ad popul. Antioch. Hom.* 9. *in Ep. ad Colloss. vs. verbum Christi habitet in vobis abundanter.*

S. *August. Epist.* 137. *al.* 3. *ad Volus. n.* 3. *in Psal.* CVIII. 21. *n.* 23.

S. *Hieron. ad Eustoch. Epist.* 22. olim 2.

S. *Greg. Hom.* 15. *de S. Servulo. Quam Homiliam Clemens Papa* XI. *magnis characteribus describi jussit in Pariete porticus Basilicæ* S. *Clementis, ubi* S. *Servulus mendicavit. Lib. IV. Epist.* 31. *ad Theod.*

S. *Cæsar. Serm.* 303. *in Append. oper.* S. *August. Tom.* 5.

S. *Bern. Serm.* 24. *de divers.*

(*f*) *Luc.* XVI. 22. XXIV. 25. I. *Thess.* II. 13. IV. 8. V. 27. *Exod.* XXIV. *Psal.* XXXIX. 8 — 10. *Hebr.* I. 1. II. 2. 3. XII. 25.

(*g*) II. *Esdr.* VIII. 2 — 8. IX. 3.

Qui sunt Libri quos adoratis legentes? Acta Mart. scilit. apud Bard. ad an. 202. Vide S. *Athan. Epist. ad Marcell.* Item. *Origen. Hom.* 13. *in Exod.* & S. *August. Hom.* 26. ex 50. nunc. T. V. in Append. Ser. 300.

Venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent. Can. 68. *dist.* 1. L. *de Consecr.*

Vide plura apud Lupum *Synod. General. part.* 2. *pag.* 988. 989.

In quadam Liturgia Græca liber Evangeliorum exhibetur populo adorandus; quod adhuc modo in usu est apud Armenos. Vide *Sacy præf. in Genes.* §. 3. *pag.* 86.

THESIS III.

Consideranda est Scriptura S. velut ingens fax (*a*), lumen offerens cunctis peregrinatoribus, qui per avia & caliginosa hujus seculi deserta ac maria in domum tendunt æternitatis (*b*).

(*a*) *Psalm.* CXVIII. 105. II. *Petr.* I. 19.

(*b*) Posset metaphora hujus Theseos commode illustrari a columna nubis & ignis, quæ Israelitis inserviit in mari & in Deserto. *Exod. XIII.* *Luc.* I. 77 — 79. Vide S. *August. Epist.* 130. *ad Probam n.* 5.

Item S. *Hilarium in vs.* 105. *Psalmi* CXVIII.

THESIS IV.

Quapropter nimis infelix est, quisquis in itinere tam horribili & periculoso (*a*) salutiferæ hujus lucis solatium aut ignorat aut negligit; quive a salutari ejus usu quoquo modo avertitur aut præpeditur (*b*).

(*a*) Accommodari hic potest *Psal.* XXXIV. 6. vel iter Israelitarum per mare instante Pharaone. Vide S. *Chrysost. Proœm. in Epist. ad Rom.*

(*b*) *Eccli.* L. 29 — 31. *Sap.* V. 6. *Joan.* XII. 34 — 36. 40. *Baruch.* IV. 1. 2. II. *Cor.* IV. 4. S. *Ambros. Serm.* 14. *in Psal.* CXVIII. *de Imitatione Christi Lib.* IV. *cap.* 11.

Thomas a villa nova Tom. 1. *pag.* 289. & 290.

THESIS V.

Considerandæ sunt Scripturæ S. velut Epistolæ quædam æterni Regis ad suam creaturam (*a*) degenerem, ad filium prodigum sub hostium captivitate gementem (*b*); ad sponsam adulteram, exulem, desolatam (*c*), vel ad eandem reconciliatam (*d*).

(*a*) Vide *cap.* 1. *Thes.* 1. C.

„ *Quid est.* Scriptura Sacra nisi quædam „ Epistola omnipotentis Dei, ad creaturam „ suam." S. *Greg.* ad Th. seq.

(*b*) *Rom. VIII.* 19 — 22. *Luc.* XV. 17. S. *Chrysost. super Gen. Serm.* 1. *ibid. Serm.* 3. S. *Augustinus in Psal.* LXIV. n. 2.

(*c*) *Isai.* LIV. 6 — 9. confer cum LI. 7. 16. &

16. & LII. 1—8. *Jerem.* III. 1. *Osee* II. 19. 20.
(*d*) *Psal.* XLIV. *Joan.* III. 29.

Sacra Scriptura verbis sponso innubit atat.no.
S. *Ambrosius Lib.* 2. *de Virginit.*

THESIS VI.

Accipienda est ergo Scriptura Divina non minori cum gaudio & affectu, quam a filio captivo, a sponsa repudiata, vel a reconciliata acciperetur Epistola manu Regis exarata, per Legatum autem allata, in qua negotium ageretur redemptionis filii, reconciliationis Sponsæ, vel testificatio exhiberetur renovatæ caritatis.

Isai. XLIX. 6—23. *II. Cor.* V. 19. 20. *Ephes. II.* 12. 15—20. I. *Joan. II.* 12—14. S. *Greg. Lib.* 4. *Epist.* 40. *olim.* 31. *ad Theod. Apoc. XXII.* 16. 17. S. *Basil. Lib. de Virg.*

THESIS VII.

Libri Divini sunt Libri Canonici & proprii (*a*) illius Scholæ, quam Sapientia æterna hic in terris habet, quique tali Schola in primis digni sunt (*b*): adeo ut facta comparatione ad scripta humana quantumvis excellentia, applicari queat illud: *Sicut exaltantur cæli a terra, ita exaltata sunt cogitationes meæ a cogitationibus vestris*, &c. (*c*). Itemque, *quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis* (*d*)?

(*a*) *Psal. XCIII.* 12.
Non oportet ab idiotis, Psalmos compositos vel vulgares dici in Ecclesia, neque libros qui sunt extra Canonem, nisi solos Canonicos novi & veteris Testamenti. Conc. Laodic. Can. 59.
Diligenter ab Ecclesia disce, qui sint veteris & qui novi Testamenti libri, ut nihil Apocryphum legas .... hos solos meditare, quos & in Ecclesia secure tutoque recitamus. S. *Cyrill. Hierosf. Catech.* 4. *de S. Script.* Vide *Capitularia an.* 789. *Cap.* 20.
(*b*) S. *Chrysost. in Psal.* 95. *in Coloss. Hom.* 9. S. *August.* N. *Ed. Epist.* 82. *de Baptis. contra Donat. Lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 4. *Lib. XI. contra Faust. cap.* 4. adde *Moeurs des Chrét.* §. *VII.*
(*c*) *Isai.* LV. 9.
(*d*) *Jerem.* XXIII. 28. 29.

THESIS VIII.

In dictatis illis Divinis non minore diligentia & studio (*a*) exercere se debet fidelis Christi discipulus aut Catechumenus, quam tyro V. G. jurisprudentiæ aut alterius disciplinæ candidatus exerceat se in illo authore, qui in Schola ejus prælegitur; aut puer Christianus in libro Catechistico, quem Pastor aut Catechista exponit.

(*a*) Vide supra *Thes. II. e. Prov. VIII. Matt. XII.* 42. *XXIII.* 10. *Luc. II.* 46. 52. *IV.* 16. 17. *IX.* 30. 35. 36. *Act. VIII.* 28. 31. 34. 35. *Philipp. III.* 8. S. *Chrysost. Hom. X. in Joan.* S. *Cyrill. Hierosf. Catech.* 4.
Investiga insuper cæremonias ante Baptismum circa scrutinia & lectiones S. in benedictione fontis Bapt. in Vigil. Paschæ *Th.* seq. b.
Item methodum percelebris Scholæ Alexandrinæ a B. Marco, ut ajunt, institutæ, apud *Euseb. Hist. Eccl. Lib.* 5. *cap.* 20. De hac aliisque antiquis Scholis agit N. *Nourry Appar. ad Biblioth. max. L.* 2. *Diss.* 1. *cap.* 10. §. 2. *pag.* 347.

THESIS IX.

S. Litteræ præscribunt regulam & statuta (*a*) Religionis atque ordinis Christianorum, quæ in Baptismo profitemur (*b*), & super quibus judicabimur (*c*).

(*a*) *Isai. LI.* 4—8. *Matt. XXVIII.* 19. 20. *Marc. XVI.* 15. *II. Thess. II.* 12—14. *III.* 6. 14.
(*b*) *Psal. CXVIII.* 106. *Luc. I.* 3. 4. *Rom. VI.* 17. 18. *Act. VIII.* 35. 37. *X.* 33. 45. *Hebr. VI.*

VI. 1. 2. 4. Expende ritum antiquum, quo feria 4. post Dominicam 4. Quadragesimæ in scrutinio Catechumenorum quatuor Diaconi, velut totidem Evangelistæ, prodibant cum quatuor Evangeliis, quorum initia prælegebantur Catechumenis post Lectiones Prophetarum. *Apud Martene de Antiq. Eccl. Ritibus Lib.* 1. *Art. XII.* Item *Baillet Fêtes mob. Samdi St.*

Ratio pacti aut fœderis, quæ huic Professioni inest, secundum SS. Patres, illustrari posset per II. *Esdr.* Cap. VIII. IX. X.

(*c*) *Deut. XXVII.* 26. *XXXIII.* 2. *Joan. V.* 45. *XII.* 48. *Gal. III.* 10. *II. Thess. I.* 8—10. *Hebr. IV.* 12. 13. *Zach. V.* 2. 3. *Jac. II.* 10. 12. *Apoc. XIV.* 6. 7. Vide S. *Basil. in Psal. XXXVII.* n. 1. Et iterum. *apud. Martene de ritu Græc.* recitandi Lectiones S. cum extr. unctione: itemque de ritu, quo porrigebatur moribundo osculandus S. Textus cum his verbis, ECCE LEX TUA. *De Antiq. Eccl. Rit. part.* 2. *pag.* 113. & 206.

In Rituali Rom. sub tit. *de Visit. & cura infirmorum* proponuntur varii Psalmi & Lect. Evangelicæ, quæ opportune dicuntur apud ægrotum. Item in *ordine commendationis animæ* legenda exhibentur Sermo Domini post cœnam, ejusque passio secundum Joannem.

THESIS X.

Lex igitur Divina, regulaque Evangelica, scripto divinitus consignata, non minori sollicitudine & attentione ediscenda, tenenda & observanda est a Christianæ Religionis cultore, quam a bono Monacho perdisci consueverint & impleri ea, quæ ad disciplinam Monasticam spectare noscuntur statuta.

Jerem. XXXV. 13. 14. fiat applicatio de Rechabitis. *Zachar.* V. 1—4. *Volumen volans, in quo judicabitur omnis fur & jurans.*

THESIS XI.

Codex Divinus continet mysteria (*a*) edicta & mandata (*b*) Regni cælorum a J. C. Domino nostro fundati, ejusdemque Regni commentarios (*c*) & acta (*d*).

(*a*) *Luc. VIII.* 10. *I. Petr. I.* 10. 12.
(*b*) *Eccli. XXIV.* 33. 34. *Baruch. IV.* 1—3. *Joan. I.* 17. 18. *IV.* 25.
(*c*) *I. Cor. XV.* 1—3. *II. Cor. V.* 19. 20.
(*d*) *Luc. I.* 3. *Act. I.* 1.

THESIS XII.

Numquid hæc minorem attentionem, diligentiam atque observantiam requirunt a Christicolis; quam Regum hujus terræ sacramenta, diplomata & gesta obtinere soleant a subditis & ministris temporalibus?

Jonæ III. 6—8. *Matt. XII.* 42. *Hebr. I.* 1. 2.

THESIS XIII.

Utriusque Instrumenti Sacrosanctæ paginæ exhibent nobis tabulas & Syngraphas (*a*) bonorum ac promissionum novi & æterni Testamenti (*b*), velut manu Dei signati, & pretioso utique sanguine Filii ipsius Unigeniti ac mundi Redemptoris, consecrati (*c*).

(*a*) *Eccl. XXIV.* 32.
Noluit (Dominus) *sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam suam ... Scriptura Dei manere debuit, & quoddam chirographum Dei, quod omnes transeuntes legerent, & viam promissionis ejus tenerent.* S. *August. in Psal. CXLIV.* n. 17.
(*b*) *Idem Serm.* 317. n. 3. n. E.
(*c*) *Matt. XXVI.* 28. *Hebr. IX.* 15—18. *XII.* 24.

THESIS XIV.

Nemo igitur miseris mortalibus a Domino peregrinantibus, regeneratis interim in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, conservatam in cælis, invideat consolationem & pacem, quam ex instrumentis illis aut codicillis sacrosanctis accipere datum est (*a*). Nemo succenseat si hæres præsumptivus Regni cælestis (*b*), in his custodiendis ac perscrutandis non minorem curam & operam impendat, quam Princeps aliquis impendere soleat circa monumenta & titulos, quos ad Regni sui possessionem aut amplificationem pertinere putat.

(*a*) *I. Mach. XII. 9.* 10. *Bossuet in Apoc. Cap. I.* vs. 3. S. *August. Confess. Lib. IV. cap.* 4.
(*b*) *Jac. II. 5. I. Petr. I.* per totum fere.

CAPUT TERTIUM.

De cultu & studio, qui Scripturis S. omni tempore exhibitus merito fuit.

THESIS I.

Hebræi omnes, populus Dei antiquus, sine discrimine conditionis, ætatis (*a*) aut sexus lectioni Divinarum Scripturarum V. T. seu publicæ seu privatæ adstrictus fuit (*b*), illique a tempore captivitatis Babylonicæ incredibili semper studio incubuit (*c*), quæ consuetudo legitur a Christo Domino & Apostolis comprobata & consecrata (*d*).

(*a*) *Origen. Hom.* 1. *in Cant.* excipit Librorum *Cant.* initium *Gen.* cum principio & fine *Ezech.* sed ita ut in hac exceptione egregie firmet regulam. Consonat S. *Greg. Nazian. Orat.* 1.
(*b*) *Deut.* VI. 6. XXXI. 11. *Josue* VIII. 35. 35. II. *Paralip.* XXXIV. 30.
(*c*) II. *Esdræ* VIII. 1. IX. 3. *Flav. Joseph. Lib.* 2. *contra Apion. cap.* 6. & 7. idem *Antiq. Lib.* 4. *Cap. ult. Philo de vita contemplat.* Item apud *Euseb. Præp. Evang.* L. 8. C. 7. *Bossuet. Hist. univ. part.* 2. n. 3.
(*d*) *Luc.* II. 46. IV. 16—20. XVI. 29. *Joan.* V. 39. *Act.* VIII. 28. 29. XIII. 27. XV. 21. XVII. 11. *Gal.* IV. 21. II. *Tim.* I. 5. III. 15. II. *Pet.* I. 19.

THESIS II.

Mira quoque est Judæorum religio ac zelus (*a*), quem usque in hodiernum diem ostendere pergunt in custodiendis, describendis, edendis, honorandis, edificendis codicibus suis sacris. In qua re arcanum viget providentiæ divinæ cum ad conversionem Gentium (*b*) tum ad Judæorum reditum (*c*) pertinens.

(*a*) *Flav. Joseph. Lib.* 1. *contra Apion. Philo apud Euseb. Lib.* 8. *cap.* 6. & 8. *Ceremonies & Coûtumes des Juifs chap.* X. Ibid. *Supplem. Chap.* XIII. *Le Long. Biblioth. Sacra part.* 1. *de Bibl. Hebr.*
(*b*) *Supra cap.* 1. *Th. III.* b.
(*c*) *II. Cor. III.* 14—19. De arcano isto agitur *Rom. X.* 25. &c. *Malach. IV.* 2—6.

THESIS III.

A temporibus Apostolorum usque modo utriusque Testamenti Sacratas paginas omni creaturæ solemni ritu prælegit & annuntiat (*a*) Ecclesia Sancta Dei: & sic porro præleget & annuntiabit usque ad consummationem seculi (*b*).

(*a*) *Rom.* X. 6—18. confer cum *Deut.* XXX. 12. S. *Justin. in Apol.* vulgo *secunda.*

Ter-

Tertul. in Apol. cap. 39. *ad uxor. Lib.* 2. *cap.* 6.
Auguſt. de Civit. Dei. Lib. 2. *cap.* 28. *Lib.* 22. *C.* 8.
Pontific. Rom. in ordin. Lectorum.
Concil. Trid. Seſſ. XXIV. cap. 4. & 7.
Res nimis nota eſt, vide *Bona Rer. litur. Lib.* 2. *cap.* 6. & 7.
(*b*) *Eccli. XXIV.* 46. *Matt. XXVI.* 13.
Quod enim pretioſum ſonabat de ore Domini & propter nos ſcriptum eſt, & nobis ſervatum, & propter nos recitatum, & recitabitur etiam propter poſteros noſtros, & DONEC SECULUM FINIATUR. S. *Auguſt. in Joan. Tract.* 30.

THESIS IV.

Hæ ſacræ lectiones inſtitutæ ſunt & ordinatæ ad doctrinam & perfectionem Fidelium; ad eruditionem Catechumenorum; ad converſionem peccatorum & infidelium: nam & hi ad illas convocabantur.

Luc. XVI. 29. *Rom. X.* 17—21.
Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum uſque ad Miſſam Catechumenorum. Ex *Conc. Carth. IV. Can.* 84. *ann.* 398. *Can.* 67. *diſt.* 1. *L. de Conſecr.* Vide *Conc. Arauſ. Can.* 18. *ann.* 441.
Euſeb. de præpar. Evang. Lib. 12. *cap.* 1.
S. *Auguſt. de prædeſt. SS. cap.* 14.
Author Hierarch. Eccl. cap. 3.
Conc. Valent. in Hiſp. C. 1. *ann.* 507.
Vide *Conç. Trid.* ſupra *Th. III.*

THESIS V.

Quæ inter Miſſarum ſolemnia habentur Scripturæ S. Lectiones, connexionem præferunt tam arctam atque excellentem cum oblatione, conſecratione & communione ſacra, ut totius Liturgiæ pars dicendæ ſint quaſi eſſentialis.

Pſal. XLII. 3. *Eccli. XXXV.* 1—7. *Joan. XIII.* 10. *XV.* 3. *XVII.* 17. 19. *Rom. XV.* 16. *Apoc. III.* 20.
Item connexio illa inſinuatur *Hebr. VII.* 12. 19. 22. *Clem. Alex. Strom. Lib.* 7.
Eadem Sacrarum Scripturarum lectio, in Apoſtolicis Conſtitutionibus, & in Baſilii, Chryſoſtomi, aliorumque Liturgiis præcipitur tanquam ſacri miniſterii notabilis pars; per quam ad Divini Sacramenti participationem fidelium animi diſponuntur. *Bona Rer. Lit. Lib.* 2. *Cap.* 6. *n.* 1. & ſeq. Vide *Th. ſeq.*
Expende & confeſſiones Martyrum in Actis S. Saturnini & ſociorum. *Act. Sinc. Ruinartii* pag. 382. & ſeq.

THESIS VI.

Id quod elucet ex admirabili analogia, quæ ſubeſt inter ritum, quo Moſes antiquum fœdus ſancivit, novi utique præfigurativum, & inter ipſam liturgiam ſive Miſſæ officium, in quo nempe Legis & Sacrificii, Novi & æterni Teſtamenti celebratur commemoratio, renovatio, continuatio.

Fundatur hæc analogia *Hebr. VIII.* 5. 6. 10. *IX.* 15—23. *X.* 12—15. *XII.* 22—25.; quibus adde *I. Cor. X.* 16. ac verba *conſecrationis Calicis*. Item *Act. II.* 42. *XX.* 7. 11. *Rom. XV.* 16.
Conſule inſuper *Conc. Trid. Seſſ. XXII. cap.* 8. & *Seſſ. XXIV. de Refor. cap.* 4. & 7. *Concil. Mediol. IV. part.* 1. *T. de verbi Dei prædic. Heſſelii Catech. de Sacram. Euchar. cap.* 37. *Fleury, Mœurs des Chrét.* §. XIV.

THESIS VII.

Eodem facere poteſt alia ſuperexcellens analogia, quæ ſublucet inter ſolemnem ritum ordinemque S. Miſſæ officii, quo repræſentatur pignus & prægustatio vitæ æternæ (*a*), & inter viſiones Apocalypticas B. Joannis; quibus non ſolum miniſtrantium & aſſi-

assistentium coordinatio (*b*), sed & gloriosa lectio Libri Sacri (*c*); & Fidelium (*d*) oblationes (*e*) & Sacrificatio Agni (*f*) ejusdemque cœna nuptialis (*g*) in cælo demonstrantur.

(*a*) *Matt. XXVI. 29. Luc. XXII. 15. 16. 30. Prosa & Postcomm. Missæ Corp. Domini.*

(*b*) *Apoc.* IV. &c. Vide *Mœurs des Chrét.* §. 39. & 40. Item *Ord. Missæ Præfat.*

(*c*) *Apoc.* V. 6—10.

(*d*) *Ibid. XXII.* 15. cum *explicatione Bossueti.*

(*e*) *Ibid. VIII.* 3. 4. VI. 9. 10. *Ord. Missæ, Bened. incensi.*

(*f*) *Ibid.* V. 6. 11—14. *VII.* 9. *Ord. Missæ post Elevat. Orat.* 3. Supplices.

(*g*) *XIX.* 1—9.

THESIS VIII.

Superioribus Ecclesiæ seculis Scripturæ S. lectio privata passim a fidelibus omnis ætatis, conditionis & sexus studiose fuit frequentata (*a*): quem religiosum usum Patres omnes unanimi consensu, velut cum salute conjunctissimum, modis omnibus comprobarunt & constabiliverunt (*b*).

(*a*) *Act. XVII.* 11. Manifestum id præterea est ex Actis SS. & Hist. Eccl. Vide *Mœurs des Chrét.* §. 7. *Luc. XVI.* 29. 31.

(*b*) *Primum igitur qui salutem consequi volunt Scripturis vacent.* S. *Chrysost. in I. Cor. Hom.* 6. Idem *Hom.* 3. *super Laz.* & alibi, *Tam cæci sunt isti, ut Scripturas manifestas non intelligant, aut tam negligentes salutis suæ ut omnino non legant.* S. *August. de Agone Christ. Cap.* 28.

Cetera PP. testimonia vide apud *Castoriens. de Lect. S. Scripturæ cap.* X. & *XVIII.* Apud *Dupin Prolegom. sur la Bib. Liv.* 1. *chap.* 9. §. 3. *Cherubinum a S. Joseph. Carm. disc. Biblioth. Criticæ. S. Tom. I. Angelum Pacjuchelli in Jonam Lect.* 1. idem testatur *de Balinghem ad Locos comm. præpar. part.* 1. *cap.* 4. *n.* 9.

THESIS IX.

Disciplinæ litterariæ atque humanitatis studia uti ad Sacrarum Litterarum & Religionis scientiam præcipue referenda sunt (*a*); ita quoque S. Litteræ humaniorum artium amœnitate non prorsus destitutæ sunt (*b*).

(*a*) *Prov. IX.* 3. Vide infra *cap. V. Th. IV.* S. *August. de Discipl. Chr. cap. XI. Confess. Lib.* 1. *cap.* 16. 17. 18. Idem *de Doct. Christ. Prolog. n.* 4. *Lib.* 2. *cap.* 42.

Conc. Cabilon. ann. 813. *Can.* 3.

Vita S. Bernardi per Guil. & Alan. cap. 1.

Vel *Fleury Hist. Lib.* 66. *n. XXII.*

A Kempis Manuale juven. cap. 1.

Conc. Trid. sess. V. de Reform. cap. 1.

(*b*) *Ephes.* V. 19. *Coloss. III.* 16. *Psal.* CXVIII. 85.

Ambros. Præf. in Luc. Euseb. Præp. XI. 4. 5. 7.

S. *August. Lib. de vera Relig. cap.* 51.

Idem *de Doct. Chr. Lib.* IV. *cap.* 6. & 7.

Idem *Confess. Lib.* 1. *cap.* 15. & 17.

Bossuet Differt. de Ps. Cap. 2.

Author Const. Apost. Lib. 1. Cap. 6. Locus nimis est præclarus, qui in editione Cotelerii latine sic redditur:

Ab omnium Gentilium Libris abstine: quid enim tibi cum alienis sermonibus vel legibus vel falsis Prophetis, quæ quidem & homines leves avertunt a fide? quid enim tibi deest in Lege Dei, ut ad illas Gentilium fabulas appellas animum? Sive enim historica percurrere cupis, habes Libros Regum, sive sophistica ac poetica, habes Prophetas, Jobum, Proverbiorum scriptorem; in his plus industriæ quam in omni poesi & Sophistarum argutiis reperies; quoniam Domini Dei, qui solus est sapiens, voces sunt: sive lyrica expetis; habes Psalmos: sive antiquas origines, habes Genesim; sive Leges & mandata, inclytam Domini Dei Legem habes.

Vide quoque *Theodoretum Lib.* 4. *Hist. cap.* 26. de Didymo cæco.

S. *Greg. M. Lib.* 5. *in I. Reg. cap.* 15.

Cassiodorum Prol. Psalterii C. 15. Item in *Ps.* 6. Grat. dist. 37. C. 7.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De speciali jure Sacerdotum circa Sacras Scripturas.

THESIS I.

Scripturæ Divinæ specialiter commissæ sunt Sacerdotibus (*a*), custodiendæ (*b*) quoad litteram & quoad sensum, quam religiosissime.

(*a*) Sub *Sacerdotibus* intellige hic non solum Episcopos, sed & Doctores Ecclesiasticos, aliosque Clericos.

(*b*) *Malach.* II. 7. *Deut.* XVII. 18. *Eccli.* XLV. 21. *Matt.* II. 4—6. *Luc.* XXIV. 45—48. II. *Cor.* II. 17. *I. Tim. IV.* 13. 16. *VI.* 14. 20. *II. Tim. I.* 13. 14. *II.* 2. *III.* 14. &c. *Conc. Trid. Sess. IV. Decr. de Canon. Script. Ibid. Decret. de usu Sacrorum Librorum.* Vide *Acta Felicis Mart. apud Ruinart pag.* 356. colitur *Aug.* 30. Item responsum Emeriti Lectoris in *Act. Saturnini*, ibid. *pag.* 387. Ejus memoria *Feb.* 11. Item Timothei Lect. *Decemb.* 19. Et Euplii Diac. 12. *Augusti.*

THESIS II.

Sacerdotum est Libris Sanctis debitum honorem & reverentiam decernere (*a*), eundemque iis vindicare (*b*).

(*a*) *Deut.* XXXI. 26. Vide supra *cap. II. Th. II.* c.

(*b*) Consule *Hist. Eccl.* de *Traditoribus Librorum S. punitis*, & infra ad Corollarium 12. *Conc. Trid. Sess.* 4. circa finem.

Canon Trullanus 68. vetat: *Veteris & novi Testamenti librum... corrumpere vel conscindere, vel Librorum cauponatoribus, vel iis qui dicuntur unguentarii, vel alicui alii ex omnibus ad eam delendum tradere... similiter, inquit, & qui libros emit, si eos quidem ipse non ad suam utilitatem retineat, nec alter ad ejus beneficium, & ut ii permaneant, tradat, sed eos corrumpere aggressus fuerit, segregetur.*

THESIS III.

Item intendere & invigilare S. Litterarum descriptionibus ac editionibus.

Apoc. XXII. 18. 19. *Conc. Triden. Sess.* 4. *Decretum de edit. S. Librorum.* Vide Præfationem editionis Romanæ quæ Bibliis Vulg. Ed. præfigitur, &c.

THESIS IV.

Eorum quoque est versiones Bibliorum noxie vitiatas notare aut proscribere.

Luc. I. 1. II. *Petr.* III. 16. II. *Thess.* II. 2. *Conc. Trid. ibid.*

THESIS V.

Sed interim alias sinceras curare & approbare translationes.

Fundatur in *hujus cap. Th.* I. VI. VII. VIII. Confer. *cap.* 5. *Th.* III. & VII. *f.* Item *cap.* III. *Th.* III. IV. VIII. Adde I. *Cor.* XIV. 5—28. II. *Cor.* VIII. 18. II. *Thess.* III. 17. *Conc. Trid. ibid.*

Huc spectare potest Recensio librorum S. per Esdram facta. Item Vulgata *Hist. versionis LXX.* &c.

Evang. S. Matt. vix prodierat quin haberetur ejus versio Græca. Vide in *Vita* S. *Mat.*

Matthæi 21. Septembris.

B. Marci Evang. per Petrum probabatur, *quo in Ecclesiis passim prælegeretur*, ut loquitur *Euseb. Hist. Eccl. L.* 2. *C.* 14.

S. Lucas non solum taxat Evangelia insincera, sed aliud sincerum substituit, Cap. I. 3. Id imitandum in translationibus Sacris.

Ulphilas in Moesia Gothorum Ep. S. Scripturis in Gothorum sermones conversis effecit, ut Barbari Divina eloquia perdiscerent. *Socr. Hist. Ec.* L.4.C.33.

Quid in hoc genere a Summis Pontificibus; quid ab aliis Prælatis & Doctoribus Ecclesiasticis V. G. *Origene*, *Luciano*, *Hieronymo* præstitum sit, passim occurrit in *Hist. Eccl.* & speciatim in *Le Long Bibliot. Sacra*, ubi & de versionibus vernaculis DD. Lovaniensium. Vide & *Papebrochii propil. May pag.* 137. memorabile testimonium.

Gregorii XIII. jussu & Clementis VIII. approbatione, sumptibus vero Archiepiscopi Primatis Poloniæ edita est Bibliorum versio Polonica authore *Jacobo Vieki Societatis Theologo*: de qua testatur *Possevinus*: *Et ea quidem versio fuit perutilis & necessaria restinguendis eorum erroribus, qui ex falsa novorum Arianorum & aliorum Hæreticorum versione passim serpebant.*

THESIS VI.

Munus Ministrorum Doctorumque Ecclesiasticorum proprium est libros Sacros publice prælegere atque explicare (*a*), idque sincere, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo (*b*).

(*a*) Vide supra cap. III. *Th.* I. b. & c. *Th.* III. a.

Item confer *Malach.* II. 7. *Act.* VI. 4. I. *Cor.* IX. 16. XII. 28. XIV. 5. I. *Tim.* IV. 13. II. *Tim.* IV. 5.

Adde quæ ex *Pontific. Rom.* huc faciunt in *Ordinat. Lectoris*, *Diaconi*, *Presbyteri*, *Episcopi*.

Item *Acta Pollionis Lect. Euplii Diaconi & Mart.* Item *Philippi Episcopi ac M.* apud *Ruinart. pag.* 405.& seq. cum *cap.* VI. *Th.* III. *a.* infra.

Auferunt, inquit *Clem. Alex.*, *veram Domini doctrinam, qui non pro dignitate Dei & Domini Scripturas differunt & tradunt. Strom. Lib.* 6. post medium.

Juvat autem ex *Tridentino* semel excerpere sequentia: *Non minus necessaria est prædicatio Evangelii quam lectio; & hoc est præcipuum Episcoporum munus. Sess.* 5. *cap.* 2. *de Refor.*

Frequenter inter Missarum celebrationem... ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant: nempe *Pastores & singuli curam animarum gerentes. Sess.* 22. *cap.* 8.

Saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus festis: tempore autem jejuniorum, Quadragesimæ & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus Sacras Scripturas divinamque Legem annuntient. Sess. 24. *cap.* 4. *de Refor.*

Inter Missarum solemnia ac Divinorum celebrationem Sacra eloquia & salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festis vel solemnibus explanent: eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in Lege Domini erudire studeant, ibid. cap. 7.

Conc. Mediolanense IV. An. 1576. *cap.* 25.

Decretum Pastorale datum in Urbe sub Benedicto XIII. 26. Septembris 1724.

(*b*) II. *Cor.* II. 17.

THESIS VII.

Eorum est, utpote Magistrorum Scholæ Christi, Sacrarum Scripturarum studia diligenter commendare, prudenter dirigere, ac modis omnibus promovere in salutem.

Hæc ipsa præstitit in primis Dominus Jesus Scripturas Divinas sæpe adducens, explicans; identidem earum authoritatem, virtutes, lectionem, scrutationemque commendans; nec non ignorationem, neglectum, abusum, pravasque interpretationes redarguens, atque adversus has præmuniens; ac tandem sensum intelligendi Scripturas, Discipulis aperiens. Quæ omnia exhibentur in *Evangeliis.*

Christum Dominum in hac parte egregie secuti sunt Apostoli aliique primitivi Discipuli, ut ipsorum *Acta* & *Epistolæ* satis declarant. Cir-

Circa directionem studii facti consule *Hebr.* V. 11—14. *Origen. Hom.* 27. *in Num. cap.* 23. S. *August. de Doctr. Christ. Lib.* 2. *cap.* 9. &c.

Laudari hic etiam possent Doctores & methodus celebris Scholæ Alexandrinæ a B. Marco, ut ajunt, institutæ: ac speciatim zelus & labores Origenis, Protogenis, Pamphyli, Hieronymi; nec non Chrysostomi, Gregorii Magni aliorumque Patrum diligentia & cura.

Synodus Generalis VII. Clerico, qui cum consensu Episcopi in Oratorio Principis ministraret, interdicit omnem curam secularem; mandatque, ut *potius offerat se ad docendos pueros & famulos, relegens eis Divinas Scripturas*, AD HOC *enim* ETIAM, inquit Synodus, SACERDOTIUM SORTITUS EST. *Can.* 10.

Synodus Trid. præcipit Lectiones S. Scripturæ & liberalium artium institui: *ne*, inquit, *cæleſtis ille Sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat*. *Sess. V. cap.* 1. *de Refor.*

Vide supra *cap. II. Th.* VII. & VIII.

THESIS VIII.

Ipsorum item est, qua legatorum ac præconum Dei & Christi, verba illa ac mandata vitæ æternæ ubique, publice ac per domos annuntiare, insinuare, interpretari, inculcare, propugnare omni modo, omni occasione & via; atque ita negotium agere reconciliationis humanæ, propagare Sacerdotale Regnum J. C.

II. *Paralip.* XVII.9.11. *Esd.* VIII. 8. 9. *Luc.* IV.19.*Act.* VIII. 29—35.*ibid.*XX.29.XXVIII. 23.31. II. *Cor.* V.10. *Ephes.* III. 2—5. *Colos.* I. 22—29.I.*Thess.*II.11—13. II. *Tim.* IV. 2. 5. I. *Petr.* II. 9. *Apoc.* I. 9. 11.

Congruunt huic loco quæ de S. Quadrato aliisque discipulis Apostolorum narrat *Euseb. Hist. Eccl. Lib.* 3. *cap.* 37. *Relicta patria peregre proficiscentes munus obibant Evangelistarum, iis qui fidei sermonem nondum audivissent, Christum prædicare & Sacrorum Evangeliorum libros tradere ambitiose satagentes*. Ita *Euseb.*

Item quæ de se ipso testatur S. *Justinus Martyr dial. cum Tryph. pag.* 284. B.

Queis addi possunt varia ex annot. *ad Th.* VII. præced. cum *Cap. II. Th.* IX. & XI.

Minorita Italus Missioni Tartariæ incumbens, in illam linguam converterat totum Novum Testamentum & Psalterium. Vide *Annales Wadingi ad An.* 1305. apud *Fleury Lib.* 90. *n.* 46.

In omni Sacerdotali convivio lectio Divinarum Scripturarum misceatur. *Dist.* 44. *Can. Pro reverentia*: concordat *Conc. Trid. Sess.* 1.

Episcopi & Abbates pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & Lectio Divina ibi personet. *Conc. Remense* 2. *Can.* 17. *An.* 813.

THESIS IX.

Monstri simile fit, ipsaque infelicitas & pernicies, velle in Ecclesia Sancta Dei, munus Pastoris, Doctoris, Ecclesiastæ, vel etiam Presbyteri obire, & non esse S. Litterarum apprime studiosum ac peritum.

Pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem. *Exod.* XXVIII. 30. confer cum II. *Tim.*III.16.17. II. *Paralip.* XXXI. 4.*Isai.*LVI. 10.*Jerem.* II. 8. *Ezech.* III. 1. *concordat Apoc.* X. 10. 11. *Oseæ* IV. 6. *Malach.* II. 7. *Matt.* XIII. 52. XV. 9. 14. XXII. 29. 31. *Luc.* X. 26. XI. 52. *Act.* VII.1.54.*ibid.*VIII.35. I. *Tim.*VI.6.7.13. *Tit.*1. *Pontific. Rom. Ordin. Lectoris* &c. supra hoc *Cap Th.*I. VII.VIII.

Si Sacerdos est, sciat Legem Domini; si Legem Domini ignorat, convincit se non esse Domini Sacerdotem. Hieron. in Cap. 2. *Aggai.* Vide eundem *Van-Espen Supplem. Tom. I.* *Epist.* ad *Nepotian.* Item ad *Rustic. sciant Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones meditentur. Conc.Tolet.IV.*C.24.Vide *Synodi VII. Can.*2. ubi scite dicitur ex vulgato *Dionysio*:

Nostræ enim Hierarchiæ SUBSTANTIA *sunt eloquia divinitus tradita, divinarum scilicet Scripturarum vera scientia*.

Adde S. *Agobardi, de jure & privilegio Sacerdotum*. Item *Epist. ad Canonicos Lugdun.*

Vide Pontifi. Rom. in Ordinat. Presb. ubi precatur Episcopus, *ut in lege Dei die ac nocte* Mmm *medi-*

CAPUT SECUNDUM.

De communibus erga S. Scripturam officiis, quatenus resultant ex variis ejusdem Scripturæ attributis.

THESIS I.

Scriptura S. donum est inæstimabile (*a*) e cælo descendens (*b*): thesauros continens sapientiæ & scientiæ Dei (*c*): neque enim est aliud quam ipsius summi Dei purum (*d*) verbum, atque infallibile ejus oraculum (*e*).

(*a*) *Psal.* CXLVII. 19. 20. *Joan.* IV. 10.
(*b*) *Exod.* XX. 22. *Act.* VII. 53. *Hebr.* II. 2. XII. 25. *Apoc.* I. 1. X. 9. XXII. 16.

De illa quippe superna civitate, ubi Dei voluntas intelligibilis atque incommutabilis lex est .... ad nos ministrata per Angelos Sancta Scriptura descendit. S. *August. de Civ. Dei* Lib. X. Cap. 7. Hinc S. *Chrysost. Scripturarum Lectio, cælorum est reseratio. De verbis Isaiæ* Hom. 2.

(*c*) *Psal.* CXVIII. 127. *Prov.* II. 1. 4. III. 14. 15. *Sap.* VII. 8. 9.

Thesaurus ergo est magnus Divinarum Scripturarum habens in se mirabilia præcepta multa; tanquam multas gemmas & pretiosa monilia & vasa ingentia, & magni metalli; sed quis potest scrutari thesaurum istum &c. S. *August. de Discipl. Christ.* Cap. 2.

(*d*) *Deut.* IV. 2. *Psal.* XI. 7. *Prov.* XXX. 5. 6.

(*e*) *Exod.* XXV. 21. 22. ubi in duobus Cherubim duo Testamenta figurari, ait S. *August. in Exod. Quæst.* 105. Adde *Hebr.* I. 1.

Diligenter inspicite Scripturas, Spiritus Sancti vera oracula. Attendite; nihil injustum neque perversum in illis scriptum est. S. *Clem. R. Epist.* 1. *ad Cor. num.* 45.

THESIS II.

Cæleste hoc munus & cimelion a fidelibus omnibus summa gratitudine amplectendum est (*a*), singulari cultu venerandum (*b*), religioseque custodiendum (*c*). Iidem Thesauri amorem (*d*) exigunt & studium (*e*) invictissimum. Oracula illa omni fide & submissione dignissima sunt (*f*): utpote in quibus ipse Patris Sermo, Deique Spiritus præsens adorandus (*g*) sit.

(*a*) Fluit hæc Thesis ex proxima. *Psal.* CXLVIII. 12. 20. *Psal.* XCIII. 12. *Apoc.* I. 4. &c. XXII. 7. 8.

(*b*) *Hebr.* IX. 19. *Apoc.* V. 8. collatum cum ritu, quo Ecclesia veneratur Librum & Lect. Evangeliorum. Vide *Bona rer. Liturg. Lib.* 2. *Cap.* 7. *Sancta & adorabilia Scripturarum verba! Conc. Carth.* 3. *Cap.* 31.

(*c*) *Deut.* XVII. 18. XXXI. 26. II. *Paral.* XXIII. 11. II. *Tim.* IV. 13. ex sensu Estii.

De veneratione & cultu, qui debetur ipsis Codicibus Sacris, multa occurrunt in monumentis Ecclesiasticis documenta; nempe 1. quoad ritum eos proferendi, recitandi, excipiendi, V. G. in Liturgiis antiq. librisque liturgicis & ritualibus. 2. quoad locum, quo collocabantur aut asservabantur, V. *Goar. in Euchol. p.* 66. & 216. *Consuet. S. Benig. Divio. Cap.* 57. S. *Paulin. Epist.* 32. *ad Sever.* n. 16. In Concilio Nicæno Lib. Evang. medium locum obtinebat sub throno: apud *Bin. tom.* 1. *part.* 1. Similiter *in Florent. ibid. tom.* 4. *part.* 1. item in *Ephes.* in *Chalced. Constantin.* &c. Similiter in tribunalibus judicum sec. Vide infra *Cap.* V. *Th.* VIII. b. 3. quoad ornatum in pingendo aut cooperiendo. Vide *Van Balingem Loci com. Scrip. S. præp.* part. 1. Cap. 1. *Ciampini Vetera monumenta Cap.* 16.

(*d*) *Psal.* XVIII. 11. passim. *Prov.* VI. 21. 22. VII. 14. *Matt.* XIII. 44.

Memoria Martyrum Librorum SS. *Martyrol. Rom.* 2. *jan.* & sæpe in *Actis* Martyrum, V. G. *Ruinart* p. 421. vel in Vitis SS. 1. April. Multi Sancti sepulti fuerunt imposito pectori codice Evang. V. G. S. Barnabas Junii XI. Eundem mulieres & pueri gestabant ex collo suspensum ante pectus, ut in Vulgat. Actis B. Cæciliæ. Vide *Baron.* ad *ann.* 232. n. 13. S. *Chrysost. Hom.* 74. *in Cap.* 23. *Matth. Hom.* 19. *ad popul. Antiocb.*

tioch. S. *Hieron. in Matt. cap.* 23.

(*e*) *Ecclesiastici prolog. Luc.* II. 19. XI. 28. *Joan.* V. 39. *Act.* XVII. 11. I. *Pet.* I. 11. 12. *gr. Apoc.* X. 9.

S. *Chrysost. Hom.* 5. *in Gen. Hom.* 1. *ad popul. Antioch. Hom.* 9. *in Ep. ad Colloss. vs. verbum Christi habitet in vobis abundanter.*

S. *August. Epist.* 137. *al.* 3. *ad Volus. n.* 3. *in Psal.* CVIII. 21. *n.* 23.

S. *Hieron. ad Eustoch. Epist.* 22. olim 2.

S. *Greg. Hom.* 15. *de S. Servulo. Quam Homiliam Clemens Papa* XI. *magnis characteribus describi jussit in Pariete porticus Basilicæ S. Clementis, ubi S. Servulus mendicavit. Lib. IV. Epist.* 31. *ad Theod.*

S. *Cæsar. Serm.* 303. *in Append. oper. S. August. Tom.* 5.

S. *Bern. Serm.* 24. *de divers.*

(*f*) *Luc.* XVI. 22. XXIV. 25. I. *Thess.* II. 13. IV. 8. V. 27. *Exod.* XXIV. *Psal.* XXXIX. 8 — 10. *Hebr.* I. 1. II. 2. 3. XII. 25.

(*g*) II. *Esdr.* VIII. 2 — 8. IX. 3.

Qui sunt Libri quos adoratis legentes? Acta Mart. scilit. apud Bard. ad an. 202. Vide *S. Athan. Epist. ad Marcell.* Item. *Origen. Hom.* 13. *in Exod.* & *S. August. Hom.* 26. ex 50. nunc. T. V. in Append. Ser. 300.

Venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent. Can. 68. *dist.* 1. *L. de Consecr.*

Vide plura apud Lupum *Synod. General. part.* 2. *pag.* 988. 989.

In quadam Liturgia Græca liber Evangeliorum exhibetur populo adorandus; quod adhuc modo in usu est apud Armenos. Vide *Sacy præf. in Genes.* §. 3. *pag.* 86.

THESIS III.

Considerandа est Scriptura S. velut ingens fax (*a*), lumen offerens cunctis peregrinatoribus, qui per avia & caliginosa hujus seculi deserta ac maria in domum tendunt æternitatis (*b*).

(*a*) *Psalm.* CXVIII. 105. II. *Petr.* I. 19.

(*b*) Posset metaphora hujus Theseos commode illustrari a columna nubis & ignis, quæ Israelitis inserviit in mari & in Deserto. *Exod. XIII. Luc.* I. 77 — 79. Vide S. *August. Epist.* 130. *ad Probam n.* 5.

Item S. *Hilarium in vs.* 105. *Psalmi* CXVIII.

THESIS IV.

Quapropter nimis infelix est, quisquis in itinere tam horribili & periculoso (*a*) salutiferæ hujus lucis solatium aut ignorat aut negligit; quive a salutari ejus usu quoquo modo avertitur aut præpeditur (*b*).

(*a*) Accommodati hic potest *Psal.* XXXIV. 6. vel iter Israelitarum per mare instante Pharaone. Vide S. *Chrysost. Proœm. in Epist. ad Rom.*

(*b*) *Eccli.* L. 29 — 31. *Sap.* V. 6. *Joan.* XII. 34 — 36. 40. *Baruch.* IV. 1. 2. II. *Cor.* IV. 4. S. *Ambros. Serm.* 14. *in Psal.* CXVIII. *de Imitatione Christi Lib.* IV. *cap.* 11.

Thomas a villa nova Tom. 1. *pag.* 289. & 290.

THESIS V.

Considerandæ sunt Scripturæ S. velut Epistolæ quædam æterni Regis ad suam creaturam (*a*) degenerem, ad filium prodigum sub hostium captivitate gementem (*b*); ad sponsam adulteram, exulem, desolatam (*c*), vel ad eandem reconciliatam (*d*).

(*a*) Vide *cap.* 1. *Thes.* 1. C.

„ *Quid est*. Scriptura Sacra nisi quædam „ Epistola omnipotentis Dei, ad creaturam „ suam." *S. Greg.* ad Th. seq.

(*b*) *Rom. VIII.* 19 — 22. *Luc.* XV. 17. S. *Chrysost. super Gen. Serm.* 1. *ibid. Serm.* 3. S. *Augustinus in Psal.* LXIV. n. 2.

(*c*) *Isai.* LIV. 6 — 9. confer cum LI. 7. 16. &

16. & LII. 1—8. *Jerem.* III. 1. *Osea* II. 19. 20.
(*d*) *Psal.* XLIV. *Joan.* III. 29.

Sacræ Scripturæ verbis sponso innubit æterno.
S. *Ambrosius Lib.* 2. *de Virginit.*

T H E S I S VI.

Accipienda est ergo Scriptura Divina non minori cum gaudio & affectu, quam a filio captivo, a sponsa repudiata, vel a reconciliata acciperetur Epistola manu Regis exarata, per Legatum autem allata, in qua negotium ageretur redemptionis filii, reconciliationis Sponsæ, vel testificatio exhiberetur renovatæ caritatis.

Isai. XLIX. 6—23. *II. Cor.* V. 19. 20. *Ephes. II.* 12. 15—20. I. *Joan. II.* 12—14. S. *Greg. Lib.* 4. *Epist.* 40. *olim.* 31. *ad Theod. Apoc. XXII.* 16. 17. S. *Basil. Lib. de Virg.*

T H E S I S VII.

Libri Divini sunt Libri Canonici & proprii (*a*) illius Scholæ, quam Sapientia æterna hic in terris habet, quique tali Schola in primis digni sunt (*b*): adeo ut facta comparatione ad scripta humana quantumvis excellentia, applicari queat illud: *Sicut exaltantur cæli a terra, ita exaltatæ sunt cogitationes meæ a cogitationibus vestris*, &c. (*c*). Itemque, *quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis* (*d*)?

(*a*) *Psal. XCIII.* 12.
Non oportet ab idiotis, Psalmos compositos vel vulgares dici in Ecclesia, neque libros qui sunt extra Canonem, nisi solos Canonicos novi & veteris Testamenti. Conc. Laodic. Can. 59.
Diligenter ab Ecclesia disce, qui sint veteris & qui novi Testamenti libri, ut nihil Apocryphum legas.... hos solos meditare, quos & in Ecclesia secure tutoque recitamus. S. *Cyrill. Hierosf. Catech.* 4. *de S. Script.* Vide Capitularia *an.* 789. *Cap.* 20.
(*b*) S. *Chrysost. in Psal.* 95. *in Coloss. Hom.* 9. S. *August.* N. Ed. *Epist.* 82. *de Baptis. contra Donat. Lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 4. *Lib. XI. contra Faust. cap.* 4. adde *Moeurs des Chrét.* §. *VII.*
(*c*) *Isai.* LV. 9.
(*d*) *Jerem. XXIII.* 28. 29.

T H E S I S VIII.

In dictatis illis Divinis non minore diligentia & studio (*a*) exercere se debet fidelis Christi discipulus aut Catechumenus, quam tyro V. G. jurisprudentiæ aut alterius disciplinæ candidatus exerceat se in illo authore, qui in Schola ejus prælegitur; aut puer Christianus in libro Catechistico, quem Pastor aut Catechista exponit.

(*a*) Vide supra *Thes. II.* e. *Prov. VIII. Matt. XII.* 42. *XXIII.* 10. *Luc. II.* 46. 52. *IV.* 16. 17. *IX.* 30. 35. 36. *Act. VIII.* 28. 31. 34. 35. *Philipp. III.* 8. S. *Chrysost. Hom. X. in Joan.* S. *Cyrill. Hierosf. Catech.* 4.
Investiga insuper cæremonias ante Baptismum circa scrutinia & lectiones S. in benedictione fontis Bapt. in Vigil. Paschæ *Th.* seq. b.
Item methodum percelebris Scholæ Alexandrinæ a B. Marco, ut ajunt, institutæ, apud *Euseb. Hist. Eccl. Lib.* 5. *cap.* 10. De hac aliisque antiquis Scholis agit N. *Nourry Appar. ad Biblioth. max. L.* 2. *Diss.* 1. *cap.* 10. §. 2. *pag.* 347.

T H E S I S IX.

S. Litteræ præscribunt regulam & statuta (*a*) Religionis atque ordinis Christianorum, quæ in Baptismo profitemur (*b*), & super quibus judicabimur (*c*).

(*a*) *Isai. LI.* 4—8. *Matt. XXVIII.* 19. 20. *Marc. XVI.* 15. *II. Thess. II.* 12—14. *III.* 6. 14.
(*b*) *Psal. CXVIII.* 106. *Luc. I.* 3. 4. *Rom. VI.* 17. 18. *Act. VIII.* 35. 37. *X.* 33. 45. *Hebr. VI.*

VI. 1. 2. 4. Expende ritum antiquum, quo feria 4. post Dominicam 4. Quadragesimæ in scrutinio Catechumenorum quatuor Diaconi, velut totidem Evangelistæ, prodibant cum quatuor Evangeliis, quorum initia prælegebantur Catechumenis post Lectiones Prophetarum. *Apud Martene de Antiq. Eccl. Ritibus Lib.* 1. *Art. XII.* Item *Baillet Fêtes mob. Samdi St.*

Ratio pacti aut fœderis, quæ huic Professioni inest, secundum SS. Patres, illustrari posset per II. *Esdr.* Cap. VIII. IX. X.

(*c*) *Deut. XXVII.* 26. *XXXIII.* 2. *Joan. V.* 45. *XII.* 48. *Gal. III.* 10. *II. Thess. I.* 8—10. *Hebr. IV.* 12. 13. *Zach. V.* 2. 3. *Jac. II.* 10. 12. *Apoc. XIV.* 6. 7. Vide S. *Basil. in Psal. XXXVII.* n. 1. Et iterum. *apud. Martene de ritu Græc.* recitandi Lectiones S. cum extr. unctione: itemque de ritu, quo porrigebatur moribundo osculandus S. Textus cum his verbis, ECCE LEX TUA. *De Antiq. Eccl. Rit. part.* 2. *pag.* 113. & 206.

In Rituali Rom. sub tit. *de Visit. & cura infirmorum* proponuntur varii Psalmi & Lect. Evangelicæ, quæ opportune dicuntur apud ægrotum. Item in *ordine commendationis animæ* legenda exhibentur Sermo Domini post cœnam, ejusque passio secundum Joannem.

THESIS X.

Lex igitur Divina, regulaque Evangelica, scripto divinitus consignata, non minori sollicitudine & attentione ediscenda, tenenda & observanda est a Christianæ Religionis cultore, quam a bono Monacho perdisci consueverint & impleri ea, quæ ad disciplinam Monasticam spectare noscuntur statuta.

Jerem. XXXV. 13. 14. fiat applicatio de Rechabitis. *Zachar.* V. 1—4. *Volumen volans, et quo judicabitur omnis fur & jurans.*

THESIS XI.

Codex Divinus continet mysteria (*a*) edicta & mandata (*b*) Regni cælorum a J. C. Domino nostro fundati, ejusdemque Regni commentarios (*c*) & acta (*d*).

(*a*) *Luc. VIII.* 10. *I. Petr. I.* 10. 12.
(*b*) *Eccli. XXIV.* 33. 34. *Baruch. IV.* 1—3. *Joan. I.* 17. 18. *IV.* 25.
(*c*) *I. Cor. XV.* 1—3. *II. Cor. V.* 19. 20.
(*d*) *Luc. I.* 3. *Act. I.* 1.

THESIS XII.

Numquid hæc minorem attentionem, diligentiam atque observantiam requirunt a Christicolis; quam Regum hujus terræ sacramenta, diplomata & gesta obtinere soleant a subditis & ministris temporalibus?

Jonæ III. 6—8. *Matt. XII.* 42. *Hebr. I.* 1. 2.

THESIS XIII.

Utriusque Instrumenti Sacrosanctæ paginæ exhibent nobis tabulas & Syngraphas (*a*) bonorum ac promissionum novi & æterni Testamenti (*b*), velut manu Dei signati, & pretioso utique sanguine Filii ipsius Unigeniti ac mundi Redemptoris, consecrati (*c*).

(*a*) *Eccl. XXIV.* 32.
Noluit (Dominus) *sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam suam... Scriptura Dei manere debuit, & quoddam chirographum Dei, quod omnes transeuntes legerent, & viam promissionis ejus tenerent.* S. *August. in Psal. CXLIV.* n. 17.
(*b*) *Idem Serm.* 317. n. 3. n. E.
(*c*) *Matt. XXVI.* 28. *Hebr. IX.* 15—18. *XII.* 24.

THESIS XIV.

Nemo igitur miseris mortalibus a Domino peregrinantibus, regeneratis interim in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, conservatam in cælis, invideat consolationem & pacem, quam ex instrumentis illis aut codicillis sacrosanctis accipere datum est (*a*). Nemo succenseat si hæres præsumptivus Regni cælestis (*b*), in his custodiendis ac perscrutandis non minorem curam & operam impendat, quam Princeps aliquis impendere soleat circa monumenta & titulos, quos ad Regni sui possessionem aut amplificationem pertinere putat.

(*a*) *I. Mach. XII. 9.* 10. *Bossuet in Apoc. Cap. I. vs.* 3. *S. August. Confess. Lib. IV. cap.* 4.

(*b*) *Jac. II.* 5. *I. Petr. I.* per totum fere.

CAPUT TERTIUM.

De cultu & studio, qui Scripturis S. omni tempore exhibitus merito fuit.

THESIS I.

Hebræi omnes, populus Dei antiquus, sine discrimine conditionis, ætatis (*a*) aut sexus lectioni Divinarum Scripturarum V. T. seu publicæ seu privatæ adstrictus fuit (*b*), illique a tempore captivitatis Babylonicæ incredibili semper studio incubuit (*c*), quæ consuetudo legitur a Christo Domino & Apostolis comprobata & consecrata (*d*).

(*a*) *Origen. Hom.* 1. *in Cant.* excipit Librorum *Cant.* initium *Gen.* cum principio & fine *Ezech.* sed ita ut in hac exceptione egregie firmet regulam. Consonat S. *Greg. Nazian. Orat.* 1.

(*b*) *Deut.* VI. 6. XXXI. 11. *Josue* VIII. 35. 35. II. *Paralip.* XXXIV. 30.

(*c*) II. *Esdræ* VIII. 1. IX. 3. *Flav. Joseph. Lib.* 2. *contra Apion. cap.* 6. & 7. idem *Antiq. Lib.* 4. *Cap. ult. Philo de vita contempl.* Item apud *Euseb. Prep. Evang.* L. 8. C. 7. *Bossuet. Hist. univ. part.* 2. n. 3.

(*d*) *Luc.* II. 46. IV. 16—20. XVI. 29. *Joan.* V. 39. *Act.* VIII. 28. 29. XIII. 27. XV. 21. XVII. 11. *Gal.* IV. 21. II. *Tim.* I. 5. III. 15. II. *Pet.* I. 19.

THESIS II.

Mira quoque est Judæorum religio ac zelus (*a*), quem usque in hodiernum diem ostendere pergunt in custodiendis, describendis, edendis, honorandis, edifcendis codicibus suis sacris. In qua re arcanum viget providentiæ divinæ cum ad conversionem Gentium (*b*) tum ad Judæorum reditum (*c*) pertinens.

(*a*) *Flav. Joseph. Lib.* 1. *contra Apion. Philo apud Euseb. Lib.* 8. *cap.* 6. & 8. *Ceremonies & Coûtumes des Juifs chap.* X. Ibid. *Supplem. Chap.* XIII. *Le Long. Biblioth. Sacra part.* 1. *de Bibl. Hebr.*

(*b*) *Supra cap.* 1. *Th. III.* b.

(*c*) *II. Cor. III.* 14—19. De arcano isto agitur *Rom. X.* 25. &c. *Malach. IV.* 2—6.

THESIS III.

A temporibus Apostolorum usque modo utriusque Testamenti Sacratas paginas omni creaturæ solemni ritu prælegit & annuntiat (*a*) Ecclesia Sancta Dei: & sic porro prælegeet & annuntiabit usque ad consummationem seculi (*b*).

(*a*) *Rom.* X. 6— 18. confer cum *Deut.* XXX. 12. S. *Justin. in Apol.* vulgo *secunda.*

Ter-

Tertul. in Apol. cap. 39. *ad uxor. Lib.* 2. *cap.* 6.
August. de Civit. Dei. Lib. 2. *cap.* 28. *Lib.* 22. *C.* 8.
Pontific. Rom. in ordin. Lectorum.
Concil. Trid. Sess. XXIV. cap. 4. & 7.
Res nimis nota est, vide *Bona Rer. litur. Lib.* 2. *cap.* 6. & 7.

(*b*) *Eccli. XXIV.* 46. *Matt. XXVI.* 13.
Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini & propter nos scriptum est, & nobis servatum, & propter nos recitatum, & recitabitur etiam propter posteros nostros, & DONEC SECULUM FINIATUR. S. *August. in Joan. Tract.* 30.

THESIS IV.

Hæ sacræ lectiones institutæ sunt & ordinatæ ad doctrinam & perfectionem Fidelium; ad eruditionem Catechumenorum; ad conversionem peccatorum & infidelium: nam & hi ad illas convocabantur.

Luc. XVI. 29. *Rom. X.* 17—21.
Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum usque ad Missam Catechumenorum. Ex *Conc. Carth. IV. Can.* 84. *ann.* 398. *Can.* 67. *dist.* 1. *L. de Consecr.* Vide *Conc. Arauf. Can.* 18. *ann.* 441.
Euseb. de præpar. Evang. Lib. 12. *cap.* 1.
S. *August. de prædest. SS. cap.* 14.
Author Hierarch. Eccl. cap. 3.
Conc. Valent. in Hisp. C. 1. *ann.* 507.
Vide *Conc. Trid.* supra *Th. III.*

THESIS V.

Quæ inter Missarum solemnia habentur Scripturæ S. Lectiones, connexionem præferunt tam arctam atque excellentem cum oblatione, consecratione & communione sacra, ut totius Liturgiæ pars dicendæ sint quasi essentialis.

Psal. XLII. 3. *Eccli. XXXV.* 1—7. *Joan. XIII.* 10. *XV.* 3. *XVII.* 17. 19. *Rom. XV.* 16. *Apoc. III.* 20.
Item connexio illa insinuatur *Hebr. VII.* 12. 19. 22. *Clem. Alex. Strom. Lib.* 7.
Eadem Sacrarum Scripturarum lectio, in Apostolicis Constitutionibus, & in Basilii, Chrysostomi, aliorumque Liturgiis præcipitur tanquam sacri ministerii notabilis pars; per quam ad Divini Sacramenti participationem fidelium animi disponuntur. *Bona Rer. Lit. Lib.* 2. *Cap.* 6. *n.* 1. & seq. Vide *Th. seq.*
Expende & confessiones Martyrum in Actis S. Saturnini & sociorum. *Act. Sinc. Ruinartii* pag. 382. & seq.

THESIS VI.

Id quod elucet ex admirabili analogia, quæ subest inter ritum, quo Moses antiquum fœdus sancivit, novi utique præfigurativum, & inter ipsam liturgiam sive Missæ officium, in quo nempe Legis & Sacrificii, Novi & æterni Testamenti celebratur commemoratio, renovatio, continuatio.

Fundatur hæc analogia *Hebr. VIII.* 5. 6. 10. *IX.* 15—23. *X.* 12—15. *XII.* 22—25.; quibus adde *I. Cor. X.* 16. ac verba *consecrationis Calicis*. Item *Act. II.* 42. *XX.* 7. 11. *Rom. XV.* 16.
Consule insuper *Conc. Trid. Sess. XXII. cap.* 8. & *Sess. XXIV. de Refor. cap.* 4. & 7. *Concil. Mediol. IV. part.* 1. *T. de verbi Dei prædic. Hesselii Catech. de Sacram. Euchar. cap.* 37. *Fleury, Mœurs des Chrêt.* §. XIV.

THESIS VII.

Eodem facere potest alia superexcellens analogia, quæ sublucet inter solemnem ritum ordinemque S. Missæ officii, quo repræsentatur pignus & prægustatio vitæ æternæ (*a*), & inter visiones Apocalypticas B. Joannis; quibus non solum ministrantium & assi-

assistentium coordinatio (*b*), sed & gloriosa lectio Libri Sacri (*c*); & Fidelium (*d*) oblationes (*e*) & Sacrificatio Agni (*f*) ejusdemque cœna nuptialis (*g*) in cælo demonstrantur.

(*a*) *Matt. XXVI.* 29. *Luc. XXII.* 15. 16. 30. *Prosa & Postcomm. Missæ Corp. Domini.*
(*b*) *Apoc.* IV. &c. Vide *Mœurs des Chrét.* §. 39. & 40. Item *Ord. Missæ Præfat.*
(*c*) *Apoc.* V. 6 — 10.
(*d*) *Ibid. XXII.* 15. cum *explicatione Bossueti.*
(*e*) *Ibid. VIII.* 3. 4. VI. 9. 10. *Ord. Missæ, Bened. incensi.*
(*f*) *Ibid.* V. 6. 11 — 14. *VII.* 9. *Ord. Missæ post Elevat. Orat.* 3. Supplices.
(*g*) *XIX.* 1 — 9.

THESIS VIII.

Superioribus Ecclesiæ seculis Scripturæ S. lectio privata passim a fidelibus omnis ætatis, conditionis & sexus studiose fuit frequentata (*a*): quem religiosum usum Patres omnes unanimi consensu, velut cum salute conjunctissimum, modis omnibus comprobarunt & constabiliverunt (*b*).

(*a*) *Act. XVII.* 11. Manifestum id præterea est ex Actis SS. & Hist. Eccl. Vide *Mœurs des Chrét.* §. 7. *Luc. XVI.* 29. 31.
(*b*) *Primum igitur qui salutem consequi volunt Scripturis vacent.* S. *Chrysost. in I. Cor. Hom.* 6. Idem *Hom.* 3. *super Laz.* & alibi, *Tam cæci sunt isti, ut Scripturas manifestas non intelligant, aut tam negligentes salutis suæ ut omnino non legant.* S. *August. de Agone Christ. Cap.* 28.
Cetera PP. testimonia vide apud *Castoriens. de Lect. S. Scripturæ cap.* X. & *XVIII.* Apud *Dupin Prolegom. sur la Bib. Liv.* 1. *chap.* 9. §. 3. *Cherubinum a S. Joseph. Carm. disc. Biblioth. Criticæ.* S. *Tom.* I. *Angelum Pacjuchelli in Jonam Lect.* 1. idem testatur *de Balinghem ad Locos comm. præpar. part.* 1. *cap.* 4. *n.* 9.

THESIS IX.

Disciplinæ litterariæ atque humanitatis studia uti ad Sacrarum Litterarum & Religionis scientiam præcipue referenda sunt (*a*); ita quoque S. Litteræ humaniorum artium amœnitate non prorsus destitutæ sunt (*b*).

(*a*) *Prov. IX.* 3. Vide infra *cap. V. Th. IV.* S. *August. de Discipl. Chr. cap. XI. Confess. Lib.* 1. *cap.* 16. 17. 18. Idem *de Doct. Christ. Prolog. n.* 4. *Lib.* 2. *cap.* 42.
Conc. Cabilon. ann. 813. *Can.* 3.
Vita S. Bernardi per Guil. & Alan. cap. 1. Vel *Fleury Hist. Lib.* 66. *n. XXII.*
A Kempis Manuale juven. cap. 1.
Conc. Trid. sess. V. de Reform. cap. 1.
(*b*) *Ephes.* V. 19. *Coloss. III.* 16. *Psal.* CXVIII. 85.
Ambros. Præf. in Luc. Euseb. Præp. XI. 4. 5. 7.
S. *August. Lib. de vera Relig. cap.* 51.
Idem *de Doct. Chr. Lib.* IV. *cap.* 6. & 7.
Idem *Confess. Lib.* 1. *cap.* 15. & 17.
Bossuet Differt. de Ps. Cap. 2.
Author Const. Apost. Lib. 1. Cap. 6. Locus nimis est præclarus, qui in editione Coterii latine sic redditur:
Ab omnium Gentilium Libris abstine: quid enim tibi cum alienis sermonibus vel legibus vel falsis Prophetis, quæ quidem & homines leves avertunt a fide? quid enim tibi deest in Lege Dei, ut ad illas Gentilium fabulas appellas animum? Sive enim historica percurrere cupis, habes Libros Regum, sive sophistica ac poetica, habes Prophetas, Jobum, Proverbiorum scriptorem; in his plus industriæ quam in omni poesi & Sophistarum argutiis reperies; quoniam Domini Dei, qui solus est sapiens, voces sunt: sive lyrica expetis; habes Psalmos: sive antiquas origines, habes Genesim; sive Leges & mandata, inclytam Domini Dei Legem habes.
Vide quoque *Theodoretum Lib.* 4. *Hist. cap.* 26. de Didymo cæco.
S. *Greg. M. Lib.* 5. *in I. Reg. cap.* 15.
Cassiodorum Prol. Psalterii C. 15. Item in *Ps.* 6. Grat. dist. 37. C. 7.

CAPUT QUARTUM.

De speciali jure Sacerdotum circa Sacras Scripturas.

THESIS I.

Scripturæ Divinæ specialiter commissæ sunt Sacerdotibus (*a*), custodiendæ (*b*) quoad litteram & quoad sensum, quam religiosissime.

(*a*) Sub *Sacerdotibus* intellige hic non solum Episcopos, sed & Doctores Ecclesiasticos, aliosque Clericos.

(*b*) *Malach.* II. 7. *Deut.* XVII. 18. *Eccli.* XLV. 21. *Matt.* II. 4—6. *Luc.* XXIV. 45—48. II. *Cor.* II. 17. *I. Tim. IV.* 13. 16. *VI.* 14. 20. *II. Tim.* I. 13. 14. *II.* 2. *III.* 14. &c. *Conc. Trid. Sess. IV. Decr. de Canon. Script. Ibid. Decret. de usu Sacrorum Librorum.* Vide *Acta Felicis Mart. apud Ruinart pag.* 356. colitur *Aug.* 30. Item responsum Emeriti Lectoris in *Act. Saturnini*, ibid. *pag.* 387. Ejus memoria *Feb.* 11. Item Timothei Lect. *Decemb.* 19. Et Euplii Diac. 12. *Augusti.*

THESIS II.

Sacerdotum est Libris Sanctis debitum honorem & reverentiam decernere (*a*), eundemque iis vindicare (*b*).

(*a*) *Deut.* XXXI. 26. Vide supra *cap. II. Th. II.* c.

(*b*) Consule *Hist. Eccl.* de *Traditoribus Librorum S. punitis*, & infra ad Corollarium 12. *Conc. Trid. Sess.* 4. circa finem.

Canon Trullanus 68. vetat: *Veteris & novi Testamenti librum... corrumpere vel conscindere, vel Librorum cauponatoribus, vel iis qui dicuntur unguentarii, vel alicui alii ex omnibus ad eam delendam tradere... similiter, inquit, & qui libros emit, si eos quidem ipse non ad suam utilitatem retineat, nec alter ad ejus beneficium, & ut ii permaneant, tradat, sed eos corrumpere aggressus fuerit, segregetur,*

THESIS III.

Item intendere & invigilare S. Litterarum descriptionibus ac editionibus.

Apoc. XXII. 18. 19. *Conc. Triden. Sess.* 4. *Decretum de edit. S. Librorum.* Vide Præfationem editionis Romanæ quæ Bibliis Vulg. Ed. præfigitur, &c.

THESIS IV.

Eorum quoque est versiones Bibliorum noxie vitiatas notare aut proscribere.

Luc. I. 1. II. *Petr.* III. 16. II. *Thess.* II. 2. *Conc. Trid. ibid.*

THESIS V.

Sed interim alias sinceras curare & approbare translationes.

Fundatur in *hujus cap. Th.* I. VI. VII. VIII. Confer. *cap.* 1. *Th.* III. & VII. *f.* Item *cap.* III. *Th.* III. IV. VIII. Adde I. *Cor.* XIV. 5—28. II. *Cor.* VIII. 18. II. *Thess.* III. 17. *Conc. Trid. ibid.*

Huc spectare potest Recensio librorum S. per Esdram facta. Item Vulgata *Hist. versionis LXX.* &c.

Evang. S. Matt. vix prodierat quin haberetur ejus versio Græca. Vide in *Vita* S. *Mat.*

Matthæi 21. Septembris.

B. Marci Evang. per Petrum probabatur, *quo in Ecclesiis passim prælegeretur*, ut loquitur *Euseb. Hist. Eccl. L.* 2. C. 14.

S. Lucas non solum taxat Evangelia insincera, sed aliud sincerum substituit, Cap. I. 3. Id imitandum in translationibus Sacris.

Ulphilas in Moesia Gothorum Ep. S. Scripturis in Gothorum sermones conversis effecit, ut Barbari Divina eloquia perdiscerent. *Socr. Hist. Ec.* L.4.C.33.

Quid in hoc genere a Summis Pontificibus; quid ab aliis Prælatis & Doctoribus Ecclesiasticis V. G. *Origene*, *Luciano*, *Hieronymo* præstitum sit, passim occurrit in *Hist. Eccl*. & speciatim in *Le Long Bibliot. Sacra*, ubi & de versionibus vernaculis DD. Lovaniensium. Vide & *Papebrochii propil. May pag.* 137. memorabile testimonium.

Gregorii XIII. jussu & Clementis VIII. approbatione, sumptibus vero Archiepiscopi Primatis Poloniæ edita est Bibliorum versio Polonica authore *Jacobo Vicki Societatis Theologo*: de qua testatur *Possevinus*: *Et ea quidem versio fuit perutilis & necessaria restinguendis eorum erroribus, qui ex falsa novorum Arianorum & aliorum Hæreticorum versione passim serpebant*.

THESIS VI.

Munus Ministrorum Doctorumque Ecclesiasticorum proprium est libros Sacros publice prælegere atque explicare (*a*), idque sincere, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo (*b*).

(*a*) Vide supra cap. III. *Th.* I. b. & c. *Th.* III. a.

Item confer *Malach.* II. 7. *Act.* VI. 4. I. *Cor.* IX. 16. XII. 28. XIV. 5. I. *Tim.* IV. 13. II. *Tim.* IV. 5.

Adde quæ ex *Pontific. Rom.* huc faciunt in *Ordinat. Lectoris*, *Diaconi*, *Presbyteri*, *Episcopi*.

Item *Acta Pollionis Lect. Euplii Diaconi & Mart.* Item *Philippi Episcopi ac M.* apud *Ruinart. pag.* 405. & seq. cum *cap.* VI. *Th.* III. *a.* infra.

Auferunt, inquit *Clem. Alex.*, *veram Domini doctrinam, qui non pro dignitate Dei & Domini Scripturas disserunt & tradunt*. *Strom. Lib.* 6. post medium.

Juvat autem ex *Tridentino* semel excerpere sequentia: *Non minus necessaria est prædicatio Evangelii quam lectio; & hoc est præcipuum Episcoporum munus*. *Sess.* 5. *cap.* 2. *de Refor.*

Frequenter inter Missarum celebrationem.... ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant nempe *Pastores & singuli curam animarum gerentes*. *Sess.* 22. *cap.* 8.

Saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus festis: tempore autem jejuniorum, Quadragesimæ & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus Sacras Scripturas divinamque Legem annuntient. *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Refor.*

Inter Missarum solemnia ac Divinorum celebrationem Sacra eloquia & salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festis vel solemnibus explanent: eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in Lege Domini erudire studeant, ibid. cap. 7.

Conc. Mediolanense IV. An. 1576. *cap.* 25.

Decretum Pastorale datum in Urbe sub Benedicto XIII. 26. Septembris 1724.

(*b*) II. Cor. II. 17.

THESIS VII.

Eorum est, utpote Magistrorum Scholæ Christi, Sacrarum Scripturarum studia diligenter commendare, prudenter dirigere, ac modis omnibus promovere in salutem.

Hæc ipsa præstitit in primis Dominus Jesus Scripturas Divinas sæpe adducens, explicans: identidem earum authoritatem, virtutes, lectionem, scrutationemque commendans; nec non ignorationem, neglectum, abusum, pravasque interpretationes redarguens, atque adversus has præmuniens; ac tandem sensum intelligendi Scripturas, Discipulis aperiens. Quæ omnia exhibentur in *Evangeliis*.

Christum Dominum in hac parte egregie secuti sunt Apostoli aliique primitivi Discipuli, ut ipsorum *Acta* & *Epistolæ* satis declarant. Cir-

Circa directionem studii sacri consule *Hebr.* V. 11—14. *Origen. Hom.* 27. *in Num. cap.* 23. S. *August. de Doctr. Christ. Lib.* 2. *cap.* 9. &c.

Laudari hic etiam possent Doctores & methodus celebris Scholæ Alexandrinæ a B. Marco, ut ajunt, institutæ: ac speciatim zelus & labores Origenis, Protogenis, Pamphyli, Hieronymi; nec non Chrysostomi, Gregorii Magni aliorumque Patrum diligentia & cura.

Synodus Generalis VII. Clerico, qui cum consensu Episcopi in Oratorio Principis ministraret, interdicit omnem curam secularem; mandatque, ut *potius offerat se ad docendos pueros & famulos, relegens eis Divinas Scripturas,* AD HOC *enim* ETIAM, inquit Synodus, SACERDOTIUM SORTITUS EST. *Can.* 10.

Synodus Trid. præcipit Lectiones S. Scripturæ & liberalium artium institui: *ne*, inquit, *cælestis ille Sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat. Sess. V. cap.* 1. *de Refor.*

Vide supra *cap. II. Th.* VII. & VIII.

THESIS VIII.

Ipsorum item est, qua legatorum ac præconum Dei & Christi, verba illa ac mandata vitæ æternæ ubique, publice ac per domos annuntiare, insinuare, interpretari, inculcare, propugnare omni modo, omni occasione & via; atque ita negotium agere reconciliationis humanæ, propagare Sacerdotale Regnum J. C.

II. *Paralip.* XVII. 9. II. *Esd.* VIII. 8. 9. *Luc.* IV. 19. *Act.* VIII. 29—35. *ibid.* XX. 29. XXVIII. 23. 31. II. *Cor.* V. 10. *Ephes.* III. 2—5. *Colos.* I. 22—29. I. *Thess.* II. 11—13. II. *Tim.* IV. 2. 5. I. *Petr.* II. 9. *Apoc.* I. 9. 11.

Congruunt huic loco quæ de S. Quadrato aliisque discipulis Apostolorum narrat *Euseb. Hist. Eccl. Lib.* 3. *cap.* 37. *Relicta patria peregre proficiscentes munus obibant Evangelistarum, iis qui fidei sermonem nondum audivissent, Christum prædicare & Sacrorum Evangeliorum libros tradere ambitiose satagentes.* Ita *Euseb.*

Item quæ de se ipso testatur S. *Justinus Martyr dial. cum Tripb. pag.* 284. B.

Queis addi possunt varia ex annot. *ad Th.* VII. præced. cum *Cap. II. Th.* IX. & XI.

Minorita Italus Missioni Tartariæ incumbens, in illam linguam converterat totum Novum Testamentum & Psalterium. Vide *Annales Wadingi ad An.* 1305. apud *Fleury Lib.* 90. *n.* 46.

In omni Sacerdotali convivio lectio Divinarum Scripturarum misceatur. Dist. 44. *Can. Pro reverentia*: concordat *Conc. Trid. Sess.* 2.

Episcopi & Abbates pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & Lectio Divina ibi personet. Conc. Remense 2. *Can.* 17. *An.* 813.

THESIS IX.

Monstri simile sit, ipsaque infelicitas & pernicies, velle in Ecclesia Sancta Dei, munus Pastoris, Doctoris, Ecclesiastæ, vel etiam Presbyteri obire, & non esse S. Litterarum apprime studiosum ac peritum.

Pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem. Exod. XXVIII. 30. confer cum II. *Tim.* III. 16. 17. II. *Paralip.* XXXI. 4. *Isai.* LVI. 10. *Jerem.* II. 8. *Ezech.* III. 1. *concordat Apoc.* X. 10. 11. *Osee* IV. 6. *Malach.* II. 7. *Matt.* XIII. 52. XV. 9. 14. XXII. 29. 31. *Luc.* X. 26. XI. 52. *Act.* VII. 1. 54. *ibid.* VIII. 35. I. *Tim.* VI. 6. 7. 13. *Tit.* 1. *Pontific. Rom. Ordin. Lectoris* &c. supra hoc *Cap Th.* I. VII. VIII.

Si Sacerdos est, sciat Legem Domini; si Legem Domini ignorat, convincit se non esse Domini Sacerdotem. Hieron. in Cap. 2. *Aggæi.* Vide eundem *Epist.* ad *Nepotian.* Item ad *Rustic. sciant Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones meditentur. Conc. Tolet. IV.* C. 24. Vide *Synodi VII. Can.* 2. ubi scite dicitur ex vulgato *Dionysio*:

Nostræ enim Hierarchiæ SUBSTANTIA *sunt eloquia divinitus tradita, divinarum scilicet Scripturarum vera scientia.*

Adde S. *Agobardi, de jure & privilegio Sacerdotum.* Item *Epist. ad Canonicos Lugdun.*


Vide Pontifi. Rom. in Ordinat. Presb. ubi precatur Episcopus, *ut in lege Dei die ac nocte* medi-

meditantes, *quod legerint credant*; *quod crediderint doceant*; *quod docuerint imitentur*. Collect. *Deus Sanctificationum*.

Secundum Innoc. III. in Conc. Lateran. Episcopus examinandus est: *Si litteratus*, *si in Lege Domini instructus*, *si in Scripturarum sensibus cautus*, *si in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus*. *Can. Qui Episcopus Dist.* 23.

Qua autem cura in Scripturis instirui debeant Clerici vide in *Conc. Mediol.* 1. *part.* 11. *An.* 1565. §. *Qui Libri a Clericis* &c. Item in *Quaest. D. Bonaventurae in Regulam S. Francisci Quaest.* 8. *Quare Fratres incumbant studiis Sacris*.

Qua porro ratione Biblia S. fit Liber SACERDOTALIS, qui concionatori debeat esse instar omnium, vide Antonium de Balinghem, *Praeparat. ad locos communes in S. Scriptur. Cap.* 4. &c. *Partis prioris*, ubi hoc argumentum eximie tractatur, & fuse.



CAPUT QUINTUM.

De speciali jure Principis & potestatis secularis circa Scripturas Sacras.

THESIS I.

Principem ejusque ministros exemplar Codicis Sacri accipere decet a Sacerdotibus.

Deut. XVII. 18. 19. II. *Paralip.* XXIII. 11. In Caroli V. Austriaci Baptismo: *Bis septem Archimandritae mitrati septimo loco sacra munera*, *vetus novumque Testamentum comprehendentia illi offerebant*, *in quibus hoc fuerat inscriptum septisyllabum*: SCRUTAMINI SCRIPTURAS. *Guil. Zenocarus in Vita Caroli* V.

Eximium est quod refertur ad *An.* 260. de S. *Marino Mart.* viro nobili, apud *Euseb. Lib.* 7. *Hist. Cap.* 14. Colitur Martii 3.

THESIS II.

Oportet eum speciali studio concurrere ad Scripturarum custodiam, venerationem, authoritatem, honorem.

Josue XXIV. 26. IV. *Reg.* XXII. a vs. 10. usque ad vs. 25. *Cap. seq.* I. *Paral.* XVI. notanda quid Arca contineat. Usui esse hic possunt quae hanc in rem referuntur de Rege Ptolomaeo Philad. in Vulgata *hist. versionis* LXX.

Item quae de Constant. Magno a *Cedreno in Constantini An.* 21.

Quaeque de Zenone Imperatore ad An. 485. *in Vita S. Barnabae Ap.* ab Alexandro Monacho conscripta. Et quae de Theodosio juniore a *Socrat. Hist. Lib.* 7. *Cap.* 22. a *Niceph. Lib.* 14. *Hist. Cap.* 3. Plura hujuscemodi collige supra ad *Cap.* II. *Th.* II. c.

THESIS III.

Item ad editiones & versiones earum.

Deut. XVII. 18. & apud *Lamy Appar. Bibl. Lib.* 2. *Cap.* 2.

Euseb. praep. Evang. Lib. 8. *Cap.* 1. de translatione LXX. quo nempe consilio Deus illam generi humano providerit, inspirando Regi istiusmodi mentem &c. Constantini Imper. in hac parte diligentiam & liberalitatem declarat quaedam ipsius epistola ad Eusebium Caesar. Episc. apud *Euseb. de vita Constant. M. L.* 4. *C.* 36. *Apud Socrat. Hist. Lib.* 1. *Cap.* 6. & *Theodoret. Hist. L.* 1. *C.* 16.

De Theodosio juniore legitur: *Libros etiam tum qui Sacra Dei eloquia complectebantur*, *tum qui ab earum interpretibus conscripti erant multo diligentius quam Ptolomaeus Philadelphus olim in unum colligendos curavit*. *Socrat. Hist. Lib.* 7. *Cap.* 22.

Multa & praeclara de religiosa hac & vere regali cura occurrunt testimonia atque specimina

mina in *Annalibus Eccl. Prolegom. Biblicis* ac speciatim *in Bibliotheca Sacra* Patris *Jacobi de Long.*

Eodemque spectant diplomata Principum, quibus certas editiones aut versiones sacras peculiarius commendant aut sanciunt.

THESIS IV.

Concurrere etiam ad earum publicationem ac fructum, ordinando, quoad ejus fieri potest, prælectiones sacras cum expositione in Parochiis, in Academiis, in Ludis litterariis, in Missionibus Evangelicis.

Josue VIII. 30—35. II. *Paralip.* XVII. 7-9. XXXIV. 30. & seq. *Baruch.* 1. 3. 4. 14. I. *Esdr* VII. 16. 25.

Ad hanc Thesin referenda sunt ordinationes & statuta auctoritate seculari condita vel confirmata circa prædicationem verbi Dei & catecheses in Parochiis; circa Lectiones Scripturisticas in Academiis aut magnis civitatibus; vel in Scholis litterariis, & elementariis. Item circa immunitates, tutelam, stipendia Pastorum, Interpretum, Professorum, Missionariorum &c. Vide infra ad *Th.* VII. *hoc Cap.*

Huc facere possunt quæ leguntur in *Actis Gregorii Armen. Episc. apud Sym. Metaphrasten Sept.* 30.

Quæque de Constantino M. deprædicat *Euseb. de Laud. Constant.* sub finem.

Conc. Cabilonense II. *An.* 813. innuvans Caroli Magni decretum: *Oportet*, inquit, *etiam ut sicut Dominus Imperator præcepit, Episcopi Scholas constituant in quibus & litteraria solertia disciplinæ, & Sacræ Scripturæ documenta discantur.* Can. 3. *An.* 8au. Ludovici Pii Imperatoris, Caroli M. filii studio atque imperii tempore actum est; *ut cunctus populus suæ ditioni subditus Theudisca loquens lingua Divinæ Lectionis notitiam acceperit.* Lib. 9. *Catalog. testium verit.*

Conc. Tullense I. *apud Saponarias An.* 859. *Statuimus*, inquit *ut Scholæ Sanctarum Scripturarum & humanæ quoque litteraturæ, unde annis præcedentibus per religiosorum Imperatorum studium magna illuminatio Ecclesiæ & eruditionis utilitas processit: deprecandi sunt Principes nostri, & omnes fratres & Coepiscopi nostri instantissime commonendi; ut ubicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id est fideliter & veraciter intelligentes donare dignatur; constituantur undique Scholæ publicæ: scilicet ut utriusque eruditionis, & divinæ scilicet & humanæ in Ecclesia Dei fructus valeat accrescere; quia, quod nimis dolendum est & perniciosum maxime, divinæ Scripturæ vera & fidelis intelligentia jam ita dilabitur; ut vix ejus extrema vestigia reperiantur; & idcirco ingenti cura & studio remedium procurandum est.* Can. 10.

Supremus Senatus Parisiensis ordinem sanciens administrandi certum Collegium die 27. Junii 1703. ita tulit: *Nullum unquam diem prætermittant Discipuli, quin memoriter edificant unam alteramve sententiam S. Scripturæ, secundum spiritum Statutorum Facultatis Artium, & usum quorundam Collegiorum Universitatis.*

Extat in *Statutis Facultatis Art. Paris.* S. Stephanus I. Hungariæ Rex quo zelo fuerit in negotio propagationis Evangelii, vide apud *Fleury ad An.* 1000. N. 8. vel in *ejus vita Septem.* 2.

Politique de l'Ecriture Lib. VII. *Art.* III. *Prop.* 14.

THESIS V.

Tantundem facere per multiplicationem Sacrorum exemplarium, eorumque gratuitam distributionem opus est regali munificentia ac pietate dignissimum.

Sic AMBROSIUS Confessor Origenem impellere non desinebat ad laborem, eique scribas, chartas, aliaque ad Codicum S. Scripturæ correctionem & multiplicationem necessaria liberali animo suppeditabat. Vide *vitam Ambrosii* 17. Martii.

S. PAMPHILUS Martyr *Scripturas Sanctas non ad legendum tantum, sed & ad habendum tribuebat promptissime, nec solum viris sed & feminis, quas vidisset lectioni deditas: unde & multos Codices præparabat, ut cum necessitas poposcisset, volentibus largiretur.* Ita testatur S. *Hieron. Lib.* 1. *contra Ruffin.* Ejus memoria celebratur Junii 1.

Horum excellentissimam liberalitatem æmulati dein fuerunt non pauci in primis viri

Principes ac Reges. Ut V. G.

CONSTANTINUS M. de quo memorat *Euseb. Cæs.* tale elogium: *Persecutores mandare, ut Libri Divinitus inspirati in ignem injecti penitus delerentur; hic ut iidem ex Ærario Regio & ornarentur magnifice, & numero augerentur decernere.* De *vita Constant. Lib.* 3. *cap.* 1.

S. LUDOVICUS IX. Rex Francorum. Vide ejus vitam Augusti 25.

Hispaniarum Protex Cardinalis XIMENIUS Anno 1517. suis sumptibus edi jussit Biblia Complutentia ac Novum Testamentum, quæ constitisse memorantur aureis plusquam quinquaginta mille. Apud *Le Long Biblioth. Sacræ cap.* 1. *Bibl. Polygl.*

FERDINANDUS IMPERATOR, cujus jussu & liberalitate An. 1555. Viennæ in Austria facta & distributa est Novi Testamenti versio Syra. *Ibid. cap.* 2. *Biblia Syriaca.*

FERDINANDUS MEDICÆUS Magnus Etruriæ Dux, antea Cardinalis: *Evangeliorum Arabico— Latinorum tria millia exemplaria excudi jussit, ut in Orientem mitterentur*, teste *Joan. Bap. Raymundo in Epist. dedic. ad Paulum V. præfixa Grammatice Arabicæ* e Typogr. Medicæa An. 1610.

PHILIPPUS II. Hispan. Rex quid præstiterit hac in parte, circa *Biblia Polygl. Antverpiensia*, immensum illud ac vere Regium opus, nimis notum est. Ornatissimum est Gregorii XIII. quod huic operi præmittitur Breve. Vide *Le Long ibid.*

GUIDO MICHAEL LE JAY, licet vir privatus animo tamen excelso & plane regio, propriis sumptibus Biblia Heptaglotta Parisiensia edidit, An. 1645. Vide *Le Long. ibid.*

PHILIPPUS III. Rex Hisp. eo nomine etiam laudatur apud Le Long *cap.* 1. *Bibl. Polig. tentata.*

LUDOVICUS XIV. Gall. Rex, circa An. 1685. multa millia exemplarium Novi Testamenti suis impensis imprimi mandavit, ac gratis distribui Neophytis. Res est celebris. Vide *Dupin Dissert. sur la Bible Liv.* 1. *Chap.* 9.

Nescio an addere juvet quod in hac parte etiam laudetur GUSTAVUS ADOLPHUS Sueciæ Rex, a *Cherubino a S. Joseph Biblioth. Crit. Tom.* 1. *pag.* 60. Vide item *Le Long. cap.* 10. *Bibl. Suecicâ.*

Eodem jure ad æmulationem proponi posset, quod in hoc genere egisse nuper PETRUM Magnum Ducem Russorum publica fama relatum est.

THESIS VI.

Singulari titulo tenetur Princeps, uti & Magistratus civilis, Sacra Volumina jugiter volvere ac pie meditari.

Deut. XVII. 18. 19. *Josue* I. 8. cum *Ariæ Montani Comment. præcl.* II. *Paralip.* XXIII. 11. *Psal.* CXXXI. 12. 13. *Prov.* I. 5. VIII. 14. & seq. *Ecclesiastes* XII. 9. *Sap.* VI. 2. 10. 22.

S. *Theonas Episc. Alex. Epist. ad Lucianum . . . Spicilig. Tom.* XII. *pag.* 550.

S. *Paulin. Nol. Epist.* 16. *ad Jovium.*

S. *Nilus Epist.* 204. *ad Numenium Primatem* nunc *Lib.* 2. *Epist.* 198.

Paulinus Episc. Aquileensis, *de Salut. Docum.* ad *quemdam Comitem*, *cap.* 9. in Append. Tom. VI. *Oper. S. August.*

Capitularium Caroli M. An. 789. *cap.* 78. *Lib.* 1. apud *Baluz.*

Joannis *Pici Mirandulani Epist.* ad Franciscum nepotem & successorem, circa finem. Locus est præcl.

Exempla Principum, qui in hoc studio eminuerunt, occurrunt quam plurima. Sint V.G.

JOSUE.

DAVID in *Psal.* CXVIII.

SALOMON in *Prov.*

JOSAPHAT II. *Paralip.* XVII.

EZECHIAS II. *Paralip.* XXXI. 20. 21.

JOSIAS IV. *Reg.* XXII.

JONATHAS I. *Mach.* XII.

CONSTANTINUS M. *Euseb.* in vita ipsius *Lib.* 2. *cap.* 8. & *Lib.* 4. *cap.* 17. Maii 21.

THEODOSIUS junior. *Niceph. Lib.* 14. *cap.* 3. & PULCHERIA *Sozom. Lib.* 9. *Hist. cap.* 3. *Socrat. Lib.* 7. *cap.* 22. Septemb. 8.

S. MARCELLINUS Comes. *S. August. Epist.* 190. ad *Optat.* n. 20. April. 6.

S. JACOBUS Aulicus Regis Persiæ, in ejus vita, Novem. 27.

B. PIPINUS Landensis Febr. 21.

S. BEGGA *Secul. II. Bened.* pag. 471.

CAROLUS MAGNUS Jan. 28. *Fleury* Liv. 46. n. 9.

CAROLUS CALVUS apud *Flodoardum Lib.*

Lib. 3. Hist. Remens. cap. 15.

S. MATHILDIS Regina Germ. Martii 14.

S. AUFRIDUS Comes Brabantiæ, *Mabill. sec. 6. part. 2.* pag. 86.

S. LEOPOLDUS Comes Austriæ, Novembr. 15.

S. LUDOVICUS IX. Rex Franciæ, Augusti 25.

S. ISABELLA ejus Soror, Augusti 31.

ALPHONSUS V. Rex Aragoniæ &c. toties legerat Biblia, ut ea ex magna parte memoriter teneret. V. Ant. *Panormitanum Lib. 2. de dictis & factis Alphonsi.* Idem inter Divinæ Scripturæ translatores numeratur a *Sixto Senen. Biblioth. Sanct. Lib. 4.*

ROBERTUS Rex Neapolitanus ita Sacris Litteris captus erat, ut aliquando religiose affirmarit se „ lubentius diademate quam S. „ Litteris cariturum fuisse „. Vide de *Balinghem in Præpar. ad Locos Communes, cap. 4.*

S. BIRGITTA Princeps Nericiæ. Octob. 8.

S. MARGARETA Scotiæ Regina. Junii 10.

LUDOVICUS DELPHINUS GALL. Ludovici XIV. F. de ejus institutione. Vide Epist. Bossueti n. 2. & Breve Innocentii XI. Exstant in *Politique de l'Ecriture S.* post Præf.

ELEONORA mater CAROLI VI. Imperatoris Augusti, in vita Eleonoræ. *Polit. de l'Ecriture Lib.* VII. *art.* III. *prop.* 12.

THESIS VII.

Tenetur quoque Sacrorum Librorum religionem, usumque legitimum diligenter curare, strenue vindicare.

Vide supra hoc *cap. Th.* II. & IV. II. *Paralip.* XXIX. 30. Item Justinianum Imp. in *Authenticis Collat. 9. tit.* 28. *Novel. Constit.* 146. cum Declarat. *Cujacii*.

Pseudographa & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra fidem Catholicam sunt, non legantur, sed comburantur ne in errorem per talia scripta populus mittatur; sed soli Canonici Libri & Catholici tractatus & Sanctorum Authorum dicta legantur & tradantur. Capital. Regum Franc. Lib. 1. cap. 78.

Joannes Gandavensis Dux Lancastriæ in Parlamento Angliæ sub Richardo II. pro tuendis Bibliis Anglicanis sic perorabat: *Nolumus fæx esse omnium hominum, quandoquidem aliæ Nationes Legem Dei .... sua lingua exaratam habent.* Circa An. 1390. apud *Cherub. a S. Joseph. Biblioth. S. crit. Tom. 4. pag.* 274.

Georgius, Dux Saxoniæ, Lutheri versionem Germanicam N. T. subditis suis publico Edicto interdixit: curans aliam fideliorem componi, quam speciali Præfatione commendavit. Vide *Cochlæum ad An.* 1527. *de Actis & Scriptis Lutheri.* An. 1553. Romæ, auditis Rabbinis Judæorum, qui ibi magno numero habitant, condemnatum est ipsorum THALMUD, ut sic ab *impiis & inanibus doctrinis averti & ad Sacras Litteras scrutandas deduci possent.* Habetur Decretum in fine *Directorii Inquis. cum comment. Pegnæ pag.* 154. videturque sic latum fuisse authoritate Politica.

Huc etiam pertinent quæ leguntur in formula Reform. Caroli V. sub tit. *Dies festi*, Item sub tit. *Ludi*; quæ formula probata fuit a Statibus Eccl. in Comitiis Augustanis; nec non a Synodo Cameracensi. An. 1550.

Item quæ authoritate Philippi II. gesta sunt a Collegio Censorum Antverpiæ constituto An. 1571. ut in *Indice Expurgatorio*.

Eodem facit Edictum perpetuum Caroli V. datum 25. Septemb. 1550. in *Edictis Flandriæ*, aliaque hujuscemodi.

Adde tandem, si quæ sunt, Leges aut Constitutiones civiles adversus profanatores Librorum Sanctorum. Cum *Corollario* 12. infra.

THESIS VIII.

Origines & fundamenta juris (*a*) sive Canonici sive Civilis, sive publici sive privati, sicut & Judicis officia (*b*) nusquam felicius aut solidius quam in Scripturis divinis constituuntur, indeque in primis eruenda sunt.

(*a*) *Psal.* LXXI. quo exhibetur imago regni felicissimi. CXVIII. 100. Alia testimonia sacra vide hoc *cap. Th.* IV. supra *cap. III. Th.* IX. Locum *Constitut. Apost. Lib.* 1. *cap.* 6. Item *Euseb. Præp. Evang. Lib. XI. cap.* 4. 5. 7. S. *August. Epist. ad Volus.* 137. al 3. n. 17.

; Sacras Litteras Profanis antiquiores esse ac potiores, passim commonstrant Patres V. G. *Tertul. Apolog. cap.* 45. S. *Justin.* fuse *cohort. ad Graec. Euseb. Caes.de praep. Evang. Lib.* 4. *&* 5. *de demonst. Evang.Lib.*5.*S.Chrysost. Hom.* 2.*in cap.* 1. *Joan. Theodoret. Serm.* 9. S. *August. Epist.* 108. *ad Dioscor. Oportet igitur*, inquit *Theophilus Antiochenus*, *nos magis Discipulos esse Legislationis Divinae*, *quemadmodum etiam Plato confitetur*, *dicens: non exacte posse disci*, *nisi Deus docuerit per Legem. Lib.* 2. *ad Autolyc. Tom. I. Biblioth. Gr. Patr.*

Hinc *Raguelli Leges Politicae ex S. Scripturis collectae* & ad formam Digestorum seu Pandectarum Juris Civilis redactae.

Les Loix Civiles dans leurs 'ordre naturel. Traitè des Loix Politiques tirées de l'Ecriture S. par Bossuet L. 1. *Discours sur l'Hist. univ.* addi quidam velint *Grotium de jure Belli & Pacis.* Item *Seldeni de jure naturali & gentium juxta Disciplinam Hebraeorum.*

(*b*) *Psal.* LXXXI.

Memorabile est quod olim sancitum est per Imp. Justin. nempe: *Omnes omnino judices*... *non aliter litium primordium accipere*, *nisi prius ante Sedem judicialem Sacrosanctae deponantur Scripturae*, *& hae permaneant non solum in principio litis*, *sed etiam in omnibus cognitionibus usque ad ipsum terminum & definitivae sententiae recitationem. Sic etenim attendentes ad Sacrosanctas Scripturas & Dei praesentia consecrati*, *ex majore praesidio lites diriment*, *scituri quod non magis alios judicant*, *quam ipsi judicantur*, *cum etiam ipsis magis quam partibus terribile judicium est*: *siquidem litigatores sub hominibus*, *ipsi autem Deo inspectore adhibito causas proferunt trutinandas.* L. *rem non novam* 14. C. *De judiciis.*



CAPUT SEXTUM.

De jure Plebis circa S. Biblia.

THESIS I.

Habet populus jus non contemnendum, ut Scripturis Divinis tanquam Dei dono inenarrabili gaudeat; utaturque ad salutem suam aeternam, quae ibi offertur omni creaturae quae sub caelo est.

Evidenter consequitur ex *cap.* I. *Th.* I. IV. V. VI. IX. amplius vero manifestatur per totum *cap.* II. & confirmatur per *Th.* I. IV. V. VII. *Capitis III.* adde *Apoc.* XXII. 10.

Oportet... *in Ecclesiae sinu educari*, *& Dominicis Scripturis enutriri. Iren. adv. haeres. Lib.* 5. *cap.* 20.

Theodoretus in haec verba: *Adjuro vos per Dominum*, *ut legatur Epistola haec omnibus sanctis fratribus*. I. *Thess.* V.

Adjecit, inquit *jus jurandum*, *quae ex lectione oritur omnibus salutem procurans. Cunctis*, *ait Rupertus*, *populis proposita sunt Scripturae & palam omni mundo loquuntur de salute omnium gentium. Rupertus Abb. Lib.* 4. *de Spiritu S. Tom.* 1. *pag.* 641. *col.* 2.

THESIS II.

A Scripturarum disciplina & lectione nemo sua conditione excluditur, non magis certe quam a salute in C. J.

Luculenter hoc patet ex *Marc.* XVI. 15. 16. *Luc.* XXIV. 44—48. *Joan.* I. 9. *Act.* X. 34. *Tim.* II. 7. *Coloss.* III. 11. 16. 18—22. *Tit.* II. 10—12.

Accommoda ad illustrandum, Parab. Evang. de invitatis ad coenam *Luc.* XIV. 16. &c. Vide porro supra *cap.* I. *Th.* I. IV. V. VI. *cap.* 2. *Th.* III. & seq. *cap.* 3. *Th.* III. IV. VIII. *cap.* IV. *Th.* VIII. X.

THE-

T H E S I S . III.

Populus fidelis tenetur venire ad earum lectionem & explicationem (*a*) in Parochiis ordinatam easdemque oporteret domi prælibare, revolvere, ruminare (*b*).

(*a*) Fundatur hæc obligatio in antepositis *cap.* II. per totum. *cap.* III. *Th.* III. IV. V. VI. *cap.* IV. *Th.* VI. & *cap.* V. *Th.* IV.

Accedant *Luc.* II. 46. IV. 16. *Joan.* VIII. 47. X. 3. *Act.* II. 42. VIII. 31. XIV. 22. XX. 7. 28. *Rom.* X. 14. 17. I. *Cor.* XI. 20. 22. coll. cum *cap.* XIV. 26—40. *Hebr.* X. 25. XIII. 17. I. *Pet.* V. 2. 5. *Tit.* I. 5. *Apoc.* I. 11. *ib.* II. III. Quam gravis hæc obligatio censeretur in primitiva Ecclesia, colligitur speciatim ex Actis Martyrum V. G. S. *Saturnini & sociorum*, *Febr.* 11. *in collecta fui*, inquiebat Victoria, *& Dominicum cum Fratribus celebravi*, *quia Christiana sum.*

Intermitti Dominicum non potest, (ait Saturninus Pbr.) *Lex sic jubet*. *Collectam*, inquit Felix, *gloriosissime celebravimus*, *ad Scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper*. *Acta Sinc. pag.* 385. & seq. V. *ibid. pag.* 325. de *Mar. Palest.* quanta sint passi, *qui ad urbem Gazam capti fuerant*, *dum ad audiendas S. Scripturæ lectiones convenirent.*

Vide *Apolog. S. Justini* ubi describit conventus fidelium, qui die Solis in urbibus item in pagis habebantur.

NB. S. *August. in Prolog. de Doctrina Christ. N.* 5.

Immo vero quod & per hominem discendum est, sine superbia discat: ... neque tentemus eum, cui credimus, ne inimici versutiis ... decepti, ad ipsum quoque audiendum Evangelium atque discendum nolimus ire in Ecclesias, aut Codicem legere, aut legentem prædicantemque hominem audire, & expectemus rapi usque in tertium cælum ... & ibi audire ineffabilia ... aut ibi videre Dominum, & ab illo potius, quam ab hominibus audire Evangelium.

Omnes fideles, *qui conveniunt in solemnitatibus Sacris ad Ecclesiam*, *& Scripturas Apostolorum & Evangelium audiant*. *Can.* 62. *dist.* 1. *L. de consecr.* V. *ibid.* C. 24.

Moneat Episcopus populum diligenter, *teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse*, *ubi commode id fieri potest*, *ad audiendum verbum Dei*. Confer hæc verba cum præcedentibus *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 4. *de Refor.* & cum aliis quæ excerpsimus, ad *cap.* 4. *Th.* VI. Consule item S. *Caroli* de hac oblig. Decreta in *Conc.* suo *Prov.* VI. *pag.* 245.

(*b*) *Act.* XVII. 11. S. *Cyrill. Hieros. Catech.* 13. N. 3. S. *Crysost. Hom.* 10. & 31. *in Joan.* S. *August. Serm.* 56. & 57. *de Temp.* item 38. de *Sanctis*. S. *Cæsar. Arel. Serm.* 141. in Append. Tom. V. Oper. S. August.

T H E S I S IV.

Patres familias similesque superiores tenentur suos domi (quoad fieri potest) ex Scripturis S. docere & instruere, eas prælegendo, explicando, curando ut legant, ediscant, audiant, diligenter ac religiose.

Gen. XVIII. 19. *Exod.* XIII. 14. *Deut.* VI. 7. 9. 20—25. XI. 19—21. *Tob.* I. 8. 10. *ibid.* VI. 6. XIII. XIV. 5—11. *Psalm.* LXXVII. 3—8. *Psal.* C. expende *Proverb.* 7. prima *Cap.* præsertim *cap.* IV. *Eccli.* in Prologo. *XLVII.* 15. *Dan.* *XIII.* 3. *Rom.* *II.* 20. I. *Cor.* *XIV.* 35. *Ephes.* *V.* 18—20. *Col.* III. 16. II. *Tim.* *I.* 5. III. 15.

Vide *Fleury Mœurs des Chrêt.* §. 6. *Flavius Joseph. Antiq. Lib.* 4. *cap. ult.* *Philo Lib.* 1. *de judæorum ab Ægypto egressu*, *apud Euseb. Præpar. Evang. Lib.* 8. *cap.* 7. & hic infra *cap.* III. *Th.* I.

Tertull. Lib. 2. *ad uxor. cap.* 6. *& ult.* *Author Constitut. Apostol.* ita monet: *At vos Patres*, *filios vestros erudite in Domino*, *educate in disciplina & institutione Domini*, *& docete artes idoneas ac verbo Dei congruentes ... quare filios vestros edocete verbum Domini .... ab infantia docete eos Sacras Litteras seu vestras ac Divinas*, *& omnem Divinam Scripturam tradite*. *Lib.* 4. *cap.* 11. *edit. Cotel.*

Ad similem puerorum institutionem faciunt eximiæ cohortationes SS. Patrum V. G. S. *Basilii in Regul. fusius disp. Quæst. XV.* S. *Crysost. in Joan. Hom.* 2. *in Epist. ad Cor. Hom.* 39. *in Epist. ad Ephes. Hom.* 21. alias 20. Locus excellens. *Ibid. in I. Thess. Hom.* 7. *Serm.* 3. *de Lazar.* S. *Hieron. Epist.* 57. *ad Lætam.* 98. *ad Gaudentium*, *& aliis* pluribus. S. *Cæsar. Serm.* 303. in Append. S. *August. Tom.* 5. *Conc*

Aqui-

Aquisgr. An. 816. *apud Labb.Tom.7.pag.*1410.

In hanc rem colligi possent & exempla quæ in Historia Ecclesiastica aut in vitis SS. occurrunt frequentissima. V. G. de institutione Origenis apud *Euseb. Histor. Lib.* 6. *cap.* 2. vel in *vita S. Leonidis Mart.* Aprilis 22.

S. Nonna mater Gregorii Nazian. manus nati *contactu Librorum Divinorum* illico *lustrabat* seu consectabat. In eorum lectione & studio adolesceus se egregie exercuit; & vir factus optasset ut nullus alius liber exstaret. Vide viri *vitam* Maij 9.

De S. Macrina & tota familia Basilii magni, vide vitas Maij 30. Junii 14. Novemb. 22.

De Eusebio Emiseno apud *Sozom. Hist. Lib.* 3. *cap.* 5.

Hæc ratio erudiendi pueros tempore Juliani Apostatæ apud Christianos erat communissima, imo unica, postquam persecutor ille eos liberales artes docere ac discere vetuerat, quam & defendit S. Cyrillus Alex. adversus ejusdem Juliani calumnias *Lib.* 7. *in Julian.*

Ad generalem hujusmodi domesticorum curam pertinent testimonia sequentia: *Non oportebat ab Ecclesiastico cœtu discedentes in ea vos negotia conjicere ... sed domum profectos Biblia in manus sumere, & conjugem liberosque ad eorum quæ dicta sunt, communionem vocare.* S. *Chrysost. Hom.* 5. *in Matt.*

Lectiones Divinas illo studio legere & audire debetis, ut de ipsis in domibus vestris & alibi ubicumque fueritis etiam loqui & alios docere possitis S. *August. Serm.* 56. *de Temp. V. & Serm. seq. cum* 38. *de Sanctis.*

Hinc idem S. Doctor Patribus familias quoad suam domum officium *quodammodo Episcopale* assignat in *Joan. tract.* 51. n. 13. connexio utriusque muneris insinuatur *Tit.* I. 5. Vide S. *August. in Psal.* 50. n. 24. *S. Chrysost. Hom.* 5. *in* 2. *Thess.*

THESIS V.

Ad Legis Divinæ assiduam meditationem (*a*) Laici, & quidem omnes, valde arcte obligantur jure Divino & naturali.

(*a*) Sequitur ex supra positis *cap.* II. *Th. II. I. ibid. Th.* X. *& XIV.* Item *cap. III. Th. VIII.* b.

Eadem obligatio indicatur secundum communem PP. sententiam *Levit. XI.* 3. &c. ubi vetatur esus animalium *non ruminantium*, utpote impurorum. Item *Num. XV.* 38. & seq. ubi commendantur *Philacteria*, tanquam monimenta Legis, adjunge *Deut. VI.* fere per totum, *Jos. I.* 8. *Job. XXIII.* 12. *Psal. I.* 2. *XVIII.* 11. 15. *XXXVI.* 30. 31. *XXXVIII.* 4. *LXXVI.* 7. 13. *CXVIII.* passim. *Eccli. VI.* 37. *IX.* 23. *XIV.* 22—25. *Luc. II.* 19. 51. *XIV.* 26—33. *Joan.* V. 39. *Coloss. III.* 16. *Jac. I.* 21—25.

Exemplar Domini J. pernoctantis solitarie in oratione Dei, junge cum *Psal. XXXIX.* 8. *Joan. IV.* 34. *VIII.* 29. XV. 10.

Sic studio, actibus, mente, sollicitudine verbo Dei operam demus, & in lege ejus die ac nocte meditemur, omissis omnibus Deo vacemus, exerceamur in testimoniis ejus; hoc est conversum esse ad Dominum. Origen. in Exod. XXXIV. *Hom.* 12. Vid. eund. *in Epist. ad Rom. cap.* XII. *Lib.* 9. in *Levit.* XI. *Homil.* 9.

De studio & meditatione Sacra *Terapeutharum* apud Alexandriam, consule *Euseb. Hist. Lib.* 2. *cap.* 16. 17. S. *Basil. ad Eleutheram Epist.* 285. Adde S. *Ambr. in Psal.* XXXVI. item *in Psal.* CXVIII. 92. *Epist. ad Celantiam in Oper. S. Paulini Nol.*

S. *Crysost. in Joan. Hom.* 31. *in Epist. ad Coloss. Hom.* 9. *Serm. de Pseudoprophetis in Oper. S. Chrysost.* Commendatur S. meditatio a similitudine usus speculi *Jac.* 1. S. *August. in Psal.* CIII. *Serm.* 1. n. 4. *S. Gregorius in Job. Lib.* 2. *cap.* 1. S. *Leo Serm.* XI. *de Quadrag. cap.* 4.

Quoniam psallentes Deo repromittimus, in justificationibus tuis meditabor, non obliviscar eloquiorum tuorum, omnes quidem Christianos hoc servare saluberrimum est. Synod. VII. *Can.* 2. *Si quis non vescitur verbo Dei iste non vivit. Beda Lib.* 1. *in Luc. III.*

Viderint ergo etiam Laici, ne apud districtum judicem censeantur oculos a proposito seu statuto declinare in terram, dum pro temporalium facultatum & honorum quæstu ... profanis quam Sacris Scripturis plus intendant: non, inquam, video quomodo Deum salutaris ejusdem Scripturæ inspiratorem super omnia diligant. Ita *Adrianus* VI. apud *Espensæum comment. in Tit. Cap.* 2. *pag.* 255.

Olim in nonnullis Ecclesiis habebatur Bibliotheca Sacra in usum fidelium: quæ in Basilica Nolana habebat hanc epigraphen.

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas, hic poterit residens Sacris intendere

Libris

Libris. V.S. *Paulin. Epist.* 32. §. 16. *ed. Parif.* 1685.

Simile quid curasse memoratnt Cardinalis Lotharingus in sua Remensi Ecclesia post reditum a Conc. Trid. Vide *Hist. Remens. Metrop. L.* 4. C. 2.

Omnibus citra exceptionem clamat & prædicat Christus: Pœnitemini & credite Evangelio. Jam quis Evangelio credere poterit, nisi illud ante didicerit? Discere autem non potest, nisi assiduè legat, audiat, imo inquirat, hoc est, ut dixi, summa diligentia scrutetur, meditetur & ad illud tanquam ad regulam aliquam vitam & mores suos applicet. Verba sunt Gisberti Masii Episcopi Boscoducensis *in Synodo Anni* 1612. extat in *Opusculis Steyartii Tom. VI.*

THESIS VI.

Ad privatam Sacrarum Scripturarum lectionem, salva submissione erga directionem & interpretationem Ecclesiæ, jus per se habeat omnes.

Consequitur ex supra dictis *cap.* I. *Th.* I. III. IV. V. VI. IX. *cap.* II. *Th.* IV. VIII. X. XIV. *cap.* 3. *Th.* I. VIII. *cap.* 6. *Th.* I. II. V. adjice infra hoc *cap. Th.* VIII. IX. XI. & *Coroll.* 2. 3. 4. 11.

Speciatim autem *Psal.* XCIII. 12. *Apoc.* I. 3. cum expositione Bossueti. *On ne pouvoit rien dire de plus fort pour concilier l'attention & attacher le Chrétien à la lecture de ce livre, ou il trouvera en effet de sensibles consolations. Bossuet.* Item IV. *Esd.* XIV. 45.

S. *Iren. Lib.* 5. *cap.* 20. *Greg. Nazian. de moderan. disput. S. Basil. Reg. abbrev. Quæst.* 95. S. *Chrysost. Hom.* 37. *in Genesim. Hieron. in Psal.* 127. S. *Nili Lib.* 2. *Epist.* 27. S. *August. in Epist. Joan. tract.* 2. *Author Constitut. Apost. L.* 2. C. 5. *Fleury Hist. Tom.* 13. *Discours sur l'Histoire Eccles.* n. 24.

THESIS VII.

Sacræ Litteræ saluberrime ediscuntur memoriter (*a*); etiam a teneris (*b*).

[*a*] *Deut.* XXXI. 19—21. 30. *XXXII.* 1—43. *Psal. XXXIII.* 9. CXVIII. 11. *Prov.* VII. *Luc.* XI. 28. *Ezech.* III.

Nostis autem dilecti, & probe nostis, Sacras Scripturas, & penitus in divina introspexistis: illa igitur mente & memoria recolite. S. *Clem. Episc. Rom. Epist.* 1. *ad Corin. Regula* S. *Pachomii* mulieribus juxta ac viris monasticis præscripta sic præcipit.

Omnino nullus erit in Monasterio, qui non discat litteras, & de Scripturis aliquid teneat: qui minimum usque ad novum Testamentum & Psalterium. Num. CXL. *Omnia quæ leguntur de Scripturis Sanctis intente oportet audire; maxime autem memoriæ commendanda sunt quæ adversus hæreticos valent plurimum.* S. *August. tract.* 2. *in Epistolam Joan.*

Idem *de Doct. Chr. L.* 2. C. 9. V. S. *Chrysost. Hom.* 2. *in Matt.*

S. *Hieron. Ep.* 47. *ad Furiam.* Item 27. in Epith. Paulæ.

Cassian. Collat. XIV. *Cap.* 2. S. *Ferreoli Regul.* C. 11. 19.

Rusticola Divinas Scripturas integras memoria didicerat. Sanctimoniales enim hanc habebant exercitationem præcipuam, ut meditarentur jugiter Libros Sacros, & ex iis tantum memoriæ mandarent quantum vis illius facultatis capere poterat. Act. Benedict. Sec. VII. Tom. 2. *Augusti XI.*

(*b*) Vide supra hoc *Cap. Th.* IV, Item *Cap.* V. *Th.* IV. Attende speciatim ad methodum, qua S. Protogenes instituebat pueros apud *Theodoret. Hist. Lib.* 4. *Cap.* 16. nunc 18.

Item quam commendabat S. *Hieron.* in suis litteris V. G. *Epist.* 57. *ad Letam.* 86. *ad Eustoch.* 98. *ad Gaudent.* &c.

Cæsar. Arelat. Serm. 303. *in Appendice S. August. Tom.* 5.

Conc. Aquisgr. An. 816. *Tom.* 7. *Conc. Labb. pag.* 1410.

Congregatio Daventriensis apud *Thomam. a Kempis in vita Arnoldi Schoonhoven. N.* 3. *Exercitiis Joannis de Kessel Cap.* 14. & in *manuali juvenum.*

NB. Eandem methodum erudiendi pueros Christ. constanter fuisse observatam maxime in Monasteriis & Seminariis aliisque fere Scholis usque ad tempora Conc. Trid. sicut etiamnum perseverat in Ludis elementariis Catholicorum Germaniæ; atque in Gallis rursus feliciter cœpit instaurari: ut patet per *Decretum Rectoris* Academiæ Parisiensis dat. 27. Sept. 1694. & relatum inter *Statuta Facultatis Artium.* Uti & per *Mandatum Cantoris Ecclesiæ Metrop. B. M. Virginis* ibid. qua præfecti Ludorum Parisiensium: latum 7. Septemb. 1708. & præfixum libello: *Maximes tirées de l'Ecriture S. . . . pour être enseignées dans les Ecoles de la Ville, Fauxbourgs & Banlieue de Paris,*

Exem.

Exempla eorum, qui in hoc saluberrimo exercitio eminuerunt, conquiri possent innumera, ex quibus hæc pauca occurrunt.

ORIGENES apud Euseb. Hist. Lib. 6. Cap. 2. vel in vita S. Leonidis M. Aprilis 22.

S. ANTONIUS Abbas & quidam *Barbarus* V. S. *August. de Doct. Christ. in Prolog.*

S. HILARION Octobris 21.

S. PACHOMIUS Maii 14.

S. PUBLIA cum suo choro. *Theodoret. Hist. L.* 3. *C.* 18.

S. BARLAAM Novem. 19.

S. VALENS M. Act. MM. Palest. apud Ruinart p. 329.

S. JOANNES M. ibid. pag. 334. vel in vita S. Sylvani Maii 4.

DIDYMUS Alexandrinus Theodoret. Lib. 4. Cap. 27.

S. PAULA matrona Rom. Jan. 26.

MARCUS Eremita Sozom. Hist. Lib. 6. Cap. 20. Martii 5.

S. SERVULUS Mendicus, Decembris 23.

S. JACOBUS M. Novem. 27.

S. RUSTICOLA de qua supra Augusti 11.

S. AMANDUS Febr. 6.

S. GERTRUDIS Martii 17.

S. STEPHANUS Eremita Novemb. 28.

S. ATHANASIA Augusti 14.

S. MATHILDIS Reg. Germ. Mart. 14. Mr. Pascal. en sa vie.

THESIS VIII.

Tanto ardentius deberent Laici eas privatim legere vel audire, prudenter tamen & pie, quo negligentius publice prælegerentur aut annuntiarentur.

Fundatur in *Cap.* I. *Th.* V. VII. IX. & fere in omnibus *Thesibus Capitis* II. atque in *Cap.* III. *Th.* IV. V. VIII. Accedat *Prov.* XXIX. 18. *Isai.* VIII. 20. *Ezech.* VII. 26. *Amos* VIII. 11. *Epistola S. Barnabæ* n. 9.

Propter hoc ad nos quidem pertinet non tacere; ad vos autem, etiamsi taceamus de Scripturis Sanctis verba Pastoris audire. S. *August. Serm.* 46. *de Pastor. in Ezech.* XXXIV.

THESIS IX.

Præsertim autem ad eas confugere oporteret, caute scilicet & simpliciter (*a*), in die nubis & caliginis, in periculis erroris (*b*) aut seductionis (*c*).

(*a*) *Psal.* XXII. cum solida interpr. *Ezech.* XXXIV. 13. *Matt. X.* 16. *ibid.* XXIV. 15. II. *Thess.* II. 10. 14. II. *Petr.* III. 16. *Apoc.* I. 3. III. 10.

S. August. in Joan. tract. 18.

Nos plane quibus simplicitas columbina præcipitur, necesse est ad Sacrarum Scripturarum arborem confugere, si cruentam draconis inferi rabiem volumus evitare. S. *Petrus Damiani Lib.* 2. *Epist.* 18.

(*b*) *Prov.* XXIX. 18. II. *Petr.* III. 2. *Judæ* vs. 17. S. *Iren. adversus Hæres. Lib.* 5. *Cap.* 20. *Origen. Lib.* 10. *in Epist. ad Rom.* XVI. S. *Chrysost. in Matt. Hom.* 49. S. *August. in Epist. Joan. tract.* 2. n. 1. Idem *Lib. de Unit. Eccl. Cap.* XIX. n. 50.

(*c*) *Baruch.* I. 1. 14. II. *Machab.* II. 2. *Matt.* XXIV. 15. II. *Timoth.* III. per totum.

S. *Hieron. in Nahum Cap.* 3.

Author operis imperfecti in illud Matt. fugiant ad montes. *Serm.* 42. inter oper. S. Chrys.

THESIS X.

Tenentur Libros Sacros religiose venerari (*a*) & servare, etiam interdum cum periculo vitæ (*b*).

(*a*) Supra *Cap.* II. *Th.* II.

(*b*) I. *Machab.* I. 59. 60. *Marc.* VIII. 35. *Martyrol. Rom.* & *Vitæ SS.* Jan. 2. item Aprilis 1. *Act. sinc. Ruinartii pag.* 394. *Baron. ad An.* 304. n. 40. & seq. *Arnob. Lib.* 3. & 4.

S. *August. de Civ. Dei Lib.* 17. & 18.

Idem *breves Collat. Carth. in gestis diei* 3. *Cap.* 13. & 15.

Vide infra *Coroll.* 12.

THESIS XI.

Tantum abest, ut Laici a studio S. Litterarum, sincero illo & conveniente (*a*), excusandi sint prætextu ignorantiæ (*b*) vitiorum (*c*) paupertatis (*d*) negotiorum (*e*) obscuritatis earum (*f*) aut abusus, nimis communis (*g*): ut e contrario ex his titulis magis teneantur.

(*a*) Quale sit illud studium intelligi potest partim ex *Cap.* II. IV. & hoc VI. partim

ex

ex infra positis *Coroll.* 6-10.

(*b*) *Eccli.* LI. 31—33. infra *Coroll.* 2.

(*c*) S. *Chrysost. Hom. X. in Joan.* infra *Coroll.* 3.

(*d*) *Ibid.* & *Hom.* 2. *in Matt.*

(*e*) *Ibid.* & *Hom.* 31. *in Joan.*

(*f*) *Ibid.*

(*g*) I. *Machab.* III. 48. *Matt.* IV. 6. 7. *ibid.* XXII. 23—32.

Refutationem horum similiumque prætextuum invenire est eximie ornatum a S.*Chrysost. Hom.* 3.*de Lazar.* a S. *Cesar. Arel. Serm.* 303. in Append. S. *August.* aliisque PP. quos vide apud *Cherubinum a S. Joseph. Biblioth. Critica Sacra Tom.* 1. pag. 142. 144. & seq.

COROLLARIA.

1.

IGnoratio Scripturarum, ignoratio Christi est. [S. *Hieron.* Procem. in Isaiam apud Gratian. *Dist.* 38. C. 9.]

2.

Cum juxta testimonium veritatis, occasio sit errorum ignorantia Scripturarum, cunctis expedit illas legere vel audire. [Verba sunt *Gregorii IX. in Tom. Conc. Epist.* 2. *ad Germ. Archiep.*]

3.

Magna adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio; magna salutis perditio nihil scire ex Divinis Legibus: ea res & hæreses peperit, & vitam corruptam invexit; hoc sursum deorsum miscuit omnia. [Ita S. *Joan. Chrysost. Hom.* 3. *de Lazar.* Idem fere sensit S. Theresia apud *A. Lapide proœmio in Evang.* J. C.]

4.

Cum ... dicit, Apostolus, scripta sunt propter nos, procul dubio demonstrat quanta nobis cura legenda & intelligenda, & in quanta authoritate habenda sint ... Et utique impium est, ut non legamus nos quod scriptum est propter nos. [Excerpta hæc sunt ex S. *August. contra Faust. Lib. VI. Cap.* 2. & 9.]

5.

Ipsa sacra eloquia ad æternam damnationem sunt iis, qui illa vel scire nolunt, vel certe sciendo contemnunt. [Ita S. *Gregorius M. Lib.* 5. *Moral. Cap.* 8. *II. Thess. I.* 8.]

6.

In Scripturis S. quærenda sunt veritas, caritas & vita æterna, non inanis eloquentia. [*Eccli.* XXXII. 18. , 19. Vide *authorem de Imitatione Christi Lib.* 1. *Cap.* 5.]

7.

Legenda est Sacra Scriptura non ut sciamus aut sciamur, sed ut nosmetipsos in primis, & forte alios ædificemus. [vide ibid.]

8.

Eo utilius legetur, quo humilius, simplicius & fidelius in Christo. [Vide *ibid.* Ceterum præparationes & affectus animi quos requirit a Discipulo suo Verbum Dei mirifice exprimuntur in quadam precatione S. *August. Confess. Lib. XI. Cap.* 2.

NB. Nihil tamen æque valeat ad excitandum & disponendum cor nostrum, ut decet, erga Deificas Scripturas quam *Psalm.* CXVIII.]

9.

In rebus fidei & morum nemini licet interpretari Scripturam S. contra unanimem Patrum consensum. [Vide II. *Petr.* I. 20. S. *August. in Joan. tract.* 18. *Concil. Trid. Sess.* 4.]

10.

In istiusmodi autem controversiis acquiescen-

scendum est declarationi S. M. Ecclesiæ; quippe cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum. [Vide *Conc. Trid. ibid.* confer *Luc.* XXIV. 45. I. *Cor.* XII. 28. *Ephes.* IV. 11 — 14.]

11.

Dicere Biblia Sacra ab Ecclesia Catholica esse prohibita, est calumnia, seu blasphemia potius, inter omnes quæ Christi Sponsæ impingi possent, atrocissima. [Vide controversistas passim V. G. *Veronii Regulam fidei Cap.* 2. §. 6. *apud Walenburghicos.*)

12.

Sub obtentu ementitæ illius prohibitionis exemplaria Bibliorum aut Novi Testamenti in ignem projicere (sicut a quibusdam factitatum memoratur) sacrilegium foret, quod vindictam cælestem in publicum arcessat, nisi authoritate publica expietur. [*Isa.* V. 24. 25. *Jerem.* XXXVI. 23. 31. Jejunium Diei septimæ mensis noni ob hoc scelus apud judæos indictum, etiamnum servari asseritur. Vide *Bibl. Vitrè annat. in hunc locum*, Item *Menolog. Hebræorum apud. Genebr.*

Sacrilegæ profanationi Librorum Divinorum potissimum tribuitur Anthiochi mors tragica a *Fevardentia in præf. Lib. ad Sixtum* V.

Huc refer commotionem judæorum ortam ex simili facinore a quibusdam militibus perpetrato, apud *Joseph. de bello judaico Cap. XI.* & *Antiq. Lib. XX. Cap.6.*

Acta S. Felicis Episcopi & M. apud Ruinart pag. 355. & seq. Octobris 24.

Item miraculum quod accidit in Abitinensi civitate & Regione, de quo in Actis S. Saturnini, Dativi &c. *Acta Sincer. pag.* 382. & seq.

Cum punitione Traditorum, de quibus ibidem: & *Lupus Synod. General. part.* 2. *pag.* 989.] (*a*).

APPENDIX.

Antequam hæ theses prælo darentur, in lucem prodiit nova editio Indicis *Librorum prohibitorum Sanctissimi D. N. Benedicti XIV. Pontificis Maximi jussu* recogniti, in qua videre est ad Regulam IV. hujus Indicis, pagina 6. hoc pretiosum additamentum: *Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum annotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis Catholicisque viris, conceduntur.*

FINIS TOMI PRIMI

ET PARTIS PRIMÆ ET SECUNDÆ.

(*a*) Vide Theses S. Scripturæ, defensas sub præsidio SS. Lit. Professoris Antonii *Oehmbs*, Trevitis, 6. Sept. 1765.; in quarum fine *Defendens invitat Consodales suos ad studium Scripturæ* sermone quatuor paginas comprehenso, atque eadem Doctrina & methodo referto, ac hic Tractatus. Sic autem incipit; „ Scientiam quærimus & sa„ pientiam, Sodales Carissimi! *Melior est enim* „ *sapientia cunctis pretiosissimis*; *& omne desi-* „ *derabile ei non potest comparari*. (Prov. „ VIII. 11.) *per quam Reges regnant*, *& legum* „ *conditores justa decernunt* (Ib. v. 15.) cujus „ *melior est* . . . *fructus* . . . *auro*, *& lapide* „ *pretioso*, *& genimina* . . . *argento electo* (Ib. „ v. 19.) quæ ditat diligentes se & thesauros „ eorum replet. (Ib. v. 21.) Fontem sapientiæ „ verum & universalem, nunquam exhauriendum „ deprehendi, quem vos, o Sodales, nolo latere: „ fons est perpetuus, purissimus, a cujus scatebra „ semper secure bibitur &c.